VINCENTII CONTENSON

THEOLOGIA MENTIS ET CORDIS

ARRAS, IMP. PLANQUE ET Cie.

VINCENTII

CONTENSON

ORDINIS PRÆDICATORUM

Provinciæ Tolosanæ, Sacrosanctæ Theologiæ Doctoris

THEOLOGIA MENTIS ET CORDIS

seu

SPECULATIONES UNIVERSÆ DOCTRINÆ SACRÆ,
QUIBUS OMNIA, QUÆ AD PROFUNDISSIMAM THEOLOGIÆ SPECULATIVÆ INTELLIGENTIAM,
FUNDAMENTALEM PRACTICÆ SCIENTIAM, ACUTISSIMAM POLEMICÆ
DISSERTATIONEM, PIISSIMUM AFFECTIVÆ EXERCITIUM, COPIOSAM DENIQUE ORATORIÆ FACUNDIAM
PERTINENT, STYLO FERTILI,
GRATA FACUNDIA, CLARA ET FIRMA SENTENTIA DISSERUNTUR.

VETERI SUPPLEMENTO DE EXTREMA UNCTIONE, ORDINE ET MATRIMONIO,
ALIISQUE ADDITIS AUCTA, ET LOCUPLETATA.

TOMUS QUARTUS

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
208.8
LIBRARY
C767
Alma, California

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVES, EDITOREM
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

M DCCCLXXV

8789

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/theologiamentise0004vinc

THEOLOGIÆ MENTIS ET CORDIS

LIBER XI.

DE DEO SALVATORE

PARS SECUNDA

DE DIVINISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

PRÆLOQUIUM.

Ubi de variis agitur Eucharistiæ nominibus.

Optandum sane, illo me in præsenti zelo et ardore succendi, qui tanto Christi amori enarrando non esset impar. Utinam succensus esset calamus carbone illo ignito et seraphico, quo purgata sunt labia Isaiæ, ut immensæ Christi in humanum genus dilectionis inæstimabiles divitias, et singulare illud, ac plane infinita Dei sapientia dignum consilium exponerem, quo effecit, ut divinitate unctæ Christi carni agglutinati, spiritu Christi, et ipsa divinitate viveremus. Quis enim, etsi hominum linguis loquatur, aut Angelorum, verbis exprimere possit infinitam illam benignitatem, qua subministrato nobis in terra eodem cibo, quo beati in cœlo regnantes pascuntur, sempiternam Paradisi felicitatem in Ecclesia exscribere, et antevertere clementissimus Dominus dignatus est? Obstupescit merito Chrysostomus, et tota, qua ad miraculum valebat, eloquentia magnificentiam incredibilem illam Servatoris nostri, ac munificentiam extollit, qua, ut ait hom. 83. *in Matth.*, « Nos secum velut in unam massam redigit; nec solum fide, sed et reipsa corpus unum efficit. » Addit hom. 45. *in Joannem*, « sacrum hunc sanguinem» (nobis in Eucharistia realiter propinatum) « vivam ac spirantem in nobis Regis nostri effigiem reparare : hunc sanguinem perennibus undis animam irrigare ac fovere, cujus eximiam pulchritudinem ac nobilitatem marcescere ac degenerare non sinit. Hunc sanguinem digne gustatum dæmones fugare et longe a nobis profligare; Angelos vero, et Angelorum Dominum ad nos allicere. Hunc sanguinem animarum nostrarum salutem esse ; hoc recreari animum, hoc ornari, hoc inflammari, atque ipso igne clariorem reddi, et auro splendidiorem. Ab hac mensa salire fontem fluvios spirituales diffundentem, juxta quem non steriles salices adnascuntur, sed arbores, quæ cœlum ipsum attingunt, ac tempestivos semper, et nunquam marcescentes fructus afferunt. »

Consideravi opus tuum, et expavi. Regum Rex summus, et verus ipse Deus, Salvator hominum Christus Jesus, ad eximiæ, et inauditæ, atque omnia non solum merita, sed et vota excedentis benignitatis specimen, incredibilisque in fideles servos amoris argumentum singulare, non eos modo mensa sua dignatur, sed et corpore suo pascit, « idem conviva et convivium », ut a B. Hieronymo dictum est. Nullum divinius ab eo

præmium carissimis amicis suis, suavissimisque filiis hac in vita conferri ; nullum æternæ, quod iis in futuro sæculo parat, felicitatis dulcius pignus præberi potest. In hoc divinissimo mysterio amor divinus, ut verbis Tertulliani lib. *adversus Judæos* cap. 14. utar, est « sublimatus in consummationem » ; unde et de illo intelligit Cyprianus illud Davidicum : *Omnis consummationis vidi finem.* Consummatur plane divina omnipotentia, memoriam faciens mirabilium suorum, quando misericors, et miserator Dominus escam dedit timentibus se. Consummatur sapientia totum claudens in exiguo, quando ædificans sibi domum, miscuit vinum, et posuit mensam. Consummatur amor, *non plus ultra* progredi valens; nam, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

Hac de causa variis nominibus insigniri solet augustissimum hocce Sacramentum, quippe cujus tanta est præcellentia, virtus, et plenitudo gratiarum, ut uno nequeat nomine exprimi ineffabilis misericordiæ Dei dignatio. Cum enim inter innumerabilia beneficia, quibus sibi humanum genus Christus promeruit, Eucharistiæ operæ pretium principem obtineat locum ; et sive rei contentæ majestas, sive modi existendi prodigia, sive sese immolantis pretium, sive cibi cœlestis delitiæ fructus uberrimi perpendantur, totum divinum, et omni admiratione majus splendeat; plura oportuit nomina excogitare quibus infinitum donum quadantenus adumbraretur : de quibus in limine paucis agendum est.

In primis nomenclatura celebrior, et juxta usitatior est *Eucharistiæ* vocabulum, quod verbum vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem significat. Dicitur porro bona gratia, quia in hoc sacramento gratia Dei largius effunditur, vel quia gratiarum omnium fontem Christum continet, vel quia vitam æternam, de qua scriptum est, *Gratia Dei vita æterna*, præsignificat.. Apposite etiam gratiarum actio hoc sacramentum dicitur, tum quod in ejus institutione Christus gratias egit ; tum quod ad gratias Deo pro universis beneficiis referendas nihil hac purissima hostia Deo acceptius offerre possumus. Unde et in illo immensi redemptionis beneficii gratias agere, seu in commemorationem Christi facere, et mortem Domini annunciare jubemur. Hinc Chrysostomus hom. 25. *in cap.* VIII. *Matthæi* : « Optima, inquit, beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, et perpetua gratiarum actio. Propterea et tremenda, ac salutaria illa mysteria, quæ in omni synaxi celebramus, Eucharistica nuncupamus ; sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum divinæ erga nos providentiæ ostendunt, neque faciunt debitas semper gratias exsolvere. » Sed de Eucharistia ut sacrificio, et perenni illa Agni immaculati hostia usque ad consummationem sæculi, ringentibus licet Lutheranis et Calvinistis, hæreticorum omnium, si dogmata spectes, ab orbe condito impiissimis, duratura ultimo loco dicemus.

Secundo appellatur *Communio*, seu *Synaxis* : tum quia communicatione corporis et sanguinis Christi Salvatoris copulamur, et cum aliis Christi fidelibus in unum Ecclesiæ corpus coagmentamur ; imo et cor unum charitate efficimur, juxta illud I Cor. X : *Unus panis, et unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane et de uno calice participamus.* Qua de causa *Sacramentum pacis, et charitatis* frequenter nominatur. Tum quia in unum convenire locum Christiani solent, ut huic sacramento et sacrificio intersint. Quanta autem debet esse Christianorum animorum concordia, quantum in domo Dei ambulare cum consensu, qui simul, ut phrasi Prophetæ utar, dulces capiunt cibos, mensæ eidem accumbunt, eadem Christi carne pasti, eodem sanguine potati ! « O sacramentum pietatis », exclamat August. tract. 26. *in Joan.* « O signum veritatis ! O vinculum charitatis ! Litigabant utique ad invicem Judæi, quoniam panem concordiæ non intelligebant, nec sumere volebant : nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem, quoniam unus panis. » Conjunctio enim fidelium inter se ex Christi conjunctione consequitur : nam quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

Tertio appellatur *Viaticum*, tum quia ejus sacri cibi solatio in hujus ærumnosæ vitæ peregrinatione reficimur, sustentamur, recreamur. Tum quia hoc sacramento ad æternam felicitatem via sternitur, et munitur. Tum quia Christianis in periculo mortis constitutis sacramentum istud ministratur, quo cursum pie consumment, et arctam viam quæ ducit ad vitam, in extremis momentis infinitis periculis septam, inoffenso pede percurrant. Unde dicitur in Concilio Nicæno, canone 16 : « De iis qui ad exitum veniunt,

etiam nunc lex antiqua, regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo et necessario viatico minime privetur. »

Quarto appellatur *Panis*, et *Fractio panis*. Joan. VI : *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* I Cor. X : *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Nominatur autem panis, tum propter materiam præcedentem, ex qua conficitur ; tum propter accidentia panis post consecrationem permanentia, ratione quorum extrinsecam panis formam, et figuram præfert. Tum demum, quia sicut pane hominis corpus vescitur, et saginatur; ita Christus se in convivio Eucharistiæ manducantibus dat spiritus pinguedinem. Dicitur vero fractio panis, quia fidelibus distribuitur ; idem enim est frangere, et dividere, seu distribuere ; quia non frangitur panis, nisi ut divisus multis porrigatur. Nec obest, quod non remaneat substantia panis ; sicut enim Angeli humanam speciem assumentes, homines dicuntur Genes. XVIII et XIX, ita frangi dicitur panis, quando sensibilium specierum fit fractura. Maxime quia Eucharistia vocatur panis, non qualiscumque, sed *panis vivus, panis qui de cœlo descendit, quem qui manducaverit, vivet in æternum*, ut patet Joan. VI. Quæ omnia pani materiali non posse convenire, manifestissimum est. Unde et passim, *Panis vitæ, Panis supersubstantialis, Panis Angelorum* dicitur.

Quinto appellatur *Corpus et sanguis Christi Domini ;* quia nimirum in hoc sacramento realiter continentur. Hinc Tertull. lib. *de Resurrect. carn.* cap. 8 : « Caro corpore, et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur ». Et August. lib. 1. *de Trinit.* cap. 4 : « Corpus Christi, et sanguinem dicimus illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, et prece mystica consecratum sumimus ad salutem spiritalem, in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. »

Sexto appellatur *Sacramentum corporis, et sanguinis Christi, Sacramentum altaris, Sacramentum Fidelium.* Dicitur Sacramentum corporis et sanguinis Christi ab Augustino lib. 4. *de Peccat. merit.* cap. 24 : « Optime Punici Christiani baptismum nihil aliud, quam salutem , et sacramentum corporis Christi nihil aliud, quam vitam vocant. Dicitur Sacramentum Altaris ab eodem Augustino epist. 50 : « Convivium Domini unitas est corporis, non solum in Sacramento Altaris, sed etiam in vinculo pacis. » Dicitur etiam Sacramentum Fidelium ab eodem Augustino serm. 2. *de Verbis Apost.* cap. 10 : tum quia in illo, veluti centro, unitur Fidelium religio ; tum quia soli fideles sunt ad illud suscipiendum idonei ; tum quia solis fidelibus, id est in fide stabilibus, patefiebat, et in primitiva Ecclesia de eo coram catechumenis non nisi subobscure, et cum magna cautela verba fiebant. Unde sæpe Augustinus Eucharistiam non aliter significat, quam per sacramentum, vel sacrificium, quod norunt fideles, ut patet *loco citato*, et *in Psalm.* XXXIX. Porro quam insulse inde inferant Calvinistæ, in Eucharistia esse tantum signum corporis Christi, non vero ipsum corpus, quia sacramentum signum est, suo loco patebit. Et certe eadem asyllogistia inferent, Ecclesiam Romanam, et omnes realis præsentiæ Catholicos defensores, solum in Eucharistia corporis Christi signum agnoscere, cum Eucharistiam passim, et vulgo sanctissimum sacramentum, sacramentum altaris, et clam, et coram, et in familiaribus colloquiis, et in solemnioribus officiis appellent, atque cum Dionysio dicant, illud esse « Sacramentum sacramentorum, mysterium mysteriorum » ; quia quæ in reliquis sacramentis peraguntur, eminentissime complectitur.

Septimo a multis hoc sacramentum *Cœna* appellatur, quia in novissima cœna a Christo Domino pridie quam pateretur, institutum est. Quod nomen modernis hæreticis Lutheranis, et Calvinistis mire placet, ut Eucharistiæ exosum sibi nomen repudient, utque (quæ summa erroris ineptia est) inferre inde, et suadere ignorantibus possint, sacramentum hoc non esse aliquid permanens, sed in usu, cœnandique actu situm esse, nec rite fieri, nisi pluribus accumbentibus, nec ad infirmos esse deferendum. Fundamentum etiam hujus nominis desumunt nonnulli ex illis Apostoli I. Cor. XI. verbis : *Cœnantibus vobis in unum, jam non est dominicam cœnam manducare.* Locum enim de Eucharistia intelligendum docuerunt S. Augustinus epist. 118, S. Eligius hom. 15. et D. Thomas, præsertim cum de adorandæ Eucharistiæ institutione, et necessaria ad eam recipiendam dispositione in eodem contextu Apostolus sermonem habeat. Quamvis enim non pauci existiment, Apostolum eo loci de cœna Dominica et Eucharistica non esse locutum, sed de cœna, seu convivio communi, quo

primitivæ Ecclesiæ Fideles una reficiebantur, senes cum junioribus, simul in unum dives et pauper; idque ad imitationem Christi, in cujus ultima cœna tres comestiones factæ sunt; prima legalis, in qua Agnus Paschalis comedebatur; altera communis, in qua ordinarii cibi sumebantur; tertia sacramentalis, in qua sacramentum corporis et sanguinis sui Christus instituit : ad imitationem ergo Christi, et mutuæ dilectionis significationem in communi Christiani convivabantur, successu tamen temporis repudiatis pauperibus ditiores oppipare epulabantur, quem gliscentem abusum reprehendit Apostolus, verbis præfatis statim subnectens : *Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum ; et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, aut Ecclesiam Dei contemnitis, aut confunditis eos qui non habent?* Constat autem in perceptione Eucharistiæ neminem inebriari, neminem esurire ; constat Eucharistiam vulgo, et opportunius domi non sumi ; constat pauperes æque facile atque divites Eucharistiam usurpare. Loquitur ergo Apostolus non de Eucharistia, sed de agapis, hoc est convivio charitatis in Ecclesiis festis solemnioribus frequentato, in quo divites inebriabantur ; quod poterat quisque opulentus domi peragere, quodque sibi pauperes parare nequibant. Verum quominus locum illum de Eucharistia intelligamus, præfata non impediunt. Cum enim in convivio illo cibi statim a perceptione corporis Domini gustarentur, per cœnam Dominicam Eucharistiam recte potuit intelligere Apostolus, cui profana convivia per abusum admiscebantur. Unde sensus apostolicus iste est : Sic admiscere convivia profana, vino sordida et pauperibus injuriosa, non est Eucharistiam, quæ Dominica cœna est, ea qua Christus instituit, dilectione, ea quam præcepit, cordis castimonia manducare.

Nec est, quod inde aliquid in patrocinium suorum errorum derivent nostrates hæretici; omnes quippe ritus, quos Christus pro loco et tempore servavit, Ecclesiæ servandos non præcepit. Sed si ita scrupulosi sunt Calvinistæ, cur non agnum in sua cœna comedunt? Cur non eam serotino tempore cœnati usurpant? Cur astantium prius pedes non lavant? Sed homines, si Superis placet, religiosissimi, eas cæremonias aucupantur, quas Ecclesia Catholica Spiritu sancto gubernata prætermittit; eas prætermittunt, quas illa traditionum paternarum tenax custodit. Quia nimirum summa Calvinistarum religio, summa regula est Ecclesiæ Christi adversari, et omnibus sacris ritibus conculcatis, eas affectare cæremonias, quas Patres non necessarias judicaverunt, suas ut Calvinistæ novitates obtrudant.

Denique ut aliorum nominum vim intelligas, quibus hoc augustum Sacramentum sacri Doctores celebrarunt, illiusque immensam dignitatem, et præcellentiam uno vocabulo minime comprehensibilem, variis, et variis nominum titulis exprimere conati sunt, præ oculis habenda est doctrina S. Thomæ quæst. 73. art. 4, ubi ostendit, quod quia hoc Sacramentum tria potissimum significat, et præteritam Christi passionem, et præsentem gratiarum effusionem, unde fidelium inter se, et cum Christo communio profluit; et futuræ gloriæ felicitatem, nihil mirum, si tot proprietatibus, et effectibus designandis idem sacramentum diversis nominibus insigniatur. Hinc « Redemptionis memoriale » a multis, « Holocaustum salu- Bernardo; « Verbum nutritorium anima- a Dionysio, « Sanctum sanctorum, Sacramentum sacramentorum, Amor amorum, Dulcedo omnium dulcedinum, » a tis » a Ruperto, « Sacrificium divinissimum » rum », ab Origene, « Panis beatitudinis », ab Athanasio, « Æternæ vitæ cibarium », a Chrysologo, « Poculum immortalitatis », a Prospero, « Alimonia immortalitatis, et vitæ æternæ potio », a Cypriano, denique « Omnium novitatum novitas » a Hieronymo, et « Officina omnium miraculorum », a Damasceno appellatur. Ut autem in hoc Sacramento, quod Germanus Constantinopolitanus « arcam luminum » vocat, dilucide procedamus, faciliora, et magis certa more nostro præmittemus ; difficiliora deinde prosequuturi. Verum quia toto harum dissertationum decursu realem corporis et sanguinis Christi in hoc sacramento præsentiam, et panis et vini in corpus et sanguinem ejusdem transsubstantiationem supponere opus est; et vix, ac ne vix quidem stabilire quidpiam orthodoxum possumus, nisi cardinalibus illis veritatibus superstructum sit, operæ pretium est prius constantem Ecclesiæ Catholicæ fidem omni argumentorum genere adversus hæreticos moderniores communire, quam ut explorata de hoc Sacramento Ecclesiæ dogmata exponamus.

DISSERTATIO I

Realis Corporis, et Sanguinis Christi in Eucharistia præsentia, necnon panis et vini in Corpus et Sanguinem ejusdem transsubstantiatio adversum nostrates hæreticos propugnantur.

De Eucharistiæ Sacramento primum nobis cum hæreticis modernis agendum est, ut illustrata Ecclesiæ Catholicæ, et Romanæ veritate, omniumque errorum tenebris depulsis, difficultates deinde a Catholicis ventilatas planius explicemus. Hoc argumentum innumeri viri Catholici præclare prosequuti sunt, ostenderuntque Lutheranorum, et Calvinistarum, quæ ipsis maxima videntur argumenta, frivola esse sophismata, ac commentitia, et, ut alicubi ait disertus Cano, vix digna lucubratione et ingenio aniculârum; taliaque certe, propter quæ non modo ab Ecclesiæ Catholicæ sensu, et omnium Christianorum toto quam late patet orbe ante natos istos apostatas degentium, unanimi consensione, sed nec ab amici unius probi, et sinceri esset necessitudine sententiaque discedendum. Quare post aureas cardinalium Perronii, Bellarmini, Richelii, episcopi Coeffetæi, aliorumque lucubrationes, quibus omnia a clarissimis ingeniis præoccupata sunt, nihil ferme dicendum superesset, nisi argumenti fœcundissimi dignitas immensa, veritatis Catholicæ splendor in dies magis magisque sese explicans, et hæreticorum vaniloquia novam semper fandi materiam, et copiam subministrarent.

Verum, ut ingenue fatear, nullus facilius, expeditius, efficacius (absit verbo invidia), eruditius, et juxta felicius catholicam realis corporis Christi in Eucharistia præsentiam, quod præcipuum adversus nostrates hæterodoxos controversiarum caput est, eximio Doctore Sorbonico domino Antonio Arnaldo libro *de Perpetuitate fidei Eucharistiæ*, demonstravit. Et, quamvis illud operæ pretium et Religionis armamentarium quidam mendacii Minister Claudius nomine, conquisitis nonnullis orationis flosculis, pigmentis muliebribus, fucis puerilibus, et perpetuis fallacium antitheseon pugnis, in speciem titillantibus aggredi molitus sit; attamen idem Arnaldus hæretici librum sic dispunxit, eo robore criminationes ejus discussit, eo lumine sophismatum offutias dispulit, eo rationum pondere, et gravitate inanissimarum figurarum levitatem et cantilenam oppressit, eo nervo Catholicam veritatem defendit, ut adversarium floridum illum quidem, ab omni soliditate tamen desertum, nullo in loco consistere sinat, sed eum prorsus exarmatum confodiat, usque ad hæresis internecionem; denique convincat sic cavenda esse verba hæretici Claudii, ceu poculum venefici, quod prius dulciter mulcet, ut postmodum lethaliter necet.

Et certe non sine speciali æterni Numinis providentia virum talem, tot olim modis divexatum abscondit diu Deus in abscondito faciei suæ a contradictione linguarum, ut eum tempore deinceps opportuno excitaret, et in defensionem Christi Dei vere absconditi, id est sub speciebus panis et vini latentis adversus hæreticorum impetus armaret. Decebat sane, et Eucharistiæ mysterii propugnatori plane congruebat, ipsum instar grani frumenti in terram cadere et mori, ut multum postea fructum in universam Ecclesiam redundaturum afferret; omnibusque calumniatoribus palam faceret, quid sentiret de illo cibo, quem frumentum electorum, et vinum germinans virgines docti a Domino Prophetæ nominarunt.

Fuerunt quidem nonnulli (eorum nominibus parco, parcat utinam et eorum iniquitati Deus) qui absque ulla veri vel tenuissima specie per summam, et ante hæc tempora inauditam calumniam Doctorem illum negatæ transsubstantiationis, et realis Christi in Eucharistia præsentiæ insimulare non erubuerunt, quamvis infandam illam suspicionem tot a se scriptis luculentissimis ante accusationis illius atrocitatem exaratis

depulisset; ubi Catholicæ fidei articulum, qui sibi semper præcipuo amori fuit et venerationi, his expressionibus, ea perspicuitate extulerat, quibus accurationes et formaliores nec patres, nec sacra Concilia, nec theologorum Princeps S. Thomas, nec Scholastici ulli Scriptores ad exponendum Ecclesiæ sensum germanissimum unquam invenere. Porro quid in illo accusationis monstro magis eminuerit, an calumnia, an stultitia; et utra utram vincat, prorsus ignoro; adeo enim insulsis et fatuis conjecturis tam indignam in præfatum Magistrum suspicionem conferre conati sunt, ut non solum refellere, sed nec referre etiam sine fatuitatis nota ipse auderem, et meminisse puderet, nisi ipse Claudius præteritorum argumentorum vi obrutus, et futura subodoratus, ut ad silentium importabilem adversarium adigeret, eamdem calumniam minitabundus regessisset. Dolus, an virtus : quis in hoste requirat? At enim hæreticorum fraudes facile floccifacimus, et de recta domini Arnaldi in Deum fide nemo dubitabit, nisi fuerit improbis calumniatoribus improbitate non impar. Nam in opere novissimo, quod Clementi IX. nuncupavit, tam strenue causam Ecclesiæ agit, ut armis lucis destruat opera tenebrarum adeo fortiter et juxta splendide, ut nulla supersit Calvinistis nostris excusatio, si ad avitam Ecclesiæ Catholicæ fidem non revertantur.

Hæc in commendationem viri Theologi, de Ecclesia Romana et Catholica tam bene meriti, innocentiæ ipsius veritate, impactarumque calumniarum falsitate convictus libenter scripserim, qui nihil possum adversum veritatem, sed pro veritate. Elogiis quæ ipsi panxerunt Episcopi et Doctores quamplurimi nihil tenuitas mea adjiciet; hæc tantum Salviniani ad Eucherium verba veridicus usurpabo. « Legi libros *de Perpetuitate fidei Eucharistiæ*, doctrina uberes, lectione expeditos, instructione perfectos, menti Auctoris, ac pietati pares. » Ex his etiam totam hanc dissertationem locupletabimus.

CAPUT I.

VERA, REALIS, ET SUBSTANTIALIS CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI IN EUCHARISTIA PRÆSENTIA OMNI ARGUMENTORUM ILLORUM GENERE STABILITUR, QUIBUS CERTISSIMA FIDEI DOGMATA, ET APUD IPSOS HÆRETICOS INDUBITATA DEMONSTRARI SOLENT.

Præsentia corporis et sanguinis Christi in Eucharistia dixi *veram*, *realem*, *et substantialem*. *Veram* contra Zwinglianos, qui Christum non nisi ut in signo et figura volunt esse in Eucharistia præsentem. *Realem*, contra Calvinum fingentem Christum esse tantum objective in Eucharistia præsentem per solam fidei apprehensionem. Quamvis enim vaferrimus Hæresiarcha, ob motas præsertim Lutherum inter et Zwinglium acerbissimas contentiones varie de Christi præsentia scripserit, et Christum nobis exhiberi, carnem ejus nobis porrigi non semel dixerit, ut Lutheranorum invidiam declinaret; revera tamen realem præsentiam corporis, et sanguinis Christi inficiatus est. Denique *substantialem*, contra quosdam cavillantes Calvini discipulos, quos sequitur Claudius Minister Charentonensis, qui non substantiam, sed virtutem duntaxat corporis Christi esse in Eucharista præsentem, quæ panem ac vinum inundet, comminiscuntur. Nos autem Catholici verum Christi Domini corpus, illudque idem quod natum ex Virgine in cœlis sedet, in hoc sacramento vere, realiter, et substantialiter contineri sine ulla dubitatione credimus, incunctanter confitemur, et sequentibus speculationibus suademus. Varios porro de Eucharistia errores capite sequenti recensebimus.

SPECULATIO I.

Christus Dominus nobis corpus suum in cibum, et sanguinem suum in potum realiter daturum promisit. Promissionem vero illam in institutione Eucharistiæ implevit. Ergo Christum realiter in Eucharistia possidemus.

Brevi argumento totum probationum e Scripturis depromendarum momentum speculatio ista complectitur quam efficacissime. Cum enim Christus, qui ipsa veritas est, nec falli, nec fallere, vel frangere fidem suam possit, si corpus et sanguinem suum realiter

daturum promiserit, nec promissionem illam alibi quam in Eucharistiæ institutione impleverit, procul dubio Christum realiter in Eucharistia præsentem habemus. Duæ igitur speculationis partes diligenter comprobandæ sunt, ut ex illis veritas catholica certissime, et juxta limpidissime dérivetur.

In primis, quod Christus nobis verum corpus suum in cibum, et sanguinem suum in potum promiserit, clarissime patet ex verbis illis, Joan. VI : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Nec clarissima illa Veritatis verba ullis hæreticorum nebulis obscurari possunt, sive dicant Salvatorem de spirituali tantum manducatione fuisse locutum , sive de carne non realiter et substantialiter, sed per figuram duntaxat panis danda verba illa interpretentur. Non, inquam, possunt his subterfugiorum vitilitigationibus tam aperta verba eludi. Tum quia cum præfata Redemptoris verba Judæis litigio fuerint et scandalo : *Litigabant* enim *ad invicem dicentes, quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Nec Judæis tantum, sed etiam quibusdam discipulis, nulla invidia, nulla in Christum simultate actis fuerunt verba illa offensioni, unde et dixerunt: *Durus est hic sermo, quis potest illum audire?* Ergo tam Judæi Capharnaitæ, quam discipuli illi conturbati verba Servatoris de reali et substantiali carnis ejus in cibum dandæ promissione interpretati sunt : neque enim litigii, scandali, vel offensionis causam ullam vel tenuissimam habuissent, si Christum de spirituali manducatione, vel de signo corporis sui instituendo locutum existimassent. Et tamen existimatione eorum nec removit Christus, nec illorum scrupulos æstusque facillimo illo spiritalis, vel figurativæ manducationis interpretamento, quo omnes difficultates sponte evanuissent, Christus sedavit, sed eam magis magisque firmavit: *Amen amen dico vobis*, inquit, *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quin discipulis, quibus obscura a se populis proposita opponere consueverat, ob eam existimationem abire permisit ; aliosque, num vellent abire, interrogavit, ne quidpiam de veritatis rigore remitteret. Quis autem credat Christum Dominum, totum ad clementiam, pietatem, et misericordiam comparatum, qui verbulo uno Capharnaitas ab errore, discipulos a queritandi imbecillitate liberasset, ambosque cito persanasset, illorum tamen intelligentiam, quamlibet rationi duram, et reipsa, si vera est Calvinistarum sententia, falsam confirmare voluisse, aut potuisse, subindeque errorum tenebras non depulisse, sed auxisse et addensasse, atque exemplo futuræ corporis sui ascensionis stabilivisse? *Hoc vos scandalizat?* inquit. *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius*, etc. Accedit, quod verbis illis tam serio expressis, tam crebro in eodem contextu inculcatis, aliquid speciale et eximium fidelibus suis Christus promisit, quod Judæi nondum fuerat datum, cum clarissime attestetur : *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, et mortui sunt ;* id est, donum vobis manna longe præstantius polliceor. Patet vero spiritalem Christi per fidem manducationem jam pridem fuisse a Patribus fide grandibus usurpatam, et manna perfectiorem fuisse Christi figuram, quam sit simplex panis. Ergo nihil singulare, nihil eximium Christus Ecclesiæ suæ tribuisset, si panem duntaxat usualem in figuram corporis sui, et præterea nihil se daturum spopondisset.

Ergo corpus suum in cibum, et sanguinem suum in potum se vere, et non figura tenus daturum Christus pollicitus est, cum dixerit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Unde verba illa de vera Christi carne in cibum danda, et ore sumenda intellexit Concilium Ephesinum in approbatione epistolæ Cyrilli ad Nestorium, ubi S. Doctor ex eo Joannis loco carnem Christi esse vere, realiter, et subtantialiter unitam Verbo Divino confirmat, quia ab eo haurit, ut in sacramento accedentes vivificet. « Confitemur », inquit, « incruentum in Ecclesia sacrificium nos celebrare, atque ad mysticas benedictiones accedere, eaque ratione sanctificari, utpote sanctæ carnis, et pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Salvatoris participes effecti. Neque enim illam ut carnem communem suscipimus, absit hoc ; aut rursus tanquam viri cujuspiam sanctificati, aut dignitatis tantum æqualitate Verbo consociati, aut divinam inhabitationem sortiti ; sed tanquam vere vivificati, ipsiusque Verbi propriam. Nam cum vita sit, ut Deus secundum naturam, simul atque unum quoddam cum ipsa carne effectus est, mox vivificandi virtutem illi contulit. Quamvis ergo ad nos dicat, *Amen*,

amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis ; neutiquam tamen illam communem, hoc est hominis cujuspiam nostræ conditionis carnem existimare esse debemus. Quomodo enim hominis caro secundum suam ipsius naturam vivifica esse queat? Sed vere illius propriam, qui nostri causa Filius hominis et factus, et appellatus est. »

Eodem modo locum illum de reali carnis Christi præsentia intelligit Concilium Nicænum II. act. 6. « Nullus », inquit, « incruentum sacrificium nostrum dixit imaginem corporis ejus ; sed audiunt evangelice, dicente eo : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* ». Sed de hoc longe præclarissimo testimonio fusius infra.

In eumdem sensum locum illum SS. Patres interpretati sunt. Cyrillus enim Alexandrinus *in Joannem,* ad hæc verba, *Qui manducat meam carnem*, etc. « Quemadmodum », inquit, « si quis ceram ceræ conjunxerit, utique alteram in altera esse videbit : eodem quoque (opinor) modo, qui Salvatoris nostri carnem suscipit, et bibit pretiosum ejus sanguinem, ut ipse ait, unum quidam cum eo reperitur, commixtus quodammodo, et immixtus ei per illam participationem : ita ut in Christo quidem ille reperiatur, et vicissim Christus in ipso. »

Id ipsum clarissime docet Hilarius lib. 8. *de Trinit.*, ubi ex verbis illis probat, Patrem et Filium unum esse, non solum effectu et consensu, sed etiam natura, quia Christus nobiscum in Eucharistia non solum caritate et fide, sed vere etiam, et realiter unitur. « Eos nunc », inquit, « qui inter Patrem, et Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo, utrumne per naturæ unitatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostræ tam inseparabilem sibi natus homo assumpsit? » Et post plura in hanc rem peropportuna, sic habet : « Quæ scripta sunt legamus, et quæ legimus intelligamus, et tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ discimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie discimus. Ipse enim ait, *Caro mea vere est cibus :* de veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. »

Eodem modo locum illum interpretati sunt Irenæus lib. 4 cap. 34. Origenes hom. 16. *in Num.* Cyprianus lib. *de Orat. Dominica*, Basilius *in regulis moralibus*, regul. 21, Ambros. lib. 4. *de Sacrament.* cap. 5. et lib. 5. cap. 1. et libro 6. cap. 1, Augustinus locis postea referendis, Leo Magnus serm. 6. *de Jejunio* 7. *mensis*, Bernardus serm. 3. *in Psalm. Qui habitat.* Et certe incredibile est, Joannem discipulum amoris de præcipuo Christi dilectionis pignore Eucharistia, mentionem nullam in Evangelio fecisse : et tamen id dici necesse est, si verba capitis sexti de Eucharistia non intelligantur. Hinc Augustinus lib. 3. *de Consensu Evangelistarum* cap. 1 : « Joannes », inquit, « de corpore et sanguine Domini hoc loco nihil dixit, sed plane alibi multo uberius », scilicet cap. 6, cum alibi nusquam de eo meminerit. Sed clarissime Chrysostomus hom. 45. *in Joannem*, in hæc verba, *Panis quem ego dabo*, etc. : « Ut autem », inquit, « non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, et in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur. Hoc enim amantium maxime est. »

Dices : Christus ipse Capharnaitarum murmurantium, et offensorum discipulorum intelligentiam correxit, dicens : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego loquor vobis, spiritus et vita sunt.* Id est, prolata a me verba spiritaliter intelligenda sunt, nec de manducatione corporali, sed spiritali, quæ per fidem est accipienda.

Respondeo Capharnaitas duo in verbis Christi apprehendisse : et realem carnis Christi præsentiam, et carnalem comedendi modum, quo caro in frusta dividitur, dentibus premitur, in stomachum trajecta concoquitur, et in substantiam convertitur comedentis. Priorem intelligentiam non correxit, sed firmavit Salvator, ut supra ostendimus ; posteriorem vero emendavit. Ita docet, et locum illum interpretatur Augustinus tractat. 27. *in Joannem.* « Non prodest quidquam », inquit, « sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, *Caro non prodest quicquam ;* quomodo dictum est, Scientia inflat. Jam ergo debemus odisse

scientiam? absit. Et quid est, Scientia inflat? Sola sine charitate; et ideo adjungit, Charitas vero ædificat. Adde ergo et scientiæ charitatem, et utilis erit scientia, non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc : *Caro non prodest quicquam.* Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, et prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. »

Ex his præclaris Augustini verbis liquet, et Christum nobis carnem suam veram in Eucharistia daturum eo loci promisisse, et eatenus Capharnaitas errasse, quatenus carnem illam carnali more comedendam intellexerunt, quem errorem ut corrigeret, dixit : *Caro non prodest quicquam, spiritus est qui vivificat.* Id est, caro ore premenda, ac dentibus mandenda et commolienda vobis non porrigitur, quæ sic comesta nihil prodesset, sed horrorem potius ingeneraret. Attamen caro mea vere vobis dabitur, quæ modo spiritali corporibus gloriosis eximio, in Sacramento, realiter tamen et substantialiter tota in toto, tota in qualibet parte, quo modo spiritus est in corpore, existet. Ad quem cibum digne accipiendum spiritu gratiæ et pietatis singularis opus est; caro enim mea ab indigno accepta non prodest quicquam, sed obest plurimum judicium sibi manducanti, et non dijudicanti corpus Domini. Verba ergo quæ loquor vobis *spiritus sunt;* quia, licet caro mea vere sit cibus vester, in Sacramento tamen non apparebit modo corporeo, extenso, visibili, contrectabili; sed dotes, et modum spirituum in loco imitabitur. *Spiritus sunt*, quia illis, ut credamus, ab imaginatione abstrahendum, a sensibus secedendum, ad spiritum non quidem mere humanum, sed fide divina illustratum, tanquam ad veritatis portum et asylum confugiendum est. *Spiritus sunt*, quia nisi spiritu ambulaverimus, nisi Spiritum Christi habuerimus, nisi fide, spe, charitate, humilitate, reverentia, aliisque Spiritus sancti affectibus ad cibum illum comedendum accedamus, ipsa divinitate uncta Christi caro non prodest quicquam, quia mors est malis, vita bonis. Denique *vita sunt*, quia qui verbis a me prolatis sincere credit; et his permotus ad Eucharistiam pie usurpandam accedit, vita gratiæ in hoc mundo, vita gloriæ in futuro potietur.

Instabis : Augustinus lib. 8. *de Doctrina Christiana* cap. 16. tradendo regulam, qua discernatur, quandonam loci alicujus Scripturæ loquutio figurata censenda sit, sic habet : « Si præceptiva loquutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non est figurata : si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem ac beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis; facinus vel flagitium videtur jubere, figura est. Ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum, et suaviter atque utiliter recolendum, quod pro nobis caro ejus crucifixa, et vulnerata sit. » Igitur Christus Dominus *Joan.* VI. per carnem suam non intelligit carnem ipsam suam realiter et substantialiter, sed figurative donandam. Idem docet *in Psalm.* XCVIII, ubi Christum Capharnaitas alloquentem sic inducit : « Spiritualiter intelligite, quod locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis : spiritaliter intellectum vivificabit vos, caro autem non prodest quicquam. »

Respondeo priorem locum non esse ad rem ; Sanctus enim Augustinus ait ibi, Eucharistiam esse figuram crucifixionis Christi, cui præcipimur communicare ; non vero ait esse figuram corporis Christi. Respectu ergo falsæ illius, et rudis existimationis, qua credi posset carnem Christi visibili et cruento modo esse comedendam, quave hoc sensu præciperetur flagitium, figurata sunt Christi verba : sed sicut non est flagitium carnem Christi incruento, invisibili, et spiritali modo, realiter tamen porrectam comedere : ita respectu illius existimationis non sunt figurata verba Christi. « Quæ quasi flagitiosa », inquit idem sanctus Doctor cap. 10, « imperitis videntur, sive tantum dicta, sive etiam tacta sint, vel ex Dei persona, vel ex hominum, quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt. » In exemplum hujusmodi figuratorum profert unctionem pedum Christi a Magdalena factam, quia in aliis vulgi hominibus luxui deputaretur, quæ in Magdalena magnæ cujusdam rei signum fuit. Affert etiam conjunctionem Ozeæ Prophetæ cum meretrice, Deo jubente, initam, in perditis hominibus flagitiosam, in Ozea grandis mysterii figurativam, cum quibus figuris stat et veritas unctionis, et veritas etiam conjunctionis. In verbis ergo illis Sal-

vatoris, quæ imperitis flagitium præ se ferre videntur, cum veritate carnis suæ consistit figura passionis Christi, cui communicare præcipimur, « et suaviter, atque utiliter recolere, quod pro nobis caro ejus crucifixa, et vulnerata sit. » Sunt ergo Augustino auctore quædam verba figurata res ipsas significantia ; quæ tamen res aliud verbis non expressum significant. Sicut, teste eodem Patre epist. 119. cap. 10, sabbatum Judæis præceptum est in otio corporaliter celebrandum, ut figura esset mentis in Spiritu sancto futuræ quietis ; et tamen præceptum illud ad otium corporale Judæos obligabat. Sicut etiam ex eodem Augustino lib. *cont. Mendac.* cap. 13. figura fuit, quando Christus interrogavit : quis me tetigit ? Ubi posuistis eum ? et quando finxit se longius ire ; et tamen et vere interrogavit, et vere se longius ire finxit. Ergo verba illa Joan. VI. non eo sensu figurativa sunt, quod non significaverint, quod exprimebant ; sed quia aliud minime expressum figurabant.

Hac responsione ab Augustino sui interprete deprompta, absque negotio quæ accumulant hæretici ejusdem S. Patris testimonia, explicare est. Ad locum tamen ex Psalmo XCVIII. ad doctrinæ ubertatem dicendum, veridice monuisse Augustinum verba Christi spiritaliter esse intelligenda ; spirituali namque intelligentia opus est, ut credamus Christum non carnali modo, sicut existimabant Capharnaitæ, se præbere edendum, sed spiritalem, tametsi realem, ibi corporis sui præsentiam omnipotentissima sua potestate nobis exhibere. Unde subjunxit : *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis ;* id est, illud visibile et palpabile carnali modo nequaquam comedetis. Patet id ex Augustiniano contextu ; exponit enim ibi Augustinus illud Psalmi, *Adorate scabellum pedum ejus ;* quæritque quæ sit hæc terra, quæ adoranda præcipitur tanquam scabellum pedum Dei ? Respondet vero hanc terram esse carnem Christi, subditque : « Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit ; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando ». Manifeste ergo sensit Augustinus, carnem Christi vere, et realiter porrigi nobis in Eucharistia manducandam, cum illa sola sit scabellum pedum Dei, in qua assumpta carne ambulavit, et sola digna est, quæ adoretur. Quando ergo ait : *Non hoc corpus ; quod videtis, manducaturi estis*, loquitur de corpore quoad modum palpabilem et visibilem, non quoad substantiam illius. Nec mirum id videri debet, familiare enim est Augustino de corporibus gloriosis loqui, ac si essent carne exuta ; quia nimirum spirituum conditionem beatis immortalitatis dotibus consequuntur. Hinc lib. *de Fide et Symbolo* cap. 10 : « Illo tempore immutationis angelicæ non jam caro erit et sanguis, sed tantum corpus. In cœlestibus vero nulla est caro, sed corpora simplicia et lucida, quæ appellat Apostolus spiritualia ». Et lib. contra Adimantum cap. 12 : « Cum induerit incorruptionem et immortalitatem, jam non caro et sanguis erit, sed in corpus cœleste mutabitur. » Itaque non hoc corpus, quod viderunt Judæi, manducamus ; quia non aspectabiliter, sed invisibile, immortale, et cœleste nobis porrigitur.

Promissa sua Christus in institutione Eucharistiæ implevit.

Altera speculationis pars affirmans solemnem illam carnis suæ realiter, et substantialiter nobis dandæ promissionem Christum in institutione Eucharistiæ implevisse, tam aperta est, quam quod maxime. *Accipite et comedite*, inquit Veritas promissis stans, et et fidem suam liberans : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Bibite ex hoc omnes : Hic est sanguis meus, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, Matth. XXVI, Marc. XIV, Luc. XXII. Figuras autem, vel tropologicas locutiones in tam perspicuis verbis comminisci, insanire est, vel certe hæreticorum more cavillari, tenebras lucem, lucem tenebras dicere. Ponderant, nec abs re quidem, Interpretes verba Servatoris ; aiuntque verba amphibologica et obscura, nec candori testatoris, nec amantis sincerati congruere ; obscura enim testamentorum verba rixarum occasio sunt et litium seges inexhausta ; amantium vero, et maxime prope exitum corde pandentium sermones postremi ab omni sunt ambiguitatis nota remotissimi. Si enim imminente morte eo loci ponuntur homines, ubi sicut major verborum fides, et ab omni mendacii, vel fraudis, aut ambiguitatis suspicione remotior est, « cum veræ voces, » ut ille ait,

« tum demum pectore ab imo ejiciuntur, et eripitur persona, manet res ; » quanto potius de ipsa Veritate Christo id credere possumus, et debemus. Christus autem in institutione Eucharistiæ testamentum condebat, juxta illud Luc. XXII : *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*. Hinc Tertullianus libro 4. *contra Marcion.* cap. 40 : « In calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit. » Et certe, si secundum Jurisperitos verba testamentorum in rigore sumenda sunt, et intentio testatoris talis præsumenda, qualem verborum proprietas præfert, quidni idem de testamento Salvatoris judicium feremus ? Præclare Augustinus lib. *de unit. Eccles.* cap. 11 : « Cum verba novissima hominis morientis audiuntur ituri ad inferos, nemo eum dicit esse mentitum ; et impius judicatur hæres, qui forte illa contempserit. Quomodo ergo effugiemus iram Dei, si vel non credentes, vel contemnentes repulerimus verba novissima et unici Filii Dei, et Domini nostri ac Salvatoris, et ituri ad cœlum, et inde prospecturi ; quis ea negligeat, quis observet et inde venturi, ut de omnibus judicet ? » Tunc etiam ultima paterni divinique amoris argumenta præbere, et divitias effundere satagebat. *Cum* enim *dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Scilicet excurrerat divinus amor, sed ultimam metam, extremumque limitem in hoc dilectionis sacramento attigit, et totius benevolentiæ coronamentum posuit, plus ultra progredi non valens, nisi aliquid daret post omnia.

Ponderant alii, tunc Christum quidpiam instituisse in Ecclesia sua perpetuis temporibus usque ad consummationem sæculi faciendum. *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem.* Ergo id instituit, quod clare cognosci, et perspicue sciri a fidelibus posset. Quomodo namque executioni mandari potest quod non nisi obscure percipitur esse faciendum, et ad perpetuam rei memoriam celebrandum, et religiose habendum imperatur ? Certe illud accurate servari nequaquam potest, quod metaphorice, et sub dubio propositum est. Unde Legislatores præcepta sua non nisi perspicuis et apertis verbis edicunt.

Expendunt alii unanimem Evangelistarum consensum ; incredibile enim esset, verba illa, si non in germano et naturali, quem præferunt, sed figurativo sensu intelligenda Christus voluisset, Evangelistarum neminem Salvatoris mentem in re tam gravi, tam seria, tamque scitu necessaria exposuisse, qui in aliis minoris momenti rebus adeo fuere solliciti subobscura Servatoris verba accommodato benignæ interpretationis lenimento temperare, sicut cum Christus dixit : *Solvite templum hoc ;* et, *Attendite a fermento Pharisæorum :* primum de templo corporis sui, alterum de hypocrisi pharisaica intelligendum esse declararunt. Joannem etiam Baptistam, quem Eliam Matthæus nuncupaverat, talem spiritu et virtute fuisse Lucas exposuit. Joseph quoque non semel Christi pater sine additamento vocatus, qualis fuerit, Lucas admonuit, cum verba illa, *ut putabatur*, adjecit. Quod et aliis passim obviis locis claret. Præsertim cum id Christo solemne fuisse sciamus, illud idem, quod turbis et populis justis reconditæ suæ providentiæ judiciis proposuerat, aperte deinde, dilucideque explanare, quia nempe illis datum erat nosse mysteria Regni, nec illos dicebat servos, sed amicos, quæcumque a Patre acceperat nota facturus : quod et experti ipsi discipuli Joan. XVI. confessi sunt : *Ecce*, inquiebant, *nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.* Ergo non est verisimile in ultimis illis amoris indiciis et omnigenæ caritatis significationibus solito eos orbasse privilegio, qui desiderio desiderabat hoc pascha manducare cum discipulis, extrema ut benevolentiæ argumenta, ultimumque sinceræ amicitiæ conatum demonstraret, atque omnes teneritudinis notas fusissimo sermone non tam daret, quam profunderet. « Forte, » ut verbis Hilarii lib. 8. *de Trinit.* utar, « qui Verbum est, et qui veritas est, loqui vera nescivit ? Et qui sapientia est, in stultiloquio erravit ? Et qui virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui quæ vellet intelligi ? » Nulla ergo tum figura usus est, cum illud implendum erat, quod Joan. XVI. spoponderat : *Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobiscum.* Hæc, et alia multa acti rectissime, et juxta verissime ; tantus enim est, tam emicans verborum Christi, tametsi simplicissimorum splendor, tot ex eis scaturiunt luminum rivi, ut infinita suppeditent ad discutiendas hæreticorum tenebras rationum momenta.

Sed, iis omissis, hoc unum, ut verum fatear, dilemna non suadet modo, sed cogit plane. Vel Christus Dominus ad Ecclesiæ suæ solatium, ad significandumque divini erga

nos amoris sui ignem immortalem non potuit nobis corpus suum realiter et substantialiter in Eucharistia tradere ; vel tametsi potuit, noluit tamen. Si primum dicant hæretici Calvinistæ, ruit penitus divina potentia, et virtutem illam, quæ aquam convertit in vinum, quæ septem panibus plura hominum millia refecit, quæve e nihilo eduxit orbem terrarum, juxta novam Calvinistarum mathesim metiri opus est, illique præfigere metas, quem tamen omnipotentem hactenus credidimus, hactenus in ipso Christianæ professionis exordio confessi sumus. Si dicant Calvinistæ, hoc singularis amoris singulare pignus exhibere quidem potuisse Christum, at noluisse tamen ; dicant, quæso, an possint apertiora bonæ illius Christi voluntatis indicia non modo inveniri, sed cogitari quidem ? Respondeant, amabo, si Christus eo nos decrevisset amore dignari, verbane clariora, ad significandamque suam voluntatem magis idonea, minusve incredulorum calumniis obvia seligere potuisset ? Sane cum ad Trinitatem adversus Arianos demonstrandam, vel ad Incarnationem contra Marcionem, Nestorium, Eutycheten, aliasque pestes stabiliendam nihil verbis illis expressius habeamus, quibus contra Calvinistarum novitatem realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam comprobamus, vel Scripturas omnes funditus evertere, vel eas hæreticorum depravationibus, et corruptelis permittere, proindeque omnem Religionem abolere oportebit, si de humano arbitratu limpidissima testimonia ad sensus figurativos violentis detorsionibus inflectantur. Suntne clariora verba hæc : *Ego et Pater unum sumus : Verbum caro factum est ;* istis : *Hoc est corpus meum : Hic est sanguis meus ; Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus ?* Si postremis sensum figurativum affingere liceat Calvinianis, cur priora per unionem amoris et voluntatis interpretari non licebit Ario, non licebit Nestorio ? Sed forte deerant Arianis, deerant et Incarnationis hostibus Scripturarum in speciem sibi faventium fuci, quibus venena sua oblinirent. Imo vero, ut recte ait Vincentius Lirinensis, utebantur plane, et vehementer quidem sacrarum Litterarum testimoniis. Vidisses eos volare per singula quæque sanctarum paginarum volumina, per Mosis, per Regum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas, ut Trinitatis et Incarnationis impossibilitatem demonstrarent. Sive enim apud suos, sive alienos ; sive privatim, sive publice ; sive in sermonibus, sive in libris ; sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam pene de suo proferebant, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conarentur. « Lege, » inquit, « Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, reliquarumque pestium : cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quæ non novi, aut veteris Testamenti sententiis fucata et colorata sit. » Omnes ad unum Calvinistas provoco ; ut locum nobis aliquem Scripturarum figuratis suis interpretamentis peræque faventem proferant, atque erat ille Arianis favorabilis : *Rogo Pater, ut unum sint, sicut et nos unum sumus.* Unde inferebant voluntatem duntaxat Patrem inter et Filium esse consensionem, qualem pro Discipulis Patrem Christus rogabat. Proferant si possint, speciosum aliquem textum illi similem, quem adducebant Incarnationis inimici : *In similitudinem hominum factus, habitu inventus ut homo.* Qua ergo prærogativa planissima verba institutionis Eucharisticæ ad tropos detorque bunt, quæ non fuerit veteribus hæreticis communis? Quæ vel tenuissima tandem disparitas afferri aliquo veri colore oblita potest ab homine bene cordato ? Nullam certe exceptionem afferent unquam, qua probent proprietatem verborum adversus Arianos, Nestorianosque esse retinendam, in verbis vero Eucharisticæ institutionis eliminandam? Fateantur ergo Calvinistæ, se hæretico spiritu agi, quia, ut ait Augustinus lib. 3. *de doctrina Christiana*, « Si animum occupaverit alicujus erroris opinio, quidquid asseruerit Scriptura, figuratum arbitrantur. » Quia nimirum, ut addit Irenæus lib. 4. *adversus hæreses* cap. 35, « coguntur hi tales semper typos typorum, et imagines imaginum adinvenire, et nunquam figere animum suum in uno et vero Deo. » Quos idem Pater comparat Æsopi cani, qui panem quidem reliquit, in umbram autem ejus impetum fecit, et perdidit escam.

Calvinistarum cavilli eliduntur.

Omissis quorumdam Calvinistarum, non tam rationibus, quam næniis, aientium verba illa, *Hoc est corpus meum*, hunc facere sensum, « hic sedet corpus meum ; vel, « hic panis est corpus meum, id est a me creatum : » omissis, inquam, his quisquiliis,

quibus a gravi theologo respondeatur indignissimis, alia in medium producenda sunt, quibus tropos suos hæretici nostrates suadere nituntur.

Probant ergo in Eucharistia solum inveniri panem et meram corporis Christi figuram : tum primo, quia illud tantum in Eucharistia invenitur, quod Christus præ manibus accepit, fregit, deditque discipulis suis : Christus autem non proprium corpus, sed panem accepit, fregit, deditque discipulis suis ; corpus autem figurate duntaxat fregit. Tum secundo, quia si propositio hæc demonstrativa, *Hoc est corpus meum*, non esset figurata, significaret illud, quod Christus demonstrat, scilicet panem, vel accidentia panis, esse corpus Christi ; ly enim *hoc*, significat vel panem, vel accidentia panis, de quibus proinde prædicaretur corpus Christi. Difficile enim assignatu est, quid aliud pronomine *hoc*, significetur. Tum tertio, quia particula *est*, in utraque forma adhibita æquivalet verbo *significat*, sicut et in aliis multis Scripturæ locis, Genes. XLI : *Septem spicæ plenæ septem anni ubertatis sunt ;* id est significant. Exodi XII. de Agno Paschali : *Est enim phase, id est transitus Domini ;* id est, Phase transitum Domini significat. Luc. IX : *Semen est verbum Dei ;* id est, significat verbum Dei. I. Cor. X : *Petra autem erat Christus ;* id est, significabat Christum. Tum quarto, quia verba consecrationis calicis non possunt nisi figurate accipi ; eam enim sic refert S. Lucas : *Hic est calix novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effundetur ;* vel ut habetur in textu Græco, *effunditur*. Calix autem figurate per metonymiam exprimentem continens pro contento, accipi debet ; neque enim calix effunditur, sed liquor. Calix etiam sanguinis non est nisi figurate testamentum, seu signum et tessera fœderis hominum cum Deo. Sanguis etiam non fuit in ultima cœna realiter fusus, sed solum figurate. Tum quinto, quia Eucharistiam in sui commemorationem faciendam Christus præcepit : memoria autem est tantum signum, et species rei absentis, non vero significatio præsentis.

His fere argumentis splendentia institutionis Christi verba obscurare moliuntur Calvinistæ, quibus illud congruit Augustini lib. 22. *de Civit.* cap. 11 : « Ecce quibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas. » Et sane si quid efficeret hæc sophismatum nubes, peræque mysterium Trinitatis et Incarnationis de medio tolleret, ut consideranti patebit. Etenim iisdem argumentis probabunt Ariani in hac propositione : *Ego et Pater unum sumus : Hi tres unum sunt ;* ly *sumus*, et ly *sunt*, figurative esse accipienda, siquidem in eodem contextu figura admiscetur ; postquam enim Joan. cap. v. suæ I. dixit : *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus ; et hi tres unum sunt*, subjecit : *Tres sunt qui testimonium dant in terra.*

Ad primum ergo dicendum, illud in Eucharistia inveniri, quod Christus verbis illis expressit, *hoc est corpus meum ;* et certe, si illud esset tantum in Eucharistia, quod Christus ante verba illa prolata accepit, fregitque ; sicut tunc erat tantum panis usualis, non vero sacramentum ; ita post verba illa non esset sacramentum : quod non fatentur adversarii. Ergo manifesta est sophismatis illius inanitas, quæ tamen hæretico Molinæo in suo *Clypeo* tautopere placuit, non consideranti id quod Christus discipulis tradidit, fuisse non eodem instanti, sed successive panem, et corpus Christi ; panem quando accepit, corpus Christi postquam sacra verba Christus protulit. Dicitur etiam corpus Christi in Eucharistia frangi in multiplici vero sensu, et non figurato. Primo quia revera distribuitur multis per fractionem specierum ; sicut enim substantia vere, et non figurate dicitur visibilis ratione coloris quo obducitur ; ita corpus Christi fractis speciebus distributum vere dicitur frangi. Secundo dicitur corpus Christi frangi, id est immolari, ex vi enim verborum corpus Christi in sacrificio Eucharistiæ a sanguine separatur, et Deo immolatur, ut alibi dicemus. Et quia poterat esse difficultas in hac voce *frangitur*, quam habet textus Apostoli I. Cor. XI. ideo in Evangelio habetur, *quod pro vobis traditur*, vel *tradetur*. Dedit autem Christus corpus quod traditur in sacrificio Altaris, vel tradetur in sacrificio crucis. Denique, quamvis Christus non confractus, non divisus, sed integer in Eucharistia accipiatur a singulis, frangi tamen quadantenus dici vere potest, quatenus cum sit totus sub qualibet specierum particula, et continuam habeat sub illis præsentiam, dissoluta per fractionem specierum continuatione, Christus prout sub una parte a seipso ut sub alia parte existit, sejungi intelligitur, fra-

ctione non sub partes, sed sub totum Christum cadente. Unde semper verum est, quod nulla rei fit scissura, sed signi tantum fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur.

Ad secundum dicendum, pronomen *hoc*, vel *hic*, in formis Eucharistiæ usurpatum, et a Christo prolatum, non supponere pro speciebus, nec pro substantia panis; cum manifestum sit, neque species accidentales, neque substantiam panis esse corpus Christi Domini. Non est etiam sensus hujus pronominis, et particulæ sequentis *est*, hæc substantia panis transit, seu convertitur in corpus meum; quia particula *est*, non transitum significat, sed permanentiam. Quare pronomen *hoc*, ut docet D. Thomas quæst. 78. art. 5. demonstrat aliquid commune substantiæ panis et corpori Christi, nempe contentum sub speciebus panis. Nam in sacramentis verba illud significant, quod efficiunt; faciunt autem verba, ut contentum sub speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi. Unde pronomen illud demonstrat substantiam absque determinatione, et significat substantiam sub accidentibus contentam, quæ primum panis fuit, et postea est corpus Christi. Ad depellendas autem dialecticæ tricas, quibus Calvinistarum sophistæ argutari solent, notandum nos non velle substantiam in communi, id est generice, vel specifice consideratam, esse corpus Christi; sed sensus est: Substantia, quæ sub illis accidentibus continetur, est corpus meum; et quia substantia, quæ sub his accidentibus continetur, ante consecrationem est panis, post consecrationem est corpus Christi; ideo diximus pronomen *hoc*, demonstrare aliquid commune substantiæ panis et corpori Christi, quæ sibi in Eucharistia succedunt. Sicut cum Christus aquam in vinum in nuptiis convertit, miraculum illud patrando, hydriasque præ manibus habendo, dicere utique sine figura poterat, *hoc est vinum*, id est substantia in illis hydriis inclusa, quæ ante miraculum erat aqua, est modo per miraculum vinum: et tamen contra hanc propositionem, tametsi clarissimam, eodem modo cavillari quis posset, et quid per ly *hoc* significetur, vitilitigare, sicut de verbis Eucharisticis captiose arguunt adversarii. Ergo argumentum illud Calvinistarum merus est cavillus ad impugnandam perspicuam veritatem institutus.

Ad tertium dicendum, quod licet particula *est*, figurate interdum in Scripturis accipiatur, non tamen semper metaphorice usurpatur, ut cum dicitur: *Hic est filius meus dilectus: Verbum caro factum est: Hi tres unum sunt*; et aliis sexcentis locis. Unde regula Augustini hic locum habet, verba nimirum Scripturæ in proprio semper sensu esse accipienda, nisi evidenter tropum esse constet, vel ex contextu ipso, vel aliis Scripturæ locis appareat. Multa etiam falsa in adductis exemplis hæretici supponunt. Cum enim dicitur, *Agnus Paschalis est phase, id est transitus Domini*, ly *est*, in proprio accipitur sensu; agnus quippe paschalis revera erat victima a Deo instituta in recognitionem præservationis primogenitorum Israel ab illa strage, qua Angelus omnia primogenita Ægypti interficiebat. Familiare namque est Scripturæ, ut quando de sacrificio, vel victima loquitur, nomen sacrificii, vel victimæ retineat, solumque nomen, propter quod sacrificium offertur, et victima immolatur, exprimat. Sic sacerdotes dicuntur *commedere peccata populi*, id est oblationes pro peccatis a populis Deo exhibitas. Sic Christus I. Cor. v. dicitur *pro nobis factum peccatum*, id est sacrificium et hostia pro peccato. Agnus ergo Paschalis est phase, id est victima phase; quod et illo eodem capite Moses exposuit, dicens: *Victima transitus Domini est.* Unde stupendum et deplorandum est, Zwinglium propter illum Exodi locum, inter dormitiones, exerrationes et deliria a quodam monitore (ut ipsemet in libello de subsidio Eucharistiæ narrat, alter fuerit, an albus oblitus, ut ipse addit) sibi propositum consilium de abolenda Missa, et abroganda adoratione Eucharistiæ, per summam impietatem et ignorantiam suscepisse. Verba autem illa Apostolica, *Petra autem erat Christus*, accipienda esse in sensu spiritali, declarat ipse Paulus; tum quia ibi ait, *Omnia in figuris contingebant eis.* Tum quia de petra spiritali se loqui immediata illa verba testificantur: *Bibebant autem de spiritali, consequente eos petra.* Verba quoque illa, *Semen est verbum Dei*, spiritaliter et figurate esse accipienda, declarat ipsa parabola, quam Christus interpretatur. Idem etiam in aliis Scripturæ locis conspicuum est, ex antecedentibus enim vel consequentibus sensus allegoricus absque negotio deprehenditur.

Ad quartum respondeo, in ea propositio-

ne : *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, nullum esse tropum : sponte enim sua, et naturaliter significat hæc propositio, calicem illum esse Christi sanguine plenum, et potui hominum accommodatum ; et ideo mentio calicis, quo propinatur, fieri debuit, ut recte observavit S. Thomas. Adde, quod etsi daremus, verbis illis aliquid figuratum efferri, adeo tamen eorum sensus conspicuus est, ut ultro se ingerat intelligendum animis errorum et studiorum rixandi præjudiciis minime occupatis. Adde rursum, obscuritatem, si quæ inesset, nitentissimis Matthæi et Marci verbis, *Hic est sanguis meus*, illustrari. Falsissimum etiam est, quod dicunt hæretici, sanguinem Christi non esse proprie testamentum, seu fœdus : sicut enim victimis, et sanguine animalium sancitum fuit vetus Testamentum ; ita novum pretioso Christi sanguine sancitum est. Unde hinc potius adversus hæreticos instauratur argumentum : Christus juxta illum sacrum textum in Eucharistia bibendum illud dedit, quo tanquam victima novum Testamentum sancitum est. Atqui novum Testamentum nonnisi vero, et substantiali Christi sanguine sancitum est. Ergo verum, et substantialem sanguinem suum in Eucharistia bibendum propinavit, quo fideles obtinendæ futuræ beatitudinis jure ex voluntate testatoris nostri Christi donati sunt. Verba etiam illa, *qui pro vobis funditur*, vel *fundetur*, propriissimum habent sensum, sive intelligantur de proxime futura in passione Christi cruoris effusione, sive de præsenti ; fundi enim propriissime sanguis dicitur, quando libatur : calicem ergo sanguinis Christus in Eucharistia fudit, quia divinissimum hoc mysterium sacramentum simul est, et sacrificium, ut alibi contra Missæ, et Liturgiarum hostes, Deo bene vertente, demonstrabimus.

Ad ultimum respondeo, futilissimum esse sophisma, tum quia vere et proprie in memoriam Christi, beneficiorum ejus, et præcipui, quo nos dignatus est, amoris Eucharistiam conficere possumus et debemus. Imo, ut recte observavit Chrysostomus, tam immensa est Servatoris nostri beneficentia, ut illi grates persolvere non possimus, et ideo seipsum reliquit, ut tanti oblatione mysterii par pari referre valeamus. « Quemadmodum, » inquit Os aureum hom. 25. *in cap.* 8. *Matth.* « adversus Judæos se gessit, locis, temporibus, ac festivitatibus variis in memoriam suorum beneficiorum reducens ; ita etiam adversus nos se gessit, ipso genere sacrificii ad jugem nos pro beneficiis suis gratiarum incitans actionem. » Tum quia verbis illis, Apostolo ipso I Cor. XI. interprete, celebrare Eucharistiam in memoriam passionis Christi jubemur : *Quotiescumque enim*, inquit, *manducabitis hunc panem, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Non ergo in memoriam Christi absentis, sed passionis præteritæ Eucharistiam facere jubemur. Potest etiam Eucharistia in memoriam ipsius Christi celebrari, quia, etsi realiter præsens sit, a sensibus tamen nostris abest ; unde sacramentum visibile in notitiam illius, utpote invisibilis, manuducere potest. Sicut Dei memoriam habere homines, Scripturæ et Patres hortantur, non quod Deus longe sit ab unoquoque nostrum, sed quia, licet in ipso vivamus, moveamur, et simus, occulta tamen est immensi numinis præsentia.

Instant Calvinistæ, et videntes splendidissima institutionis Eucharistiæ verba, nullis conquisitis troporum perfugiis posse elevari, addunt ex aliis Scripturæ locis eorum verum intellectum erui. Verba autem institutionis non posse de reali Christi præsentia exponi, colligere satagunt, tum primo ex locis illis, in quibus asseritur, Christum non esse amplius in mundo, ascendisse in cœlum, inde non nisi ad judicandum orbem terrarum reversurum Joan. XII : *Pauperes semper vobiscum habebitis.* Joan. XVI : *Ego relinquo mundum.* Et Actor. III. S. Petrus ait, cœlum Christum Dominum ad tempus usque resurrectionis continere. Tum secundo, quia Christus Matth. XXVI. calicem consecratum vocat genimen vitis. *Non bibam*, inquit, *amodo de hoc genimine vitis.* Tum quia Apostolus I. Cor. X : *Patres nostri*, inquit, *eamdem escam spiritalem manducaverunt, et eumdem potum spiritalem biberunt.* Patres autem carnem Christi sola fide, vel figura tenus manducaverunt.

Respondeo, nullo tandem Scripturæ loco cum aliqua verisimilitudinis specie probari posse, Christum non esse realiter in Eucharistia præsentem. Non quidem illis testimoniis, quibus asseritur Christum ascendisse in cœlum, ibique mansurum usque ad diem judicii, et tunc demum, et non ante ad inferiora hæc loca rediturum ; perspicuum enim est, textibus illis sermonem haberi de præsentia aspectabili, et humana cum homini-

bus conversatione. Patet id, tum ex primo loco ; pauperes enim ob oculos positos visibiliter cernimus. Patet ex secundo, subdit enim Veritas : *Et non videbitis me.* Patet ex tertio ; ascendit enim Christus in cœlum, ibique manet usque in diem judicii, visibili nimirum modo, quo ad nos in die judicii generalis revertetur. Cæterum modo invisibili nobiscum futurum usque ad consummationem sæculi, ipsemet promisit.

Male etiam idem ex secundo loco colligitur ; eodem enim modo calix post consecrationem dicitur genimen vitis, quo caro Christi in Eucharistia vocatur panis. Solent autem Scripturæ quaslibet res eorum nominibus appellare, ex quibus factæ sunt, vel quorum similitudinem efferunt. Sic serpens Mosis virga vocabatur, utpote ex virga factus ; sic homo ex terra plasmatus, terra, pulvis et lutum dicitur ; sic Angeli in specie humana apparentes, homines nuncupantur. Ad eumdem modum Eucharistia dicitur panis et vinum, utpote ex utroque confecta, et quia intuentium oculis, ratione permanentium accidentium, panis et vinum esse videtur, eorumque similitudinem servat. Demum quia sicut visibilia panis et vinum humanam carnem nutriunt et sustentant, sic invisibilia Christi caro et sanguis digne suscipientium animos pascunt, vegetant, et spiritalium charismatum beatissima copia saginant. Adde secundum nonnullos, verba illa Christum de calice consecrato, et discipulis in institutione Eucharistiæ porrecto minime protulisse, sed de alio in cœna paschali usitato, solito Judæorum more. Lucas enim cap. XXII. aperte duos calices distinguit, quos non ita ut Lucas, Matthæus et Marcus explicuerunt. De priore qui in cœna legali Agni Paschalis a patrefamilias distribuebatur, ante consecratam Eucharistiam dixit Christus : *Accipite et dividite inter vos ; dico enim vobis, quod non bibam de genimine vitis, donec Dei regnum veniat ;* id est, post resurrectionem, quando ad illam, et corporis sui veritatem comprobandam cum discipulis suis manducavit et bibit. Posterior erat calix Eucharisticus, de quo postea dixit : *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effundetur.* Quem posteriorem non vocat genimen vitis, sed a priore omnino præfatis verbis distinxit. Si tamen contendas unicum fuisse calicem, de quo tamen Lucas ante consecrationem panis per anticipationem locutus sit, quia ita videntur sensisse Cyprianus epist. 63. et Augustinus lib. 3. *de consensu Evangelistarum* cap. 1, prior tibi responsio abunde sufficiet.

Perperam etiam ex tertio loco errorem suum eruere Calvinistæ nituntur. Non enim dixit Apostolus, Patres eamdem nobiscum spiritalem escam manducasse, eumdemque potum spiritalem bibisse ; sed eamdem inter se escam comedisse, quod non est ad rem. Unde Augustinus lib. 2. *contra litteras Petiliani* cap. 37 : « Aliud est Pascha, inquit, quod illi in ove celebrarunt ; aliud autem, quod nos in corpore et sanguine Domini accipimus. » Et certe cum ipse Christus apertissime attestetur Joan. VI : *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur :* verbis illis non repugnavit Apostolus ; nam, ut Gregorii verbis utar, quod Veritas affirmat, Apostolus veritatis non negat. *Numquid aliud Judex nuntiat, et aliud præco clamat ?* Ergo cum contestante Veritate longe melior, et præcellentior sit Christianorum, quam veterum Patrum conditio, ut subsistat illa Judæorum Christianorumque disparitas, non eamdem Judæi nobiscum escam comederunt, sed immensum inferiorem. Spiritalem tamen escam comedisse, et spiritalem potum bibisse dicuntur, quia non humana opera suppeditabatur manna per naturam, sed divino miraculo per gratiam specialem. Vel quia typus erat, et figura spiritalium futurorum, quibus in Ecclesia potimur. Loqui autem Apostolum de solis Hebræis, patet ex contextu, cum de iis sermonem habeat, qui mare transierunt, et sub nube fuerunt. Hinc Salvianus lib. 2. *ad Ecclesiam* : « Judæi, » inquit, « habebant quondam umbram, nos veritatem : Judæi manna manducaverunt, nos Christum : Judæi carnes avium, nos corpus Dei : Judæi pruinam cœli, nos Deum cœli. » Et Ambrosius lib. *de iis, qui initiantur* cap. 9 : « Considera uter præstantior sit, panis Angelorum an caro Christi, quæ utique est corpus vitæ ? Manna illud e cœlo, hoc supra cœlum : illud cœli, hoc Domini cœlorum : illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur ; hoc alienum ab omni corruptione, quod quicumque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo. Illos ad horam aqua satiavit, te sanguis diluit in

æternum. Judæus bibit, et sitit; tu cum biberis, sitire non poteris; et illud in umbra, hoc in veritate. » Et lib. 4. *de Sacramentis* cap. 9 : « Magnum quidem, et venerabile, quod manna Judæis pluit de cœlo : sed intelligere quid est amplius, manna de cœlo, an corpus Christi, utique qui est auctor cœli ? Deinde manna qui manducavit, mortuus est ; qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, et non morietur in æternum. » Adde quod dato, Apostolum velle, Patres et nos eamdem spiritalem escam manducare, ut docere videtur Augustinus ; eam tamen non eodem modo manducarunt, ut idem Augustinus *in Psal.* LXXVII. tradit : Idem fuit alimentum significatione, sed non specie; illi in figura Christum comederunt ; quia omnia in figura contingebant eis, nos in veritate ; illis erat imago veritatis et umbra corporis, nunc autem mysterium impletæ veritatis.

Tam apertis institutionis Eucharisticæ verbis, veluti totidem fullonibus obrutus Calvinus, aliquam realem corporis et sanguinis Christi præsentiam admittere se finxit hæreticorum vaferrimus ; quatenus Christi realiter sumus hoc sacramento participes, ut quam in carnem suam transfundit, vitæ in nos communicatio promanet ; quod fieri non potest, nisi nobiscum Christus vere in unum coalescat, nosque reficiat carnis suæ esu et sanguinis potu. Si autem incredibile videtur inquit, in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum; meminerimus quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus sancti virtus, et quam stultum sit ejus immensitatem modo nostro velle meriti. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides, spiritum ad ea pervenire, quæ locis disjuncta sunt; et carnis ac sanguinis sui communicationem, non secus ac si in ossa et medullas penetraret, in cœna Christum obsignare, et quidem non objecto inani aut vacuo signo, sed efficaciam spiritus sui illic præferens, qua impleat quod promittit. Nisi enim quis fallacem vocare Deum volet, inane ab ab ipso symbolum proponi unquam dicere audeat. Eatenus ergo Christus realiter præsens in Eucharistia dicitur, non quod ibi corpus ejus existat, vel ad nos descendat, sed quatenus nos ad se evehit; non quod sub panis lateat integumento, sed quia animum realiter pascit, Christoque Christianus fide conjungitur, et unitur, ut alimentum percipiat animæ et carnis Christi, atque inde reficiatur ad vitæ spiritalis conservationem. Quia nimirum quotiescumque signum aliquod videmus a Domino institutum, illic rei significatæ veritatem adesse certo est cogitandum, ne signa vacua præbeantur et inania.

Confirmant autem et colorant suos dolos Calvinus ejusque discipuli. Tum primo, quia tota præsentia Christi Domini est in ordine ad communicantem, et non in ordine ad signa, quibus nihil, sed solis discipulis Christus promisit : præsentia autem Christi in ordine ad communicantem est per fidem applicantem sibi virtutem sacrificii crucis, ejus mysteria meditantem, tam immensam caritatem degustantem, eaque dulcedine se reficientem. Secundo, quia Patres non impios, sed solos fideles manducare Christi corpus asseverant, quod proinde sola fide comeditur, sicut Scripturæ aiunt, inhabitare Christum in cordibus nostris per fidem. Tertio quia, ut dicitur Matthæi XV. et Marci VII : *Omne quod in eos intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur.* Ergo cum corpus Christi in secessum non mittatur, non ore corporis, sed solius ore fidei percipitur.

Respondeo, manifestas esse malas hæresiarchæ artes; implicat enim contradictionem, Christum esse realiter in Eucharistia præsentem si substantia corporis Christi in Eucharistia reapse non sit. Potest quidem concipi actus fidei realis in Christum absentem, sed propterea Christus non erit realiter præsens, si substantia corporis et sanguinis absit. Nomen ergo præsentiæ realis fraudulentissimus hæreticus usurpavit, tum ut ignorantes deciperet, tum ut Lutheranorum sibi repugnantium invidiam quadantenus declinaret, tum ut evidentissima Scripturæ et Patrum adversa impietati suæ loca eluderet. Et sane si sola fides redderet objectum suum realiter præsens, Christo realiter præsenti uniti veteres Patres in Christum nondum conceptum credentes ab origine mundi fuissent, qui Christum tamen neque viderunt, neque audierunt, tametsi videre et audire eum voluerunt, ut dicitur Luc. X. Resurrectione futura pariter potirentur, qui eam credunt et sperant, essentque juxta illam fatuitatem redivivi prius, quam mortui. Non esset etiam ad præsentiam Christi Eucharistia necessaria : Salvatori enim extra Eucharistiam fide conjungi, spe et charitate copulari possumus, eique etiam et in aliis sacramentis et oratione unimur. Quid est, si

non hoc ignorantia est ? Fides est argumentum non apparentium : Spes est rerum absentium; spes enim quæ videtur, non est spes ; nam quod videt quis, quid sperat ? Ergo repugnat substantiam Christi realiter absentem sola fide, sola spe fieri realiter præsentem. Certe falsidica, et mendax esset illa fides, quæ Christum realiter præsentem fingeret, quam certo crederet esse absentem. Unde illa realis Calvini præsentia ab intellectu conficta, non hæresis solum est, sed merum ens rationis, et figmentum inanissimum. Denique et in veteri Ecclesia pueris sacramentum Eucharistiæ porrigebatur, et eam modo indigni sæpe usurpant judicium sibi manducantes et bibentes, utpote corpus Domini non dijudicantes : et tamen nec in pueris est fidei usus, nec in impiis bonus usus. Ergo ut Christus in Eucharistia sit modo sacramentali præsens, non est necessaria communicantis fides.

Fundamenta Calvini sunt ejusdem cum dogmate futilitatis. Primum quidem, promisit enim Christus suam realem præsentiam communicantibus sub signis sacramentalibus a se institutis ; unde qui signa illa consecrata accipiunt vero Christi corpore fruuntur, quia caro ejus vere est cibus, et discipulis cœnantibus dixit : *Hoc est corpus meum.* Patres vero, ut evellatur secundum fundamentum, non negant impios Eucharistiam usurpantes corpus Christi accipere : sed illud asserunt, non utiliter, et cum fructu manducare. Habitat etiam Christus objective per fidem in cordibus nostris, sed non realiter et substantialiter. Per fidem etiam dilectione formatam habitat Christus ut Deus in cordibus nostris, quia scriptum est: *Si quis diligit me, diligetur a Patre, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* At per sacramentum Eucharistiæ realiter Christus inhabitat, quia scriptum est : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ergo in eo.* Denique tertia ratio nihilo melior est, de cibis enim communibus, et carnaliter comestis Veritas loquuta est, cum dixit : *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, et in secessum emittitur.* Respondebat enim Pharisæis conquerentibus discipulos illotis manibus manducare. Quia satisfacit dicens, in hoc nullum esse peccatum, quia cibi illi communes non coinquinant hominem, utpote attingentes non mentem, sed ventrem, et in secessum deinde missi. At cibus cœlestis Christus nobis in Eucharistia realiter porrectus non aliorum more ciborum carnaliter commolitur dentibus, nec nativi actione caloris excoquitur, quia immortale et impassibile Christi corpus spiritales dotes adeptum, angelicum præsentiæ modum æmulatur. Et valde mirum est, istos (si Superis placet) reformatos, qui spiritales audire tantopere avent, adeo sensibus et imaginationi esse addictos, ut beatas gloriosi Christi corporis dotes apprehendere non valeant, carnis et sanguinis revelationes semper sequuti.

REFLEXIO ET APOSTROPHE AD CALVINISTAS.

Mitte, quæso, humanæ rationis argutias, o sectarie : puram verborum Christi lucem inspice. Ipse dixit : *Hoc est corpus meum*, qui ex nihilo omnia verbo fecit ; *dixit* enim, *et facta sunt, mandavit, et creata sunt.* Nullus locus dubietati relinquitur, quando ille ipse, qui auctor est muneris, testis est veritatis, ut Fulbertus Episcopus Carnotensis epist. 1. scripsit. Ergo ut verbis te S. Gaudentii tract. 2. *in Exodum* conveniam : « Quod annuntiatum est credas, quia quod accipis corpus est panis illius cœlestis, et sanguis est illius sacræ vitis. Nam, cum panem consecratum, et vinum Discipulis suis porrigeret, sic ait : *Hoc est corpus meum ; Hic est sanguis meus.* Credamus, quæso, cui credidimus. Nescit mendacium veritas. » et præclare, ac juxta opportune Chrysostomus hom. 83. *in Matth.* : « Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui nostro, et cogitationi absurdum esse videatur quod dicit. Nam verbis ejus defraudari non possumus, sensus vero noster deceptu facilis est : illa falsa esse non possunt, hic sæpius ac sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit : *Hoc est corpus meum*, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, et oculis intellectus id perspiciamus. » Et homil. 60. *ad Populum Antiochenum* : « Ipsius sermo infallibilis est, sensus autem noster seduci facilis : ille nunquam decipit, hic autem ut plurimum errat. Quoniam igitur Verbum dicit, *Hoc est corpus meum*, et pareamus, et credamus, et oculis intellectualibus ipsum intueamur. »

Sed verborum Christi luci intercedit sensus, intercedit ratio, inquies ; et ebullientibus hinc inde difficultatibus obruor. Sed ad excusandas excusationes in peccatis hæc frustra obtendis. Nonne cætera Christianæ Religionis arcana difficultatibus longe gravissi-

mis, et insuperabilibus plena sunt? Forte Trinitatis, Incarnationis, Passionis, Resurrectionis Christi mysteria plana sunt, et intellectu facilia? Forte peccati originalis in posteros omnes diffusa contagio a difficultatibus immunis est? Forte prædestinationis, et gratiæ arcana, et reprobationis judicia nullam patiuntur difficultatem? Si nihil non planum, nihil non clarum, nihil non expeditum expectas : ergo sine causa dixit Apostolus, captivandum esse intellectum in obsequium fidei. Religionem Christianam ab imis fundamentis subruere nititur, qui persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis omnes fidei articulos complanare, et veluti lævigare connititur. Si Christianismus assertionum suarum evidentiam, et summam facilitatem sponderet, aliquid efficeres, Calviniane, objecta nobis coacervatarum difficultatum congerie, et veritatis lucem his oppositionum nebulis obscuratum iri facile tibi, facile etiam nobis suaderes. Ille vero tantum abest, ut has voces usurpet, hisque pollicitationibus candidatos suos lactet ; quin contra obscura proponit, ardua præcipit, indivulsam a suis mysteriis difficultatem esse contestatur.

Et sane solemnis est divinæ gubernationis in rebus humanis dispensandis, atque consiliis suis detegendis mos mirabilis quidem, et venerabilis ; sed terribilis tamen, quo judiciis suis, quæ abyssus multa sunt, videmus veritates cœlestes sacris tenebris circumfusas sapientibus abscondi, parvulis revelari, ut sapientia sapientum perdatur, prudentia prudentum reprobetur ; ut videntes non videant, et audientes non audiant ; ut denique electi hac salutari caligine humiliati divinis amplius splendoribus illustrentur. Hac de causa cum mentem suam nitidissime aperire potuisset, obscura tamen verborum involucra, et tenebricosam caliginem sacris Litteris, et Prophetarum oraculis obducere voluit. Quas uno verbulo eludere, et formalibus definitionibus nascituras hæreses præfocare potuit, Ecclesiam interturbare suam sinit, nec tot ambiguas expressiones suppressit, quibus errantes tot erant aliquando rerum perversissime abusuri. Cur, quæso, non omnibus, sed *testibus* duntaxat *præordinatis*, uti Scriptura loquitur, resurgens Christus conspicuus apparuit, innumeras aspectabili conversatione sua, de divinitate sua dubitationes sopiturus? Cur e verbis vitæ, quæ innumerabilia protulit, quibusve mundum libris implere potuisset, paucula colligi disposuit? Cur verisimiles Evangelistarum discordias, tot unde successu temporum turbas fore nascituras præviderat, permisit? Cur Apostolorum Symbolum Symbolo, quod vulgo Athanasii dicitur, contractius esse decrevit, nec iis verbis efferendum voluit, quibus tot adversum Trinitatem et Incarnationem hæreses in antecessum truncatæ fuissent, nec suis oraculis eam claritatem, qua Conciliorum definitiones nitent, conciliavit? Potuerat sane, sed ille noluit, cujus infinita est altitudo sapientiæ et scientiæ ; cujus inscrutabilia judicia sunt, et investigabiles viæ ; cujus denique nullus consiliarius fuit. Eadem columna nubis, testante sacro eloquio Exodi XIV, *erat tenebrosa, et illuminans noctem :* super Ægyptios aspergens tenebras, filiis Israel affundens lucem. Ut Deum, ita divina mysteria non hymnus solum, sed silentium decet. Hoc silentio usi Patres, ut notat Basilius lib. *de Spiritu sancto* cap. 27, usi sunt et sacri Scriptores, ne divina arcana usu trita et undecumque parabilia exposita essent contemptui, rati « ei quod sepositum est, quodque rarum est, huic natura conjunctam esse summam admirationem. Ad eumdem profecto modum Apostoli et Patres in occulto silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Est autem silentii species etiam obscuritas, qua utitur Scriptura, intellectu difficilem reddens dogmatum sententiam, idque ad utilitatem in Scripturis versantium. » Ergo difficultates ne causeris; non esset mysterium Eucharistia, nisi difficultatibus abundaret.

SPECULATIO II.

Realis corporis et sanguinis Christi in Eucharistia præsentiæ fidem a Christo acceperunt Apostoli, ab Apostolis sancti Patres, et sacra Concilia acceptam servaverunt, atque in nos perenni traditione corrivarunt.

Hæc est tertia veritatis Catholicæ demonstratio a perpetua traditione Ecclesiæ, atque Patrum et Conciliorum antiquitate, universitate, consensione. Ne autem in immensum excrescat oratio, selecta Patrum testimonia ordine referemus.

Sanctus Paulus.

In primis divinus Apostolus hanc fidem a Christo se accepisse testatur I. Cor. XI : *Quod accepi a Domino*, inquit, *hoc et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem*, etc. Post relata vero Christi institutionis verba, ad dignam tanti mysterii susceptionem hortaturus, admonet panem hunc cœlestem, vel calicem indigne usurpantes judicium sibi manducare et bibere, reosque esse corporis et sanguinis Domini, utpote non dijudicantes corpus Domini. Ex quibus sic formatur argumentum : Si in pane Eucharistico nihil nisi figura Dominici corporis haberetur, profecto non idcirco peccaret qui comederet, quod non discerneret, dijudicaretque corpus Domini ; nam potius judicare debebat, ibi non esse corpus Domini. Ergo juxta doctum a Domino Apostolum ingenti gravantur sacrilegio qui indigne accedunt, quia non judicant ibi esse corpus Christi, quia cibum illum divinum Christi corpus realiter exhibentem eadem mentis compositione atque alios cibos accipiunt, quia Christo præsenti injurii sunt, quia corpus Domini temerario accessu floccifaciunt, quia corpori Domini vim inferentes, immundis illud accipiunt animis, et in pollutum os immittunt. Certe, si sola corporis Christi figura indigne haberetur, rei etiam fuissent corporis Domini, qui cum conscientia peccati ad agnum paschalem comedendum accessissent, nihilque specialis sacrilegii indigna Eucharistiæ communio contineret. Et mirum est, Calvinistas sacrarum imaginum juratos hostes infinito sacrilegio gravare eos, qui Eucharistiam, quam solam esse Christi imaginem contestantur, imparati usurpant. Injuriam irrogari Christi nudæ, nec conspicuæ imagini novi Iconoclastæ verentur, qui aspectabiles Servatoris imagines diffringunt, discerpunt, comminuunt, demoliuntur. Hæc nimirum illorum pietas et religio retentas ab Ecclesia imagines abominari, et novas comminisci, quas venerentur. Verum enim vero non irreverenter habitæ Christi imaginis damnat, sed reos corporis Christi indigne communicantes appellat Apostolus. Ergo solas ibi fingere imagines, hæreticorum imaginatio est.

Accedit, quod si vera foret Calvinistarum omnia ad tropos, vel spiritalem duntaxat manducationem revocantium assertio, nunquam contingere posset, quod tantopere formidat Apostolus, indignam nimirum communionem mortem sumentibus parere, et anticipatam condemnationem accersere. Quicumque enim panem cœlestem manducat, vel fidem habet, vel fide caret. Si fidem habet, digne suscipit, quamlibet infandis sceleribus sit inquinatus : tum quia juxta vulgatissimum Calvinistarum dogma, sola fides est quæ justificat ; tum quia juxta Calvinum lib. 4. *Instit.* cap. 17. §. 41. et 42. dignam manducationem, quam Catholici a peccatoribus factorum reposita ratione, contritione, confessione, satisfactione, aliisque pœnitentiæ operibus indignitatem expiaturis exigunt, conscientiarum torturam et divexationem hominum vir (si Superis placet) reformatissimus appellat, concluditque : « Ea est dignitas, quam unam, et optimam offerre Deo possumus, si nostram ei vilitatem, et, ut ita loquar, indignitatem offeramus. » Quam impuræ doctrinæ iniquitatem a corruptissimo morum depravatore Martino Luthero hauserat, qui sermone *de præparatione ad Eucharistiam* : « Optima, » inquit, « dispositio est non nisi ea, qua pessime es dispositus. Et ideo pœnitentia potius post, quam ante Sacramentum digne peragitur. » Si vero ad Eucharistiam accedens fide caret, Christum nullatenus suscipit, quia secundum Calvinistas sola Christus fide manducatur. Ergo sacrilege non manducat, qui nec manducat quidem : nec reus est corporis Domini, cui nec realiter, nec per fidem communicat. Ergo juxta Catholicam duntaxat Orthodoxorum fidem dictum Apostoli verum esse probatur. Cibus enim ille divinus Christum reapse continens, impuro corde susceptus mortem infert comedenti, qui hoc ipso fit reus corporis Domini ; quod corpus Domini non dijudicans, præsentem non reveretur majestatem, nec mundum offert tanto hospiti hospitium. Quid ergo mirum, si Christum in mortem et condemnationem sumat, qui Christum quantum in ipso est, in semetipso crucifigit ? Nam, sicut per arcam fœderis inumerabilia Israelitis beneficia Dominus contulit, a Philistæis vero ablata summam istis pestem et calamitatem æterno cum dedecore junctam importavit : sic Christus in Eucharistia præsens optime affectos et comparatos amplissimis gratiæ muneribus ornat, imparatis vero et sacrilegis corpus Christi in Eucharistia

latens ab alio ciborum genere non distinguentibus, detrimenta gravissima, et mortem affert sempiternam.

Liturgiæ Apostolorum, et Acta sancti Andreæ.

Abstinent nonnulli a probatione desumpta a Liturgiis Jacobi, Petri et Marci; quia cum illis inquiunt, multa sint ab hæreticis inserta, dijudicatu difficile est quæ pars Apostolos habeat auctores. Nihilominus non esse omnino negligendum hoc probationis genus reor. Nam quod in illis liturgiis de Eucharistia dicitur, vel fuit a sanctis illis Ecclesiarum fundatoribus, aut certe ab eorum successoribus juxta doctrinam ab Apostolis traditam assertum; vel ab hæreticis insertum. Si primum, permagnum est illorum testimoniorum auctoritatis pondus: si secundum, cum illæ liturgiæ sint vetustissimæ, fuisse consequenter olim debuit aliqua hæresis circa Eucharistiam, qua imbuti liturgias hæretici corrupissent. Et tamen illius hæresis Patres indices hæreseon accuratissime texentes nunquam meminerunt. Ergo quod de veritate Eucharistiæ in illis liturgiis dicitur, Catholicæ Ecclesiæ sensum exprimit orthodoxum.

Sic autem habetur in liturgia S. Jacobi fratris Domini: « Sileat omnis humana ac mortalis caro, stetque cum metu et tremore, ac nihil terrestre apud seipsam cogitet: Rex enim regnantium, ac Dominus dominantium Christus Deus noster progreditur ut immoletur ac detur in cibum fidelibus: ipsum autem antecedunt Angelorum chori cum omni imperio et potentia. » Ibi etiam oblatio appellatur « venerandum et incruentum sacrificium. » Dicitur etiam quod Christus « in partes distributus, ac non divisus, et fidelibus impertitus in ora fidelium est. » Catholicus etiam de Eucharistia sensus in liturgia S. Marci per Eminentissimi Cardinalis Sirleti opera ex vetustissimo codice Abbatiæ S. Mariæ in Calabria, Ordini S. Basilii descripta apertissime liquet. Idem etiam peræque constat ex lirturgia S. Petri, in cujus exordio orat Sacerdos: « Domine Deus noster, qui te ipse obtulisti pro hujus mundi vita, inspice in nos, et super panem istum, et calicem super hunc, et fac eum immaculatum corpus tuum, et pretiosum sanguinem. »

Catholica etiam Christi realiter in Eucharistia præsentis fides in actis Passionis S. Andreæ a presbyteris Achaiæ oculatis testibus conscriptis perspicue continetur. Ibi enim Apostolum Ægeæ, ut Diis immolaret hortanti, divino Spiritu afflatum respendisse narratur: « Ego omnipotenti Deo, qui verus et vivus est, immaculatum agnum quotidie sacrificio; non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in Altari, cujus carnes postquam omnis populus manducaverit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus. »

Scio Aubertinum Calvinistam acta illa ut apocrypha rejicere: tum quia, inquit, Eusebius lib. 3. historiæ enumerat acta Andreæ et Joannis inter libros ab hæreticis sub nomine Apostolorum. Tum quia Epiphanius docet Encratitas, Apostolicos, et Origenistas uti maxime solitos fuisse actorum Andreæ, Joannis, et Thomæ testimonio. Tum quia Philastrius hæresi 40, ubi de Manichæis, tradit quod habent apocrypha B. Andreæ Apostoli, id est actus quos fecit veniens de Ponto in Græciam, quos tunc discipuli Apostolum sequentes conscripserunt; tunc ex Innocentio I. epist. 3. *ad Exuperium*, quæ a quibusdam Philosophis, et sub nomine Thomæ, et si quæ sunt alia, non solum repudianda, sed etiam damnanda declarat. Tum quia acta illa approbasse Manichæos refert Augustinus lib. 1. *de fide contra Manichæos* cap. 4. et 38. et lib. 1. *contra Adversarium legis* cap. 20. Tum quia Gelasius Papa in suo de apocryphis libris decreto acta illa libris apocryphis accenset. Denique Cardinalis ipse Baronius *de ann.* 69. num. 34. de passione Andreæ verba facturus, cunctabundam hæsisse ait orationem suam apocryphorum præpeditam timore, quia cum passionis Andreæ acta a Manichæis corrupta sint, dubia eorum in Ecclesia fides remansit.

Verum hæc Actorum præfatorum a Presbyteris Achaiæ editorum auctoritatem non elevant; cum enim Ecclesia ab hæreticorum fabulis et interpolationibus abhorrens verba illa Presbyterorum Achaiæ divinis in officiis recitet, cum epistolam illam laudet Bernardus serm. 2. *de S. Andrea*, et serm. 16. *de Diversis*, et Petrus Damiani serm. 2. *de eodem Apostolo*, et Ivo Carnotensis lib. *de convenientia veteris et novi Sacrificii*, verborum illorum cum laude meminerit; et Lanfrancus lib. *de Eucharistia*, et ipse auctor libri *de vera et falsa Pœnitentia*, qui habetur inter opera Augustini, verba capitis 8. referat,

quæ non nisi in illa epistola exstant, non parvam acta illa obtinent auctoritatem. Nec obsunt Aubertini objectiones, vel potius fraudes ; quæ enim producit testimonia, vel loquuntur de illis actis, quorum auctor Andreas circumferebatur, vel de actis peregrinationis et prædicationis ejus ; non vero de epistola Presbyterorum Achaiæ, in qua passio B. Andreæ enarratur. Maxime quia nihil in epistola illa invenitur, quod a stylo, et Apostolorum dicendi consuetudine discrepet, quale in libris actorum, qui ab Apostolis scripti circumferebantur, teste Eusebio, prostabat : nihil quod Encratitis, Origenistis, vel Apostolicis faveat continetur : nihil quod Manichæorum causam juvet habetur : nihil quod eas nugas sapiat, quarum loco citato Augustinus meminit. Gelasius vero apocryphum declarat librum Actorum, qui Andreæ auctori asserebatur ; sicut et Evangelium, quod ejusdem Apostoli nomen præferebat ; epistolam vero præfatam intactam relinquit. Cardinalis demum Baronius de aliis ab hac epistola actis omnino loquutus est, cum relatis in objectione verbis immediate subnectat quæ de Andreæ martyrio in epistola Presbyterorum Achaiæ habentur expressa, digna existimata esse quæ in Ecclesia Catholica recitarentur.

Sanctus Dionysius.

Catholicam etiam veritatem diserte expressit Dionysius Apostolorum discipulus lib. *Eccl. Hierarch.* cap. 3. verbis adeo luculentis, ut virum cordatum iis convictum iri certissimum sit : « O divinissimum, » inquit « et sanctum Sacramentum, obducta tibi symbolice operimenta ænigmatum revelans dilucide nobis aperi, ac spirituales nostros oculos singulari apertoque lumine imple. » Ubi Christum sub signorum operimento latentem invocat, ibique proinde adesse profitetur : stulta enim foret, et impia hæc oratio ad solum panem relata.

Nec obest, quod Dionysius Eucharistiam appellet « venerabilia symbola. » Non obest, inquam ; seipsum enim apertissime interpretatur Dionysius, dum ait talia esse symbola, « quibus Christus monstratur et sumitur. » Est ergo Eucharistia symbolum Christi præsentis ; species enim consecratæ præter cognitionem sui quam ingerunt, faciunt fideles in Christi realiter præsentis cognitionem venire. Ex hoc autem misere decipiuntur hæretici Calviniani, quod vel præ ignorantia nesciant, vel nescire præ perversitate nolint, dari signa, symbola, et indicia rei præsentis, præsertim quando res præsens est latens, quæ non nisi indiciis dignosci potest. *Et hoc vobis signum* (aiebat Angelus Pastoribus Luc. II). *Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio*. Sicut ergo panni involventes signum erant Christi infantis, ita species panis et vini sunt signum corporis et sanguinis in Eucharistia præsentis ; et non essent verum signum demonstrativum, nisi Christus adesset. Sed de his plura postea.

Sanctus Martyr Ignatius.

Luculenta sunt hæc in favorem Catholicæ sententiæ B. Ignatii primo et secundo sæculo florentis verba epist. *ad Smirnenses*, quæ quin Ignatii sint, dubitari nequaquam potest, cum verba illa referat Theodoret. dialogo 3. Loquens enim de Saturnianis et Simoniacis Dionysius ait : « Eucharistiam et oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam pater sua benignitate suscitavit. » Ecce graphice descriptam Calvinistarum nostratum hæresim, qui ideo Eucharistiam oblationem et sacrificium esse negant, quia Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri inficiantur.

Confugit Aubertinus ad solitas figurarum et troporum umbras inanissimas. Verum non solum voluntarie et verbis ipsis vi illata Ignatium interpretatur, sed quis credat etiam, vel quomodo probabit Saturnianos ita fuisse insanos, ut Eucharistiam carnis Christi figuram esse negaverint? Si ita fas sit planissima Patrum testimonia voluntariis una et violentis glossis detorquere, si quæ ab eis perspicue dicta sunt, in quamlibet partem interpretari, alienumque eis affingere sensum, nihil in traditione ratum, fixumque habebimus, quod non hominum sophismatis, et hæreticorum argutiis pateat.

Sed ipse Ignatius, inquies, epistola ad Philadelphienses, figuratæ intelligentiæ locum et fundamentum tum præbet cum ait : « Moneo ut una fide, una prædicatione, una Eucharistia utamini ; una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, unus sanguis qui pro nobis effusus est ; unus item panis omnibus confractus, et unus ca-

lix pro omnibus distributus. » Ubi distinguere videtur carnem Christi a pane et calice Eucharistico. At enim mirum est, eam nobis opponere epistolam Calvinistas, quæ ipsis spuria, vel certe suspectæ fidei est, ut patet ex Perkenso in *Demonstratione problematis*, et Riveto in *Critico*. Sed utut sit, carnem crucifixam et sanguinem in cruce effusum a pane et calice Eucharistico distinguit Ignatius, quia in cruce modo visibili, extenso, et sensibili passus est ; in Eucharistia vero sub signis panis et vini modo invisibili, in extenso, et sensibus impervio, realiter tamen existit.

Sanctus Justinus.

Ejus veritatis testem locupletem habemus S. Justinum Martyrem in *Apologia* 2. *pro Christianis*, ubi ita de Eucharistia loquitur : « Non enim ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Servator noster, et carnem, et sanguinem salutis nostræ causa habuit ; ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ alimoniam, unde sanguis, et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem et sanguinem esse docti sumus. Nam Apostoli in commentariis a se scriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Jesum ; eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse : *Hoc facite in mei recordationem hoc, est corpus meum ;* et poculo similiter accepto, et gratiis actis dixisse : *Hic est sanguis meus.* Observa non esse panem communem, sed carnem et sanguinem Christi, eodem modo, quo in Incarnatione est vera caro Christi. »

Infuscare connititur hujus loci splendorem solitis suis troporum umbris Aubertinus Calvinista. Tum quia, inquit, protestatus antea fuerat Justinus manducationem humanæ carnis, de qua Christiani diffamabantur, fabulam esse. Tum quia dixerat Christum in cœlos ascendisse, duplicemque duntaxat distinxerat Christi præsentiam, præteritam alteram in humilitate ; futuram alteram in gloria. Tum quia alioquin contra Catholicos sequeretur panem non converti in corpus Christi, sicut nec in carnem divinitas in Incarnatione conversa est. Tum demum, quia ait panem et vinum Eucharisticum esse corporum nostrorum alimoniam, quod vera si sunt Christi caro et sanguis, verum esse non potest. Idque ex eo confirmari potest, quod in dialogo cum Triphone scripsit præcepisse Christum, ut Eucharistia in commemorationem passionis suæ fieret ; et tradidisse nobis panem in commemorationem corporationis, propter credentes in eum, quorum causa partibilis factus est.

Sed hæc nugæ nugarum sunt ; quid enim impacta Christianis de comedendis carnibus humanis calumnia fabulosa cum reali, qualem admittimus, admittique præfatis verbis Justinus, in Eucharistia Christi præsentia commune habet ? Non debuit Justinus Eucharistiæ reconditum mysterium propalare, sed eos impudentissime mentiri contestari, cum nulla in cœtibus Christianis infantis cujuspiam, vel hominis caro, uti imponebant, unquam comesta sit. Quin hac conjectura confirmatur potius vera sententia ; non enim ob comestam Christi figuram Christiani infanticidæ et antropophagi, et infantis farina tecti occisores apud Ethnicos audivissent, ut refert Tertullianus in *Apologetico* cap. 7. et Minutius Felix in *Octavio*. Calumniam enim illam depulsu facillimam cito suæ fidei expositione Christiani amoliti fuissent, et unius signi a se admissi declaratione os loquentium mendacia occlusissent.

Secunda etiam conjectura puerilis est ; veritas enim Ascensionis, et duplex Christi conspicua præsentia sacramentali præsentiæ, tametsi reali, non obest ; quasi vero Ascensio, Judicium futurum, Incarnatio præterita, et Eucharistia non sint distincta mysteria ? Eodem argumento probarent hæretici Catholicos ipsos realem Christi in Eucharistia præsentiam non agnoscere, quia præsentiam præteritæ humilitatis, et futurum in gloria adventum sollicite distinguunt.

Tertia quoque ratio nihilo melior est : non enim comparat Justinus modum unionis hypostaticæ humanitatis cum Verbo cum modo quo panis in carnem Christi transubstantiatione convertitur : sed carnis assumptæ veritatem ejusdem carnis realiter præsentis veritate illustrat, ut sicut in Incarnatione vera, et non figurata caro assumpta est ; ita eadem vera Christi caro in Eucharistia realiter in sacra mensa porrigatur.

Denique cum Justinus ait, panem et vinum Eucharisticum esse corporum nostrorum alimoniam, vel intelligitur de pane et

vino ante consecrationem, ut sensus sit, id quod in corporum alimoniam institutum est, fit consecratione caro et sanguis Salvatoris, quibus animæ reficiuntur. Vel si de pane et vino consecratis loquitur, significat hoc divinissimo et vivifico cibo corporibus nostris semen immortalitatis et gloriosæ resurrectionis indi ; unde a Patribus « pharmacum immortalitatis » appellatur. Unde dixit Veritas : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Præbere etiam dicitur corporibus nostris spiritalem alimoniam, quia castitatem illi imprimit, fomitem mitigat, virtutem infundit contra incentiva vitiorum. Vino vitis, in quo est luxuria, corrumpitur castitas ; vino Eucharistico, in quo Christus realiter continetur, virginitas mentisque castimonia instillantur, ut dicetur infra, et mox patebit testimonio Irenæi statim referendo. Unde dicitur Zachariæ IX : *Quid est bonum ejus, et quid pulchrum ejus, nisi furmentum electorum, et vinum germinans virgines?* Quod vero in confirmatione adjicitur, tam futile est, quam quod maxime ; quid enim vetat sacratissimam Eucharistiam corpus Domini realiter continere, et simul in commemorationem Dominicæ passionis fieri tamen ?

Sanctus Irenæus.

Astipulatur S. Episcopus et Martyr Irenæus lib. 4. cap. 34, qui floruit secundo et tertio sæculo ; loquens enim de Valentinianis docentibus non esse unm, eumdemque Deum creatorem cum Patre Christi Domini : et insuper negantibus resurrectionem carnis : « Quomodo, » inquit, « constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatorem mundi Filium dicant, id est Verbum ejus, per quod lignum fructificat et defluunt frondes, terra dat primum quidem fœnum, post spicam, deinde plenum triticum in spica ? Quomodo autem rursus dicam carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quæ a corpore et sanguine Domini alitur ? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, et Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. » Et paulo post : » Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistiæ ex duabus rebus constans, terrena et cœlesti : sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. » Et lib. 5. cap. 2 : « Quando ergo et mixtus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostræ substantia. Quomodo carnem negant esse capacem donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ sanguine et corpore nutritur ut membrum ejus ? Quemadmodum lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore, et granum tritici decidens in terram, et dissolutum multiplex surgit per spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in usum hominibus veniunt, et percipientia verbum Dei Eucharistia fiunt, quod est corpus et sanguis Christi : sic et nostra corpora ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta in eam resurgent in suo tempore verbo Dei resurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris. »

Præclarissima hac oratione multa nos docet Irenæus, quibus allisa Calvinistarum nefanda hæresis confringatur necesse est ; ut enim probet Christum esse verum Dei filium, et mundi fabricatorem, id suadet, quia omnipotentissimis verbis suis panem efficit verum corpus suum, et vinum in sanguinem proprium convertit : ut confirmet possibilem esse futuram carnis resurrectionem, miraculum conversionis panis in corpus Christi in argumentum profert, quia, si verbis Domini panis fit vera Christi caro, quidni corpus Eucharistia pastum divina virtute haustum a vivifico illo cibo immortalitatem divina potentia consequetur ? Usque adeo in primitiva Ecclesia realis Christi in Eucharistia præsentia supponebatur, ut illa constantissima, et a nemine in dubium vocata veritate cæteros fidei articulos confirmarent.

Cavillantur Calvinistæ, et in pura locorum illorum luce tenebras comminiscuntur. Cum enim, inquiunt, Eucharistia Irenæo auctore duabus rebus constet, altera terrena, qua designatur substantia panis ; et altera cœlesti, qua corpus ipsum Christi significatur, de figura corporis Christi locutus est, quando quidem substantia panis permanet. Cum etiam dicat, addunt, carnem nostram corpore et sanguine Domini nutriri

atque augeri, procul dubio de pane, qui figura Christi sit, sermonem habet.

Verum adeo extortæ et violentæ, et juxta frivolæ sunt hujusmodi Novatorum interpretationes, ut ipsis, si aliquod rationis intervallum habent pudendæ sint. Nam Eucharistiam constare terrena simul et cœlesti substantia, quis Catholicorum negaverit? Nonne visibiles panis vinique species terrenæ sunt, corpus vero Christi cœleste, id est eximiam cœli incorruptibilitatem assecutum? Nonne ipse Christus terrena substantia, id est humana e terra oriunda; et cœlesti, id est spiritu immortali, et vero Deo cœli constat? Quum vero addunt hæretici, carnem nostram corpore Christi nutriri, manifeste malam fidem produnt suam, cum Irenæum habeant luculentum verborum suorum interpretem. Nutriuntur plane vivifico cibo corpora nostra, non conversione alimenti in rem alitam, sicut cibis solitis dum pascuntur, sed cœlestis incorruptionis communicatione inseminata. Cibus quippe ille grandium non in comedentes mutatur, sed eos in se mutat, dotes illis suas effusurus.

Tertullianus.

Subscribit Tertullianus lib. *de Resurrect. carnis* cap. 8 : « Caro, » inquit, « corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. » Cui consonat illud libri *de Pudicit.* capite 9 : « Opimitate Dominici corporis vescitur. » Et lib. *de Orat.* cap. 14 : « Accepto corpore Domini, et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii. » Exponens etiam illud orationis Dominicæ, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, tripliciter ait posse intelligi. Primum de necessitatibus corporis. Secundo spiritaliter de Christo, qui est verus credentium panis. Tertio de corpore Christi, quod est in Eucharistia : « Tum quod, » inquit, « et corpus ejus in pane censetur. » Ubi Tertullianus distinguit Christum qua fideles credentes nutrit, et eumdem Christum quatenus in Eucharistia existit. Quæ distinctio vana prorsus foret atque superflua, si Christus in Eucharistia sola fide sumeretur, quemadmodum ab iis sola fide accipitur, qui in eum, ejusque Evangelium credunt. Nec possunt hæretici in illa voce *censetur,* vitilitigare, quippe quæ et apud jurisperitos, et apud ipsum Tertullianum libro *de Patientia* et libro *de Præscriptionibus* intimam rei præsentis conjunctionem significat.

Dices : Idem ipse Tertullianus lib. 4. *contra Marcionem* cap. 40 : « Acceptum », inquit, « panem et distributum discipulis corpus suum illum fecit, *Hoc est corpus meum*, dicendo, id est figura corporis mei. » Ergo corpus Christi, auctore Tertulliano, non nisi figura tenus in Eucharistia existit.

Respondeo, locum illum in lectione Tertulliani versatis explicatu facillimum esse; vox enim « figura », non applicatur corpori; sed particulæ *hoc,* quæ ex mente Tertulliani supponit pro pane, ita ut sensus sit : Christus acceptum panem, qui erat figura corporis sui, corpus suum fecit dicendo : *Hoc*, id est figura corporis mei, *est corpus meum.* Unde Tertullianus transpositione usus est, ne ordinem verborum Christi Domini expositione particulæ *hoc*, interrumperet. Sicut lib. *contra Praxeam* cap. 29, explicans qua ratione Christus, cum sit Deus, potuerit mori, illud Apostoli I. Cor. xv. refert : *Quoniam Christus mortuus est*, aitque : « Dicendo, Christus mortuus est, id est unctus; id quod unctum est, mortuum ostendit, id est carnem. » Ubi particulam, « id est unctus », immediate post ly « Christus », non subjecit, ne verborum Apostoli series interrumperetur.

Ad horum evidentiam et apertissimam Tertulliani mentem, anteaquam locum integrum referamus observandum est, Marcionem duplici potissimum errore laborasse; nam et Christo spectrum et figuram corporis affinxit, et legem veterem a malo Deo mundi hujus opifice fuisse conditam, a Christo tandem abolitam fuisse somniavit : et hoc libro suo antitheseon Legis et Evangelii suadere conatus est. Priorem errorem tribus libris confutavit Tertullianus; posteriorem quarto libro adoritur, probans non venisse Christum ut legem solveret, sed adimpleret; exhibuisseque Servatorem in novo Testamento eorum veritatem, quorum figuræ in veteri habebantur. Hoc præmisso audiamus Tertullianum.

« Professus itaque », inquit, « se concupiscentia concupisse edere pascha, ut suum (indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem et distributum discipulis corpus suum illum fecit, *Hoc est corpus meum* dicendo, id est figura corporis mei. Figura autem non fuisset nisi veritatis esset corpus. Cæterum vacua res, quod est

phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate : ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad veritatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus suum appellat, et non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi, dicentis per Jeremiam : *Adversus me cogitaverunt cogitatum dicentes : Venite comedamus lignum in panem ejus*, scilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum, quod tunc voluerit significasse panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem. Sic et in Calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum substantiam corporis confirmavit. Nullius enim corporis sanguis esse potest, nisi carnis. Nam, etsi qua corporis qualitas non carnea opponetur nobis, certe sanguinem nisi carnea non habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis. Ut autem et sanguinis veterem figuram in vino recognoscas, aderit Esaias. *Quis*, inquit, *qui advenit ex Edom, rubor vestimentorum ejus ex Bosor, sed decorus in stola violenta cum fortitudine ? Quare rubra vestimenta tua et indumenta sicut de foro torcularis pleno conculcato ?*.. Multo manifestius in benedictione Judæ, ex cujus tribu carnis census Christi processurus, jam tunc Christum in Juda delineabat : *Lavabit*, inquit, *in vino stolam suam, et in sanguine uvæ amictum suum :* stolam et amictum carnem demonstrans, et vinum sanguinem. Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit. »

Quibus verbis docet Tertullianus, Christum habuisse verum corpus, quia figuris præsignatum est, nec est figura nisi alicujus veritatis. Docet etiam panem in veteri lege fuisse figuram corporis Christi, et vinum sanguinis ejus, ut probat Jeremiæ, Isaiæ, et Genesis testimoniis. Unde planus ejus sensus est, panem et vinum, quæ erant corporis et sanguinis Christi figuræ legales, verbis suis fecisse corpus suum verum, et verum item sanguinem. Quia ergo figura verum corpus significat, verum corpus et verum sanguinem suum in Eucharistia fecit, quorum panis et vini in veteri lege figuræ erant. Quod confirmat argumento ex vino petito in hunc modum. Verus sanguis non est nisi veræ carnis, figura vero non est nisi ejus rei, cujus est veritas. Sed Christus in Eucharistia vinum, quod figura erat sanguinis sui, fecit sanguinem suum : ergo cum Christi verus sit sanguis, vera et caro est. Unde ex hoc loco invicte astruitur Catholica sententia ; manifeste enim loquitur Tertullianus de pane qui erat in veteri lege figura corporis sui, quam fecit corpus suum ; ut veritas figuræ succederet. Subdit enim : « Figura autem non fuisset » (utique in veteri lege, si enim de pane Eucharistico loqueretur, diceret, figura non esset) « nisi veritatis esset corpus. » Eodem sensu lib. 5. dixit idem Tertullianus : « Panis et calicis sacramento jam in Evangelio probavimus corporis et sanguinis Dominici veritatem adversus phantasma Marcionis. » Id est probavimus veritatem carnis Christi ex eo, quod in sacramento panem, qui erat figura corporis sui, corpus suum fecit, et vinum similiter sanguinem suum. Verum ergo corpus Christus habet, cujus panis olim figura erat, cui in novo Testamento veritas successit. Unde panem corpus suum appellavit, ut significaret panem fuisse figuram corporis sui : quem panem corpus suum fecit, quia illum in corpus suum convertit. Figuræ vero corporis sui nomen pani dedit, ut ratum haberet id quod in veteri Testamento habetur, scilicet panem esse figuram corporis sui. Ex quibus omnia Aubertini Calvinistæ sophismata absque negotio elides.

S. Cyprianus, necnon auctor libri *de operibus Cardinalibus Christi*.

Orthodoxam nostram fidem perspicue, et juxta eleganter exposuit tertio sæculo florens S. Martyr Cyprianus epist. 54 : « Viventibus, » inquit, « communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad prælium, non inermes, et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus : et cum ad id fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam, quomodo docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? » Cui affine est quod habet epist. 56 : « Considerantes idcirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sangui-

nem fundere. » Quæ verba ponderatione non egent.

Et sermone *de Lapsis* : « Alius », inquit, « qui et ipse maculatus, sacrificio a Sacerdote celebrato partem cum cæteris ausus est latenter accipere, Sanctum Domini edere et contrectare non potuit. Cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum, Dominum recedere cum negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente mutetur. » Ubi et Eucharistiam sacrificium aperte appellat, et Christum utique præsentem ab illo indigno miraculose recessisse testatur.

Tractatu etiam *de oratione Dominica* : « Sic et panem nostrum vocamus », inquit, « quia Christus noster, qui ejus corpus contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur. »

Nec obest quod idem Sanctus epist. 63. et 76. ait, Dominum corpus suum panem vocare, et calicem Domini esse vinum. Nam ideo panem corpus suum Christus appellavit et vinum sanguinem, quia sic appellando panem in corpus, vinum in sanguinem convertit. Verbo enim omnipotenti, operatorio, et efficaci dixit et facta sunt, efficitque ut quod erat natura panis et vinum, consecratione panis et vinum esse desinat, evadatque caro et sanguis Salvatoris. Non obest etiam, quod eadem epist. 63. hæc dicat : « Nec potest videri sanguis ejus, quo redempti sumus et vivificati, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur. » Non obest, inquam ; ibi enim de materia hujus sacramenti agit duntaxat Cyprianus, quam non aquam, sed vinum esse ait, ad indicandum sanguinem Christi sub eo latentem convenienter institutum.

Non debet etiam contemni testimonium auctoris operum Cardinalium Christi, inter opera Cypriani. Tum quia auctorem illum ab ipso Cypriano non distinguunt Paschasius et Sixtus Senensis, nec dissentit ex hæreticis Calvinus, et Petrus Martyr. Quia nimirum voces, phrases, et schemata operi illi interjecta Cypriani stylo consentanea esse putant. Tum quia auctorem saltem antiquum et gravem esse constat, cum Novatianos acriter impugnet : unde vel Cypriano et Cornelio coætaneum fuisse censet Pamelius, ut ex præfatione satis colligitur. Et, quamvis aliqui posteriorem Augustino censeant, quia non solum nomen consubstantialis adhibet, sed etiam quia de peccato originali clarissime loquitur, nec tamen ab Augustino adversum Pelagianos producitur : attamen auctorem esse antiquum patet, quia a Paschasio qui sæculo nono floruit, epistola ad Freudegardum sub nomine Cypriani laudatur. Sic autem habet Auctor ille serm. 6. qui est *de Cœna Domini* : « Panis iste communis in carnem et sanguinem mutatus procurat vitam et incrementum corporibus. Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentis Verbi fit caro. Et, sicut in persona Christi humanitas videbatur et latebat divinitas ; ita sacramento visibili ineffabiliter divina se infundit essentia. » Quibus verbis nihil apertius.

Sanctus Hilarius Pictaviensis.

S. Hilarii quarto sæculo florentis verba lib. 8. *de Trinitate*, speculatione superiori retulimus, quibus diserte Catholicam sententiam tradit, eamque ad probandam adversum Arianos naturalem, quæ Patrem inter et Filium intercedit unitatem, supponit. Quibus hæc illius verba adde : « Vere cibo Dominico Verbum carnem sumimus, naturamque carnis suæ sub sacramento nobis admiscuit... Hæc a nobis ideo commemorata sunt, quia voluntatis tantum unitate hæretici personas divinas unitas esse interpretantur, et ad id exemplo unitatis nostræ cum Deo utuntur : quasi nobis ad Filium voluntate tantum religionis unius, nulla per sacramentum carnis naturalis communionis proprietas indulgeatur. »

His non tam verbis, quam fulminibus opponunt hæretici aliquot Hilarii locos quam futilissime. Primo, inquiunt, quia canone 30. *in Matth.* tradit quod Christus « accepto calice, et fracto pane » pascha confecit ; et quia Apostolos « vitis fructum » bibisse ait. Ergo non corpus et sanguinem, sed panem et vinum Christus porrexit. Deinde quia *in Psalm.* CXXIV. Deum ait eodem instanti diversis esse in locis, « quia incorporeus est. » Ergo Christus, quia corporeus est, in diversis eodem momento altaribus esse non po-

test. Demum *in Psalm.* CXXXVII. docet Christum post resurrectionem carnis suæ veritatem his verbis demonstrasse, *palpate et videte.* Ergo cum Christus in Eucharistia nec palpari possit, nec videri, ibi realiter non invenitur.

Sed has consecutiones detortas, et per vim raptas esse, quis non videt? In primis quod primum objicitur, præsentiæ reali nihil obest, et si quid faceret locus ille (nihil autem efficere jam patebit) soli transubstantiationi adversaretur. Sed sæpe diximus, Eucharistiam panem et vinum a Catholicis catholice dici. Tum quia panis et vinum huic præbent sacramento materiam; tum propter sensibiles panis et vini species remanentes. Secunda conjectura infirmior est; fatemur enim corpus Christi per suam naturam pluribus esse in locis minime posse, idque naturaliter naturis incorporeis convenire : sed per miraculum corpus gloriosum, et conditionem quadantenus spiritalem assecutum pluribus non posse esse in locis, nunquam dixit Hilarius. Tertia etiam ratiuncula frigidissima est. Probavit quidem Christus veritatem corporis sui dum palpandum illud, contrectandum, videndumque præbuit : sed omne corpus actu palpari et videri oportere male inde colligitur. Sicut ignis veritatem calor intensus demonstrat; ignem tamen Babylonicum non fuisse verum ignem, quia calorem Deus miraculo impedivit, asyllogistia est puerilis.

S. Cyrillus Jerosolymitanus; Optatus Milevitanus; S. Basilius; S. Gregorius Theologus; S. Ephrem Syrus; S. Epiphanius.

Luculenter Catholicam sententiam expressit S. Cyrillus Jerosolymitanus quarto sæculo florens catechesi 4. mystagogica, his verbis : « Cum igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane, *Hoc est corpus meum;* quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante ac dicente, *Hic est sanguis meus;* quis, inquam, dubitet ac dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ sola voluntate; et non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutasset? Quare cum omni certitudine corpus et sanguinem Christi sumamus : nam sub specie panis datur tibi corpus, et sub specie vini datur sanguis, ut sumpto corpore, et sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis et sanguinis. Sic Christophori erimus, hoc est Christum ferentes, cum ejus corpus et sanguinem in membra nostra receperimus. » Quid verbis illis apertius, nervosius, significantius? Nihil plane, nisi forte hæc ejusdem Cyrilli verba præcedentibus subnexa : « Quamobrem non sic hæc attendas velim, tanquam sint nudus et simplex panis; nudum et simplex vinum; corpus enim sunt, et sanguis Christi. Nam, etiamsi sensus illud tibi renuntiat, fides tamen te confirmet. Ne judices rem ex gustu : sed te citra ullam dubitationem fides certum reddat, quod sis dignus factus, qui corporis et sanguinis Christi particeps fieres. » Confugiant ad sua umbrosorum troporum latibula Calviniani; oleum certe et operam perdent, et si quid in illis sinceritatis reliquum sit, fatebuntur nec in Aquinate, nec in Bellarmino, aliisque Catholicis scriptoribus clariora verba inveniri, quibus suam sententiam significaverint.

Præclara etiam sunt, quæ tradit Catechesi 5, ubi ait subjiciendam esse manum, « quæ tantum Regem susceptura est. « Additque, ut « post communionem corporis » accedat Christianus « et ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum et venerationis, dicens *Amen* : ut sanctificetur eo sanguine, quem assumit. » His luculentissimis testimoniis nihil habent quod respondeant Calvinistæ, nisi Catecheses mystagogicas falso attribui Cyrillo, cum differant stylo a Catechesibus Illuminatorum, quarum Cyrillum fatentur esse auctorem, cum aliqua ex illis referat Theodoretus dialogo 2. et S. Damascenus orat. 3. *de Imaginibus.* Verum cum Cyrillus postrema *Catechesi Illuminatorum* Mystagogicas Catecheses promittat, et uniuscujusque earum præmittat in antecessum argumenta, planum est, omnium Catecheseon eumdem esse auctorem. Nec mirum esse debet, distinctum esse utrarumque stylum, cum *Catecheses Illuminatorum* pro baptizandis; Catecheses Mystagogicas pro baptizatis elaborarit. Constat autem pro diversitate personarum, temporum, et argumentorum nunc fusiori, nunc strictiori sermone eisdem auctoribus scribere solemne esse.

Subscribit Optatus Milevitanus, qui quarto etiam sæculo floruit. Nam lib. 6. *contra Parmenianum*, ubi reprehendit Donatistas, quod altaria frangerent, raderent, et removerent

(quorum furorem Reformati nostri initio sui schismatis imitati sunt) : « In quibus, inquit, vota populi portata sunt, quo Deus omnipotens invocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus sanctus ; unde a multis pignus vitæ æternæ, et tutela fidei, et spes resurrectionis accepta est. Quid enim est altare, nisi sedes corporis et sanguinis Christi? Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta corpus et sanguis habitabat?... Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregisset etiam calicem Christi sanguinis portatorem. » Unde eorum crimen Judæorum Christicidio par esse ait : « Hoc modo Judæos estis imitati ; illi injecerunt manus Christo in cruce, a vobis percussus est in altari. »

Idem docet S. Basilius lib. 2. *de Baptis.* quæst. 3 : « Quanto majus aliquid est templo secundum Domini vocem, tanto gravius et terribilius in animæ impuritate constitutum corpus Christi temere contingere, quam sit accedere ad arietes et tauros... Quod si in immunditia tantum constitutus, tam terribile judicium habet, tanto magis qui cum in peccato sit, corpus Domini contingere audet, gravius sibi accersit judicium? » Et quæst. 289 : « Singulis certe diebus communicare et participare sancti corporis et sanguinis Christi, bonum et fructuosum est. » Nec est quod opponant hæretici, Eucharistiam appellari a Basilio memoriale ejus, qui pro nobis mortuus est ; vocari etiam antitypa ; hæc enim quam catholice dicta sint, infra exponemus. Hanc eamdem fuisse mentem S. Gregorii Nazianzeni, ex historia S. Gorgoniæ, quam ipse refert, et ex ipso dum de adoratione Eucharistiæ agetur, referemus, clarissimum est. Ejus mentem assecutus est Elias Cretensis in commentario primæ illius orationis, ubi ait quod « in sacra mensa proposita per ineffabilem quamdam omnipotentis Dei vim et facultatem, in Christi corpus et sanguinem vere commutantur. »

Eamdem etiam fidem quarto sæculo attestatus est S. Ephrem Syrus lib. *de natura Dei minime scrutanda*, his verbis : « Esto fidelis atque innocens ; participa immaculatum corpus et sanguinem Domini tui fide plenissima, certus quod Agnum ipsum integre comedas. Ignis immortalis sunt mysteria Christi ; cave ea temere scruteris, ne in ipsorum participatione comburaris. Abraham Patriarcha cœlestibus Angelis terrenos cibos apposuit, illique eos comederunt. Ingens sane miraculum est cernere spiritus incorporeos in terra carnium cibos manducantes : sed hoc profecto omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod nobis fecit unigenitus Filius Christus Salvator noster. Ignem quippe et spiritum manducandum atque bibendum præstitit nobis carne vestitis, corpus videlicet suum, ac sanguinem. » Scio hæreticos ad solitos tropos confugere, sed eadem facilitate tenebras in meridie solem infuscantes comminiscentur. Neque omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem excederet miraculum Eucharistiæ, nec prodigium Angelorum comedentium humanos cibos superaret, si figuram tantum Christi comedendam contineret. Subscribit etiam S. Epiphanius episcopus Salaminis quarto sæculo florens ; in *Ancorato* enim num. 57. sic ait : « Ecclesia tranquillus pacis portus est, et suavitas quædam, necnon et præsentissimum illud abstergendo mærori potum, merum scilicet ac verum Christi sanguinem quotidie largiens. »

Sanctus Gregorius Nyssenus.

Constantem Catholicæ Religionis fidem nostram diserte etiam tradidit S. Gregorius Nyssenus sæculo quarto florens oratione sua catechetica, quam esse legitimum illius fœtum constat, tum ex Photio in Bibliotheca, Codice 233, qui pro illo opere apologiam texuit, tum ex Theodoreto dialogo 2. part. 3. et Leontio Maximo, qui plures ex ea Nysseni oratione textus referunt. Tum quia ab Euthymio part. 2. *Panopliæ* titulo 21. sub nomine Gregorii Nysseni memoratur. Sic autem in illo opere cap. 37. habet Nyssenus : « Quoniam homo est duplex, ut qui sit « compositus et contemperatus ex anima, « et corpore, necesse est ut qui servantur, « per utrumque attingant qui ducit ad vi- « tam. Ergo anima quidem cum ipso con- « temperata per fidem hinc salutis habet « occasionem : nam unio cum vita vitæ ha- « bet societatem. Corpus autem alio modo « venit ad participationem et contempera- « tionem ejus quod dat salutem. Quomodo « enim qui venenum sumpserunt dolo et in- « sidiis, alio medicamento extinguunt vim, « quæ affert interitum? Oportet autem sicut « exitiale, ita etiam salutare medicamen- « tum admitti intra viscera, ut per illa dis-

« tribuatur in universum corpus virtus ejus, « quod fert opem. Ita cum id gustaverimus, « quod nostram dissolvit naturam, rursus « necesse est ut opus habeamus eo, quod « cogit ac conciliat id quod erat dissolutum, « ut cum intra nos fuerit hoc salutare me- « dicamentum, veneni damnum quod cor- « pori fuerat inditum, per contrariam repel- « lat affectionem. Quid ergo est? Nihil aliud « quam illud corpus, quod et morte osten- « sum fuit esse potentius, et nostræ vitæ fuit « initium. Quomodo enim parum fermenti, « ut dicit Apostolus, sibi assimilat totam « conspersionem : ita corpus a Deo morte « affectum, cum fuerit intra nostrum, totum « ad se transmutat et transfert. Sed fieri « non potest, ut sit aliquid aliter intra cor- « pus, nisi per esum et potionem misceatur « visceribus. Cum autem solum illud cor- « pus, quo Deum suscepit homo hanc gra- « tiam acceperit, oportet considerare quo- « modo fieri potuerit, ut unum illud corpus, « quod tam multis fidelium millibus in uni- « verso orbe terrarum semper distribuitur, « totum per partem sit in unoquoque, et « ipsum in se totum maneat. » Et infra : « Recte ergo nunc quoque Dei verbo san- « ctificatum panem in Dei Verbi corpus « credo transmutari.... Hæc autem dat vir- « tute benedictionis in illud transelementata « eorum quæ apparent natura. »

Ecce Calvinismum manifestissime jugulatum. Elevent, quantum voluerint hæretici, Nysseni auctoritatem Catholicis omnibus pervenerabilem; nævos in illo sancto Doctore fingentes quærant; addant Gregorium conjecturis egisse, et exercitationis gratia locutum; denique ad desperatum troporum et præsentiæ virtutis asylum confugiant; non tamen ultro sese ingerentem nitentissimorum verborum splendorem obscurabunt, nec fulminis ictum effugient, nec suæ impedient nefandæ impietatis condemnationem.

Sanctus Ambrosius.

Quod si hæretici tantis laudatorum Patrum molibus non succumbant, tantis ponderibus non fatiscant, tantis malleis non conquassentur, tantis postremo fulminibus non conterantur, suavissimis fortassis Ambrosii quarto sæculo florentis mellibus concedent. Ille enim libro *de Initiandis* cap. 9. sic scribit : « Quomodo tu mihi asseris quod « Christi corpus accipiam? Et hoc nobis « adhuc superest, ut probemus, non hoc es- « se quod natura formavit, sed quod bene- « dictio consecravit : majorem vim esse be- « nedictionis quam naturæ, quia benedi- « ctionibus etiam natura ipsa mutatur. Vir- « gam tenebat Moyses, projecit eam, et fa- « cta est serpens. Rursus apprehendit cau- « dam serpentis, et in virgæ naturam rever- « tit. Vides igitur prophetica gratia bis « mutatam esse naturam et serpentis et vir- « gæ. » Et productis in medium variis conversionum et transmutationum divinitus effectarum exemplis, subdit : « Advertimus « igitur majoris esse virtutis gratiam quam « naturam, et adhuc tamen Propheticæ be- « nedictionis numeramus gratiam. Quod si « tantum valuit humana benedictio, ut na- « turam converteret, quid dicimus de ipsa « consecratione divina, ubi verba ipsa Do- « mini Salvatoris operantur? Nam sacra- « mentum illud quod accipis, Christi ser- « mone conficitur.... Incarnationis exemplo « astruamus mysterii veritatem. Nunquid « naturæ usus præcessit, cum Dominus Je- « sus ex Maria nasceretur? Si ordinem quæ- « rimus, viro mixta fœmina generare con- « suevit : liquet ergo quod præter naturæ « ordinem Virgo generavit; et hoc quod « conficimus corpus, ex Virgine est. Quid « hic quæris naturæ ordinem in Christi cor- « pore, cum præter naturam sit ipse Domi- « nus Jesus partus ex Virgine? Vera utique « caro Christi, quæ crucifixa est, quæ se- « pulta est : veræ ergo illius carnis sa- « cramentum est. Ipse clamat Dominus « Jesus : *Hoc est corpus meum.* Ante benedi- « ctionem verborum cœlestium species « vocatur; post consecrationem corpus « Christi significatur. Ipse dicit sanguinem « suum : ante consecrationem aliud dicitur, « post consecrationem sanguis nuncupatur, « et tu dicis panem. Hoc est, verum est. »

Verbis illis non solum sententiam Catholicam exposuit Ambrosius apertissime, sed invictissime illam hæreticorum sophismatis præfocatis confirmavit. Idem præstitit lib. 4. *de Sacramentis* cap. 5. his verbis : « Ante- « quam ergo consecretur, panis est : ubi « autem verba Christi accesserint, corpus « est Christi. Et ante verba Christi calix est « vini et aquæ plenus : ubi verba Christi « operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui « plebem redemit. Ergo videte quantis ge- « neribus potens est sermo Christi universa

« convertere. Deinde Dominus Jesus testifi-
« catur nobis, quod corpus suum accipiamus
« ac sanguinem ; numquid debemus de ejus
« fide ac testificatione dubitare ? Magnum
« quiddam et venerabile, quod manna Ju-
« dæis pluit e cœlo ; sed intellige, quid est
« amplius, manna de cœlo, an corpus Chri-
« ti? Corpus Christi utique, qui auctor est
« cœli. » Quid clarius dici potuit, quam il-
lud, quod ante consecrationem panis est, consecratione fieri et esse corpus Christi, et vinum fieri sanguinem, qui plebem redemit, et hanc conversionem esse miraculum omnipotentiæ Dei, et alio modo Eucharistiam esse corpus Christi, quam manna, quæ tamen signum erat corporis Salvatoris?

Sed et capite 4. antecedenti omne Calvinistarum effugium præcluserat S. Ambrosius his verbis : « Panis iste panis est ante
« verba sacramentorum ; ubi accesserit con-
« secratio, de pane fit caro Christi.... Quo-
« modo potest qui panis est esse corpus
« Christi? Consecratione. Consecratio igi-
« tur quibus verbis est, et cujus sermoni-
« bus? Domini Jesu ; nam reliqua omnia
« quæ dicuntur, laudem Deo deferunt : Ora-
« tio præmittitur pro populo, pro Regibus,
« pro cæteris : ubi venitur ut conficiatur ve-
« nerabile Sacramentum, jam non suis ser-
« monibus Sacerdos, sed utitur Christi ser-
« monibus. Ergo sermo Christi? hoc confi-
« cit sacramentum. Quis sermo Christi ?
« Christi ? Nempe is, quo facta sunt
« omnia. Jussit Dominus, et factum
« est cœlum. Jussit Dominus, et fa-
« cta est terra. Jussit Dominus, et facta
« sunt maria. Jussit Dominus, et omnis
« creatura generata est. Vides ergo quam
« operatorius sit sermo Christi. Si ergo tan-
« ta vis est in sermone Domini Jesu, ut in-
« ciperent esse quæ non erant ; quanto ma-
« gis operatorius est, ut quæ erant, in aliud
« commutentur? Cœlum non erat, mare non
« erat, terra non erat, sed audi dicentem :
« Ipse dixit, et facta sunt ; ipse mandavit, et
« creata sunt. Ergo tibi ut respondeam, non
« erat corpus Christi ante consecrationem,
« sed post consecrationem dico tibi, quod
« jam corpus est Christi. Observa, de pane
« fit Christi caro sermonibus Christi, qui
« sermo est is, quo facta sunt omnia. » Verbis illis quid luculentius, et una efficacius?

His oppressa testimoniis hæresis in omne latus se vertit. Aubertinus, Faucherus, Blondellus, Rivetus contendunt, Magnum Ambrosium non esse operis de Sacramentis adeo suis hæresibus adversi auctorem. Non redolent, inquiunt, elegantem Ambrosii stylum phrases multæ in opere illo obviæ, humiles, rudes, et fere barbaræ. Sed non adverterunt hæretici quod observat Augustinus lib. 4 *de doctrina Christiana* cap. 21. Ambrosium submisso dicendi genere tum esse usum, cum de Fidei dogmatibus ageret, quæ non ornamenta verborum, sed rerum documenta desiderant. Quem etiam stylum cernere est in sermonibus Ambrosii, unde nihil mirum, si in libris *de Sacramentis*, quos pro concionibus ad populum habuit, solitam orationis sublimitatem deprimat vir Apostolicus omnibus omnia factus, sapientibus et insipientibus debitor. Varias etiam operis illius propositiones morosissime vellicat Aubertinus, a quibus nisi fallor, censuris et contemptionibus abstinuisset, nisi ignorasset sententias illas in aliis Ambrosii constantissimis operibus, cæterorumque Patrum lucubrationibus exstare, ut si per otium vacaret, facillimum esset demonstratu. Quod vero addit Aubertinus, falsa nonnulla eo in opere venditari, ut cum meminit ritus lotionis pedum baptizandorum, qui vix in usu fuit tempore Ambrosii : cum asserit, Christum non dixisse, *Et ne nos inducas in tentationem ;* sed, « Ne patiaris nos induci in tentationem, » manifeste refellitur primum quidem ex Augustino epist. 118. et 119, ubi ritus illius mentionem facit; secundum etiam ex eodem Augustino lib. *de dono Perseverant.*, cap. 6. confutatur : « Quod itaque, » inquit, « dicimus Deo, ne nos inferas in tentationem, quid dicimus, nisi ne nos inferri sinas? Unde sic orant nonnulli, et legitur in codicibus pluribus, et hoc sic posuit B. Cyprianus, ne patiaris nos induci in tentationem. » Ex quibus patet ita legere potuisse Ambrosium secundum fidem plurium codicum, et morem multorum eo tempore sic orantium. Non est etiam validius quod aiunt, ridiculam esse allatam ab illius operis auctore rationem, qua lib. 6. cap. 4. probat secreto nos, et non cum vociferatione orare oportere. « Qui ergo clamat, » inquit, « putat quod aliter Deus non posset, nisi clamantem audire. » Sed ridiculus est plane cavillus ; eamdem enim rationem adhibet idem Ambrosius in operibus indubitatis : « Cubiculum tuum, » inquit lib. 1. *de Abel et Cain* cap. 9, « mentis arcanum, animique secretum ; nam in hoc cubiculum tuum in-

tra. Hoc est egredere de corporis tui exteriori vestibulo, et totus intra in alta præcordia cordis tui, et claude ostium tuum. Quid sit ostium tuum, disce.... Clament opera tua, clamet fides, clamet affectus, clament passiones tuæ, clamet sanguis tuus : audit enim in occultis, qui mundat in occultis. Non nisi loquentem audire non possumus ; apud Deum loquuntur non verba, sed cogitationes. » Quibus nihil similius iis quæ habet objecto illo cap. 4 : « Qui ergo clamat, putat quod aliter Deus non possit nisi clamantem audire : et qui cum clamore rogat eum, ejus derogat potestati ; qui autem in silentio orat, fidem profert. »

Ex his speciminibus liquere puto, vanas esse hæreticorum conjecturas, quibus permoti libros de sacramentis sibi tantopere invisos e catalogo operum Ambrosii expungunt. Quare cum omnes editiones, et codices manuscripti, et omnes ab octo et amplius sæculis Scriptores libros illos Ambrosio asserant, non est a communi consensione propter levissimas hæreticorum suspiciones recedendum.

Dices : Ambrosius loco a nobis memorato comparat mutationem quæ fit in Eucharistia per consecrationem, ei mutationi quæ in homine per baptismum contingit, dum verus homo in novam mutatur creaturam : atqui in baptismo non contingit mutatio substantialis : ergo nec in Eucharistia. Item lib. 6. cap. 1. ait : « In similitudinem quidem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequeris. » Si autem in similitudinem, ergo non proprie et substantialiter. Et lib. 4 capite 5. sic habet : « Dicit Sacerdos : Fac nobis hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem ; quod est figura corporis et sanguinis Domini. »

Respondeo Ambrosium non solum exemplo mutationis veteris in novum hominem, sed etiam multarum physicarum conversionum transsubstantiationem panis in corpus Christi, quæ operatorio Christi verbo in Eucharistia fit, illustrare et confirmare. Adde etiam, exemplum illud non esse ad realem Christi in Eucharistia præsentiam stabiliendam impertinens. Sicut enim in baptismo, dum vetus in novam creatura mutatur, vera et realis gratia destruens peccatum, et beatissima virtutum copia infunditur, ut spiritalis homo generetur : ita in Eucharistia verum Christi corpus, verusque sanguis accedentibus porrigitur, ita ut Christi caro succedat substantiæ panis, sicut in baptismo sufficitur gratia peccato.

Secunda objectio magis nobis favet, quam obsit, si inspiciatur integer Ambrosii textus ; sic enim habet : « Vera ejus caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus : verus ejus sanguis est, quem potamus. Quomodo vera caro ? Quomodo verus sanguis ? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis ; ideo in similitudinem quidem accipis Sacramentum, sed veræ naturæ gratiam, virtutemque consequeris. » Quibus verbis apertissime significat veram nobis Christi carnem, verumque sanguinem porrigi, sed panis et vini speciebus involvi, ne sumentibus Christi cruor esset horrori. Et ideo similitudines in Sacramento visibiliter accipimus, veræ tamen Christi naturæ beneficio et virtute reficimur.

Tertia quoque instantia nihilo validior est, fatentur enim Catholici, species panis et vini esse figuram corporis et sanguinis Christi : fatentur etiam, panem et vinum in altari apposita, oratione Sacerdotis accedente fieri signa carnis et sanguinis Redemptoris ; sed hæc signa orat Sacerdos ut consecratione in verum Christi corpus, verumque sanguinem convertantur.

Sanctus Joannes Chrysostomus.

Si aureum Chrysostomi os cæteris Patribus facundia antecellit, seipsum in exponenda Catholica de Eucharistia assertione superare visum est. Sic autem sanctus ille Pater quarto et quinto sæculo florens habet hom. 51. *in Matthæum* : « Non vestis solum, « sed corpus ipsius nobis propositum est : « non ut tangamus solummodo, sed ut co- « medamus et saturemur. Qui enim majus, « id est seipsum pro te posuit, quare dedi- « gnabitur suum tibi tradere corpus?.... « Carnes suas nobis tradidit, seipsum im- « molatum proposuit : quam igitur satisfa- « ctionem offeremus, qui tali pabulo nutriti « talia peccemus? » Et hom. 83 : « Quo- « niam ergo ille dixit : Hoc est corpus « meum, nulla teneamur ambiguitate, sed « credamus, et oculis intellectus id perspi- « ciamus..., Si tu incorporeus esses, nude « ipsa dona incorporea tradidisset tibi ; « quoniam vero corpori conjuncta est ani- « ma tua, insensibilia intelligenda tibi tra-

« duntur. Quot modo dicunt, vellem formam « et speciem ejus, vellem vestimenta ipsa, « vellem coloramenta videre ? Ipsum igitur « vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Ve- « stimenta ejus desideras videre, ipse vero « seipsum tibi tradit, non ut videas solum « ipsum, verum etiam ut tangas, et in te « habeas.... Veniat in mentem tibi quo sis « honore honoratus, qua mensa fruaris : « ea namque re nos alimur, quam Angeli « videntes tremunt, nec absque pavore, pro- « pter fulgorem qui inde resilit, aspicere « possunt.... Quis loquetur potentias Do- « mini, auditas faciet omnes laudes ejus? « Quis pastor oves proprio pascit cruore? « Et quid dico Pastor? Multæ matres post « partum aliis nutricibus infantes dederunt, « quod ipse facere non voluit, sed proprio « corpore nos alit, sed et sibi conjungit, at- « que agglutinat. » Ibidem etiam ait : « Ne- « que illi satis fuit hominem fieri, colaphis « cædi, et crucifigi ; verum et semetipsum « nobis commiscet, et non fide tantum, ve- « rum et ipsa re suum efficit corpus. »

Et hom. 45. *in Joan.* : « Ut autem non so- « lum per dilectionem, sed reipsa in illam « carnem convertamur, per cibum id effi- « citur, quem nobis largitus est. Cum enim « suum in nos amorem vellet indicare, per « corpus suum se nobis commiscuit, et in « unum nobiscum redegit, ut corpus suum « cum capite uniretur ; hoc enim amantium « maxime est. Hoc Job indicavit de servis, « a quibus maxime amabatur, qui suum « amorem præ se ferentes dicebant, quis « daret nobis ut ejus carnibus impleremur? « Quod Christus fecit ut majori nos caritate « astringeret, et ut suum in nos ostenderet « desiderium, non se tantum videri permit- « tens desiderantibus, sed et tangi, et man- « ducari, et dentes carni suæ infigi, et de- « siderio sui omnes impleri.... Parentes sæ- « pe numero liberos suos aliis alendos de- « derunt : ego autem mea carne alo. »

Et hom. 24. *in* I. *ad Corinth.* : « Id quod « est in calice est id quod fluxit e latere, et « illius sumus participes.... Quamobrem si « sanguinem cupis, non aram idolorum bru- « torum cæde, sed meum adi altare meo « cruentum sanguine. Quid est hoc horribi- « lius? Quid autem amabilius, quæso, dic? « Hoc faciunt etiam qui amant. Cum vide- « rint eos quos amant aliena concupiscere, « et propria despicere, sua dantes persua- « dent ut abstineant ab iis quæ sunt illo- « rum : sed qui amant quidem, in posses- « sionibus, pecuniis, et vestibus suam osten- « dunt liberalitatem et magnificentiam, in « sanguine autem nullus unquam. Christus « autem etiam in eo suam nobis ostendit « curam, et ardentem in nos caritatem. Et « in veteri quidem, quoniam affecti erant « imperfectius, quem idolis offerebant san- « guinem, cum ipse sustinuit suscipere, ut « ab illis abduceret, quod ipsum quoque « erat amoris ineffabilis. Hic autem in eo « quod est longe horribilius et magnificen- « tius sacram constituit operationem, ut qui « et ipsum mutarit sacrificium, et pro cæde « brutorum seipsum jussit offerri... Hoc « corpus etiam jacens in præsepi reveriti « sunt Magi, et cum multo metu et tremore « adorarunt. Tu autem non in præsepi vide, « sed in altari ; non fœminam eum tenen- « tem, sed Sacerdotem astantem.... Hic « enim terram tibi cœlum facit hoc myste- « rium. » Et hom. 27 : « Hæc facis Christi « mensa exceptus illo die, quo dignus es « habitus, qui ejus carnes lingua tangeres. « Quicumque sis ergo ne hæc fiant, manum « tuam expurga, et castiga linguam tuam « et labia, quæ ingressi Christi fuere vesti- « bula. »

Exscribendæ essent integræ Chrysostomi homiliæ ; tanta enim luce, tantaque copia ubivis Catholicæ nostræ assertionis veritatem inculcat et illustrat, ut quas tanto splendori effugiorum nebulas Calviniani offundant, non habeant.

Sanctus Hieronymus.

Orthodoxam etiam nostram fidem luculenter quarto et quinto sæculo significavit Hieronymus epist. 1. *ad Heliodorum* : « Absit ut de iis quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt. » Et epist. 85. *ad Evagrium* : « Quis patrator mensarum et viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur? » Et epist. 128. *ad Fabiolam*, Episcopum vocat « sequestrem Dei et hominum, et carnes Agni sacro ore conficientem. » Et *in Psalm.* CXLV : « Qui dicit, » inquit, « panem nostrum quotidianum, et utique esuriens loquitur, dat escam esurientibus. Putat aliquis quod panem cœlestem de mysteriis dicat. Et hoc quidem accipimus, quia vera caro Christi est. »

Nec est quod nobis opponant hæretici, quod de quibusdam virginibus intemperantibus epist. 22. *ad Eustochium* scribit Hieronymus his verbis : « Ubi se mero ingurgitaverint, ebrietati sacrilegium copulantes, absit ut ego me Christi sanguine abstineam. Et si quam viderint pallentem atque tristem, miseram monacham atque Manichæam vocant. » Non est, inquam, quod id opponant ; fatuarum enim virginum sacra mysteria inter pocula irridentium impietas sacrilegii a Hieronymo damnata impie nobis objicitur, nec officit veritati tantæ iniquitatis testimonium.

Nec dicas etiam S. Hieronymum lib. 2. *contra Jovinianum* asserere Christum « in typum sanguinis sui non obtulisse aquam, sed vinum. » Et *in cap.* XXVI. *Matth.* addere : « Ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei Sacerdos panem et vinum offerens fuerat, ipse quoque veritatem sui corporis et sanguinis repræsentaret. » Non, inquam, id dicas ; priori enim loco de vino consecrando, qui est materia Eucharistiæ, et non aqua, manifeste loquitur Hieronymus. Quomodo etiam vinum consecratum typus et figura Christi catholice dici possit, infra elucidabitur. Ex quo posterius solutum manet. Addi tamen potest, quod sicut inter referenda Tertulliani testimonia diximus, verbum « repræsentare » idem non significat ac figurare, sed idem sonat ac ac præsentem veram Christi carnem efficere.

Sanctus Augustinus.

Calvinus lib. 4. *Instit.* cap. 17. §. 28. insolenter asseverat sine controversia Augustinum totum esse suum. Eodem modo, auctore Guitmundo lib. 2. gloriabatur Berengarius. Ut ergo a tanto Patre quarto et quinto sæculo florente tantam defendamus injuriam, et Calvinistarum calumnias clarissime revincamus, placet selecta S. Patris proferre testimonia, quibus Catholicam fidem luculenter expressit. In primis lib. 9. *Confess.* cap. 3. de matre sua S. Monica loquens ait : « Memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis ; ad cujus pretii nostri sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei. » Quibus verbis multiplex Calvinianorum error conteritur ; nam et orationes et sacrificium altaris pro mortuis offerri, et ibi victimam pro peccatis nostris semel mactatam, Christum videlicet jugiter immolari astruxit. Vocat vero Eucharistiam Sacramentum pretii nostri, et quia sacramentum est pretium redemptionis nostræ continens, et quia est memoriale mortis Christi, quæ pretium est redemptionis humanæ.

Idem colligitur ex epistola 43, ubi Maxima Madorensis a B. Augustino quærit, quis est iste Deus quem vobis Christiani quasi proprium vindicatis, et in locis abditis præsentem vos videre componitis ? Cui per sequentem epistolam 44. respondens S. Pater, non negat rem ita se habere, nihilque scribit quo existimationem illam Maximæ removeat ; quod tamen non omisisset, nisi verum esset Christianos Christum in locis abditis præsentem adorare, et quasi proprium sibi vindicare. Idem etiam habetur ex epistola 86, ubi de quodam Romano sic scribit : Dicit cessisse pani pecus, tanquam nesciens et tunc in Domini mensa panem propositionis poni solere, et nunc se de immaculati Agni corpore partem sumere. Dicit cessisse poculo sanguinem, non cogitans etiam nunc accipere in poculo sanguinem. » Ubi clare docet et Agnum immaculatum nos comedere, et sanguinem ejus in poculo bibere. Nec obstat vox illa « partem ». Nam pars dicitur de corpore Christi in Eucharistia accepto, non quod accipiatur pars corporis, sed quia distribuitur portio specierum panis et vini continentium corpus Christi. Idem docet epist. 118. cap. 6 : « Placuit, » inquit, « Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. »

Et lib. 3. *de Trinit.* cap. 10 : « Illas etiam nubes et ignem, » inquit, « quomodo fecerint vel assumpserint Angeli ad significandum quod annuntiabant, etiamsi Dominus vel Spiritus sanctus illis corporalibus formis ostendebatur, quis novit hominum ? Sicut infantes non noverunt quod in altari ponitur, et peracta pietatis celebratione consumitur, unde vel quomodo conficiatur, unde in usum religionis assumatur, etsi nunquam discant experimento suo vel aliorum, et nunquam speciem illam rerum videant nisi inter celebrationes sacramentorum, cum offertur et datur, dicaturque illis auctoritate gravissima, cujus corpus et sanguis sit ; nihil aliud credent nisi omnino in illa specie

Dominum oculis apparuisse mortalium, et de latere tali percusso liquorem illum omnino fluxisse. » Ubi fidem Ecclesiæ Catholicæ egregie expressit, et Christum aliena specie occultatum nobis exhiberi declaravit, non secus ac Angeli sub specie nubium realiter apparebant, tametsi ipsi non viderentur.

Et lib. quæst. *in Levit.* quæst. 57. sic habet : « Cum Dominus dicat, nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis, quid sibi vult quod a sanguine sacrificiorum quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum ; a cujus tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur qui volunt habere vitam ? » Ubi sanctus Pater sanguinem animalium cum sanguine Christi utique vero et non figurato, ut antithesis sit ad propositum, confert.

Et lib. 17. *de Civit.* cap. 20. expendens verba illa Ecclesiastis, *Non est bonum homini nisi quia manducabit et bibet*, sic habet : « Credibilius dicere intelligitur, quia quod ad participationem mensæ hujus pertinet, quam Sacerdos ipse mediator Testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo. Id tamen sacrificium successit omnibus sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam vocem illam in Psalmo XXXVIII. ejusdem mediatoris per prophetiam loquentis agnoscimus : *Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi ;* quia pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus ejus offertur, et participantibus ministratur. » Ubi clarissime docet corpus illud in Eucharistia in sacrificium offerri, et participantibus ministrari, de quo scriptum est, *corpus autem perfecisti mihi*, quod utique de vero et naturali Christi corpore intelligitur.

Et libro *contra Adversarium legis* cap. 9 : « Mediatorem Dei, et hominum hominem Christum Jesum carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus : quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare quam perimere, et humanum sanguinem potare quam fundere. » Ubi Doctor sanctissimus Christi carnem non solum corde, sed ore etiam manducari clarissime tradit : cumque comparet manducationem occisioni reali, de manducatione etiam reali, et orali manifeste loquitur, quæ etiam sola horrorem ingenerare videtur.

Libris etiam contra Faustum Catholicam assertionem non obscure expressit. Nam. lib. 12. *capite* 10. sic scribit : « Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondetur *Amen*. Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum. » Ubi eumdem sanguinem ore fidelium suscipi docet, quo fideles redempti sunt. Et lib. 20. cap. 18 : « Hebræi in victimis pecorum quas Deo offerebant, multis et variis modis, sicut tanta re dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam in cruce Christus obtulit. Unde jam Christiani peracti hujus sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione et participatione corporis et sanguinis Domini. » Quæ verba ponderatione non egent.

Non minus perspicue eamdem veritatem in expositione Psalmorum Augustinus exposuit. Etenim concione 1. *in Psalm.* XXXIII, ubi inter explicandum illud quod habetur I. Reg. XXI, vers. 13, quod David juxta lectionem Septuaginta seipsum manibus suis portabat, quærit quomodo seipsum David manibus suis portare potuerit : « Hoc vero, Fratres, » inquit, « quomodo fieri potuerit in homine quis intelligat ? Quis enim portatur in manibus suis ? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus : in Christo autem invenimus ; ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait : *Hoc est corpus meum ;* ferebatur enim illud corpus in manibus suis. » Ubi manifeste præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia Augustinus stabilivit, ait enim Christum secundum litteram corpus suum portasse in manibus suis, eo modo quo nullus hominum corpus suum portare potest. Patet vero hominem signum et figuram corporis sui in manibus suis portare posse : ergo modus ille Christo eximius, cæteris vero impossibilis est, quod proprium corpus realiter et substantialiter in divinæ institutione Eucharistiæ portarit manibus suis. Nec obest quod concione sequenti dicat : « Quodammodo ferebatur in manibus suis. Quia cum commendaret ipsum corpus et sanguinem suum, accepit in ma-

nus suas, quod norunt fideles, et ipse se portabat quodammodo cum diceret: *Hoc est corpus meum.* » Non obest, inquam; vox enim illa « quodammodo », non negat veritatem corporis Christi in Eucharistia, sed declarat Christum esse in Eucharistia certo quodam modo sensibus impervio, et solis fidelibus noto.

Idem tradit *in Psalm.* XXXIX. his verbis : « Sacrificia illa tanquam verba promissiva sunt ablata ; quid est quod datum est completivum? Corpus, quod nostis, quod non omnes nostis, quod utinam qui nostis omnes non ad judicium noveritis. »

Idem docet tract. 47. *in Joan.* : « Mensa potentis, » inquit, « quæ sit nostis, ubi est corpus et sanguis Christi. » Et tract. 84 : « Quæ est mensa potentis, nisi unde sumitur corpus et sanguis ejus, qui animam suam posuit pro nobis? »

Et serm. 2. *de verbis Apostoli* : « Audivimus, » inquit, « veracem Magistrum, divinum Redemptorem, humanum Salvatorem, commendantem nobis pretium nostrum sanguinem suum : locutus est enim nobis de corpore suo, quando corpus dicit escam, sanguinem potum. Sacramentum fidelium cognoscunt fideles. » Denique apud Paschasium, Lanfrancum, et Ivonem illud Augustini ex sermone *ad Neophytos* refertur : « Hoc accipite in pane quod pependit in cruce, hoc accipite in calice quod fluxit e latere. »

Dices : Augustinus *contra Adimantum Manichæum* cap. 10. sic fatur : « Non enim dubitavit Dominus dicere : *Hoc est corpus meum*, cum signum daret corporis sui. » Et *in Psalm.* III : « Judam adhibuit ad convivium, in quo corporis et sanguinis sui figuram discipulis commendavit et tradidit. »

Respondeo priori loco Augustinum loqui ad hominem, ut dicunt, seu ex mente Manichæorum quibuscum disputabat, putantium Eucharistiam non consecratione, sed natura sua esse signum corporis Christi apparentis, quod secundum speciem carnis simulatam in cruce passum fuerat, ut patet ex Augustino lib. *de Hæresibus*, hæres. 36. Præter illum autem Christum in phantasmate sub Pontio Pilato crucifixum, duplicem adhuc Christum delirantes Manichæi fingebant, ut constat ex eodem Augustino lib. 20. *contra Faustum* c. 11. alium quem terra concipiens patibilem gignit, omni non solum suspensum ex ligno, sed etiam jacentem in herba : « Vobis autem, » inquit, « per fabulam vestram in escis omnibus Christus ligatus apponitur. » Et lib. *de fide contra Manichæos* cap. 34 : « Dicitis magno errore, sed tamen dicitis, Christum quotidie nasci, quotidie pati, quotidie mori. Numquid forte in iis qui credunt, et pro nomine ipsius tribulationes mortemque patiuntur? Non, inquiunt, sed in cucurbitis, et in porris, et in portulaca, et in cæteris hujusmodi rebus. Magna ridicula, magna cæcitas : superius passionibus dæmonum, hic passionibus olerum homines liberantur a peccatis. » Alium vero Christum impassibilem admittebant, per solem lunamque distinctum, ut ait idem Augustinus. Porro corpus Christi patibilis (quod erat quilibet fructus, et olus, ac proinde panis) secundum Manichæos erat tantum signum corporis phantastici, in quo impassibilis Christus simulate passus et mortus est. Etenim panis non fiebat consecratione corpus Christi patibilis, cum esset corpus Christi patibilis natura sua : non fiebat etiam verum Christi impassibilis corpus, alioquin Christus impassibilis in pane passibilis evasisset; nam in ejusmodi escis Christus secundum Manichæos quotidie patiebatur, quotidie moriebatur. Unde juxta Manichæos panis erat tantum figura corporis phantastici Christi in cruce passi. Quare Augustinus juxta principia Manichæorum locutus est cum dixit : « Non dubitavit Dominus dicere : *Hoc est corpus meum*, cum signum daret corporis sui. » Id est, non dubitavit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cum illud daret quod secundum vos est tantum signum corporis sui. Loco enim illo contra Adimantum respondet hæretico illi vetus Testamentum calumnianti ex eo quod Deuteronomii XII. cavetur ne sanguis animalium comedatur, sanguis enim eorum pro anima est, nec debet comedi anima cum carnibus. Hoc autem testimonium impugnabat Adimantus, quia in novo Testamento Dominus dicit, non esse timendos eos qui occidunt corpus, animæ autem nocere non possunt; quæ duo, inquiebat, pugnantia sunt, si anima sit sanguis, isti enim homines nocere possunt. Cui objectioni respondet Augustinus, primo in Deuteronomio sermonem esse de anima brutorum, in Evangelio de anima hominum : nullibi enim veteris Testamenti scriptum est animam humanam esse sanguinem. Secundo respondet illud præceptum in signo positum esse, hoc est sanguinem appellari animam, non

quod sit anima proprie, sed quia est signum animæ. In hujus autem responsionis confirmationem addit quod Dominus non dubitavit dicere corpus suum, cum illud daret quod secundum vos, o Manichæi, est tantum signum corporis sui : ergo sanguis qui est signum animæ, potuit anima appellari. Postquam vero ex Manichæis ipsis ostendit figuram nomine rei cujus est figura nuncupari, illud ipsum confirmat, quia in veteri lege omnia erant figuris plena, utiturque exemplo petræ quæ Christus dicitur figurative non solum ex adversariorum, sed ex propria etiam sententia.

Si instes, Augustinum lib. 20. *contra Faust.* capite 11. Manichæorum fabulas irridentem ita loqui : *Ore aperto expectatis quis inferat Christum tanquam optimæ sepulturæ faucibus vestris.* At illud non objecisset Augustinus si Christum in Eucharistia realiter manducari sensisset, facile enim idem in Augustinum Manichæi retorsissent. Respondebo Augustinum non irrisisse Manichæos, quod sentirent Christum in Eucharistia realiter suscipi, sed quod fabularentur omnes arbores crucem Christi esse, de eisque deponi Christum et in sepulchrum transferri, cum fructus ex arbore decerpti in ore conduntur. Quare has nænias supra somniantium exerrationes absurdas merito irridet Augustinus. Cæterum Catholica de Eucharistia assertio e Manichæorum commentis immensum distat. Etenim Manichæi delirabant volentes omnes fructus terræ et herbas esse corpus naturale Christi patibilis. Catholici credunt corpus Christi esse verum corpus humanum, et modo ineffabili sub speciebus duntaxat panis et vini realiter contineri. Manichæi somniabant poni Christum in Eucharistia nascendo : Catholici consecratione ibi tantum poni corpus Christi confitentur. Manichæi fingebant corpus Christi in omnibus escis inclusum esse alimentum refectionis : Catholici contendunt esse sacramentum et vinculum religionis. Manichæi corpus illud esse passibile comminiscebantur : Catholici impassibile et gloriosum adorant. Manichæi putabant corpus illud comestum deficere ad modum aliorum ciborum : Catholici corpus Christi nunquam deficere censent, sed desinentibus speciebus, ejus duntaxat præsentiam desinere affirmant.

Ad posteriorem Augustini locum e Psalmo tertio depromptum respondeo, velle ibi ad litteram S. Patrem, Eucharistiam esse figuram corporis sui mystici, quod est Ecclesia. Intendit enim inibi probare Christum supra Davidem mitem pacem voluisse cum Juda proditore suo perpetuo retinere, quod ostendit quia et osculum pacis ab eo benigne accepit, et Eucharistiam figuram corporis sui, id est figuram et symbolum unitatis corporis Ecclesiæ ei porrexit. Familiare namque erat Augustino, præsertim dum ad catechumenos et infideles convenientes loqueretur, de Eucharistia prout dicit habitudinem ad corpus mysticum quod est Ecclesia, sermonem habere, ne iis tantum mysterium propalaretur, qui parum erant ad illud intelligendum idonei. Quod patet etiam ex tract. 26. *in Joan.* : « Hunc itaque cibum et potum, inquit, societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia in prædestinatis, et vocatis, et justificatis, et glorificatis Sanctis, et fidelibus ejus.... Hujus rei sacramentum, id est unitatis corporis et sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur. » Et iterum : « Exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem : *Unus panis* (inquit) *unum corpus multi sumus.* O sacramentum pietatis ! o signum unitatis ! o vinculum caritatis ! Qui vult vitam, habet ubi vivat, habet unde vivat : accedat, credat, incorporetur, ut vivificetur. Non abhorreat a compage membrorum, non sit putre membrum, quod resecari mereatur ; non sit distortum, de quo erubescatur : sit pulchrum, sit aptum, sit sanum : hæreat corpori, vivat Deo de Deo. » Et rursum : « Cum cibo et potu id appetant homines, ut neque esuriant, neque sitiant : hoc veraciter non præstat nisi iste cibus et potus, qui eos, a quibus sumitur, immortales et incorruptibiles facit, id est societas ipsa Sanctorum, ubi pax erit, et unitas plena atque perfecta. Propterea quippe, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur : ex multis namque granis unus panis efficitur, et ex multis racemis vinum confluit. » Et sermone ad infantes : « Sicut enim, » inquit, ut sit species visibilis panis multa grana in unum consperguntur tanquam in pluvia, quod de fidelibus ait, facta erat illis anima et cor unum in Deum ; sic et de vino fratres recolite unde sit vinum : grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in uni-

tate confunditur. Ita Dominus noster Jesus Christus nos significavit, nos ad se pertinere voluit : mysterium pacis et unitatis nostræ in sua mensa consecravit. » Eucharistia ergo est figura corporis Christi mystici, quia est symbolum unitatis, signum pacis, vinculum caritatis fidelium.

Alii Patres, Cyrillus Alexandrinus, Leo Magnus Gregorius Magnus, Joannes Damascenus.

Nihil apertius et validius pro fidei Orthodoxæ defensione proferri potest, quam quod habet Cyrillus Alexandrinus, qui 4. et 5. sæculo floruit, anathematismo undecimo, et libro quarto in Joannem. Priori enim loco confutaturus calumniam Theodoreti Cyrillo imponentis quod carnem unitam Verbo dixerit inanimatam, quia dixerat Domini carnem vivificam Verbi propriam esse, ait se per carnem intelligere eam, de qua Joannes ait, *Verbum caro factum est*, et de qua ipse Christus dixit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem ; in me manet, et ego in eo : Et panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Et subjungit : « Reprehende si videtur hæc verba. Carnem enim nominat solam, et nullam penitus in his animæ intelligentis mentionem fecit. Atqui si sapiens et ingenio acuto fuisset, non ignorasset quod interdum sola carne animal ex anima et corpore contans, id est homo significatur. » Ergo manifeste sensit Cyrill. Christum nobis carnem suam physicam, id est compositam ex corpore et anima porrigere, cum illam carnem loco illo Joannis dari velit, quam ipse unitam Verbo affirmavit. Si autem Eucharistia esset caro Christi figurativa tantum, non modo inefficax, sed ineptissima fuisset Cyrilli argumentatio. Sed longe apertius loco posteriori, cap. II. exponens versum 51. Joannis Catholicæ Ecclesiæ fidem tradidit, et omnia Calvinistarum figurativa effugia præoccupavit his verbis : « Sæpe Salvator eumdem sermonem Judæis inculcans varie proponit, modo quidem enigmate et obscuritate multa involutum, modo rejecta tunica nudum et apertum ; ut nisi crediderint, condemnationem non effugiant, sed mali male pereant, in suam ipsi perniciem gladium stringentes. Nihil igitur occultans demum Christus ait : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit.* Illud manna typus, erat, inquit, et umbra, et imago. Audite palam nunc et aperte : *Ego sum panis vivus. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* Qui ex illo manducaverunt, mortui sunt, non erat enim vivificus. Qui autem manducat hunc panem, id est me, sive carnem meam, vivet in æternum. » In illis ergo verbis Salvatoris asserentis Eucharistiam esse panem vivum et carnem Christi, nullus datur typis, umbris et imagini locus, nisi quis in suam perniciem verbis velit Salvatoris abuti, et, ut continuo addit, « sermonibus pietatis obsurdescere. » Nunquam sane S. Thomas Aquinas, nunquam Perronius, nunquam Bellarminus apertius loquuti sunt.

Sed et Apostolicus Magni Leonis rugitus omnes Calvinistarum confundit, opprimitque argutias : « Dicente Domino, » inquit serm. 6. *de jejun. 7. mensis*, « *nisi manducaveritis*, sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis : hoc enim ore sumitur, quod fide creditur ; et frustra ab illis Amen respondetur, a quibus contra id, quod accipitur disputatur. »

Succinit Magnus Gregorius homil. 14. *in Evang.* : « Bonus, » inquit « Pastor animam suam posuit, ut in Sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, et omnes, quos redemerat, carnis suæ alimento satiaret. » Et homil. 22 : « Quid namque sit sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis supra utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. »

Quæ fuerit etiam Magni Gregorii de Eucharistia mens, ex iis patet quæ in vita Gregorii Petrus Diaconus lib. 2. c. 4. his verbis refert : « Matrona quædam beato Gregorio per stationes publicas Missarum solemnia celebranti solitas oblationes obtulerat. Cui post mysteria traditurus cum diceret, Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam, lasciva subrisit. ille continuo dexteram ab ejus ore convertens, partem illam Dominici corporis super altare deposuit. Expletis vero Missarum solemniis, matronam coram populo inquisivit, quamobrem corpus Dominicum sumptura ridere præsumpserit ? At illa diu mussitans tandem prorupit : Quia panem, inquiens, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus Dominicum perhibebas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris cum tota plebe se in orationem prostravit : et post paululum surgens, particulam panis, quam super altare posue-

rat, carnem factam reperit : quam coram cunctis incredulæ matronæ demonstrans, ad credulitatis gratiam tam illam revocare potuit, quam totum populum confirmare curavit. Rursus itaque in orationem cum eisdem prostratus carnis frustum in panis primordia reformavit, » Audiant Calvinistæ « Missarum solemnia »; audiant Eucharistiam esse « Corpus Domini nostri Jesu Christi », videant in matrona suæ incredulitatis exemplum, et sequuti errantem sequantur pœnitentem.

S. quoque Joannes Damascenus eamdem veritatem nitentissimis verbis docuit et exposuit libro quarto, capite quarto decimo, his verbis ; « Quæsivit Virgo, *quomodo fiet mihi istud?* Respondit Gabriel Archangelus *Spiritus sanctus superveniet in te.* Tu quoque nunc quæris, quomodo panis nunc fiat corpus Christi, et vinum aqua mixtum fiat sanguis Christi? Tibi quoque respondeo, Spiritus sanctus supervenit, eaque efficit, quæ orationis facultatem, et mentis intelligentiam excedunt..... Quod si quæras quo pacto id fiat, satis tibi sit audire, quod per Spiritum sanctum id fiat. Quemadmodum ex sancta Dei matre per Spiritum sanctum Dominus sibi ipsi carnem condidit : nec quicquam amplius nobis perspectum et exploratum est, quam quod verbum Dei est verum, et efficax atque omnipotens, ut ea efficiat, quæ nulla ratio humana queat indagare. Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quod quemadmodum naturaliter panis per manducationem, et vinum et aqua in bibentis ac comedentis corpus et sanguinem immutantur : sic panis et vinum, , quæ proponuntur in altari, per sancti Spiritus invocationem et adventum mirabili modo in Christi corpus et sanguinem vertuntur. »

Plura Patrum testimonia, dum de cultu et usu Eucharistiæ disseremus, inferius referemus, quæ realem Christi præsentiam omnino supponunt. Non enim adorandum esse hoc sacramentum Patres docerent, nisi Christum ibi adesse censuissent. Eximiam etiam, quam ad communionem desiderant, purgati animi compositionem uni Christi præsentiæ superstruunt, suo ut loco clarebit.

Sacra Concilia eidem veritati suffragata sunt.

Realem quoque corporis et sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam sacra concilia, ubi occasio tulit, perspicue docuerunt. « In hac sacra mensa, » inquit concilium Nicænum I. editionis Pisanæ lib. 3, cap. *de sacra mensa*, « ne humiliter intenti simus ad propositum panem et calicem; sed attollentes mentem fide, intelligamus situm in illa sacra mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum; et pretiosum ejus corpus et sanguinem vere nos sumentes credamus hæc esse nostræ redemptionis symbola. » Ergo in Eucharistia Agnus immaculatus Christus vere a Sacerdotibus immolatur, vere a fidelibus recipitur.

« Ad mysticas benedictiones accedimus, » addit in epistola ad Nestorium a concilio Ephesino probata Cyrillus Alexandrinus, « eaque ratione sanctificamur, utpote sacræ carnis et pretiosi sanguinis Christi omnium nostri Salvatoris participes effecti.... Neque enim illam ut carnem communem suscipimus, sed tanquam vere vivificam, ipsiusque Verbi propriam. » Quibus verbis nihil apertius.

« Nemo unquam Sanctorum Apostolorum » (verba sunt septimæ synodi generalis, seu concilii Nicæni II., cujus supra meminimus), « qui tubæ sunt Spiritus sancti, aut gloriosorum Patrum nostrorum incruentum nostrum sacrificium in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi, et totius suæ dispensationis factum, imaginem corporis illius dixerit : Nam is, qui accipit a Domino, sic non dicit aut confitetur, sed audiunt sic dicentem evangelice, *Nisi comederitis carnem filii hominis.* » Integrum locum in fine referemus.

Enata etiam Berengarii hæresi, accurrerunt statim sacra concilia exortam hæresim proscriptura, Vercellense sub Leone IX, Turonense sub Victore II, Romanum sub Nicolao II. et aliud Romanum sub Gregorio VII, in quo utroque hæreticus Berengarius semel et iterum relapsus impietatem suam revocavit, uti fusius cap. sequenti referemus. Supervacaneum foret œcumenici concilii Lateranensis sub Innocentio III. celebrati, Viennensis sub Clemente V, Constantiensis sub Martino V, Florentini sub Eugenio IV, Trident. sess. 13. cap. 1. manifestas definitiones referre, quas ultro fatentur Calviniani sibi esse adversas, quamvis apud veros Christi Ecclesiæ filios unius Catholici Concilii auctoritas omnibus Calvinistarum et cæterorum quorumvis hæreticorum opi-

nationibus præstet et immensum præponderet.

Ponderantur Patrum auctoritates et objectiones occupantur.

Ad majorem SS. Patrum intelligentiam et hujusce veritatis evidentiam notandum est, et diligenter retinendum, Patres difficultates sibi et objectiones adversus a se traditam de Eucharistia doctrinam militantes proposuisse, simulque confessos fuisse prædicatam a se veritatem justam esse difficultatum longe gravissimarum sponte nascentium originem. Talia contra Eucharistiæ fidem objecta legere est apud Hilarium lib. 8. *de Trinit.*, Cyrillum Jerosolymitanum catech. 4, Gregorium Nyssenum orat. catech., Ambrosium lib. *pro initiandis*, cap. 9. et lib. 4. *de Sacrament.* cap. 5, Gaudentium tractat. 19. *in Exodum*, Chrysostomum homil. 88. *in Matth.*, Hesychium lib. 6. *in Leviticum*, Eucherium homil. 5. *Paschatis*. Ad sedanda porro hujusmodi dubia nunquam etnusquam Patres geminam illam novellæ Calvinianorum editionis clavem, seu distinctionem figuræ et virtutis adhibuere, nunquam dixerunt solam Christi figuram, solam Christi virtutem in sacramento Eucharistiæ reperiti, sed illas fortius et apertius expressiones imaginarunt, inculcaruntque, quæ fuerant dubitationum ansæ, ad easque tutandas confirmandasque omnia ex auctoritate et infinita Dei potentia petita argumenta urgent, ut humana ratio quamlibet dubitationem et difficultatum mole vexata intellectum in obsequium fidei captivet; atque ad similia divinæ virtutis in creatione, in incarnatione, in miraculis quæ nos fugiunt, operantis exempla confugiunt, ut difficultates ex fide Eucharistiæ ultro pullulantes explanent, Christique præsentiam tot indissolubilibus humanæ rationi nodis implicatam, tot spinis circumseptam credibilem reddant.

Si autem vera esset Calvinistarum sententia, inepta plane fuisset tot dubitationum objectio, ineptior illa Patrum responsio. Quænam enim dubitandi ratio adeo gravis, quænam ingentis difficultatis tam stupenda moles in Calviniano dogmate invenitur, ut ad eam complanandam et explicandam, atque reluctantibus rationi et sensibus suadendam unicum divinæ virtutis ea quæ humanum captum excedunt operari valentis asylum supersit quo confugianus? Imo quis Christianus infinitas in re omni difficultate vacua difficultates invenire merito potuit? Quis in dubium revocare potest, hæderam appensam vinum vendibile significare, olivam pacis esse signum, et lauru m ac palmas symbolum victoriæ? Qui ergo in hoc difficultatem poterant comminisci, quod panis ex Christi institutione corpus Redemptoris significet, vinum sanguinem figuret? Quomodo dubitare poterant virtutem Christi in panem posse Dei potestate transfundi, qui eam aquis baptismatis communicari non negabant?

Sed esto tam absurdas dubitationes, tam ineptas objectiones in Christianis antiquis, tametsi splendente recentis Evangelii luce perfusis, et sanctorum Patrum doctrinæ radiis circumfusis, repugnante ratione fuisse Calvinistis, permittamus : verumtamen fatuas, insulsas, et insensatas ad hujusmodi dubia responsiones a Patribus non semel, sed passim, sed ubivis de hoc argumento fuisse prolatas, agnoscere impium est, sacrilegum est, atheo dignum, non Christiano. Etenim si sacri illi Doctores dubitationes sibi propositas intellexerunt (non intellexisse autem quis dicat nisi impius vel fatuus), quomodo difficultatem, ubi nulla erat, summam esse confessi sunt tamen? Quomodo, vel qua sinceritate ad eam explicandam et obsequium fidei desiderarunt, et mysteria quæque longe difficillima captu in subsidium advocarunt?

Enimvero videbant Patres difficultates illas rationi humanæ insuperabiles, vel a reali corporis Christi præsentia proficisci, vel uni duntaxat præsentiæ figurativæ et virtuali esse innixas. Si primum, non removere difficultatem, sed augere; non sedare dubia, sed justa esse confirmare debuissent. Dubitatis (sic fari tenebantur) quomodo panis corpus Christi realiter evadat : jure dubitatis, et merito difficile esse creditis, quod impossibile sine dubitatione tenendum est. Si secundum, id est si dubitationes illæ præsentiæ figurativæ vel virtuali superstructæ erant, non difficultatem singularem fateri, vel eam difficilioribus Christianismi mysteriis adæquare, sed ridere et floccifacere poterant et debebant. Nam panem posse ex institutione Christi signum esse corporis Christi, et posse sicut aquam esse instrumentum virtutis Christi, quis impossibile judicaverit qui baptismo crediderit?

Ergo, cum Patres contra suam de Eucha

ristia sententiam eas sibi difficultates opponant, et unius auxilio fidei dissolvere aggrediantur, quas olim Capharnaitæ Christo opposuere, nobis Calviniani opportune importune objiciunt, dubio procul pro ea quam propugnamus thesi ipsi pugnarunt; et cum ut hujusmodi apparentes repugnantias conciliarent, ad distinctionem præsentiæ figurativæ et virtualis nunquam confugerint, qua tamen adhibita omnia objecta in fumum abibant et sponte dissiliebant, manifesto argumento est hanc de figurativa et virtuali duntaxat præsentia novitatem, commentum esse diaboli solis hæreticis inspiratum. Quid enim tam promptum, tam facile, tam expeditum, tam denique naturale erat, quam fidem de Eucharistia expandere, cujus solius expositione (si fuisset Calvinianæ sententiæ consentanea) omnes omnino difficultates sine negotio momento evanuissent?

Observandum rursus, Eucharistiam Catholico sensu dici posse figuram corporis Christi, quia, ut recte ait Paschasius cap. 4, figura est, vel character veritatis quod exterius sentitur; veritas vero est quidquid de illo mysterio interius recte intelligitur, et creditur. Non enim omnis figura umbra est vel falsitas : unde Paulus de unico Dei filio ad Hebræos loquens : *Qui cum sit splendor gloriæ*, inquit, *et figura substantiæ ejus*. Non etiam repugnat signo continere id cujus est signum : nam sanguis significat animam quam continet; et columba, quæ super Christum baptizatum descendit, signum erat Spiritus sancti realiter præsentis; et Ecclesia materialis est signum congregationis fidelium, qui in ipsa realiter congregantur; et linguæ igneæ figuræ erant præsentis et in Apostolos illapsi Spiritus sancti. Absurde ergo supponunt Calvinistæ figuram, imaginem, et antitypum rei esse semper absentis representationem. Addit Lanfrancus eamdem Christi carnem, eumdemque sanguinem sui ipsorum esse figuram secundum aliud atque aliud accepta. Nam ipse Christus post suam resurectionem sui ipsius pro diversa temporum ratione typum et figuram gessit, ut cum duobus discipulis euntibus in castellum Emaüs apparuit, finxitque se longius ire, significans, ut Augustinus ait, se post paucos dies ad cœlum ascensurum esse, quod iter a communi hominum vita longe remotum est. Ita similiter Christus prout in Eucharistia invisibilis est, figura et signum est corporis Christi, illius videlicet quod visibile, mortale, palpabile in cruce suspensum est. Unde, ut observat Guitmundus lib. 2. Christus ipse in sacris Litteris sæpe signum appellatur, in Evangelio enim dicitur positus in signum cui contradicetur, et apud Isaiam dicitur stare in signum populorum. Et certe cum Christus in Eucharistia seipsum pro nobis jugiter offerat, perpetuum etiam est redemptionis nostræ signum; omne enim pretium signum est translationis ejus rei, cujus est pretium. Denique Eucharistia figura et signum est, tum unitatis corporis mystici quod est Ecclesia, tum futuræ beatitudinis, cujus suavitas in hoc sacro convivio ab animabus castis in antecessum prægustatur. Ita aperte profitetur Ecclesia in Missa de sanctissimo Sacramento, Eucharistiam enim esse signum unitatis fidelium, asserit in oratione secreta Missæ de sanctissimo Sacramento, ubi sic Ecclesia deprecatur : « Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, unitatis et pacis propitius dona concede, quæ sub oblatis muneribus mystice designantur. » Esse vero futuræ felicitatis figuram diserte testatur in Postcommunione his verbis : « Fac nos, quæsumus, Domine, divinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi corporis et sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat. »

Facile ergo jam intelligis quo sensu Patres et Doctores Catholici Eucharistiam figuram appellarint. Quod magis adhuc percipies, si consideres in veteri Testamento dedisse Deum figurarum umbras; in novo veritatem dare cum figura; daturus in futuro absque figura manifestam veritatem. Quia nimirum vetus Testamentum veritatem promisit, et non dedit; novum Testamentum veritatem dat, sed non ostendit; beatitudo tandem latentem veritatem manifestissime videndam revelabit. Inepte ergo et frustra laborant Calviniani cum Patrum testimonia Eucharistiam signum vel sacramentum appellantium studiose colligunt; hac enim ratione et S. Thomas Aquinas, et ipsa Romana Ecclesia passim et ubique Eucharistiam « sanctissimum Sacramentum, tantum sacramentum » nuncupantes a Calvinianis starent. Itaque cum Eucharistia interdum sacramentum et signum dicitur, interdum corpus Christi nominatur, nihil a veritate alienum profertur, sed diversa ratione Eucharistia consideratur. Sicut enim idem homo mortalis quandoque, immortalis nonnum-

quam, rursum mortalis simul et immortalis ratione diversorum recte dicitur; mortalis propter corpus, immortalis propter animam, propter utrumque mortalis una et immortalis : ita dum in Eucharistia corpus Christi attendimus, corpus Christi; dum species sacramentales vel alias significationes consideramus, signum, figuram, et sacramentum; dum utrumque meditamur, corpus una et signum vere et catholice eam nominamus. Unde etiam sequitur non esse mirum si propter varios sensus verba Christi spiritali sensu morum informandorum gratia Sancti interpretati sunt, cum et id Catholici quotidie præstent, et ipse Bernardus veritatis corporis Christi sine ulla dubitatione propugnator, et Calvinianorum in persona Henrici et sequacium acerrimus insectator conc. 3. *in Psalm. Qui habitat*, scripserit : « Quid est manducare ejus carnem et bibere ejus sanguinem, nisi communicare passionibus ejus, et eam conversationem imitari, quam gessit in carne? »

Facile etiam interpretaberis testimonia illa Patrum, in quibus Eucharistia imago, similitudo, repræsentatio, et antitypus Christi dicitur. Imago enim et similitudo dici potest, tum habitat ratione specierum, quæ ejus rei quam continent signum sunt; tum ratione rei contentæ, scilicet corporis Christi, quod prout est in Eucharistia, imago et signum est « rememorativum » præteritæ passionis Christi, unde ab August. lib. 20. *contra Faustum* cap. 21. appellatur « sacramentum memoriæ demonstrativum » præsentis corporis Ecclesiæ, « prognosticum » futuræ gloriæ. Nullus porro Patrum dixit Eucharistiam esse nudam Christi imaginem veritate quam significat vacuam, et in hoc sensu in 7. Synodo veridice scriptum est, neque a Christo, neque ab Apostolis, neque a Patribus Eucharistiam imaginem appellari, quæ nimirum præsentiam corporis Christi excludat.

Et in hoc etiam sensu Eucharistia repræsentatio eorum dici potest quorum imago est. Veritas tamen est vocem « repræsentare » apud Latinos idem sonare ac præsentem exhibere, ut superius observatum est. Unde Horatius : « Virtutem repræsentet, moresque Catonis. » In qua etiam acceptione vocem illam Tullius usurpavit. Juris quoque periti tunc aiunt pretium agni vel mercis repræsentari, quando in præsentia solvitur. Qua ratione Eucharistiam antitypum nonnulli appellarunt, id est signum non nudum, sed rei quam significat conjunctum, seu totum ex signo et re significat compositum.

Objiciunt præterea hæretici Calvinistæ primo quædam Augustini loca, tum illud epist. 23 *ad Bonifacium*, ubi sic scribit : « Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est; ita Sacramentum fidei fides est. » Quæ particula, « secundum quemdam modum, » cum sit diminuens, subindicat Eucharistiam non continere vere et substantialiter corpus Christi. Maxime quia dicit Eucharistiam esse corpus Christi, quemadmodum baptisma dicitur fides, quod tamen non nisi significative fides dicitur. Tum quia sermone de Sacramento altaris ad infantes, auctoribus Fulgentio et Beda, docet panem esse corpus Christi, et calicem ejus sanguinem, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur; additque Eucharistiam esse corpus Christi, sicut nos sumus corpus Christi, quia per panem, qui ex multis granis coalescit, unitas fidelium repræsentatur. Tum denique, quia multis in locis docet corpus Christi non esse amplius in terra, sed in cœlo; quia corpus intulit cœlo, majestatem non abstulit mundo.

Respondeo sacramentum corporis Christi invisibiliter, et spiritaliter, realiter tamen præsentis esse corpus Christi quod fuit in cruce visibile, et palpabile; quia, dum frangitur sacramentum, et in populum dividitur, dumve sanguis ejus ab ore fidelium sumitur, mors ejus in cruce, et sanguinis de latere emanatio figuratur. Sacramentum etiam corporis Christi est quodammodo corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, ut supra ex Augustino diximus. Sacramentum etiam corporis et sanguinis Christi, id est species panis et vini sunt quodammodo corpus Christi quod significant, quodve continent, sicut sacramentum fidei est ipsa fides : sacramentum enim Eucharistiæ, ut postea dicemus, formaliter et essentialiter in solis speciebus situm est. Quod si contendas sacramentum Eucharistiæ qua tale includere corpus Christi, dicendum particula « secundum aliquem modum » usurpari ab Augustino non ad imminuendum, sed ad modificandum sensum propositionis. Sic epist. 28 : « Anima humana », inquit, « immortalis est secundum aliquem modum. » Et epist. 3 : « Ut hominem (Verbum) suscipere dig-

naretur, et cum illo uniretur quodammodo.» Et tamen anima humana vere immortalis est, humanitas vere et realiter cum Verbo unita. Ita Sacramentum altaris est secundum quemdam modum corpus Christi, licet ipsum realiter contineat, quia nimirum non est corpus Christi omni modo, visibili, palpabili, extenso in ordine ad locum. Adde etiam particulam illam « secundum aliquem modum » ab Augustino positam esse, ut significaret paritatem aliquam intercedere inter Sacramentum corporis Christi et Sacramentum fidei, in hoc consistentem quod Sacramentum dici potest res cujus est Sacramentum; sed maximam etiam interesse disparitatem, quia Sacramentum corporis Christi rem significatam continet, non vero Sacramentum fidei.

Ad secundum dico, panem esse corpus Christi, quia id, quod secundum speciem exteriorem et accidentia sensibilia panis est, revera tamen corpus Christi est; in tanto enim mysterio aliud videtur, aliud intelligitur. Nihil autem verius quam Eucharistiam esse corpus Christi naturale, sicut nos sumus corpus ejus mysticum: nihil etiam verius quam panem illum secundum speciem externam consideratum unitatem corporis Ecclesiæ significare. Quæ quia sæpius repetita sunt, et ex Patribus exposita, ampliori explicatione non indigent.

Illa denique testimonia quibus affirmat B. Augustinus corpus Christi non esse amplius in terra, de aspectabili illius præsentia, non de invisibili et miraculosa intelligenda veniunt. Noluit autem Christus visibilem et sensibilem in Eucharistia præsentiam retinere, ut Christianus animus terrenis vacuus, quæ sursum sunt quæreret, cœlestibus inhiaret, et ad Dominum cœli et terræ realiter quidem præsentem, sed ab amore rerum præsentium avocantem suspiraret. Unde « sursum corda » canit sacerdos, quæ se habere ad Dominum veri fideles respondent: cujus sacræ cæremoniæ sæpius meminit Augustinus, ut lib. *de dono Persever.* cap. 13. et lib. 83. *Quæstionum*, quæst. 29.

Objiciunt 2° Calviniani auctoritatem Ruperti abbatis Tuitiensis cœnobii Ordinis S. Benedicti, qui libro *de divinis Officiis* docet Eucharistiam esse nudam corporis Christi figuram. Unde opus illud Wiclefus ejusque sectatores maxime commendarunt. Thomas etiam Waldensis tom. 2. cap. 19. scripsit auctorem *de divinis Officiis* serpere ut cancrum. Hac etiam de causa S. Anselmus epistolam ad Rupertum scripsit, qua monuit illius libri *de Eucharistia* doctrinam fuisse in Berengario damnatam, quæ quidem epistola initio tractatus de Sacramento altaris ab eodem Anselmo elucubrati habetur.

Respondeo Catholicam de Eucharistia doctrinam, et realem corporis Christi in Sacramento altaris præsentiam apertissimis vocibus non semel, sed pluries Rupertum significare. Tum in epistola nuncupatoria *Commentariorum in Joannem*, quæ in editione Coloniensi 1526. exstat, ubi quorumdam in se calumnias referens sic habet: « Illi autem quid dicant, quid pro argumento afferant, non habent, nisi quod aliqui ex eis, dum volunt Sacramentum corporis et sanguinis Domini solummodo signum esse sacræ rei juxta errorem quondam Berengarii Turonensis, etiam dictum beatum Augustinum ita sentire putant, quod omnino falsum est. Ego autem verum corpus Christi, quod pro nobis traditum est, et verum esse decerto sanguinem, qui pro nobis effusus est, sicut Catholica Ecclesia tenet. Hæc quia probare conati sunt beato me derogare Augustino contra illum sentiendo, quem in sui erroris patrocinium Berengarius citare consueverat, dicta ejus malo sensu diripiendo. Verum hæc jam fere nemo palam profiteri aut defendere audet, universa sentiente Ecclesia Catholica, quia verum corpus, et verus sanguis Christi est. » Et in fine: « Credamus fideli Salvatori Deo in eo, quod non videmus, scilicet panem et vinum in veram corporis et sanguinis Domini transisse substantiam. » Quibus verbis nihil luculentius.

Libro etiam sexto *in Joannem* innumera habet huic confirmandæ veritati peropportuna; hæc tamen limpidissima verba referre satis erit: « Veritas dicit, *Hoc est corpus meum*, et addit, *quod pro vobis tradetur*. Et tu dicis, non est idem corpus; nempe si non est idem corpus, si non est idem, qui de cœlo descendit panis vivus, non est hoc corpus, quod pro nobis traditur... Cunctis figurarum, vel similitudinum nebulis amotis, non corpus quodlibet, non corpus Christi, quod est Ecclesia, sed illud corpus Domini, quod pro nobis traditum est, nos manducare, et sanguinem illum, qui pro nobis fusus est in remissionem peccatorum, nos bibere indubitanter credimus. »

Confirmatur id ipsum, quia Rupertus exi-

stimavit corpus Christi ab indignis comedi, non quidem ore fidei, sed ore corporis. Etenim lib. 6. *in Joannem* : « Panis, » inquit, « semel consecratus nunquam postea virtutem sanctificationis amittit, aut Christi caro esse desinit, sed non prodest quicquam indigno, cujus fides sine operibus mortua est... Quo ergo devenit, quod indignus manducat et bibit ? Hoc certe pium sit et salutare credere per membra diffundi, ita ut non sit obnoxium secessui : sed hoc plus habet dignus ab indigno, quia huic ad salutem, illi proficit ad judicium. » Et lib. 1. *in regulam S. Benedicti*, sub finem : « Habueram, inquit, « cum aliquo magni nominis, magnæque æstimationis scholastico sive monacho certamen permolestum de Sacramento corporis et sanguinis Domini, qui inter cætera, quibus deprimere conabatur majestatem tanti Sacramenti, illud mihi objecerat, quia sacramentum illud Judæ quoque traditori suo Dominus dedit sicut cæteris Apostolis : hoc nimirum intendens, quod nequaquam illi dedisset, si vera esset substantia corporis, et sanguinis sui. »

Quin et in libro *de divinis Officiis* doctrina de reali corporis Christi in Eucharistia præsentia non obscure continetur. Libro enim 2. cap. 2 : « Panis et vinum, » inquit, « in verum corpus et sanguinem Domini transferuntur. Multi fidei oculos non habentes in sancto sacrificio præter panem et vinum nihil amplius intuentes, cum diceretur eis, corpus et sanguis Domini est, murmuraverunt dicentes, quomodo est... Verum Dei Verbum, verum Dei Filium sancta Ecclesia Catholica offert Creatori suo, credens corde et ore confitens, pariterque manibus panem et vinum sicut sibi tradidit ipse Salvator, offerens : nam pro quota suorum parte beneficiorum gratias ageret Ecclesia Creatori, Salvatori, et illuminatori suo, si nihil aliud ei, quam panem et vinum offerret?... Non ergo solum panem et vinum, quæ corporaliter videntur, sed et quod non nisi fidei oculis aspicitur, Verbum Dei, Filium Dei offert sancta Ecclesia, novum et verum immolans sacrificium... Si hujus verbi flumen super panem et vinum effuderis, et ordine, qui ab ipso statutus est, veritatem hujus verbi protuleris statim de sancto altari panem ipsum et vinum in corpus et sanguinem suum transferendo suscipis, eadem virtute, eadem potentia vel gratia, qua nostram de Maria Virgine carnem suscipere potuit, quomodo voluit... Unum corpus est et quod de Maria genitum in cruce pependit, et in sancto Altari oblatum quotidie nobis ipsam innovat passionem Domini. » Nihil certe dici potuit doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, quam propugnamus, magis consentaneum.

Quare omnino falsum est, et mera Wiclefi calumnia, librum illum *de divinis Officiis* pure figuralem corporis Christi in Eucharistia præsentiam docuisse, cum ab eo errore sit tam alienus Rupertus quam quod maxime. Nec mirum est si Ruperto mortuo hæreticus ille imposuerit, quia etiam eximius ille abbas multos dum viveret calumniatores habuit, ut ex ejus vita atque ex apologiis, quas pro se edere coactus est, clarissime liquet. Quod vero Thomas Valdensis librum *de divinis Officiis* acriter perstrinxerit, ideo est, quia impanationem admisisse Rupertum arbitratus est, quibusdam locis deceptus, quæ et benignis interpretationibus exponi, et aliorum clarissimorum testimoniorum collatione explicari sine negotio possunt et debent. Epistola autem tractatui de Sacramento Altaris præfixa, sicut et ipse tractatus incertum habet auctorem ; nam in quibusdam codicibus manuscriptis sine auctore legitur, in aliis Guillelmo abbati S. Theodorici ad quemdam monachum, qui de corpore et sanguine Domini librum ediderat, scribenti asseritur. Utut sit, in illa epistola non redarguitur Rupertus, quod mere figuralem præsentiam admiserit, sed quod scripserit aliquid, quod molestiam facere posset nonnullam, quo abuti possent, qui carpere amant aliorum etiam bene dicta, puta cum dixit in corpore sacrificii altaris non esse vitam animalem, sed spiritalem. Quæ tamen objectio levissima et nullius momenti est : nam per vitam animalem intelligit Rupertus vitam sensibilem, quæ sensibus percipitur et modo corporeo conspicitur ; unde et eam vocat carnalem, quæ quinque sensibus, visu, gustu, tactu, auditu, odoratu fungitur. « Hæc vita, » inquit, « animalis est, carnalis est, caro est : Dominus autem dicit, quod caro non prodest quidquam. » Hanc porro vitam Christus in Eucharistia visibiliter non exercet, quia sub speciebus modo spiritali, realiter tamen et substantialiter continetur. Unde tandem auctor epistolæ illius fatetur se de recta Ruperti fide non dubitare.

Nec valet si dicas Rupertum lib. 2. *de di-*

vinis Officiis cap. 9. docere, « in illum, in quo fides non est, præter visibiles species nihil de sacrificio pervenire. » Non, inquam, valet : sensus enim ejus est, nihil in indigne communicantem præter visibiles species pervenire, quod sit utile percipienti, quippe qui cœlestem cibum sub speciebus visibilibus latentem ad judicium, non ad salutem comedit ; quemadmodum, inquit, asinus ad lyram, cum irrationales aures arrigit, sonum quidem audit, sed modum cantilenæ non percipit ; quia, etsi aures ejus realiter feriant sonus et cantilenæ modus, harmoniæ tamen modum et suavitatem non distinguit.

Objiciunt 3. hæretici auctoritatem Gregorii VII, quem dicunt suæ sententiæ adhæsisse, 1°. quia conventus apud Brixiam coactus illum Berengariani erroris insimulavit decreto, quod his verbis refert Conradus Urspergensis : « Nos contra eumdem Hildebrandum (qui ad regendam Petri navim vocatus Gregorius VII. dictus est) procacissimum, sacrilegia et incendia prædicantem, perjuria et homicidia defendentem, Catholicam et Apostolicam fidem de corpore et sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarii antiquum discipulum, divinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, pythionico spiritu laborantem, et idcirco a vera fide exorbitantem judicamus canonice deponendum et expellendum. » 2° Quia Benno Cardinalis in vita Gregorii refert Pontificem illum jejunium indixisse Cardinalibus, ut Deus ostenderet, quis rectius de corpore Domini sentiret, Ecclesiane Romana, an Berengarius : et de corpore Domini signum quæsivisse, quod petente Magno Gregorio ad firmandam infidelis mulieris fidem contigit : quod tamen Gregorius VII. post multas preces et jejunia non impetravit ; aliaque fecisse, quibus se de veritate Eucharistiæ dubitasse monstravit, per hoc manifeste probatus infidelis, cum in Nicæno concilio scriptum sit, dubium in fide infidelem esse.

Respondeo sanctissimum Pontificem Gregorium VII. ab omni perversa circa Eucharistiæ doctrinam suspicione esse alienissimum : tum quia illo Præside, et Victoris II. Legato Berengarius in concilio Turonensi damnatus est, qui et promisit se in posterum cum Ecclesia Romana velle sentire. Tum quia, cum propositi parum tenax Berengarius pactam sponsionem sacrilege violasset, Romæ novum concilium Gregorius coegit, in quo hæreticus errorem suum ejuravit, et paterna caritate tandiu apud se hæresiarcham Papa detinuit, donec eum non amplius esse in fide dubium constaret. Unde historici magnifice de Gregorio VII. locuti sunt, quem virum eruditione clarum, pietate et zelo insignem, multis pro justitia persecutionibus et calumniis divexatum, miraculis denique in vita et post obitum conspicuum celebrarunt. Testatur enim Lambertus Scaphnaburgensis, ad annum 1073. Pontificem illum tam eximie, tam apostolice vitam instituisse, ut nec minimam sinistri rumoris maculam conversationis ejus sublimitas admitteret : signa etiam et prodigia, quæ per orationes ejus frequenter fiebant, et zelus ejus ferventissimus pro Deo ac pro Ecclesiasticis legibus satis cum contra venenatas detractorum linguas communiebant. Scribit quoque Marianus Scotus ad annum 1081. Henricum imperatorem cum magno exercitu Romam profectum urbem obsedisse, et Gregorium advertentem Romanorum plures schismaticis favere, cum paucis Salernum abiisse, et ad obitum usque mansisse. Videns autem Henricus Pontificem aufugisse, congregatis triginta episcopis fautoribus suis, in ipsa Romæ obsidione synodum haberi jussit, in qua Gregorius falsis et inauditis criminationibus ab Henrici fautoribus ficte compositis absens accusatur, et alius in ejus Sedem obstruditur, quem Gregorius anathematis mucrone multavit, Henricum quoque cum fautoribus communione privavit. Eadem elogia alii historici Gregorio panxerunt, quem virum sanctum a multis persecutiones pro justitia perpessum, justitiæ rigoris tenacem, statutis contra simoniacos et Clericos concubunarios, ac pro totius vigore disciplinæ editis commendabilem, denique formam gregis factum, quod verbo docuit exemplo probasse, ac fortem per omnia athletam murum se pro domo Domini ponere non timuisse prædicant.

Objecta vero in contrarium nullius momenti sunt. Etenim decretum illud Brixiensis conventiculi a schismaticis odio in sanctum Papam percitis, procurante Henrico imperatore a summo Pontifice anathemate perculso editum est, mendaciis, calumniis, et inauditis accusationibus, ut loquuntur historici, fartum. Contemnendum etiam est Bennonis testimonium, qui fautor Henrici Imperatoris et Gilberti Ravennatis in Anti-

papam obtrusi partium sectator, non tam Gregorii historiam texuit, quam satyram falsitatibus, fabulis et calumniis consarcinatam. Unde Papyrius Masso opere de episcopis Urbis, in Gregorio VII. librum Bennonis, utpote plenum maledictis, odii spirantem, schismaticæ factionis furore dictatum respuendum omnino esse exerte profitetur. Quod autem Gregorius signum a Deo ad firmandam veritatem Eucharistiæ poposcerit, dubiam ejus fidem non efficit; sicut nec dubius fuit in fide Magnus Gregorius, cum miraculum ad persanandam mulieris infidelitatem postulavit. Denique non advertunt Calvinistæ seipsos proprio mucrone jugulare, si enim conventus Brixiensis de Pontificis depositione pronuntiavit, quod de veritate reali Christi in Eucharistia præsentiæ contra Romanæ et Catholicæ Ecclesiæ sensum dubitarit: Ergo fides Ecclesiæ Catholicæ Calvinianæ impietati Christi realem præsentiam hæretice inficianti semper adversata est.

Objiciunt 4° hæretici Calviniani auctoritatem Facundi Hermanensis lib. 9. cap. ultimo, qui excusaturus Theodorum Mopsuestenum asserentem Christum Dominum assumpsisse adoptionem filiorum, sic habet: « Adoptionem quoque filiorum suscepisse Christum etsi antiqui Patres docuisse monstrarentur, nec ipsi, nec omnis Ecclesia, quæ tales Doctores habuit, judicari debent hæretici: nam Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, quando circumcisus est et baptizatus: et potest sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut sacramentum corporis et sanguinis ejus, quod est in pane et poculo consecrato, corpus ejus et sanguis dicitur, non quod proprie corpus ejus sit panis, et poculum sanguis: sed quod in se mysterium corporis ejus, sanguinisque contineant. Hinc et ipse Dominus benedictum panem et calicem, quem discipulis tradidit, corpus et sanguinem vocavit. Quocirca sicut Christi fideles sacramentum corporis et sanguinis Christi recte dicuntur suscepisse: sic et ipse Christus sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit recte dici adoptionem filiorum suscepisse. »

Respondeo ex illo Facundi opere nihil erui posse, quod veritati Catholicæ adversetur: tum quia libri illi ex uno codice manuscripto anno 1629. in lucem editi sunt, qui codex a Berengarianis scribi potuit et facile corrumpi. Tum quia admissa sinceritate exscriptionis, levis momenti et tenuis auctoritatis scriptor Facundus censendus est, utpote qui animo schismatico trium capitulorum defensionem pertinaciter suscepit, animo adversus Vigilium et Pelagium Pontifices infenso, ut ex aliis ejus operibus constat; de veritatis autem desertione merito suspectus est, qui unitatem Ecclesiæ in aliqua causa manifeste scindere non reformidat. Tum quia, etsi schismatico animo libros illos non scripsisse Facundum concedamus, nobis non adversatur; quia per sacramentum corporis Christi solas species panis et vini, quæ formaliter et essentialiter sacramentum sunt, intelligit; de quibus utique speciebus dicere verum est, non esse proprie corpus Domini: unde in hoc sensu comparat sacramentum adoptionis cum sacramento corporis et sanguinis Domini, nec tamen propterea negat species illas corpus Christi realiter continere. Itaque comparatio ejus in hoc consistit, quod sicut species, quæ sunt signum et sacramentum corporis Domini, dicuntur denominative corpus Domini, eo modo, quo signa nomine rerum, quas significant appellari solent: ita quia Christus baptizatus et circumcisus sacramentum adoptionis suscipere dignatus est, adoptionem quoque filiorum suscepisse dici potest: quia, si species, quæ sunt signum et sacramentum corporis Domini dici possunt corpus Domini, ita circumcisio et baptismus, quæ sunt sacramenta et signa adoptionis, adoptio pariter appellari possunt. Tum demum, quia etiam dato quod Facundus per sacramentum corporis Domini totum ex signo continente et re contenta coalescens intellexerit, vere dixit ad mentem adversariorum, quos impugnabat, sacramentum corporis Domini non esse corpus Domini, licet ad mentem Ecclesiæ verum ejus corpus sit. Etenim Facundus opere illo trium capitulorum adversus Eutychianos defensionem suscipit, unde in defendendis Iba, Theodoro, et Theodoreto, atque tuenda concilii Chalcedonensis auctoritate totus est. Quare excusaturus Theodorum ait scribere potuisse eum, Christum adoptionem filiorum suscepisse, quatenus suscepit sacramentum adoptionis: potuit namque sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut sacramentum corporis et sanguinis Domini, quod est in pane et poculo consecratis, corpus ejus, et sanguis dicitur; quamvis secundum vos, o Eutychia-

ni, corpus ejus proprie non sit. Vos enim censetis duas quidem in Christo fuisse naturas ante adunationem mysterii Incarnationis, post adunationem vero ita in unam coaluisse substantiam utramque naturam existimatis, ut post adunationem non corpus verum, sed tantum apparens et similitudinarium agnoscatis, et quod formam servi gessit, quod nostri similis fuit atque conformis (ut ait Magnus Leo epist. *ad Pulcheriam Augustam* exponens Eutychetis dogma) quædam nostræ naturæ fuerit imago, non veritas. Si ergo secundum vos, qui humanæ in Christo carnis negatis veritatem, qui in divinis humana evacuatis, qui censetis solam divinitatem Virginis utero esse natam, et per ludificatoriam solum speciem subiisse nutrimenta et incrementa corporea, solam illam esse crucifixam, mortuam et sepultam; si, inquam, secundum vos sacramentum corporis Christi corpus Christi dicitur, tametsi verum Christi corpus non sit, quia Christus solum apparens et similitudinarium habuit: quidni sacramentum adoptionis adoptio dici poterit, quam significat et figurat?

Petita ab humana philosophia hæreticorum sophismata convelluntur.

Objiciunt demum Calvinistæ plura argumenta, vel potius sophismata a sensibus et humana ratione petita, quibus assertionem Catholicam involvere et implicare contradictionem hominibus carnalibus suadere moliuntur. Quomodo, inquiunt, inveniri potest in Eucharistia substantiale corpus Christi, de cujus ratione est quod sit palpabile; unde Christus resurrectionem suam probaturus, ait: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet?* In Eucharistia autem corpus Christi nec oculis videtur, nec manibus palpatur, aut contrectari potest. Quomodo ibi corpus adest, ubi modo extenso et quantitativo non subsistit, quod tamen a corporis notione inseparabile est? Quomodo substantia corporea spiritali modo locum occupare potest, cum tam sit impossibile corpus spiritalem præsentiam obtinere, quam spiritum ad præsentiæ corporeæ modum deprimi? Quis intelligere potest idem numero corpus diversis esse posse simul in locis, a seipso dividi, extra præscriptos terminos absque ullius additamento quantitatis dilatari, diversis et contrariis motibus, qualitatibusque affici, et immensitate ipsa donari, cum non magis repugnet ipsum in infinitis locis, quam in pluribus, distinctisque collocari? Quis capiat accidentia existere sine subjecto, cum totum esse accidentis sit inesse? Denique admissa præsentia reali corporis Christi in Eucharistia, absurdissima quædam inconvenientia devoranda sunt: quid enim Christi majestate indignius, quam Christum in Eucharistia in terram interdum, atque etiam in sordes dejici, dentibus atteri, a muribus edi, corrumpi in putrefactione panis, acescere in corruptione vini, comedi, et in stomachum trajectum in ventrem et secessum ire, aliisque tandem injuriis et contumeliis subjici, quæ gloriosum ejus corpus non decent?

Respondeo mysteria fidei facile posse populariter accusari, ut observat Augustinus 1. *de utilitate credendi*, cap. 2, nec tamen ab eorum propterea defensione esse recedendum; quia fides non esset argumentum non apparentium, si plausibilia duntaxat sensibus, rationisque perspicua proponeret: fides namque non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. Certe si inconvenientibus ab humana philosophia petitis mysteria fidei dimetiremur, nec Incarnationi, nec Trinitati, nec corporum post tot sæcula in cineres redactorum, vel in alia corpora innumeris vicibus transmutatorum resurrectioni crederemus. « In Christum non crederemus, » inquit Augustinus epistol. 49, « si fides Christianorum metueret cachinnos Paganorum. » Quid enim indignius, quam unigenitum Dei filium per omnes naturæ infirmitates volutari, tot calamitatibus et probrosissimæ tandem morti supponi? Unde et mysterium illud Judæis scandalum, Gentibus stultitia visum est. Quid in speciem implicantius, quam unius Dei simplicissimam singularitatem cum trium distinctione personarum conciliare? Quid tandem humanis experimentis magis incredibile, quam hominem ab alio comestum, et in varias deinde substantias innumeris generationibus et corruptionibus conversum, in eadem carne resurrecturum tamen? Captivandus est ergo intellectus in obsequium fidei, nec inde Dei potentiam, majestatem, sapientiam, et immensum amorem omnes difficultates evincentem, et, ut ait Isaias vincentem scientiam nostram calumniari, unde et mirari eum amplius, et diligere intensius adstringimur: « Nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus est, » inquit Magnus Gre-

gorius hom. 6. *in Evangelia*, « quanto pro hominibus et indigna suscepit. » Et Tertullianus lib. 2. *contra Marcionem* ait : « Assumpsisse Deum quædam sibi indigna, nobis autem necessaria, et ideo jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum, quam salus hominis. »

His præjudiciis munitus Catholicus animus hæreticorum sophismata facile contemnet. Nec Cavinistarum fallaciæ adeo implicatæ sunt, ut eas absque multo negotio quilibet mediocriter eruditus non dissolvat. Radix enim deceptionis adversariorum ea una est, quod corporis Christi in Eucharistia præsentiam imaginatione considerant, nec attendunt corpus illud gloriosum modo invisibili, et miraculoso præsens esse. Nihil autem mirum si corpus insolito et extraordinario modo præsens factum, nec tactu palpari, nec oculis videri possit. Nihil mirum si corpus extensione locali per miraculum privatum, spatium non exigat : posse autem divinitus corpus ab extensione locali liberari, et partes alias partes penetrare patet, tum quia extensio localis est effectus secundarius quantitatis, qui tam bene potest impediri, quam gravitas, quæ tamen impedita fuit, cum corpus Christi super aquas ambulavit. Tum quia penetratio corporum juxta Patres sæpe divinitus contigit, puta quando Christi corpus virginali fusum est partu ; tunc enim, ut ait Ambrosius lib. *de instit. Virginum*, cap. 9, « mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine. » Corpus etiam Christi gloriosum cœnaculum januis clausis et penetratis intravit : « Ille quippe, » inquit Augustinus serm. 159. *de Tempore*, « non eis » (ostiis) « apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit? » Idem docet Hilarius lib. 3. *de Trin.*, et Cyrillus lib. 12. *in Joannem*. Nec mirum dotem illam corpori Christi competere, quæ Patribus auctoribus, corporibus omnibus gloriosis post resurrectionem communis erit. « Corpus Sanctorum resurget spirituale, » inquit Auctor libri *de Cognitione veræ vitæ*, cap. 45. inter opera Augustini, « quia velocitate, levitate, perspicuitate spiritibus erit æquale, et omne solidum erit ei penetrabile, sicut et corpus Domini lapide clauso surrexit, et januis clausis intravit. » Nec est simile de substantia spiritali, quæ cum non habeat partes, non potest præsentiam et extensionem habere corpoream et localem ; corpus vero retenta distinctione partium in ordine ad se, extensione extrinseca in ordine ad locum privari potest.

Cum vero additur intelligi non posse, quomodo idem corpus in diversis, dissitisque simul locis esse possit, respondent nostri Thomistæ id esse intelligibile, si corpus idem duplicem præsentiam extensivam et circumscriptivam haberet : nihil tamen inter se pugnare, ut ait Tridentinum sess. 13. cap. 1, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris assideat in cœlis juxta modum existendi naturalem, et in multis nihilominus aliis locis sacramentaliter præsens substantialiter nobis adsit. Implicat quidem corpus idem plura spatia modo extenso occupare, quia non potest multiplicari extensio nisi multiplicetur quantitas ; multiplicari enim nequit effectus formalis, sive primarius, sive secundarius, immultiplicata forma, cum effectus formalis, tam primarius, quam secundarius sit ipsa forma primario, vel secundario communicata. Si autem multiplicetur quantitas non est idem corpus. At vero præsentia Sacramentalis a quantitate minime pendens, sed a conversione substantiæ panis in corpus Christi desumpta divinitus multiplicari potest, nec ex illa profluunt illa inconvenientia, quæ ex multiplici præsentia extensiva proficiscerentur ; præsentia enim sacramentalis ut multiplicetur, nec divisionem corporis causat, nec immensitatem infert, nec variis motibus et qualitatibus contrariis obnoxium corpus reddit, quibus multiplex præsentia extensiva subjaceret, ut demonstrant in Philosophia nostri Thomistæ, merito rati se facilius Calvinianos impugnaturos, si præsentia extensiva multiplici tanquam impossibili rejecta, solius præsentiæ sacramentalis possibilem multiplicationem astruant, inde se ab infinitis incommodis eximentes, quæ ex multiplici præsentia circumscriptiva sponte fluunt. Unde tantum abest veritatem Catholicam ab illa opinione, quæ idem corpus plura loca modo extenso occupare posse asserit, pendere vel juvari, vel faciliorem reddi, quod potius sententia illa plus nocet, quam prosit ad Calviniana sophismata refellenda : præsentia enim circumscriptiva multiplex nihil commune habet cum modo illo singulari, quo Christus est in sacramento. Unde recte Vasques 3. part. disp. 189. cap. 4. observat magnis et intricatis sese implicare difficultatibus, qui multiplicem ejusdem corporis extensivam

præsentiam admittunt, quibus veritas fidei Catholicæ non juvatur, sed obscuratur : quia, inquit, ea docent, quæ « cum sensui multo difficiliora sint, quam mysterium ipsum, ac proinde argumenta hæreticorum contra ea vulgo magis plausibilia ; efficitur ut dum hæretici magna cum probabilitate ea impugnant, magnificentissime se jactent, quod et mysterium quoque ipsum eadem probabilitate refellant. » Quare opposita sententia causam Ecclesiæ non tam juvat, quam novis et plausibilioribus incommodis implicat.

Quod autem objicitur, accidentia non posse a subjecto divelli, si sermo sit de facultate naturali, verum est : Dei tamen potestate omnia verbo virtutis suæ portante, sine subjecto subsistere valere non minus verum et certum esse debet. Si enim substantia creata subsistentia propria in incarnatione privari potuit ; si lux ipsa, teste B. Basilio hom. 6. in *Hexaemer.*, a corpore solis separata subsistit ; quia, inquit, « quæ mentis sola agitatione, cogitationeque disparari a se possunt, ea reipsa sejungi facultate Creatoris possunt ; » certe qui corpus, ne gravitaret, super aquas portavit, qui res omnes e nihilo produxit, nec subjecto eguit ut efficeret, subjecto non egebat ea ut conservet. Exigit quidem accidens, ut subjecto inhæreat, ut habitudinem ad subjectum semper retineat ; quod vero semper et essentialiter inhæreat, non est de essentia illius. Porro illud sophisma non tam contra præsentiam realem, quam contra transsubstantiationem militat.

Illa vero inconvenientia, quæ in fine objectionis acervantur, pueriliter proferuntur, atque ex fidei nostræ ignoratione, vel dissimulatione proficiscuntur. Si enim considerarent adversarii his nugis mulieres deterrentes Christum esse in Eucharistia modo impassibili, et omnem alterationem solis panis speciebus obvenire, solas illas atteri dentibus, solas corrumpi, solas digeri, et in secessum ire, solas putrescere, acescere, et moveri, desinerent doctrinam nostram calumniari, nec iis mutationibus corpus Christi in Eucharistia obnoxium esse confingerent. Sicut autem Dei non dedecet majestatem, ut loca omnia quamlibet sordida immensitate sua pervadat ; sicut solis radii paludum et fimorum sordibus non sordescunt : sic gloriosum Christi corpus nullis specierum sacramentalium qualitatibus, vel injuriis afficitur vel mutatur.

Demonstrationem e Patribus petitam confirmat longe præclarissimum septimæ Synodi Generalis testimonium.

Denique quid Apostoli, quid Patres omnes de Eucharistiæ veritate senserint, discere potest quilibet non oculis orbus ex septima Synodo œcumenica, Nicæna secunda, act. 6. tom. 3. circa finem, ubi Calvinianæ impietatis hæreticæ distinctiones præfocatæ sunt. Sic autem habetur : « Nullus aliquando turbarum spiritus, Sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri, ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt a Domino sic dicere vel confiteri, sed audiunt evangelice, dicente eo : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non intrabitis in regnum cœlorum. Et qui manducat meam carnem, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo.* Et accepto panc gratias agens fregit, et dedit discipulis suis, et ait : *Accipite et comedite, Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et non dixit : Accipite, et comedite imaginem corporis mei. Sed et Paulus divinus Apostolus ex divinis Domini vocibus hauriens, ait : *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit : Accipite et comedite ; hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur ; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, hoc facite in meam commemorationem.* Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum corpus, ipsum sanguinem. » Quid formalius, quid luculentius desiderare potes, Catholice lector? Non egent ponderatione vel commentario splendidiora sole meridiano verba. Dic sodes, Claudi Charentonensis, ubi tunc Paschasius, quem præsentiæ realis auctorem tam ignoranter, tam fraudulenter comminiscéris? Si fingere velis, speciosius finge. Mendacia, quæ venditas, crede mihi, compone melius.

« Et ante sanctificationis quidem celebrationem » (pergit S. Synodus nondum, si Claudio bene placuerit, nato Paschasio) « typos » (seu ut alii legunt *antitypa*) » quibusdam sanctorum Patrum hæc pie visum est nominare, quorum est Eustathius propugnator orthodoxæ fidei, et Arianæ destructor vesaniæ; et Basilius ejusdem infelicis superstitionis depositor, qui omne quod sub Sole est planam rectorum dogmatum basim edocuit. » Recensitis autem utriusque Patris testimoniis sic concludit : « Quod deinceps infertur certiorem Patris hujus » (Basilii) « perfecit intellectum, qualiter antequam sanctificata fuerint, vocata sint typi; post sanctificationem autem corpus proprie ac sanguis Christi dicuntur, sunt, et creduntur. »

Non est quod opponas, Græcos Patres jam sanctificata non raro vocare antitypa, ut Nazianzenus *Orat. funeb. in sorore*, et apologia 1., et Cyrillus Jerosolymitanus catech. 5. mystagog. Non, inquam, hæc opponas : tum quia supra exposita sunt : tum quia quidquid tandem sit de illa quæstione facti, hoc unum tamen evidens manet, concilium Nicænum II. absente Paschasio Romanæ Ecclesiæ de Eucharistia fidem luculentissime tradidisse. Tum demum, quia hæc optime conveniunt, et Patres nunquam dixisse sanctificata esse typos hæreticorum sensu, et esse antitypa bono aliquo sensu catholico. Nunquam enim dixerunt Patres sanctificata esse typos et imaginem excludentem corporis Christi realiter præsentis veritatem : et quia ordinarie dicimus tum adesse imaginem cum res abest, ideo in hoc sensu nullus dixit Eucharistiam esse imaginem. Cæterum quia in Eucharistia est simul signum et res significata, nec imago a re repræsentata disjungitur, ideo sanctificata typi a Patribus nonnullis dicta leguntur.

REFLEXIO ET APOSTROPHE AD NOSTRATES HÆRETICOS.

Patrum doctrinam in medium attuli, o Sectarii, pluribus silentio, ne opus in immensum excresceret, prætermissis. Si filii estis, audite Patres, quos qui audit, Christum audit; quos qui spernit, Christum, Christo ipso attestante, spernit. Ne transferatis, quæso, terminos, quos posuerunt Patres nostri, et super judicantes nos ne judicate. Eo ne rapiamini, quo Calvinianæ novitatis ventus impulerit; incerti qua sine duce eatis, qua redeatis, quid appetatis, quid fugiatis, quid teneatis, quid dimittatis. Intra fidissimam traditionis Patrum stationem vosmetipsos reducite et tenete, atque amaros illos, turbulentosque errorum fluctus primitus removete, ut possitis deinde vivæ et salientis aquæ fluenta potare. Patrum auctoritate inconcussa fulti didiscite bene quod didicistis non bene. Nova ac nova cum vestro Ministro Claudio impostore jurato in dies ne quærite, qui semper aliquid gestit Religioni addere, mutare, detrahere; sed tradita semel, et a Patribus omnibus accepta credendi regula contenti estote. Nam, si vitanda, auctore Apostolo, novitas est, tenenda utique est antiquitas; et si profana est novitas, sacrata est vetustas.

Nihil tota hac speculatione de meo exprompsi; summos illos viros, quos Deus pro Ecclesiasticorum temporum ratione variis regionibus et ætatibus produxit, loquentes exhibui, atque in hunc librum quasi in concilium quoddam, ut Augustinus lib. 2. *cont. Julian.* capite 10. ait, coactos adduxit, eorum ut verbis splendidissimis veram Ecclesiæ de Eucharistia mentem ac sententiam doceremini. Quod a clarissimis illis Ecclesiæ luminibus accepi, id vobis tradere aggressus sum : eos mihi duces ac præsides adoptavi, eorum vestigia sequutus sum eorum usus oculis, eorum ratione intellexi, eorum verbis eloquutus. Eos tandem auscultate, quos pastores amantissimos, magistros optimos Ecclesia agnoscit et colit.

In Eucharistia esse corpus Christi, ipse Christus dixit, iterum dixit post Christum Apostolus, post Apostolum nemo Patrum contradixit, solus illi veritati post quindecim possessionis sæcula maledictus Calvinus maledixit : illine turbam magnam Patrum et Sanctorum, quam dinumerare nemo potest, postponetis ?

Hæc cum ita sint, Ecclesiæ Christianæ felicitati et dignitati in possessione reali Christi sitæ ne imposterum invidete, cujus si libuerit participes esse potestis. Attendite quanta sit Religionis nostræ perfectio, cui datum est id reipsa habere, quod signis tantum et figuris Mosaicæ legis tempore adumbratum fuerat. Quare a Dionysio *de Eccles. Hierarch.* cap. 5. divinitus dictum est, Ecclesiam nostram mediam esse inter Synagogam et supremam Jerusalem, ac propterea utriusque participem. « Ac profecto, » ut

bene inquit Catechismus Romanus part. 2. titulo *de Eucharistia*, num. 30, « satis mirari fideles nunquam poterunt sanctæ Ecclesiæ perfectionem, ejusque gloriæ altitudinem : cum inter eam et cœlestem beatitudinem unus tantum gradus interesse videatur. Hoc enim cum Cœlestibus commune est, ut utrique Christum Deum et hominem præsentem habeamus ; sed quo uno gradu ab eis distamus, illi præsentes beata visione perfruuntur ; nos præsentem, et tamen ab oculorum sensu remotum, sacrorum mysteriorum admirabili integumento se occultantem firma et constanti fide veneramur. »

Hanc nostram beatissimam sortem, quam tanto vobis optamus, quanto nobis eam eripere nitimini, expresserat etiam sacrum Tridentinum Concilium sess. 13. cap. 8, ubi ait, « Panem Angelorum modo sub sacris velaminibus edi, in cœlo absque ullo velamine manducatum iri. » Qua de causa vere catholiceque a doctore Arnaldo eximio Eucharistiæ defensore, a Deo ad contundendas Ministri Claudii imposturas Ecclesiæ his temporibus proviso, scriptum alicubi est : « Eodem cibo nos Deum in Eucharistia pascere, quo Sanctos in cœlo ; nec aliud interesse, nisi quod nobis hic aspectum ac sensibilem adimens suavitatem, utrumque cœlo servat. »

Cernite tandem, et ad discutiendas objectiuncularum vestrarum offutias considerate discrimen illud præclarum, quod Christianorum statum in hac vita a Beatorum in Patria statu sejungit. Status Christianorum, ut a Cardinali Perronio notatum est, inter Judæos ac Beatos interjectus est. Christum Beati possident nullis figuris, nullis velaminibus objectum. Judæi contra non ipsum Christum habuerunt, sed Christi tantum figuras, atque velamina, ut agnum paschalem, et delapsum cœlitus manna. Christiani vero Christum quidem in Eucharistia vere et reater possident, sed adhuc sub figuris et velaminibus latentem, sub specierum nimirum Eucharisticarum involucris occultatum. « Tria, » inquit Eucherius, « sibi Deus tabernacula fecit : synagogam, quæ umbras habuit sine veritate : Ecclesiam, quæ veritatem et umbras habet : Cœlum ubi nullæ sunt umbræ, sed nuda veritas. » At vos ex Ecclesiæ Christi statu exceditis, quem tum legi, tum gloriæ Paulus opponit, qui sine Christo solas figuras habetis. Legis enim est umbram habere futurorum, non ipsam substantiam rerum. Cavete ne quia vos ad sortem Judæorum dejicitis, et Ecclesiam ad Synagogam detruditis, a Beatorum item gloriosa sorte dejiciamini, qua Christus plene et conspicue æternum possidetur.

SPECULATIO III.

Unanimis Ecclesiarum omnium Christianarum consensio ante ortos Calvinianos realem Christi corporis in Eucharistia præsentiam confitebatur, quæ proinde non potest non esse dogma catholicum. Inflexibilis Ministri Claudii in mentiendo pertinacia repræsentatur.

Hæc est tertia Catholicæ veritatis demonstratio theologica : cum enim universa Christi Ecclesia, quæ est firmamentum et columna veritatis, in re tam gravi errare non possit, si tota Christi Ecclesia in hujus articuli fidem conspirarit, si ea de fide ad se traditione derivata pacifice fruita sit, si hujus possessionis nullum initium in historiæ Ecclesiasticæ monimentis adverti possit, si positionis illius nullum assignari possit exordium, nullus progressus, nullus auctor, nulli, qui novitatem hac in parte invexerint, si indigitari nequeat sæculum, annus, locus, quando et ubi hæc doctrina nata sit ; si nulli proferri possint Catholici, qui serpentis doctrinæ fautores impugnarint, nulla concilia, quæ sic in illam armarint, manifestum est realem corporis Christi præsentiam dogma esse catholicum ubique et semper in Ecclesia retentum. Nam, ut recte arguit Tertullianus *de Præscriptionibus* cap. 28, « ecquid verisimile est, ut tot et tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus, unus est exitus. Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Quod apud multos » (imo apud omnes ante suscitatos ab erebo Calvinianos) « unum invenitur, non est erratum, sed traditum. » At fidem realis Christi in Eucharistia præsentiæ cum Ecclesia ortam esse, cum illa adolevisse, cum illa tranquilla, perpetuaque possessione viguisse inde manifestum est, quod assertio illa nullum agnoscit auctorem præter Christum, nullos sectatores præter totum orbem quam late patet Christianum, Latinum pariter et Græcum ; nullus illius architectus, nullum initium, nullus locus ubi exorta sit proferri potest : nulli episcopi, nulli pastores, nulli Doctores, nulla concilia

in illius sese novitatis exterminium instruxerunt. Ergo præsentia realis Christi in Eucharistia non nisi ab hæreticis erroris insimulari potest; neque enim de illa hæresi, si hæresis esset, aliter quam de aliarum hæreseon ingressu et progressu judicare nemo prudenter potest.

Dicere vero cum Calvinianis, tanta universæ Ecclesiæ conspiratione novitatem suam opprimi sentientibus, et novissime cum Claudio Charantonensi universam Ecclesiam per totum terrarum orbem diffusam insensibili fuisse depravatione corruptam, et monachum Paschasium totum orbem Latinum una et Græcum vel momento, vel sensim sine sensu fefellisse, atque mysterium captu difficillimum, et juxta falsissimum nullo repugnante persuasisse; hoc, inquam, dicere est ipsa absurditate absurdius, et omnibus non solum Christianis de divina erga Ecclesiam providentia sensibus iujurium, sed etiam solitis communis prudentiæ notionibus et elementis adversum, ut egregie aureo *de Perpetuitate fidei* opere dominus Arnaldus prosequitur.

Scimus equidem Apostolos rudes, pauperes, et ab omni prorsus humano subsidio ac solatio desertos de mundo infideli triumphasse, et Crucifixi cultum Judæis scandalum, Gentibus stultitiam, et religionem a se satam propagasse. At tantæ molis opus non sine sensu, non cum stupore et somno orbis, non per irrepentem nullo advertente mutationem; sed miraculis, sed prædicatione, sed concertationibus, sed passionibus et pressuris infinitis, ac demum sanguine fuso compleverunt. Et, quamvis veritati tandem mundus concesserit, illi tamen initio obstitit universus iis armis, iisque clamoribus, quæ tractatu *de Fide*, dissertatione speciali recensuimus. At vero quis mentis compos credat, vel credere possit monachum in Gallia reclusum totam Rempublicam Christianam ubique gentium diffusam, nullo observante, omnibus ad unum dormientibus, corrupisse; et felicius Cæsare, qui simul venit, vidit, vicit, omnes fideles suis erroribus imbutos in obsequium falsitatis captivasse? Et quomodo tandem? Non miraculis, ut Apostoli; non sanguine, ut Martyres; non facundia, ut oratores; non argumentis, ut Philosophi; non armis, ut Turcæ; non plausibilis doctrinæ propositione, ut alii seductores; sed languore, sed incuria, sed inactione oscitantes oves simul et Pastores subjugasse. Præsertim quia Paschasius ipse tum libro *de corpore Domini*, tum epist. *ad Freudegardum*, et in commentariis *in Matth.* testatur doctrinam suam universalis esse Ecclesiæ de Eucharistia sensum. « Quamvis, » inquit, « ex hoc quidam de ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis credit, et confitetur. Videat ergo qui contra hoc venire voluerit, quid agat contra ipsum Dominum, et contra omnem Christi Ecclesiam. Nefarium ergo scelus est orare cum omnibus, et non credere quod Veritas ipsa testatur, et ubique omnes universaliter verum esse fatentur. » Quomodo autem sine amentia hanc fidem totius orbis doctrinam pronuntiasset, cujus ipse auctor fuisset, cuive mendacii probrum totus orbis in os injecisset?

Dices cum Calvinistis, totam quidem Ecclesiam visibilem et aspectabilem in errorem prolapsam impegisse, Ecclesiam tamen invisibilem orbi ignotam, avitam fidem retinuisse. Oridiculum sic respondentium caput, nisi mavis deplorandum! Quasi vero figmenta figmentis addere, et mentem Christianorum pascere chimæris satis sit ut communibus notionibus renuntiemus, præfatæque demonstrationis vim invincibilem eludamus? Itane scilicet Ecclesia Christi tota fœde collapsa veram fidem soli invisibiles in montibus inaccessis et inviis solitudinibus illibatam servarunt, ibique pro sua summa pietate omne Eucharistiæ sacrificium veluti abominationem repudiarunt, pro sua summa pœnitentia omnes ab Ecclesia visibili indictas abstinentias, præscriptaque jejunia de medio sustulerunt, pro sua summa in visibiles præpositos et animarum ductores observantia omnem hierarchiam uni Capiti veluti centro innixam, per Episcopos, inferioresque ministros distinctam susque deque miscuerunt et pessundarunt? Certe Homeri commentis, ipsis Æsopi fabulis prudentius quam adeo portentosis Calvinianorum ultro sese occæcantium deliramentis crederemus.

Videsis, quæ dissertationibus præambulis secundi et tertii voluminis late persequuti sumus, ubi Fidei Christianæ, Religionisque Catholicæ, cunctaque proinde ejus mysteria non methodo discussionis, qua singula quæque probantur, sed methodo præscriptionis, qua capitalis aliqua controversia, unde cæteræ definiri possunt, stabilitur, breviter

atque summatim demonstravimus. Quæ enim ibi de antiquitate, universitate, et consensione Ecclesiæ diximus, veritatem realis Christi in Eucharistia præsentiæ omnino methodo illa præscriptionis convincunt.

Ejusdem demonstrationis prior confirmatio.

Confirmatur : Supponamus aliquem esse sincerum veritatis amatorem, qui post accurate perpensa Catholicorum et Calvinistarum hinc inde argumenta pendulus hæreat, neutriusque partis rationum momentis persuasus anceps fluctuet et suspensus. Nullum enim arbitror adeo iniquum æstimatorem, ut sibi persuadeat, Patres nihil Catholicorum assertioni favere, cum ipse OEcolampadius, referente Lavatero *Histor. sacra de cœna Domini*, p. 5. difficultatum nodos non lectione et testimoniis Patrum, sed « semota hominum auctoritate » dissolvere potuerit ; cum Magdeburgenses antiquiores Patres admissæ transsubstantiationis accusent. Cum Scaligeri, ut in sua Scaligeriana, pag. 78. videre est, omnes Patres sacrificium Eucharistiæ agnovisse, et confessos fuisse miretur; cum Casaubonus nulli Protestantium doctrina secundus, epist. *ad Witemgobardum* ultro fateatur se ob tantam discrepantiam et immane discrimen, quod interest inter doctrinam Protestantium et veteris Ecclesiæ de Eucharistia fidem conturbari; cum Socinius epist. *ad Radecium*, pag. 113. veritate coactus profiteatur, Calvinianis, et Lutheranis, si Patrum auctoritate difficultas hæc definienda sit, causa cadendum esse ; cum Minister Daillæus lib. *de vero Patrum usu*, cap. 2. Patres ambiguas explicatuque difficillimas protulisse sententias attestetur.

Hoc ergo supposito, sincerus ille veritatis quæsitor dubitantis ut animi motus sedet, si Christianarum omnium Ecclesiarum realis Christi præsentiæ fidei adhærentium consensioni concedat, profecto a christianæ prudentiæ regulis haud recedet, continuo nisi cedat recessurus. Etenim in hoc interiori mentis certamine sic apud se discurrere tenetur : Si Scripturas consulo, implicor dubiis, nec expedior ; si difficultates assidua Patrum lectione vincere studeo, occurrunt tenebræ densiores, quas inter lux nulla affulget; sonos diversos audio varias in partes vocantes; hic apertas pro Romanæ Ecclesiæ fide sententias lego, istic propositiones Lutheranorum causam juvantes adverto, illic assertiones Calvinistis in speciem faventes observo, veritatem cujus uno amore teneor non invenio; si theologorum lucubrationes evolvo, ubique argumenta fortissima plena manu cerpo, solutiones infirmas ; strenuos cerno aggressores, imbelles defensores. Quid ergo in illis jactatæ mentis fluctibus opus est facto? Abigenda mihi est singularis argumentorum discussio, qua angor, et ad Ecclesiæ universalis antiquitatem, universitatem, consensionem veluti ad tutissimum portum superest confugiendum. Reali corporis Christi præsentiæ adhæsisse totum orbem Christianum ante transfugam Calvinum scio, illi asserto assensam esse Ecclesiam Latinam universam cerno, nec assensus illius initium invenio; illi Ecclesiam Græcam in aliis ei infensissimam consentire video, in eam quoque sententiam alias Christianas societates Latinæ peræque, atque Græcæ Ecclesiæ hostes inisse compertum est ; nullam hujus Catholicæ fidei mutationem, vel vicissitudinis obumbrationem, aut vestigium ullum in Ecclesiasticis monimentis cerno : quam vero insensibilem variationem Calvinistæ, et eorum nomine Minister Claudius comminiscuntur, chimæricam esse sensus ipse communis per se convincit. Quid ergo vel Deo gratius, vel rectæ rationi conformius agendum superesse potest, quam ut sepositis infirmitatis meæ dubitationibus ex offusa humanæ menti caligine enatis, affulgenti Catholicæ veritati concedam ; quam ut credam quod universa credit, universa semper et ubique credidit Ecclesia, quodve neque crederet, neque cum tanta conspiratione credidisset, nisi fidem illam perpetua traditione veluti canali perenni recepisset? Ita me gerens si erro, prudenter erro, tuto erro, inculpabiliter erro. Absit autem ut ita credens in errorem abripiar, cum sanctis Augustino et Paulino auctoribus, « vacare non potest quod universa facit, orat, aut adorat Ecclesia. Et si quid universaliter per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ est insaniæ. »

Posterior ejusdem demonstrationis confirmatio.

Confirmatur et illustratur amplius ex domino Arnaldo. Quamvis sola Catholicæ Ecclesiæ auctoritas ad convincendam, damnandamque Calvinistarum sententiam per

se sufficeret, tantumque absit ut bene inferant Protestantes ab ea se discedere oportere, quia in errorem prolapsa est, ut potius, justiusque inferendum sit, in grandes ipsos cecidisse errores; quia cum errorum maximus sit schisma et separatio ab Ecclesia Catholica, profecto non amore veritatis, sed spiritu erroris ab ea recedunt quotquot recedunt : arbor enim bona non potest malos fructus facere, nec veritas immanissimum schismatis crimen parere. Quare non possunt Calviniani in secessionis suæ speciem Ecclesiæ Catholicæ errores obtendere, sed in errorum suorum manifestissimum argumentum suam ab Ecclesia Catholica fugam assumere, nec suppositionibus obscuris claram veritatem, sed clara veritate incertas et obscuras suppositiones evertere debent.

Quamvis, inquam, hoc ita sit, illud saltem nullus quamlibet pervicax vel morosus inficiari poterit vel audebit, Ecclesiam Catholicam non esse erroris insimulandam aut damnandam, nisi ob certas et evidentes prolapsiones, nec novam sectam erigendam, amplectendamve, nisi cogente veritatis luce, quæ Ecclesiæ sit auctoritati anteponenda. Si enim temeritate non vacat judicium, quo persona privata absque manifesta ratione damnatur, qua æquitate totius Ecclesiæ consensio, imo et Christianarum omnium ante exortum Calvinismum societatum conspirans præsentiæ realis Christi in Eucharistia fides erroris, subindeque justæ ab ea secedenti datæ occasionis accusabitur atque damnabitur ? Accedit quod cum Calvinistæ sint origine Catholici, ex Romanaque Ecclesia, unde exierunt, oriundi ; cum ab ea Ecclesia Scripturas sacras mutuati sint, articulos fidei didicerint, quæ retinent sacramenta susceperint, nisi omnes naturæ et honestatis sensus exuerint, nisi adamantinam vel brutalem indolem induerint, optare veluti connaturaliter tenentur Ecclesiam illam matricem, originalem, et radicalem esse, si fieri posset, in doctrina sanam, labisque puram. Unde nec possunt, nec debent repugnante insita viris honestis et liberalibus propensione, illam erroris nisi apertissimis coacti rationibus insimulare, multoque minus matris suæ errores nefandi more Chami propalare et ridere, nisi ob manifestam fidei in discrimen vocatæ vitandam jacturam. Maxime quia, cum Ecclesia Catholica dotibus quamplurimis, iisque aspectabilibus præstet cæteris omnibus sectis, illisque prærogativis alumnos suos, et doctrinæ suæ professores veluti arctissimis sibi vinculis colligatos teneat, antiquitate nimirum, consensione, Pastorum successione, doctrinæ possessione et præscriptione, professorum sanctimonia, miraculis, aliisque alibi operose memoratis, non debemus nisi errorum evidentia persuasi ab ea Ecclesia secedere, nec ad novam sectam nisi aperta veritate allecti transvolare : quin et in dubio societatem antiquiorem, universaliorem, et veræ Ecclesiæ notis insigniorem novæ, recentique cæteris paribus anteponere jure possumus et debemus. Ergo sive doctus sis, sive ignarus, non potes in controversia Eucharistiæ ab Ecclesiæ Catholicæ sensibus recedere, et ad Calvinianas partes transire : quia doctus in singularium examine probationum non evidentiam fidei Catholicæ adversam invenit; sed ad summum difficultatem sentit; indoctus vero eas in examen vocare nec scit, nec valet. Ergo utrique sola superest Ecclesiæ universalis auctoritas, et Christianarum omnium societatum consensio, qua difficultatum omnium nodos dissolvere, dubia omnia sopire et prudenter debet, et facile potest.

Certe, si in dubiis tutior pars est eligenda, eaque sententia cæteris præferenda, quæ magis rationi consentanea, magisque a cupiditatis laqueis aliena est, ille nec peccat, nec puniri a Deo proinde potest, qui in materia Religionis viam illam ingressus fuerit, quæ tutior, probabilior, et a cupiditate remotior apparuerit : neque enim divina Providentia sivit, sinit, vel sinere unquam potest, tam innoxium rationis usum ad errorem viam sternere et munire. Atqui in controversia Eucharistiæ Ecclesiæ Catholicæ indivulse adhæret, viam tutiorem, probabiliorem, atque a concupiscentiæ insidiis immuniorem insistit. Etenim qui attente considerat omnes Christiani orbis fideles realem Christi corporis in Eucharistia præsentiam adversus paucos Calvinistas firmiter credere, omnes ante Berengarium continuo damnatum semper et ubique credidisse; generalem vero fidei mutationem insensibilem commentum esse ipsis dormientium exerrationibus intolerabilius; videt pariter, nisi concupiscentiæ nebulis occæcetur, tutius esse mentem suam toti Ecclesiæ supponere; minus quoque periculosum esse universæ Christianarum omnium societatum consensioni, quam privato spiritui credere; probabiliusque esse se potius, quam omnes Chri-

stianos falli. Profecto hominis sic comparati judicium rationis unius partus est, non concupiscentiæ ; humilitatis fructus, non superbiæ : sicut e contra oppositum judicium privatos sensus Ecclesiæ consensioni anteponens non nisi a cupiditate et superbia extollente se adversus omne, quod dicitur doctum et sanctum, derivatur. Quis autem nisi communibus pietatis notionibus renuntiaverit, credat rationem, et humilitatem fidei et promissionibus divinis innixam viam esse, quæ ducat ad perditionem, temeritatem vero et superbiam ad veritatem et vitam iter aperire ? Si ita sit, de providentia divina, de religione, de Christianismo, de sensu communi actum esse contendo. Si ita sit, ratio fallet, prudentia peccabit, virtus in malum propellet, religio apostatare faciet, et quod horribile dictu est, Deus ipse decipiet.

Nec possunt Calviniani conscientiæ solamen aliquod, vel dubitationum quietam in suæ auctoritate Ecclesiæ invenire. Cum enim unum ex præcipuis Calvinianæ doctrinæ capitibus sit infallibilitatem nulli esse Ecclesiæ asserendam, quæ proinde communioni ipsorum eximia esse non potest, planum est Calvinistam non posse suborta dubia suæ auctoritate Ecclesiæ compescere, nec Pastorum, Ministrorumve suorum voci juxta sua etiam principia cedere. Unde Calvini discipulis illud veridice regerere, quod Manichæis olim Augustinus, licet : « Vos tam pauci, et tam turbulenti, et tam novi, nemini dubium est, quin nihil dignum auctoritate proferatis. » Præsertim cum juxta Calvinistas nulli homini, vel Pastori, vel concilio, sed soli Scripturæ determinandorum de fide dubiorum facultas asserta sit. Quid ergo ille faciet, cui lectio Scripturarum difficultates et dubia non removet, sed auget? An transibit ad novas Calvini partes ? Sed enim id non licet, nisi veritatis evidentia cogatur. Atqui nullam apud Calvinianos inveniri evidentiam sibi evidens est ; hinc enim tot dubitationum æstus proficiscuntur. An neuter et pendulus nulli sectæ determinate adhærebit, vel cuique pro loco et tempore occurrenti inserviet ? At, teste Apostolo, sicut unus Deus, ita una fides ; et pluralitas Religionum, nullitas Religionum. Ergo cum Calvinista esse non possit sine evidentia, quæ sibi deest, neuter esse sine impietate nequeat, Catholicus humilitate evadat necesse est. Quia sola Catholica Ecclesia evidentiæ defectum auctoritatis sibi eximiæ, sibi a Deo promissæ, sibi ab Apostolo columnam et firmamentum veritatis ipsam nuncupante, assertæ pondere et lites decidere, et controversias definire, et dubia sedare, et tranquillam securitatem præstare potest.

Hactenus expositam invincibilis demonstrationis vim variis artibus eludere Calviniani conati sunt. Aliqui, in quibus nonnullæ bonæ fidei reliquiæ supersunt, illud ultro fatentur, quod sine effronte audacia negari non posse arbitrati sunt, Græcos nimirum realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam, veramque transsubstantiationem confiteri, ac proinde Catholicam nostram assertionem ante Lutheranos et Calvinianos ab omnibus omnino Christianis unanimi fuisse consensione receptam. Ita sponte sua fatetur Crusius linguarum Græcæ et Latinæ apud Lutheranos Tubigentes professor. Ita Sandus Anglus lib. *de Religionum statu*, cap. 42. Ita Frobesius Scotus consider. modest. *de Eucharistia*, cap. 4. Ita Donnauverus lib. *de Ecclesia Græcanica hodierna*, pag. 46. Ali hanc quæstionem veluti scopulum fugientes ad sibi tutium silentii asylum confugiunt. Sed alii generosiores, rati licitum esse negare quidquid sibi obesse vident, unanimem illam, tametsi patentem utriusque Ecclesiæ consensionem, reclamante scientia, repugnante conscientia, asseveranter inficiari non dubitarunt.

Ministri Claudii mendacia ob oculos posita.

Sed nulli post hominum memoriam hæretico, aut impostori mentiendi licentia et contumacia, atque inter mentiendum affectata securitate cedit novissimus minister Claudius. Subodoratus enim Ecclesiæ Græcæ cum Latina circa Eucharistiam consensione sectæ suæ apostasiam manifestissime revinci, et Ecclesiam Romanam ab omni innovationis labe purgari, semoto omni pudore, depositaque fronte, palam, aperte, asseveranter scribere non erubuit Græcos, aliasve Orientales Christianis nominis societates in articulo Eucharistiæ ab Ecclesia Romana dissidere. Et, quamvis valeat, ut loquitur Augustinus, ad seipsam persuadendam ipsa evidentia, hanc tamen ultro se ingerentem nihil veritus, ea pernegare obfirmate decrevit, quæ antecessores veritate coacti ultro confessi fuerant, vel ne confite-

rentur, silentio prætermiserant. Sed nihil mirum : illud enim innatum est hæreticis omnibus ingenium in infestam sibi veritatem furere, et ea dum opprimuntur sese simul jactare. Homines etiam bonos et Catholicos interdum falli, atque intricatis quæstionibus implicari humanum est : sed affulgentem veritatis splendorem repellere, et verum falsum, falsum verum audacter pronuntiare, hæreticorum character est singularis.

Ut autem eo spiritu Ministrum Claudium agi liquido constet, unaque clareat, et quantum veritatem sibi notam odio habeat, et adversus illam nihil possit, legendus est integer domini Arnaldi liber, ubi hanc facti quæstionem tanta diligentia, tantaque accuratione oculis subjicit, indeque conclusiones adeo necessarias deducit, ut illam utriusque Ecclesiæ consensionem sensibilem et palpabilem efficiat, ejusque consensionis negationem non minus iniquam demonstret vel absurdam, quam si quis contenderet Ecclesiam Romanam de præsentia corporis Christi in Eucharistia dubitare, vel S. Thomam Aquinatem, vel Cardinales Bellarminum aut Perronium nunquam de Eucharistia nisi in sensu Calvini, aut Lutheri scripsisse.

Quis enim nisi voluntariis tenebris exoculatus credat Michaelem Cerularium, aliosque Orientales, qui omnem infamandæ Latinæ Ecclesiæ vel levissimam occasionem et prætextum avidissime nanciscebantur, quive in sui schismatis specimen usum panis azymi, omissionem Alleluia tempore Quadragesimæ, aliaque minutissima obtendebant, prætermissuros gravissimum præsentiæ realis, et transsubstantiationis caput, si figurativam tantum Christi præsentiam ipsi credidissent ; prætermissuros, inquam, anno 1053, quo recens erat, et ubique nota Berengarii circa Eucharistiam sententiæ damnatio ?

Quis crederet Cardinalem Humbertum, et monachum Nicetam causam Græcorum agentem in illa concertatione gravissima, quam Baronius sub finem tomi undecimi refert, nihil sibi de Eucharistiæ veritate objecisse, sed potius utrumque hanc communem fidem supposuisse, ex eaque argumenta ad juvandam suam causam deprompsisse ?

Quis crederet Berengarianos vel totius Ecclesiæ Græcæ fidem ignorasse, vel sibi nota contra adversarios sibi novitatem et sectatorum paucitatem exprobrantes non usos esse ? Quin potius Lanfrancus lib. *de corpore Christi*, capite 22. ipsis opponit Romanæ Ecclesiæ de Eucharistia fidem esse communi Latinorum, Græcorum, Armenorum, et omnium cujusvis nationis Christianorum calculo probatam.

Quis crederet Theophilactum Archiepiscopum celebrem in speciali de erroribus Latinorum libro solam additionem termini FILIOQUE in Symbolo reprehendisse, et realem Christi præsentiam non objecisse ? At quomodo fidem illam calumniaretur, quam verbis ipsa luce clarioribus in cap. XXVI *Matth.* ipse docet : « Porro dicens, *Hoc est corpus meum*, ostendit quod ipsum corpus Domini est panis, qui sanctificatur in altario, et non respondens figura. Non enim dixit, Hoc est figura, sed *hoc est corpus meum*. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis ; quoniam infirmi sumus, et abhorremus crudas carnes comedere, maxime hominis carnem : et ideo panis quidem apparet, sed revera caro est. » Et *in cap.* XIV *Marci :* « *Hoc est corpus meum*, hoc, inquam, quod sumitis. Non enim figura et exemplar quoddam Dominici corporis panis est, sed in illud ipsum convertitur corpus Christi. Dominus enim dicit, *Panis, quem ego dabo, caro mea est :* non dixit, Figura est carnis meæ, sed *caro mea est*. Et iterum : *Nisi ederitis carnem filii hominis*. Et quomodo caro non videtur ? O homo, propter nostram infirmitatem istud fit. Quia enim panis quidem et vinum ex his sunt, quibus assuevimus, ea non abhorremus : sanguinem vero propositum et carnem videntes, non ferremus, sed abhorreremus ; idcirco misericors Deus nostræ infirmitati condescendens, speciem quidem panis et vini servat, in virtutem autem carnis et sanguinis transelementat. »

Quis non nisi post exutum sensum communem effutire præsumat, duodecimo sæculo, in quo pro expeditione Jerosolymitana Orientis Provinciæ Latinis hominibus refertæ sunt, nec commercio solum et armis, sed et matrimonii vinculo Latini cum Græcis conjuncti sunt ; Græcam tamen Ecclesiam Latinæ de Eucharistia fidem ignorasse, vel cognitam non impugnasse, improbrasse, exprobrasse, vel certe objecisse ? Latinos etiam Græcorum, apud quos convivebant, communem de figurativa duntaxat corporis Christi præsentia sententiam ignorasse, et ita ignorasse ut omniscius et oculatissimus Bernardus *ad Eugenium* scribens dicere potuerit,

Græcos nobiscum esse et non esse, junctos nempe fide, pace divisos; et Petrus Cluniacensis, qui Berengarianos ex professo confutaverat, Imperatori et Patriarchæ Constantinopolitano precum communionem obtulerit, ut lib. 4. epist. 39. et 40. videre est.

In cujus mentem non omnino a rationis lumine desertam venire potest, Ecclesiæ utriusque innumeros Scriptores dissensionum capita, et dissidiorum causas ex professo tractantes nunquam de Eucharistia meminisse? Certe nisi una omnium fuisset, concorsque sententia, tanti momenti discrimen minime tacuissent, qui alia minutiora, et latentiora, puta usum azymorum, et Spiritus sancti a Filio processionem noverunt et acerrime refutarunt. Quis aliqua veri specie dicat, Euthymium in sua *Panoplia* hæreseon catalogum texentem nullam præsentiæ realis, transsubstantiationisque mentionem fecisse, sed potius Paulinianos realem Christi præsentiam inficiantes iisdem Gregorii Nysseni, et Joannis Damasceni micantissimis testimoniis, quibus Catholici adversum Calvinianos pugnamus, confutasse? Quis porro credat, nisi in insulsitatis extremum prolapsus fuerit, ea testimonia produxisse Euthymium, vel producere potuisse, si Calvinianæ sententiæ adhæsisset? Dicant sodes Calviniani, num ea ipsi loca libenter adhiberent, si quis ab eis fidei suæ expositionem sciscitaretur? Accedit Euthymium Catholicam nostram assertionem *in Matthæum cap.* LXIV limpidissime docuisse: « Quemadmodum, inquit, supernaturaliter assumptam carnem deificavit, et hæc ineffabiliter transmutat in ipsum vivificum corpus, et in ipsum pretiosum sanguinem suum. »

Mitto alia clarissima illius ætatis auctorum testimonia sole ipso lucidiora, quibus Ecclesiæ Catholicæ de Eucharistia fidem iisdem verbis efferunt, adversus eam eadem sibi difficultatum momenta objiciunt, illaque iisdem responsionibus explicant, quæ a Catholicis passim usurpantur. Qui sane agendi modus absurdus, ridiculus, fatuus, propriæ causæ proditorius, prævaricatione, fraudeque plenissimus foret, si unam figuræ aut virtutis Calvinianorum præsentiam credidissent. Mitto Nicolai Methonensis episcopi librum, in cujus principio, medio, fine præsentiam realem et transsubstantiationem affirmat, probat, in negantesque indignatur. Et tamen Minister Claudius ejurata omni bona fide, et solita sua in erroribus etiam conspicuis et sibi notis defendendis contumacia auctorem illum in suas partes repugnantem inflectit. Expecto donec S. Thomam Aquinatem, Bellarminum, et Coeffetæum suæ sectæ defensoribus accenseat.

Mitto professionem fidei tomo 2. *Bibliothecæ Patrum Græco-Latin.* relatam, e Bibliotheca non Vaticana, sed Principis Calviniani erutam, quam Sarraceni ad fidem conversi emittebant, in eaque panem in corpus Christi, vinum in sanguinem ejus secundum veritatem converti confitebantur. Hæc, inquam, mitto; quia Ecclesiæ Græcæ et silentium et voces, et scripta et disputationes, et amicitiæ et odia, et bellum et pax, et omnes demum hujus ætatis circumstantiæ communem totius Christianismi mentem significantissime vel stupidissimus demonstrant.

Eamdem Orientalium Ecclesiarum cum Latina fidei consensionem evidentissime declarat sequentium sæculorum ad nos usque non interrupta Græcorum de Eucharistia sententia. Etenim sæculo XIII. in quo ob bellorum frequentiam et Latinorum victorias Græcia Latinis referta erat, nunquam Græci circa Eucharistiæ substantiam ullo unquam vel minimo erroris rumore aspersi sunt, nullaque illis mota lis, nisi ob celebrem illam de azymis controversiam. Græci etiam nullam calumniandæ Latinæ Ecclesiæ, cujus infensissimi erant, occasionem ex Eucharistiæ fide nacti sunt, tam commodam, tam ultro oblatam et simul justissimam non prætermissuri, si Latini in articulo Eucharistiæ aberrassent.

Nec poterant Orientales Occidentis de Eucharistia sensum ignorare, quem in magno Lateranensi concilio Innocentius III. non paucis Græcis Palæstinisque Præsulibus luculenter expressit; quemve in formula fidei ad Imperatorem, et Græcos transmissa Urbanus IV. referente Raynaldo sic exposuit: « Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso Sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus, et vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi. »

Quare tota utramque inter Ecclesiam rixarum, dissensionum, et nefandi schismatis origo unus erat de processione Spiritus sancti a Filio articulus. Quod etiam ex opusculis a S. Thoma contra Græcos elaboratis manifestum est. Cum enim S. Doctor esset

ex una parte catholicæ de Eucharistia fidei zelantissimus, et ex alia Græcorum dogmatum calentissimus, utpote ad ea examinanda ab Urbano IV. electus, et ab ipsis Græcis in dubiis rogatus et consultus, ut patet ex ejus opusculo sic inscripto : « Declaratio quorumdam dubiorum contra Græcos, Armenos, et Sarracenos ; » et a confratribus Ordinis sui, vel saltem a Generali Ordinis Magistro, qui Græcorum errorum per Dominicanos ibi degentes vel crebris litteris, vel in Comitiis Generalibus, ad quæ singulis annis Provinciarum Præpositi eo tempore in Ordine nostro conveniebant, conscius erat, plenissime eruditus. Et tamen S. Thomas nullibi Græcos negatæ transsubstantiationis vel præsentiæ realis accusat. Maxime quia cum S. Thomas opusculo citato referat « Sarracenos improperare Christianis, quod in Altari comedunt Deum suum; » Christianis, inquam, Orientis, cum de hoc a Cantore Antiocheno moneatur, non potuit D. Thomas, non potuit universa Ecclesia Latina, Græcæ Ecclesiæ fidem ignorare, quibus ipsa Sarracenorum dubia non erant ignota : non potuit etiam Ecclesia Græca omnium Latinorum etiam secum conviventium fidem ignorare, quæ Sarracenorum scrupulos et improperia dignoscebat.

Idem consensus claruit in Concilio Lugdunensi OEcumenico, ubi formulam supra positam juramento firmavit Imperatoris nomine Georgius Legatus, necnon et Nuncius ab Ephesino Metropolitano aliisque Græcis Episcopis ad Concilium directus.

Eadem fidei ejusdem conspiratio sæculo decimo quarto radiis fulsit ipsa meridiana luce splendidioribus. Tunc enim Christus in Eucharistia præsens propalam nullo Græco reclamante a Latinis adorabatur. Et cum hujus ætatis Scriptores dissertationibus variis ferverent, scriptisque ferme infinitis utriusque Ecclesiæ discrimina notare et indigitare ex professo satagerent, in nullius tamen mentem venit vel Græcos negatæ transsubstantiationis accusare, vel Latinos ob assertam transsubtantiationem erroris insimulare. Tunc Dominicani et Franciscani, id est totidem transsubstantiationis defensores docti, oculati, et eorum nonnulli fidei Quæsitores Græciam frequentabant. Itane vero credibile est, Doctores illos, qui minimos nævos detegebant, qui pulveres et festucas in examen vocabant, errorum palpabiles trabes non advertisse? Itane Græci adeo occæcati credendi sunt, ut publicas Christi realiter in Eucharistia præsentis confessiones, et solemnissimas in apertis supplicationibus, in Ecclesiis, in infirmorum viaticis deferendis adorationes non viderint plane; vel ita maligni, ut eam potuerint hæresim in omnibus libris suis contra Latinos editis (et sunt sane multi, quorum indicem dat doctor Arnaldus lib. 3. cap. 7.) silentio supra pisces taciturniore præterire?

Sed quid opus est conjecturis et argumentis negativis, tametsi hac in parte invictissimis, et hujus nostræ fidei præscriptionem demonstrantibus, cum veritas per se luceat, et Græci calamo Nicolai Cazabilæ episcopi Thessalonicensis suos et suorum de Eucharistia sensus Ecclesiæ Romanæ plane, consentaneos ob oculos in suæ Liturgiæ expositione ita expandant, ut D. Thomæ Aquinatis, quem in articulo processionis Spiritus sancti a Filio data opera refellit, verborum proprietatem et nitorem quoad punctum præsentiæ realis et transsubstantiationis adæquet, eamdemque fidem non semel et iterum, non obiter, strictim, et defunctorie, sed fuse, sed ex professo, sed cum iisdem fidei, reverentiæ, et pietatis igniculis, quos apud Granatensem legere est, exprimat? Videsis prælaudatum Arnaldum lib. 3. cap. 8, ubi et Claudii futilissimas, et quæ a nobis referantur indignissimas responsiones summa patientia recenset, et majori evidentia confutat.

Eadem quoque fidei concordia sæculo decimo quinto nituit, tum in scriptis Simeonis archiepiscopi Thessalonicensis a Patre Goar in sua *Euchologia* relatis; tum ex unione Ecclesiæ Græcæ cum Latina in Concilio Florentino inita. Dicere vero episcopos utriusque Ecclesiæ per biennum congregatos, et minima quæque doctrinæ dissidia ventilantes, quid circa Eucharistiæ substantiam utraque Ecclesia crederet, quidve sentiret ignorasse, vel scientes nefarie omnes dissimulasse, vel dissimulantium neminem finito Concilio fallaciam retexisse, est ultimum possibilis fatuitatis extremum, desperatæ causæ desperata defensio, imo et manifesta agnitæ veritatis repudiatio. Etenim sess. 25. Græci panem fieri corpus Christi Latinis confessi sunt, omnisque uno excepto Marco Ephesino huic articulo subscripserunt : In azymo sive fermentato corpus Christi veraciter conficitur. » Sed ad vomitum, inquies, reversi in patriam Græci

haud multo post redierunt. Scio equidem, sed nullum inde causæ meæ detrimentum, imo potius compendium ingens accersetur. Etenim Græci in patrium solum reversi, proindeque liberi, nullo præsentiæ Pontificiæ obice vel timore præpediti, et ob antiquas in Ecclesiam Latinam simultates initæ unionis dissolvendæ cupidissimi, si Romanam sibi invisam Ecclesiam in substantia Eucharistiæ errasse advertissent (non potuerant autem non advertere post continuum familiaris convictus biennium, post quotidiana, quibus intererant Missarum solemnia, post frequentissima et in oculos incurrentia erga Eucharistia sacramentum publicæ pietatis officia) nullum sane vel speciosiorem rescindendæ, retractandæque unionis colorem, vel Latinæ Ecclesiæ accusandæ justiorem causam, vel commodiorem votis suis satisfaciendi opportunitatem habuissent, ut schismatis objectum sibi nomen et crimen a se deprecarentur, in solamque Romanam Ecclesiam refunderent. Sed tantum abest, ut fovendi inde schismatis occasionem nacti fuerint, ut in ipsis potius, quas contra Romanam Ecclesiam ediderunt, iratissimis lucubrationibus, transsubstantiationis fidem disertissime expresserint, ut ex Marci Ephesini Ecclesiæ Latinæ hostium infensissimi opusculo de forma Eucharistiæ perspicuum est; ibi enim asseveranter pronuntiat, verba Saderdotis « reipsa transmutare jam dona in ipsum prototypum illud corpus, et sanguinem Dominicum. » Quod ex aliis quoque Græcorum libris posteris relictis liquido constat, in quibus transsubstantiationis doctrina passim supponitur, passim iisdem quibus Catholici utuntur verbis, eadem, et interdum majori energia exponitur. Videatur dominus Arnaldus lib. 4. cap. 3.

Consensus vero mutuus sæculi decimisexti visus est tum in litteris Jeremiæ Patriarchæ Constantinopolitani ad Lutheranos et Lutheranorum ad ipsum reciprocis, ubi Græcos non solum realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam, sed et transsubstantiationem sincere confiteri aperte expressit, nec dubitarunt Lutherani, ultro professi se in puncto transsubstantiationis a Græcis dissidere. Et jam post centum fluxos annos ministro Claudio dicere licebit, nec Jeremiam præsentiam realem et transsubstantiationem significare voluisse, solamque virtutis et efficacitatis præsentiam agnovisse; nec Lutheranos Patriarchæ mentem limpidissimis verbis expressam assequutos esse, atque diuturnum litterarum commercium perpetua æquivocatione, perpetua cæcitate, perpetua hallucinatione laborasse; et reclamante sensu; reclamantibus oculis, repugnante omni probi hominis honestate et sinceritate illi asseverare et jurare licebit, Jeremiam a suis partibus stetisse; Jeremiam, inquam, a quo Lutherani Witembergenses non alia de causa se discedere professi sunt, nisi quia præter præsentiam realem etiam transsubstantiationem in ejus litteris, et ejusdem fidei confirmationem in sequentibus epistolis, responsionibus, et replicis adverterunt. Si ita sit, bonum malum, verum falsum, totum orbem brutescere, totum cæcutire, sine pudore effutire licitum erit, solida et ridicula proferre perinde erit; insanire peræque ac sapere indifferens. Lege caput 4. libri 4. *Perpetuitatis Fidei*, et domini Arnaldi patientiam demirare, ab ea non dissimilem, qua eruditus philosophus solem esse lucidum et ignem calidum pertinaci suadere satageret, et suadendo desudaret.

Ministri Claudii imposturæ sub sensum cadentis utilitas a Deo provisa.

Absit tamen ut sapientissimi eximiique theologi patientissimum laborem sugillem; nam præter quod ubique effundit Ecclesiasticæ scientiæ lucem, ubique pietatem et in Ecclesiam Catholicam profundam reverentiam spirat et inspirat, hoc etiam tanto labore suo evincit, quam sit in verbis obscuris explicandis Claudii suspecta fides, qui ipsi evidentiæ repugnare, et, ut Scriptura loquitur, lumini rebellis esse non erubuit. Etenim si auctores Calvinismum, Lutheranismumque ex professo damnantes, et selectis verbis idoneis et accuratis damnationem suam confirmantes, omni vi et extorsione suas in partes Claudius trahit, et trahendo sese jactat, atque non secus ac si victoriam insignem reportasset nobis insultat; qua sinceritate Patres subobscure interdum loquutos interpretabitur? Quid mirum si suos prædicet qui non ita clare locuti sunt, qui suos venditat apertissimos sententiæ suæ impugnatores.

Oportebat, oportebat plane, o Claudi, te in tam manifestos et palpabiles errores prolabi, ut in aliis minus manifestis cognoscere

Te in explicandis primorum sæculorum Patribus cæcutire humanum est, miseratione dignum : at te sic insanire, ut auctores tibi repugnantes et repugnantiam suam pro virili parte significantes tibi favere dicas, ad extremum non dicam hæresis, sed dementiæ cumulum pervenisse est. Adeone lædi non potest fides, quin continuo lædatur ratio et humana mens, quia nimirum fides et ratio unius ejusdemque divini luminis expressiones et radii sunt. Necesse est enim, sicut veridice Augustinus scripsit, ut aliter quam oportet humana æstimet, qui divina contemnit. Nisi spiritu hæretico agerere, res tam fictas et tam inauditas venditare nequivisses. Quis credidisset ausum te fuisse merum ludibrium, meram impotentis ingenii lasciviam in medium proferre, ut totius orbis testificationibus in quæstione facti repugnares, meris ut phantasiis tuis summa Religionis mysteria involveres, illos perverse imitatus, de quibus Augustinus ait lib. 6. *Musicæ* cap. 11 : « Sequuntur nonnulli sua phantasmata tam præcipites, ut nulla sit materies falsarum opinionum quam habere phantasias. » Quia decrevisti veritati bellum indicere, facta evidentissima pernegasti : sed, sicut hæreseon magistris vere olim B. Hieronymus regerebat, « Ecclesiæ victoria est vos aperte dicere quod sentitis : » ita victoriæ nostræ pars maxima est, inania figmenta tua submotis ambagibus, reductoque velamine ob animos oculosque legentium statuere, ut eos gravius percutiant, non ad vulnus, sed ad vulneris cautionem, et fraudium tuarum aversationem. Ipse non credis quæ aliis suadere moliris, et qua homo, qua potissime e Francis indole ingenuis oriundus ea inficiaris, quæ qua Calvinista obtrudis : ita videlicet, ut verbis Magni Gregorii 3. part. *Past.* cap. 1. utar, mentem tuam impellit hæresis fervor quo naturalis indolis non trahit desiderium, et ageris commotus velut nesciens, unde postea doleas sciens.

Sed illud non sine singulari Dei in Ecclesiam et in ipsos etiam Calvinianos providentia contigisse credendum est. Difficiles sunt nonnullæ veterum Patrum expressiones, de quibus Calvinistas inter et Catholicos jamdudum certatur. A tot sententiarum discussione et collatione abhorret popularis intelligentia, et in controversiis hinc inde impeditis facile imperitis illuditur, quibus quippe ea in examen vocare nec per otium vacat, nec per ingenium licet. Unde Ministris Patres sibi in controversiis nostris fa vere asseveranter et summa confidentia (tametsi falso) prædicantibus fidem adhibere imperitos, id est majorem suæ sectæ partem, proclive est. Quamobrem clarum et manifestum in Christianismo monumentum exstare voluit Deus, ut possent vel simplicissimi (quibus potissimum consulit Deus, volens omnem errorum ipsorum excusationem præcludere) cognoscere et sensibus ipsi contrectare penes quam Ecclesiam veritas et sinceritas esset. Asserunt Calviniani Ecclesiam romanam venerabilis Eucharistiæ antiquam fidem corrupisse. Negant Catholici, et se traditam a Christo doctrinam per Apostolos et Patres perpetua traditione retentam et ad nos derivatam, nunquam in Christianismo inceptam, in Berengarii damnatione firmatam, et ab omnibus omnino Christiani nominis professoribus ante exortos Lutheranos et Calvinianos per universum terrarum orbem Latinum et Græcum unanimi consensione acceptam, prædicatam in tectis, expositam in pulpitis, exaratam in libris, celebratam in templis, solenni cultu expressam in plateis, in factis ipsis impressam amplecti, et tanquam sacrum depositum custodire reponunt.

Hærere hic simplices, dubitare ignaros necesse est ; quia varii illi distinctionum fuci, quibus verba Christi et Patrum antiquorum sententias Ministri præcolorant, quive populorum captum fugiunt, locum hic non habent. Dum enim Calvinistæ Claudii calamo negari a Græcis Eucharistiæ veritatem, seu realem corporis Christi præsentiam et veram transsubstantiationem omni securitate affirmant, jam nihil hic reconditum, nihil abstrusum producunt, nihil quod non possit a videntibus et audientibus solo sensuum adjutorio judicari. Et cum aliunde omni habenti oculos, aures, sensumque communem, nec passionum æstu, aut præjudiciis excæcato compertum sit Græcos hujus mysterii fidem iis efferre verbis quibus accuratiora apud tractatores nostros Catholicos invenire non est, in eosque graviter indignari, qui solam Christi figuram in Eucharistia agnoscunt, quin et libros omnes contra Ecclesiæ Romanæ de azymis ritum scriptos reali Christi præsentiæ esse superstructos asserant ; cum, inquam, hæc ita sint, et omnibus pateant, jam Claudii in mentiendo pertinacia claret et erumpit, atque

de occultis controversiis ex apertis impostoris simplices quilibet judicare sine negotio possunt; et cum Claudium cæterosque ministros teneant tam manifestæ falsitatis reos, hinc discere possunt ipsis nihilo magis esse credendum dum alia latentiora producunt. Hic est fructus certe non pœnitendus ex domini Arnaldi demonstrationibus consequutus.

Ex his igitur perspicue liquet Græcam Ecclesiam a tempore Berengarii usque ad Calvinum, et a Calvini ætate ad nostra usque tempora eodem cum Latina Ecclesia modo sensisse, eodemque modo loquutam fuisse, subindeque Calvinianos adversus antiquitatem, universitatem, doctrinæ consensionem insurrexisse, in easque veræ Ecclesiæ tesseras peccasse, atque profanæ novitatis reos esse.

Scio quidem adversarios quemdam Cyrillum Patriarcham Constantinopolitanum producere sensuum suorum astipulatorem : sed illis talem auctorem, tamque apertum apostatam non invidemus. Digni sane Calvinistæ qui Cyrillum illum laudent; dignus Cyrillus qui a Calvinistis laudetur. Hoc unum stupendum, Calvinistas illum in Ecclesiæ Græcæ fidei testem proferre, qui in epistola quadam ab Hottingero relata, se non minus a Græcorum superstitionibus quam a Papistarum erroribus abhorrere attestetur. Privata Cyrilli scelera, simoniam qua Patriarchatum emit, sacrilegium quo Calvinismum sub Græcorum ritibus et professione texit, prætermitto. Sed, cum aperte constet Cyrillum illum ob illam cum Calvinistis doctrinæ communionem fuisse ter a Sede pulsum, et post obitum duplicis synodi anathematis perculsum, plane relinquitur nullum Ministro Claudio superesse pudorem, qui tam nefarium hominem laudet, et quasi lucupletem Græcorum fidei testem producat. Nam si quis unquam Ecclesiæ Græcæ cum Latina perpetuam de Eucharistiæ substantia fidei consensionem sensibilem effecerit, is certe Cyrillus est a Calvinistis tantopere commendatus.

Plures hujus concordiæ testes oculatos etiamnum viventes dominus Arnaldus recenset, quibus detrectare fidem insollentissimæ insaniæ est. Sed quid opus est Calvinismi suspicionem ab Ecclesia Græca pluribus depellere, quæ suos legitimos de Eucharistia sensus in suis *Liturgiis*, *Horologiis*, et *Triodis* (id est libris illis non minus apud Græcos pervulgatis, quam sit apud Catholicos Missale vel Breviarium, vel apud Calvinistas Gallos *liber Psalmorum Marot*), clare, aperte, adeoque distincte exprimit, ut qui legerit, sponte sua et veritate persuasus judicaturus sit, quantum distat ortus ab occidente, tantum a Calvinianis Græcos differre, nec magis convenire, quam consentiat Roma cum Geneva. Quod idem de aliis nationibus Christianis, a Romana tamen communione sejunctis, puta Moscovitis, Armenis, Nestorianis, Jacobitis, Maronitis, Cophtis, Æthiopibus clarissimis testificationibus et omni exceptione majoribus dominus Arnaldus demonstrat.

Vis demonstrationis instaurata.

Ex quibus omnibus instauratur demonstratio theologica, et speculatio supra posita suadetur. Ante Berengarium totus ubique terrarum diffusus Christianismus in utraque Ecclesia Latina et Græca sub diversis ritibus realem corporis Christi in Ecclesia præsentiam et transsubstantiationem unanimi concordia agnoscebat. Hæc eadem una fides post extinctum Berengarii errorem in utraque Ecclesia, aliisque Christiani nominis societatibus omnibus et singulis perseveravit, viguit, regnavit, dominata est, prædicata in pulpitis, exposita populis, declarata in liturgiis, in Communionibus quotidianis expresso Dominici corporis nomine indigitata.

Nec potest ulla assignari causa ullus tam universalis mutationis auctor. Tum quia totam simul Ecclesiam in re tanti momenti in errorem prolapsam esse asserere, est omnes Christi promissiones, omnem Dei erga Ecclesiam providentiam ad nihilum redigere. Tum quia generalis hujus corruptionis auctor et causa vel occasio nec potest esse Romanus Pontifex Græcis invisus, a quo erant schismate sejuncti : nec monachus Paschasius, ut Claudio delirare placuit; libro enim latine edito non potuit monachus orbem sub cœlo totum Græcum pariter et Latinum, nullo reclamante, corrumpere : nec ignorantia sæculi; nam præter quod nunquam vel nusquam Ecclesiæ viri docti defuerunt, insuper cum Eucharistiæ mysterium tale sit cui quotidie adsunt fideles, cujusve sæpe fiunt participes, nullum est cujus distincta notitia difficilius obliterari possit : nec incuria et sopor totius Ecclesiæ om-

niumque ejus Prælatorum, Sacerdotum, Religiosorum, et plebis Christianæ; neque enim adeo stupenda tam difficilis mysterii novitas potuisset vel sine suscipientium admiratione, vel sine resistentium fremitu et clamoribus, vel sine omnium strepitu invehi et induci.

Etenim quis sibi persuadeat omnes adeo fuisse mente oculisve captos, omnes gravi adeo somno sepultos, aut fascinatos, ut extinctis omnibus fidei, rationis, sensuumque luminibus, omnes et singulæ Ecclesiæ, omnia regna et provinciæ, omnia monasteria, omnes familiæ, nullo advertente, nullo reclamante, in hæresim corruerint, nec prolaptionem ullus observarit, nec eam ulli sacerdotes accusarint, nulli religiosi deplorarint, nulli Episcopi damnarint, nulli concionatores arguerint, nulli scriptores reprehenderint vel meminerint, nulli historici memoriæ prodiderint, et ad sensus suos veros proferendos, ad avitamque fidem retinendam, nec caritate, nec religionis zelo, nec prudentia, nec cupiditate induci potuerint?

Certe de hac hæresis nativitate nemo prudentius quam de aliarum ortu discurrere potest. At nulla hactenus hæresis Ecclesiam sua novitate vexavit, quin continuo excitati a Deo fideles intrepidi novatoribus pro virili obstiterint : quomodo ergo illa sola totum orbem, nullo cogitante, nullo repugnante corrupit? Ergo fides præsentiæ realis corporis Christi in Eucharistia perpetuitate semper in Ecclesia gavisa est, illique jure merito asseruntur tres illæ orthodoxæ doctrinæ tesseræ a Lirinensi celebratæ : antiquitas, universitas, consensio; quia minirum fides nostra ante hæreticos Berengarium et Calvinum ab Ecclesia, in qua innutriti fuerant, et de qua exierunt, damnatos, et semper, et ubique, et ab omnibus credita est.

Postrema perpetuitatis convictio a novissimis totius Orientis Christiani testimoniis omni exceptione majoribus.

Dum huic speculationi finem imponerem, venit in manus nostras tomus tertius *Perpetuitatis Ecclesiæ Catholicæ de Eucharistia fidei*, in eadem eximii Doctoris domini Arnaldi officina elaboratus, id est numeris omnibus absolutus. Exhausisse videbantur hanc materiam superiores tomi : sed quia Ministri Claudii in mentiendo inflexibilitas, stupente orbe terrarum in neganda Societatum Orientialium cum Romana circa Eucharistiam consensione persistebat, fuit necessitas copiosius dicendi res claras, ut eas non spectantibus intuendas (ut loquitur Augustinus lib. 2. *de Civit.* cap. 1.), sed quodammodo tangendas palpantibus et non conniventibus liber ille offerret. Id autem adeo feliciter efficit, ut, quamvis Claudii loquax vanitas et vana loquacitas possit plus clamare quam veritas, nullus tamen, nisi oculis et sensui communi renuntiaverit, jam de illa consensione dubitaturus sit. Etenim libro operis illius octavo non tam probationes quam hujus consensionis manifestas decisiones profert, dum ipsius Ecclesiæ Orientalis judicia post istam domini Arnaldi et ministri Claudii controversiam causa cognita lata, et sole meridiano clariora in medium producit.

Relata fuerant superioribus voluminibus tum liber Agapii, montis Athos monachi; tum integra Synodus in insula Cypri coacta; tum Catechismus Ecclesiæ Constantinopolitanæ Venetiis 1635. typis mandatus; tum Confessio orthodoxa, cui quatuor Patriarchæ et varii Orientales episcopi suscripsere; tum Confessio Methodii patriarchæ Constantinopolitani, et Hilarionis Cicada majoris Ecclesiæ theologi; tum octo Monachorum montis Athos, et Michaelis Chortacii Cretensis presbyteri testificationes, aliaque permulta eam consensionem demonstrantia.

His addunt septem Orientalium Metropolitanorum testimonium datum Peræ 18. julii 1671, ubi asserunt, « Calvinistas Gallos Ecclesiam Orientalem impudenter calumniari, quamvis absurda et eorum de Eucharistia sententia variis Constantinopoli coactis Conciliis contrita et reprobata sit. » Ibidem se corporis Christi realem præsentiam et panis et vini transubstantiationem solis remanentibus accidentibus agnoscere contestantur, ac oppositum sentientes perniciosi erroris damnant, et Calvinistas Ecclesiæ Græcæ imponentes, « impudentes, furiosos, insolentes » appellant. Idem testantur Ecclesiæ Archipelagi, ubi Calvinistas Ecclesiam Græcam negatæ præsentiæ realis et transsubstantiationis accusantes, « superbos hæreticos, stulte opinantes, perverse sentientes injustis suspicionibus Ecclesiam Græcam infamantes, iniquos impostores, Ecclesiæ Orientalis calumniatores, impudentes extraordinarios, sine timore Dei calumniantes, stultos

reprimendos, falsorum rumorum seminatores, mendaces » pleno ore appellant, et publicis testificationibus, atque episcoporum, abbatum, sacerdotum, ac monachorum subscriptionibus confirmant.

Idem testimonium dederunt abbas et monachi monasterii Mauromolani 14. octobris anni 1671. Idem etiam Panaiotta Nicusius litteris scriptis Adrianopoli 20. decembris 1671. ad excellentissimum dominum Carolum Franciscum Olier, Marchionem de Nointel, sacræ Majestatis Christianissimæ ad Portam Ottomanam Legatum missis attestatus est. In quibus hæreticorum « contra Ecclesiam Orientalem, » ut ipse ait, « blasphemias » confutaturus sic ait : « Mirum sane est, vir Excellentissime, cur non pudeat Calvinianæ hæreseos sectatores, post tot Ecclesiæ orientalis contra eos factas demonstrationes, post tot actus synodales typis evulgatos, post Cyrillianæ confessionis damnationem, post Meletii Sirigii doctoris Ecclesiæ orientalis prolixam ejusdem refutationem, post denique sæpe memoratæ Ecclesiæ fidei suæ confessionem omnium fere Antistitum suorum unanimi consensu et confirmatione nuperrime publicatam, tam impudenter et pertinaciter hanc Ecclesiam in consortium pernitiosarum hæreseon suarum advocare ! Si enim Græcorum Ecclesiæ fidei confessionem scire cupiunt, quare eam solummodo a Cyrilli quater ob suspicionem hæreseos Sede patriarchali a Græcis expulsi, post occisi, ac ultimo publico anathemati traditi confessione petunt? Si quærunt quid de vera et substantiali Jesu Christi Servatoris in divino Eucharistiæ mysterio præsentia Græci credant, inspiciant paulisper libros officiorum sacerdotalium, quos ὡρολόγια vocant, et perlegant orationes, quas quilibet Sacerdos ante et post Sacramentorum assumptionem tenetur absolvere. » Et enumeratis libris variis, quibus quid de intercessione Sanctorum, aliisque controversiarum capitibus sentiendum sit patet, quive « Venetiis impressi levi pretio coemi possunt, » subjungit : « Hæc scrutentur Calvinistæ, et invenient veram Orientalis Ecclesiæ confessionem, et non a Cyrillo ob perversa sua dogmata Sede expulso, occiso et damnato. Nec fingant sibi miserrimi Ecclesiam Græcam chimæricam esse, et non alibi quam in ipsorum cerebris existere, more modernorum Hebræorum, qui sibi regnum a nullo visum, nec auditum in qua mundi plaga situm sit constituunt. »

Eamdem cum Ecclesia Romana consensionem abbates et monachi in insulis Principum commorantes domino præfato de Nointel candidissime testati sunt, et verbis, factis, picturis, omnibusque possibilibus significationibus demonstrarunt. Sed nihil magis authenticum, nihil certioris auctoritatis proferri potest testimonio Patriarchæ Constantinopolitani, trium Expatriarcharum Constantinopolitanorum, Patriarchæ Alexandrini, et quinque supra triginta Metropolitanorum, quo non solum omnes ferme articulos Catholicos inter et Calvinistas controversos se credere confirmarunt, sed suam de Eucharistia fidem his vocibus subscriptionibus suis munitis Constantinopoli in domo Patriarchali, indictione vigesima mensis januarii anni 1672. luculentissime expresserunt : « Quoad terribile Eucharistiæ sacramentum credimus et sine dubitatione confitemur vivum Domini nostri Jesu Christi corpus esse invisibiliter præsens præsentia reali in sacramento. Nam operatione sanctissimi Spiritus modo supernaturali et ineffabili panis in proprium Jesu Christi corpus, et vinum in vivum ejusdem sanguinem realiter, vere, et proprie commutatur. Credimus etiam integrum Christum offerri et seipsum offerre, ipsum integrum a recipientibus modo impassibili manducari.... Sacramentum hoc vera adoratione dignum est, in eo enim non minori venerationis cultu corpu Jesu Christi Salvatoris a divinitate assumptum prosequimur, quam ipsam divinitatem adoremus. Pro omnibus Christianis orthodoxis cum vivis tum vita functis in sacrificium offertur. »

Eamdem præsentiam realem et veram transsubstantiationem episcopi Orientales Colchidis et Iberiæ se credere testati sunt, quorum testificationem Pater Joseph Maria Zampio Clericus Regularis, Hilarionis præcipui Episcopi « Catholici » dicti syngraphe munitam ad præfatum Regis Christianissimi Oratorem misit. Ecclesiam præterea Græcam nihil a Romana in articulis Eucharistiæ aliisque permultis doctrinæ capitibus a Calvinistis inficiatis dissentire, tabulis publicis variarum ditionum Oratores Residentes appellati post multa cum Ecclesiæ Græcæ Episcopis colloquia habita, post ejusdem Ecclesiæ fidem magna accuratione, et annorum multorum experientia perquisitam testati sunt. Ita legere est in litteris Andreæ Ridolphi Episcopi Calaminæ et Vicarii Apostolici, datis kalen-

dis augusti anni 1671 et Francisci Casimiri de Visocha Regis Poloniæ ad Portam Ottomanam Legati, datis Constantinopoli die 7. septembris 1671. et Finibaldi Fieschi pro Republica Genuensi Residentis datis Constantinopoli 13. augusti 1672. et Marini Bernardi de Caboga, ac Georgii Secundi Bucchia Reipublicæ Ragusinæ ad Portam Ottomanam Legatorum, datis Adrianopoli 14 octobris 1671. necnon totius Communitatis Perotarum, quibus novemdecim subscripserunt, datis Peræ 2. novembris 1671. Quis autem mentis compos suspicari posset publicas et illustres personas cum manifesto honoris sui periculo falsitatis sine negotio convincendæ testes esse voluisse? Et sane id ipsum fatentur Calviniani, præsertim vero Legati Angli et Batavi Constantinopoli commorantes, et pertinaciam Claudii demirantes; propriis enim oculis vident tam uniformem esse Græcorum cum Catholicis Romanis de Sacramentis, et nominatim de Eucharistia sensum, ut Orientales suorum dissidiorum obliti solos Catholicos ad sua Sacramenta et sepulturam admittant, Lutheranis et Calvinianis prorsus eliminatis, ut manifestissimis relationibus auctor operis *de perpetuitate Eucharistiæ* tom. 3. lib. 8. cap. 9. demonstrat.

Eamdem fidei consensionem cum Lutheranorum et Calvinianorum dogmatum execratione testatur Nectarius Patriarcha Jerosolymitanus litteris ad Paisium Patriarcham Alexandrinum mense martio anno 1671. scriptis. Eamdem fidei consonantiam testantur responsa Patriarchæ Constantinopolitani ad consulta Moscovitarum, in quibus habetur: « Mutatur panis in perfectum vere corpus Christi, et vinum in perfectum vere sanguinem Christi, ut nudæ relinquantur species panis, et nuda species vini sine eorum substantia. » Nihil etiam evidentius afferri potest auctoritate libri *Confessionis Orthodoxæ*, Dionysii Patriarchæ Constantinopolitani studio secundo editi, cujus archetypus manuscriptus ad Regem nostrum Christianissimum mensibus præteritis delatus est, in quo hæc habentur: « Animadvertendum est ut sacerdos talem habeat intentionem, quod ipsa vera substantia panis et substantia vini transsubstantientur in verum corpus et sanguinem Christi... Et transsubstantiantur panis in verum corpus Christi, et vinum in verum sanguinem Christi, remanentibus solum speciebus visibilibus. » Quod multis ibi confirmatur, additurque huic mysterio exhibendum esse honorem qui debetur ipsi Christo. Nihil præterea manifestius produci potest processu synodali a Dositheo Patriarcha Jerosolymitano in ipsa Synodi celebratione die 20. martii 1672. edito, cui et ipse Dositheus Patriarcha, et Nectarius Expatriarcha, et sex Metropolitani, et Archimandritæ, presbyteri, diaconi et monachi tres supra quinquaginta subscripserunt. Titulus hujusmodi tractatus hic est: « *Clypeus Fidei Orthodoxæ*, seu *Apologia adversus hæreticos Calvinistas*, Ecclesiam Orientalem secum idem de Deo, rebusque divinis sentire accusantes: editus a Synodo Jerosolymitana sub Patriarcha Dositheo. » In eo autem opere indignanti et ægro animo conqueruntur, quod Calvinistæ (quos dicunt « vaniloquos, novatores, hæreticos, mendacii architectos, apostatas, artificiosos Scripturæ et Patrum, hæreticorum more expositores »), post tot Græcorum Patriarcharum declarationes, post typis editam *Confessionem Orthodoxam*, post reprobatas et anathemate perculsas Cyrilli Lucari, vel saltem illi attributas impias responsiones, post solemnes Iconomachorum et præsentiam corporis Christi in Eucharistia, et veram panis et vini in ejusdem corpus et sanguinem transubstantiationem negantium singulis annis bis iteratas excommunicationes; post Gabrielis Archiepiscopi Philadelphiensis, Gregorii Protosyncelli, Theophani Patriarchæ Jerosolymitani clarissimas lucubrationes, Ecclesiam Græcam calumniari non cessent. Fidem autem præsentiæ realis et transubstantiationis articulo 17. tam clare exponunt, ut nihil in Tridentino habeatur apertius. Definitiones verbatim referre brevitatis gratia prætermittimus, lectorem ad prælaudatum nunquam satis laudibus efferendi operis *de perpetuitate Fidei* tomi tertii librum octavum, tanquam ad fontem remittentes. Ibi etiam legere erit splendidissimum Georgii Patriarchæ Maronitarum testimonium datum die 12. junii anni 1673, et Macharii Patriarchæ Antiocheni 20. octobris 1671, et iterum 15. novembris ejusdem anni, et rursum die 3. maii 1673. Quibus Calvinistarum sensus non solum circa Eucharistiam, sed circa alia etiam omnia fere doctrinæ capita, quibus a Catholicis Romanis dissentiunt, gravissimis censuris proscribuntur, eorumque calumniæ Ecclesiam Græcam in suarum consortium hæreseon advocantes depelluntur, quæ quamplures Epi-

scopi, sacerdotes, et laici chirographo suo consignarunt; et Gregorii Patriarchæ Syriæ testimonium, cui omnes Presbyteri Syri subscripsere ; et Matthæi Patriarchæ Cophtorum Jacobitarum testificationem, qua asserit se nihil a Latinis Romanis circa realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam et transubstantiationem dissentire ; et Cruciadoris Patriarchæ Armenorum testimonium authenticum datum in civitate Sisensi anno 1672. quo hæreticorum Lutheranorum hæreses detestatus ait : « Faxit Deus ut natio nostra tantum distet a talibus et similibus erroribus Calvinistarum et Lutheranorum, quantum cœlum a terris... Dicunt corpus Christi non esse realiter in Eucharistia, sed panem tantummodo et vinum, figuras et signa corporis et sanguinis Jesu Christi, quæ vim et virtutem eorum recipientibus communicant... Dicunt substantiam panis et vini non converti in corpus et sanguinem Christi, sed panem et vinum manere post consecrationem. Missam non esse verum sacrificium propitiationis, nec debere offerri pro vivis et defunctis. Incongruum esse adorare Christum in Eucharistia, imo nec posse adorari sine idololatria. » Enumeratis deinde aliis hujusmodi hæreticorum erroribus, sic concludit : « Nos igitur suprascriptus Cruciador Patriarcha, una cum nostris ecclesiasticis, episcopis, doctoribus, et presbyteris, mox ut audivimus has supra allatas propositiones mendaciis refertas, horrendas, ac totaliter, penitusque contrarias Ecclesiæ Catholicæ et Apostolicæ, ejusdemque sectatoribus, ut patet singulis, pro viribus conati sumus e medio tollere ejusmodi errores ac spurcitias huc usque auribus nostris inauditas. Imo absit ut talium hæresium sola cogitatio in mentem nostram incidat; quin potius ab ipsis toto animo abhorremus, tanquam a mortifero veneno, et adeo detestamur eas, ut ne quidem de ipsis aliquid audire velimus. » Cui censuræ quatuor archiepiscopi variique sacerdotes subscripserunt. Et testimonium Davidis archiepiscopi civitatis Regis Spaham, ad Regem Christianissimum a natione Armena quæ versatur in Persia missum, datum in conventu episcoporum et doctorum 10. decembris anni 1671. in quo Calvinistas « Novatores, ponentes falsam imposturam fingendo Armenos esse communicantes eorum malitiæ, » appellant. Addunt que : « Credimus et dicimus Christum habere corpus et naturam humanam, quod largitur pretiose omnibus digne accipientibus; et habemus firmum fundamentum in verbo Domini Matth. XXVI : *Hoc est corpus meum et sanguis meus*, et non signum. Unde indubitate adoramus Christum in illo sacramento : et ille qui talia non credit, sit ipsi idololatria, nobis vero fidelibus est salutaris, atque optimus cultus. Pariter credimus esse veram propitiationem vivis et defunctis... Tales sunt intentiones, Potentissime Rex, Episcoporum, et Doctorum Ecclesiæ Armenæ, quibus breviter ostendimus Veracitati vestræ quod non sumus tales, ut diffamarunt nos recipientes talia enormia. »

Unica ad salutem, una ad honorem recuperandum via Ministro Claudio superest, si publicos errores publice recantet.

Hæc et alia multa leges libro illo octavo tomi tertii *Perpetuitatis*. Quid dicturus est jam Claudius Charentonensis minister ? Semperne mendacium tanta a se pertinacia assertum, quanti quanti constet, propugnabit ? Nunquamne veritati etiam visæ concedet ? Nunquamne communem sensum consulet, ne orbi terrarum mendacium in os ingerat ? Ubi pudor mentis, ubi rubor frontis, o Claudi ? Si mala causa vana te loqui coegit, agnosce tandem publicum scelus tuum, et publicam injuriam in Ecclesiam Græcam a te intentatam publica satisfactione sarci. Incipe mendacissimis calumniis tuis modum aliquando imponere, et innocentissimos totius Orientis Christiani de Eucharistia sensus tuis scriptiunculis crudelissime lacerare. Si ullus in te prudentiæ radius supersit, si hæresi nondum tua omnes conscentiæ stimuli extincti sint, manifesto te hactenus tentum fuisse flagitio fatere. Nullus jam tibi tergiversandi locus, prorsusque recusare non potes quin manifestus calumniator audias : diutius quam par erat credulis tecum errantium mentibus imposuisti, Claudi ; diutius universæ Galliæ mendaciis tuis illusisti. Nunc est ut Græcis restitui famam oporteat, quibus eam maledictis tuis eripuisti, dum in eos falsa dogmata, contulisti. Si nulla salutis propriæ cura te angit, nulla te bene suscepta cogitatio ciet, sollicitet te certe tot simplicium et incaute tibi credulorum salus, qui hæreseos et calumniæ venenum a te haustum in alios peræque credulos cum animæ suæ exitio diffundunt.

Itane summam tibi potestatem, summum in hominum fidem jus arrogasti, ut totum mundum brutescere, totum mundum insanire, totum mundum oculis orbum, te solum illuminatum esse persuadere connitaris? O te stultum si hominibus ratione præditis hæc suadere speras! O te scelestum, sive illa tibi persuasisti, sive quod verius est, aliis quæ falsa nosti, persuadere coneris tamen! Divino quidem supremi Numinis nutu provisum est, ut furiosa illa mentiendi et manifestissimi facti negandi contumacia secum afferret veneni sui medicinam, cum ea petulanter protuleris quæ falsi nomine inscripto arcessit orbis sub oriente Sole totus; sed nunquam dimittetur tibi peccatum, nisi restitueris ablatum, et publica mendacia publice recantes.

Perfugium in mendacio quæsivisti, posuisti mendacium spem tuam, mendacio veluti scuto, non veritate circumdatus es; sperasti in calumnia et in tumultu, locasti in imposturis fiduciam tuam: et erit tibi, ut minatur per Prophetam Deus, *iniquitas hæc sicut irruptio cadens, et requisita in muro excelso. Veniet contritio tua, et comminuetur sicut comminuitur lagena figuli contritione pervalida; et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea. Pro eo* (inquit Ezechiel) *quod mœrore fecisti cor justi mendaciter, et confortasti manus impii, ut non reverteretur a via sua mala, et viveret; propterea vana non videbis, et divinationes non divinabis amplius.* Si veritas a te staret, ad mendacium non confugisses; si ipsi pugnasses, tibi ipsa pugnasset, tibi vicisset: sed contra te vicit, quia tibi semper infesta fuit. Humanum quidem fuit te falli, sed notum tibi mendacium palam, aperte, asseveranter inspectante et stupente orbe Christiano confirmare, sicut inusitatum et horrendum, ita ad extremum sceleris cumulum venisse est. Hæc tua sors, o Claudi, qui pondere veritatis oppressus, et adversus eam tibi perspectam furens rabidis et irritis motibus in tuis te vinculis jactas, simulque prodis et quantum veritatem oderis, et quantum adversus eam nihil possis.

Si tot testimoniis fidem adhuc detrectet Claudius, forte de mendacio ineruditionis suæ confundetur visis *Marci Doni Cretensis* ad Claudii consulta respondentis litteris datis in Arce Zacynhi die 21. maii anni 1672. ex quibus hæc pauca excerpo. Arrige aures, Claudi: « Cum ad me delati fuissent articuli quidam descripti ut fertur ex latere Dominationis tuæ illustrissimæ, in quibus quæritur, quid sancta Mater nostra Orientalis Ecclesia sentiat de Transubtantiatione panis et vini in sacramento Eucharistiæ, operæ pretium duxi ejus sententiam patefacere.

« Notum sit itaque tibi, præstantissime vir, quod totus Oriens consentientem habens et Occidentem credidit semper et credit a primis Ecclesiæ incunabulis, panem et vinum vere et physice transubstantiari in corpus et sanguinem Christi, deposita prima substantia, et hanc transubstantiationem tenet inter articulos fidei necessarios, adeo ut nemini liceat eam ignorare, aut in dubium revocare, aut penitus rejicere. Hanc autem fidem habuit a Christo, et post successionem ab Apostolis et a Patribus primitivæ Ecclesiæ, qui columnæ fuerunt et fundamentum orthodoxiæ Græcanicæ. Et quod hoc fatetur, patet ex facto. Quemcumque enim de hoc sacramento interrogaveris, statim tibi affirmabit hanc σεχτουχσ'ωσιν; in quo edoceri potes a cardinibus et Sacerdotibus sanctæ nostræ Ecclesiæ, qui neminem permittunt participem fieri sanctissimi corporis et pretiosissimi sanguinis, nisi prius hanc edat confessionem... Ex quibus clare constat sanctam nostram Ecclesiam hanc transubstantiationem firmiter credere.

« Quod vero sic semper crediderit, probatur inexplicabili conjectura, quia hæc fides non fuit de novo introducta in Ecclesia Dei. Omnes enim novitates, quæ sanctam turbarunt Ecclesiam, habuerunt proprios auctores, ut nos docent historiæ. At hujus fidei nullus e neotericis fuit auctor. Ergo hanc novit ab antiquitate. Quod si quem habetis hujus vos auctorem, ostendite, et in pristinam orthodoxiam redibimus. Nec fas est calumniari quemquam Patriarcharum nostrorum, vel Romanorum Pontificum, cum talis calumniæ nulla constare possit probatio. Exstant enim integra monumenta antiquitatis; exstant historiarum Annales, in quibus tale quid nec legimus unquam, nec vidimus.... Romana enim Ecclesia nunquam a nostra discrepavit in hoc articulo. Ergo sic ipsa quoque ab initio credidit. »

Confirmata deinde eadem fide auctoritate Scripturæ, Apostolorum, concilii Ephesini, Chrysostomi hom. 45. *in Joan.*, Nysseni orat. catechet. cap. 37, Damasceni lib. 4,

Ambrosii lib. *de sacramentis*, exemplis creationis rerum ex nihilo, conversionum physicarum quas natura operatur, solutione objectionum quas ab inconvenientibus et a sensibus petere Calvinistæ assolent, subjungit : « Nostra sancta Ecclesia adorat corpus in Eucharistia adoratione latriæ, deificum enim est. Non est in usu apud nos circumferre corpus sanctissimum per plateas et vicos, magna sequente populorum caterva : non damnamus tamen quod pietate fit in honorem et gloriam Dei. » Et sic tandem concludit : « Abhorret Ecclesia nostra ab illa doctrina quam docent Reformati, nempe illud idem quod secundum naturam panis est, mystice et secundum gratiam sanctificationis esse corpus. Credit enim corpus esse non mystice, sed vere et physice, adeo ut per transmutationem substantia panis esse desinat. Transmutationem enim pro transsubstantiatione accipimus. » Qui habet aures audiendi audiat.

Hæc autem quæcumque dixi, non a personæ tuæ mihi prorsus ignotæ, o Claudi, odio vel animi in te malignitate ulla profecta putes. Nihil a proposito meo, nihil ab indole mea alienus. Vehementiam tam justam illam, tam necessariam illam in mendacia evidentissima tua, quibus totum Christianismum Græcum per summam injuriam infamasti, a me extorsit perfectum odium a Davide commendatum, quo vitia insectari, personas diligere jubemur. Si quid acerbe, si quid acriter in te dictum putes, totum in librorum tuorum mendacia luculenta et sub sensum cadentia scias esse conjectum, nihil in te, quem non Christiana solum caritas, sed ejusdem etiam regni, et provinciæ, ut quidam testati sunt, communio sincere diligere præcipit. Hoc tibi persuadeas iterum atque iterum rogo, me talem animi induisse habitum, quem omnibus alibi laudatus præcipit Augustinus : « Diligite homines, interficite errores ; sine superbia de veritate præsumite, sine sævitia pro veritate certate. Orate pro eis quos redarguitis atque convincitis. » Acriora illa verba mea res ipsæ et sensibilis veritas obfirmate a te negata rapuerunt.

Si superiores tomos meos vidisti, omni me humanitate et urbanitate Calvinianos tuos convenisse deprehendere potuisti ; quia ut ab Augustino didici et alibi monui, scio cum quo labore verum invenitur, quam difficile caveantur errores, quam rarum et arduum sit haustas cum lacte hæreses sanato mentis oculo superare. Quare ergo, inquies, stylum in me tuum acerbasti nihil tale a te promeritum ? Respondeo breviter ob triplicem rationem oppositam, quia verum sine labore inventum impugnasti, quia errores non cautu difficiles, sed palpabiles defendisti, quia falsitatem non cum lacte haustam, sed repugnante etiam natura et bona fide, quæ viros ingenuos decet, a te assertam inflexibiliter venditare, suffulcire, propugnare, disseminare, et ignaris, incautisque instillare molitus es, et contrectabilem falsitatem toti Orienti injuriosam super tecta prædicasti, in libris publici juris factis sparsisti, in aulas Principum, in familias privatorum, in Curias Magistratuum omni qua vales et abuteris arte rebellis lumini, et, ut ait Scriptura, *erecto collo* invexisti, ut frontem non tam durasse, quam perdidisse videaris. Hanc ergo acrimoniam in publica peccata tua publice ex Apostoli mandato arguenda latam ab assertionum tuarum pravitate et in noto errore tuo defendendo pertinacia profectam certissime credas. Unum consilium meum fuit, et Latinæ Ecclesiæ fidei perpetuitatem defendere, et Græcam a tuarum calumniarum dedecore vindicare. Vituperia in laudes lubentius commutabo, si errores tuos christiana sinceritate fateare. Hac justitia et læsis Græcis satisfacies, et conscientiæ tuæ, atque etiam vero honori consules. Quia verum et unum dedecus in suscipienda falsitate, in fovendis erroribus situm : contra, nefarias et aperte falsas opiniones abjicere, gloriosum et prædicandum est. Hoc verissimum decus, quod in manibus habes, si bene velis, tibi opto et popularis amore, et Christiani caritate.

REFLEXIO ET APOSTROPHE AD CALVINISTAS.

Non dubito, o Calviani, quin tanta tam splendentis Christiani orbis in agnoscenda reali Christi in Eucharistia præsentia consensionis lux in oculos ultro incurrens aciem vestram perstringat, mentemque nondum penitus a Deo desertam commoverit. Cur ergo ad Catholicam, unde discessistis, redire cunctamini, sub cujus nido tuti plumescunt parvuli, adolescunt grandiores, firmantur viri, pascuntur omnes ? Considerate Patres vestros, primos, inquam, Sacramentarios, schismatis et errorum vestrorum architectos,

origine fuisse Catholicos, ex Ecclesia Romana oriundos, a qua quos retinent articulos fidei didicerunt, Sacramenta acceperunt, Scripturas mutuati sunt : cur igitur Ecclesiam illam originalem, matricem, radicalem eo in articulo deseritis, cui subscribit orbis terrarum ? Scilicet toto mundo obscurato vobis unis veritas fulgidior affulsit, ut illi vestrum præferatis judicium, de qua Christus quod nunquam deficeret præbuit testimonium ? Qui estis vos et tam novi et tam pauci, quos nihil dignum auctoritate proferentes Ecclesiæ fidei perpetuitati et sexdecim sæculorum confessioni anteponamus ? Audite tandem venerandum Christianorum omnium vobis unis exceptis, non tam chorum quam turbam magnam, quam dinumerare nemo potest, ore vobis Paulini et Augustini dicentem : « Vacare non potest quod universa facit, orat, et adorat Ecclesia. » Et iterum : « Si quid universaliter per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare nsolentissimæ est insaniæ. »

Siccine tam absurde creditis universam ante vos Ecclesiam insensibili et generali errore corruptam, ut et in capite et in membris, et ubique et semper, et in omnibus et in singulis, nullo advertente, nullo fuerit Catholico repugnante prolapsa; Christique sponsam idolum divinis honoribus unanimi consensione coluisse, et tam infanda idololatria sponsi sui iram perpetuo provocasse ? Siccine omnes Martyres idololatriæ testes, Patres idololatriæ doctores, episcopos et presbyteros idoli et superstionis sacerdotes, Ecclesiam sub cœlo totam idololatrarum societatem extitisse, subindeque Christum Ecclesiam deseruisse universam, et consummatorem fidei defectionem fidei universalem contra sponsiones suas permisisse? Siccine verba iniquorum prævaluerunt super omnes Catholicos ? Siccine vere mendacium coluerunt Patres nostri, et vanitatem quæ eis non profuit ? Quomodo, quæso, tantus error greges simul invasit et pastores, ut nullus errorem senserit vel illusionem tam crassam in articulo quotidianæ praxis et cultus agnoverit ?

Berengarium quidem proferre potestis hæresis vestræ præcursorem : sed in illum continuo Pontifices, doctores, Concilia, et Ecclesia universa insurrexerunt. Ejus doctrinam « Fidei Catholicæ contrariam, universalem Ecclesiam scandalizare, » Adelmanus condiscipulus, et Hugo Linguoniensis scriptis ad eum litteris contestati sunt. Ei confestim exprobravit Lanfrancus, « superbiæ fastu plenum contra orbem sentire cœpisse : contra Catholicam veritatem, et contra omnium Ecclesiarum opinionem scriptum condidisse. Hanc fidem » (inquit cap. 22.) « denuit priscis temporibus, et nunc tenet Ecclesia, quæ per totum diffusa urbem Catholica nominatur. Omnes enim qui Christianos se et esse et dici lætantur, veram Christi carnem, verumque ejus sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos, qui Latinæ linguæ nostrarumve litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, seu cujuslibet nationis quoscumque Christianos homines : uno ore hanc fidem se testantur habere. Porro, si universalis Ecclesiæ fides falsa existit, aut nunquam fuit Catholica Ecclesia, aut periit. Nihil namque efficacius ad interitum animarum quam perniciosus error. Sed non fuisse aut periisse Ecclesiam Catholicus nemo consenserit. » Illi objecit Guitmundus episcopus Aversanus, ejus errori « neque vel unam civitatulam, vel etiam unam villulam concessisse. » Et iterum : « Si quis qualitatem vel flagitiosam vitam eorum per quos utcumque pullulavit ; si quis nullum sinceræ vitæ hominem, nullum penitus sapientem ; si demum non solum Concilia, sed etiam totum orbem terrarum contradicentem penset, tacente nostra disputatione quid magis tenendum sit, satis, ut arbitror, judicabit. Et rursum : « Notissimum est, hoc tempore, priusquam Berengarius insaniisset, hujusmodi vesanias nunquam fuisse. Impanari vel invinari Christum nulla sicut ostendimus expetit ratio, nec Prophetæ prædixerunt, nec Christus ostendit, nec Apostoli prædicaverunt, nec mundus, exceptis his paucissimis hæreticis credidit. » Qua facti evidentia ipse Berengarius palinodiam cecinit, ad Ecclesiamque, quam sua interturbare novitate molitus fuerat, tandem aliquando, ut postea clarebit, reversus est.

Secuti estis errantem, sequimini pœnitentem. Ergo revertimini ad unam, sanctam, Catholicamque matrem inter dolores Crucifixi parturientis natam, ab Apostolis satam, propagatamque, a Patribus depositum custodientibus defensam, miraculis infinitis illustratam, Sanctis omne genus decoratam. Cur illi præfertis sectam novellam ab errabundis schismaticis confictam, a furiosis non

virtute ex alto indutis, sed armis communitis invectam; a Christianorum tortoribus, non a Christi Martyribus; a monaculis et sacrificulis desertoribus et sacrarum virginum corruptoribus prædicatam? Itane perpetuæ Ecclesiæ traditioni et orbis universi consensioni deplorandum vestram et miserabilem Petrobrusianorum, Henricianorum, Waldensium, Albigensium, Hussitarumque, aliorumque infamium hominum traditionem et tantopere interruptam atque in Ecclesiam invisibilem a vobis ipsis ablegatam consensionem anteponitis, et Civitati sanctæ supra montem positæ et aspectabili præfertis? Itane sanctos Bernardum, Ludovicum, Dominicum, Franciscum, aliosque sine fine anteriores et posteriores viros pietate et eruditione insignes Luthero Augustiniani Ordinis apostatæ, Calvino Ecclesiæ Noviodunensis excanico postponitis? Si difficultates Eucharistiæ opponitis, cur non potius intellectum in obsequium fidei tuto captivatis, quam Ecclesiæ universalis splendorem et micantem credibilitatem abjicitis, rati quod fides non habet meritum ubi humana ratio præbet experimentum, memores etiam illius ab Hilario veridice lib. 10. *de Trinitate* scripti : « Nec per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere sollicitat : in absoluto nobis et facili » (id est per fidem a difficultatibus absolutam, easque auctoritate Dei floccifacientem) « est æternitas. » Quia, ut ait lib. 7 : « non est relictus hominum eloquiis de Dei rebus alius quam Dei sermo? » Difficultatum tenebras objicitis et perpetuæ fidei consensiones non videtis? An nescitis quod *sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus?* id est fidem esse difficultatibus tenebrosam et evidenti credibilitate luminosam, quippe quæ lucerna est lucens in caliginoso loco, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt?

Venite itaque ad Ecclesiam, cujus de vobis reportata victoria felicitas vestra erit. Extendet brachia materna redeuntibus ad sinum, quia non vult nisi veritate vincere, caritate superare. « Non enim, » ut Augustinus scripsit, « vincit nisi veritas, victoria veritatis est caritas. » Veritati cedite volentes, a qua etiam inviti superabimini ; cedite libenter, quia cedet victoria victis, et conversos lætificabit lumine Deus, qui aversos punit cæcitate.

Legite si placet eximium et invincibile domini Arnaldi opus ; jam enim nulla vobis superest vestræ de Eucharistia hæreseos excusatio. Sufficit communis pietatis et rationis sensus, sufficiunt communes fidei religionisque notiones, ut ejus lectione veritas patescat, exterminentur errores, et voluntarios vos victos fateamini. Desinite post desertam Religionem et exutam in matrem Ecclesiam pietatem, centrum religionis et cor pietatis invadere. Desinite post scissam Ecclesiæ unitatem mysterium illud evertere moliri, quod unitatis Ecclesiæ symbolum et sacratissimum fidelium omnium vinculum a Patribus jure merito appellatum est. Desinite Ecclesiam donorum omnium pretiosissimo orbare eniti, et figuram sufficere veritati. Cernite orbem terrarum Latinum pariter et Græcum, qui sedulus et cautus divini Eucharistiæ depositi custos, nihil in eo unquam permutavit. Cernite sophismatum vestrorum vanitatem, quibus cum vestro Ministro Claudio agnitæ et palpabilis Christianismi totius (vobis unis demptis) consensionis impugnatore, dum Ecclesiam Romanam infamare cum Chamo nitimini, Christum efficitis nec sincerum in verbis, nec fidelem in promissis, nec magnificum in donis. Cernite tandem vestram de Eucharistia hæresim esse manifestam : et cum summa rerum agatur, cum falsam partem sempiterna mors devoret, veram autem vita æterna coronet, suscipite divinæ Eucharistiæ antiquitatem, universitatem, consensionem : suscipite quod semper, quod ubique, quod ab omnibus Catholicis susceptum est. Convictis Claudii mendaciis assensum ne præbete, ne vos fallite, ne vobis frustra blandimini. Timete, ne sicut maledici Claudii linguæ diabolus insedit vos ut falleret, ita auribus vestris maledicum illum audientibus insideat, ut fallamini. Cavete ne velociter currens mendax sermo ejus tabe vos malitiæ suæ inficiat, quia, sicut maledici regnum Dei non possidebunt, ita qui mendaciis præsertim deprehensis aures præbent, Dei regno æternum excident.

CAPUT II.

VERA TRANSSUBSTANTIATIO ADVERSUS LUTHERANOS STABILITUR.

Demonstrata rationibus theologicis adversus Calvinianos reali corporis Christi in Eucharistia præsentia, nobis cum Lutheranis. pugnandum est. Etsi enim Lutherus Chri-

stum ab Eucharistia tollere, et realem corporis sanguinisque præsentiam inficiari peroptaret, veritate tamen coactus talem invehere errorem non ausus est. « Vellem » (verba sunt Hæresiarcæ epist. *ad Argentinenses*) « quod posset mihi aliquis persuadere, nihil esse in Eucharistia præter panem et vinum, magno ille beneficio me devinciret. Jam sæpe gravibus curis in hac materia desudavi : verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta est, textus Evangelii nimis est apertus. » Quare corpus Christi in Eucharistia realiter præsens agnovit, at simul substantiam panis permanere contendit, unde ejus sectatores *Impanatores*, seu *Panistæ* vocati sunt. Catholicæ autem Ecclesiæ doctrina asserit, non solum post panis et vini consecrationem Christum Dominum Deum et hominem vere, realiter, et substantialiter sub illarum rerum sensibilium specie contineri, sed etiam fieri conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus ; quæ conversio ab Ecclesia Catholica Transsubstantiatio nominatur. Antequam vero hæc orthodoxa fides stabiliatur, non inutile erit si varios, qui in Eucharistiam insurrexerunt, hæreticorum errores in medium proferamus, magis, ut veritatis Catholicæ constantia et perpetuitas clarescat.

SPECULATIO III.

Divinæ Eucharistiæ hostes et hostilitates ordine recensentur.

Qui in Eucharistiæ veritatem insurrexerunt primi fuerunt Capharnaitæ, nonnullique discipuli Domini, qui auditis verbis Salvatoris Joann. VI. abierunt retro, et dixerunt : *Durus est hic sermo.* Illos secuti sunt primum Simon Magus, qui veram Christi carnem rejiciens, panem in Christi corpus converti inficiabatur, Altarisque oblationem repudiabat, ut Theodoretus ex S. Ignatio refert, dialogo 3. Secuti sunt deinde quotquot circa personam Christi Domini, sive veritatem corporis et humanitatis negantes, sive divinitatem humanitati hypostatice uniri inficiantes erraverunt. Illi enim, ut refert Lanfrancus, panem et vinum in veram Filii hominis carnem, verumque ejus sanguinem converti fatebantur : at quis esset ille filius hominis, diversimode exponebant. Quidam enim arbitrabantur hunc oportere intelligi quemlibet hominem, sive justum, sive peccatorem, in cujus carnem et sanguinem conversa terrena substantia sumeretur in remissionem peccatorum. Alii vero existimabant, non hunc esse quemlibet de turba hominem, sed virum justum, sanctum, et a communi hominum vita singulari vitæ celsitudine segregatum, in cujus carnem et sanguinem posse commutari panem vinumque altaris hæretica pertinacia delirabant. Quæ hæresis, inquit, tempore Cœlestini exorta a concilio Ephesino damnata est, ubi et ea fides roborata est, qua credimus panem converti in eam carnem quæ in cruce pependit, vinumque in eum sanguinem qui de pendentis latere in cruce emanavit. Unde in declarati ne undecimi anathematismi jussu Synodi a S. Cyrillo facta hæc habentur : « Sanctum, ac vivificum, incruentumque in Ecclesiis sacrificium peragimus, corpus quod proponitur, similiter et pretiosum sanguinem non communis nobisque similis hominis cujuspiam esse credentes ; sed potius tanquam proprium corpus effectum et sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat, accipientes ; siquidem communis caro vivificare non potest. Et hoc Salvator ipse testatum facit : *Caro*, inquiens, *non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat.* Quia vero caro Verbi facta est propria, ob id intelligitur et est vivifica, quemadmodum ipse Salvator ait : *Sicut misit me vivens Pater, etc.* »

Quarto circa octavum sæculum, ut S. Joannes Damascenus lib. 4. *de fide* cap. 14. indicat, nonnulli arbitrati sunt in Eucharistia non verum corpus et sanguinem Christi, sed illius duntaxat figuram inveniri. Quod confutans vir sanctus ait : « Absit vero hoc, sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente : hoc est meum (non figura corporis) sed corpus ; et non figura sanguinis, sed sanguis. »

Quinto significat etiam inibi S. Damascenus sub illa tempora extitisse nonnullos sustinentes corpus Christi esse quidem in Eucharistia, sed corruptibile, atque in secessum, non secus ac cibum communem abiens, quos idem Sanctus refellens : « Hæc est, » inquit, « pura hostia et incruenta, quam ab ortu usque ad occasum ipsi offerri per Prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet et sanguis Christi in stabilimentum animæ nostræ et corporis, inconsumptum et incorruptum, non in secessum iens (absit enim),

sed in nostram substantiam et conversationem, omnimodis nocumenti reparatio, sordis omnis purgatio. »

Hinc hæretici illi Stercoranistæ vocati sunt. De illis ita loquitur Algerus lib. 2. *de Sacramento corporis et sanguinis Dominici* cap. 1 : « Diximus superius, non minus ore corporis quam ore cordis corpus Domini esse sumendum : sed ex hac ipsa visibili et corporali comestione quæ sacramento tenus fit, nascitur fœdissima hæresis Stercoranistarum. Dicunt enim tantum Sacramentum sicut corporali comestioni, sic et secessui esse obnoxium. » Et infra postquam statuit accidentia panis existere per se, subdit : « Non est ibi de corpore suspicandum, ubi non est aliqua hujus fœditatis natura, sed tantummodo divinæ virtutis miraculum. Non sunt igitur observanda Græcorum hæreticorum, qui merito Stercoranistæ vocantur, deliramenta, qui dicunt participatione corporis et sanguinis Christi solvi Ecclesiastica jejunia usque ad crapulam et ebrietatem, ventrisque distensionem, putantes cœlestem substantiam velut terrenam indifferenter accipi, et in sordidum ventris secessum emitti. » Ejusdem hæresis mentionem facit Humbertus contra Nicetam, aitque credidisse Stercoranistas participatione corporis et sanguinis Domini dissolvi quadragesimalia et Ecclesiastica jejunia, et cœlestem escam velut terrenam in secessum dimitti per dejectionem sicut cœnum olidum in latrinam. Ejusdem fœtidissimi erroris meminit Durandus Troarensis lib. *de corpore et sanguine Christi* part. 3. et 4, necnon Paschasius abbas Corbeiensis lib. *de corpore et sanguine Domini* cap. 20.

Ex quibus patet 1. falso scripsisse Faucherum lib. 9. cap. 7. Stercoranistas non alios fuisse ab iis, qui solum panem solumque vinum ore corporis percipi censuerunt, quæ sumpta in stomachum et deinde in secessum sicut cæteri cibi mittuntur. Patet, inquam, id est falsum, cum ex relatis auctoribus constet Stercoranistarum hæresim de orthodoxa doctrina perverse intellecta esse natam, in eoque esse sitam, quod crederent cœlestem escam velut terrenam indifferenter accipi, et in sordidum ventris secessum emitti.

Patet 2. impostura cujusdam Maræsii, qui scribere non erubuit Stercoranistas non esse quærendos extra Papatum ; nullus enim Catholicus unquam scripsit vel somniavit corpus Christi in Eucharistia sumptum corruptioni, et secessui esse obnoxium, sed potius oppositum sentientes, tanquam hæreticos Ecclesia Romana damnavit, ut ex auctoribus memoratis evidentissimum est. Unde Maræsii illius turpiloquium et putidissimum mendacium est ipsis Stercoranistarum sordibus fœdius et graveolentius.

Sexto difficultas est de Bertramo, seu Ratramno, qui auctore Flodoardo lib. 3. *historiæ Rhemensis* cap. 15. et 28. primum Corbeiensis monachos et presbyter, deinde abbas Orbacensis fuit, scripsitque librum de corpore et sanguine Domini circa annum Christi 850 a Carolo Calvo Caroli Magni nepote jussus. Porro auctorem illum suum esse non solum gloriantur Calvinistæ, sed illum etiam e Catholicis Genebrardus in *Chronologia*, et Bellarminus lib. 1. *de Eucharist.* cap. 1. hæreticis accensent. Alii Catholicum fuisse censent, ut Santesius repetitione 2. *de Eucharist.* cap. 14, sed contendunt librum illum falso attribui Bertramo. Alii cum Cardinali Perronio Catholicum agnoscunt Bertramum, sicut et libri præfati auctorem, sed hæreticorum artibus, OEcolampadii præsertim, qui opus illud primus publici juris fecit, opera vitiatum esse atque corruptum : solent enim hæretici Catholicorum operibus, quorum editionibus adornandis invigilant, nonnulla assuere, suis ut erroribus patronos asciscant. Quod variis experimentis comprobari facile posset, sed uno satis exemplo præsenti instituto accommodatissimo confirmatur. Usserius namque Amalcanus *Gotescalcanæ historiæ* cap. 11. ait Bertramum librum de nativitate Christi scripsisse, in eoque eamdem quæ in libro de corpore Domini continetur, doctrinam expressisse ; quam manifestam imposturam retexerunt viri locupletissimi ex illius libri apographo, in quo nihil prorsus de difficultate illa sermonis habetur.

Quæ in hac opinantium varietate verisimiliora apparent paucis explicabo. In primis Bertramum fuisse virum catholicum, et scripsisse librum de corpore Christi, testatur Trithemius libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ubi ait Bertramum monachum et presbyterum in divinis fuisse Scripturis valde peritum, nec minus vita quam doctrina insignem ; additque scripsisse multa præclara opuscula, et inter alia librum *de corpore et sanguine Domini* : his autem elogiis Bertramum Trithemius abbas Catholicus non eveheret, si catholicum de Eucharistia dogma

Bertramus impugnasset. Quod et affirmat Sigebertus *de Scriptoribus Ecclesiasticis* capite 96. Accedit quod per totos 700. annos nemo Bertramum hæreseos reprehendit, quasi male scripserit, sed in *catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum* ut vir non minus vita, quam ingenio, doctrina, et eloquio insignis relatus est. Deinde in disputationibus tempore Berengarii habitis. Catholici Bertramo proximi hæresis illum nunquam insimularunt, nec Berengarius opus Bertrami in suæ causæ subsidium unquam adhibuit, tanti viri celebre opus jussu Regis occasione gravissimæ controversiæ elaboratum minime taciturus, si quid illi de sua potuisset hæresi acceptum referre; sicut nec Joannis Scoti, de quo postea, opus prætermittebat, sed summis potius laudibus extollebat, suam ut inde hæresim confirmaret. Denique in concilio Vercellensi, in quo et Berengarius damnatus, et liber Scoti censura inustus, nec Bertrami fides, nec opera accusata sunt.

Probabilius etiam est opus Bertrami, etsi vitiatum fortassis non fuerit fraudibus hæreticorum, posse tamen ab eorum calumniis vindicari. Testatur Cardinalis Perronius, repertum fuisse manuscriptum sub Bertrami nomine codicem, exemplaribus per OEcolampadium editis plane persimilem; unde utrum opus illud corruptum fuerit necne, ægre definiverim. Sed utut sit, contendimus librum *de corpore Christi* Bertramo assertum non reddere fidem auctoris illius suspectam, imo quam plurima doctrinam Catholicam exerte confirmare, alia vero subobscuriora facili et benigno posse interpretamento ad sensum orthodoxum reduci. Etenim mens alicujus auctoris ex sententiis obscuris et a viris constantissime Catholicis usurpari interdum solidis non recte colligitur, nec oportet quæ certa et manifesta sunt, ex dubiis et incertis exponi, sed potius obscura, dubia et ambigua ex certis et manifestis interpretari debemus; id enim pietas, id prudentia christiana, id charitas Catholica postulant. Atqui doctrina orthodoxa præsentiæ realis corporis Christi et transsubstantiationis in opere Bertrami manifeste et sine ambiguitate exprimitur: « Panis » (inquit in responsione ad priorem quæstionem, quam initio libri proposuerat) « qui per sacerdotis ministerium Christi corpus efficitur, aliud exterius humanis sensibus ostendit, et aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma prætenditur, color ostenditur, sapor accipitur; et interius longe aliud multoque pretiosius, multoque excellentius intimatur, quia cœleste, quia divinum, id est Christi corpus ostenditur.... Post mysticam consecrationem nec panis jam dicitur, nec vinum, sed Christi corpus et sanguis.... Sub velamento corporei panis corporeique vini spirituale corpus Christi, spiritualisque sanguis existit. » Et infra : « Panis qui offertur ex fructibus terræ cum sit assumptus, in Christi corpus transponitur, sicut et vinum cum ex vite defluxerit, divini tamen sanctificatione mysterii efficitur sanguis Christi, non quidem visibiliter, sed operante invisibiliter Spiritu sancto. » Denique sic concludit : « Ex his omnibus quæ hactenus dicta sunt, monstratum est, quod corpus et sanguis Christi, quæ fidelium ore in Ecclesia percipiuntur, figuræ sunt secundum speciem visibilem; at vero secundum invisibilem substantiam, id est divini potentiam Verbi, corpus et sanguis Christi vere existunt : unde secundum visibilem creaturam corpus pascunt, juxta vero potentioris virtutem substantiæ mentes fidelium et pascunt et sanctificant. »

Hac de causa non solum Caletius, sed ipsi etiam Magdeburgenses centuria 9. cap. 4. 6. et 8. contendunt non solum Bertramum credidisse corpus et sanguinem Domini super altare poni, et inde populo distribui, sed etiam transsubtantiationis habere semina : « Utitur enim, » inquiunt, « vocabulis commutationis et conversionis. »

Nec obest quod aliqua obscura et ambigua scripserit Bertramus. Non obest, inquam; si enim S. Athanasius, referente Facundo Hermianensi lib. 10. cap. 5. S. Dionysium Alexandrinum a calumniis Arrianorum vindicavit, tametsi aliqua dura, et ad excusandum difficilia protulerit, quia nunquam cum viveret, fuit de impietate accusatus, aut Episcopatu dejectus, sed in Ecclesiæ semper permansit unitate : nec mens auctoris ex levi sono verborum, sed ex intensione illius æstimanda est; intentio autem, cum jam persona defuncta est, ex communione Ecclesiæ religiosius æstimatur, ne tota quæ ei communicavit culpetur Ecclesia : ita similiter, et si aliqua ambigua, et ad defendendum difficilia in opere Bertrami legantur, excusari tamen possunt et debent, cum cæteroquin constet Bertramum dum viveret numquam fuisse hæreseos insimulatum, sed in

Ecclesiæ permansisse unitate, in ejusque sinu atque communione placide obdormivisse.

Loci autem illi obscuriores et explicatu difficiliores sunt, 1° quia scripsit in Eucharistia figuram esse, et quod in Ecclesia Fidelium ore sumitur, fieri corpus et sanguinem Christi in mysterio seu figura; 2°. quia scripsit corpus quod ex Virgine natum est, non esse id quod ore Fidelium per sacramentorum mysteria sumitur in Ecclesia; 3°. quia dixit, quod secundum creaturarum substantiam, quod fuerunt ante consecrationem, hoc postea consistunt.

Verum hæc ex aliis ejusdem locis facile intelliguntur. Primo enim loco non intendit in Eucharistia esse meram figuram, sed quod species panis et vini sunt figuræ corporis et sanguinis Christi sub eis contentorum; nam, ut ipsemet ait, figura est obumbratio quædam quibusdam velaminibus quæ intendit ostendens. Quare nihil aliud Bertramus intendit, quam Stercoranistarum dogma refellere, asserentium in Eucharistia adeo nullam interesse figuram, ut ipsa quæ apparent accidentia, corporis Christi accidentia evadant. Secundo vero loco vult solum corpus de Virgine natum non esse eodem modo in Eucharistia quo visibiliter natus est, quia modo spirituali speciebus sacramentalibus obvolutum in Eucharistia continetur : nam cæteroquin affirmat corpus Christi in Eucharistia vere existere. Denique tertio loco vult solum panem et vinum consistere post consecrationem secundum apparentiam subtantiæ, non quod substantia panis remaneat, sed quia sensibus, mediis accidentibus, apparet. Nam ipsi Magdeburgenses Centuriatores transsubstantiationem agnovisse Bertramum non diffitentur.

Septimo difficultas est de Joanne cognomento Scoto vel Erigena, ex Hibernia oriundo, quæ patrio idiomate Erin seu Eri nominatur, et anno 883. vel 884. obiisse legitur. Vindicare illum nonnulli satagunt : gravissimis tamen momentis vir suspectæ fidei creditur et liber ejus de corpore Christi ut erroribus scatens reprobatur. Tum quia Joannis Erigenæ auctoritate potissimum utebatur Berengarius. Tum quia, teste Nicolao Romano Pontifice epist. *ad Carolum Calvum*, licet Joannes multæ scientiæ esse prædicetur; tamen non sane sapere in quibusdam frequenti rumore dicitur. Tum quia in Concilio Vercellensi liber Erigenæ proscriptus est. Tum quia Berengarius epist. *ad Lanfrancum*, quæ exstat in manuscripto Bibliothecæ Regiæ, asserit Joannem Scotum a. Paschasio, qui longe ante anno 818. de Eucharistia scripserat, dissentire, reprehenditque Lanfrancum, quod Scoti sententias improbaverit. In epistola etiam *ad Assellium*, illum idem Berengarius vehementer objurgat, quod hæreticum haberet Joannem Scotum inconsiderate, impie, et indigne sacerdotio suo. Cui respondens Assellius : « Joannem vero Scotum, » inquit, « nec inconsiderate, nec impie, nec indigne sacerdotio meo hæreticum habeo, quem toto nisu totaque intentione ad hoc solum tendere video, ut mihi persuadeat, hoc videlicet quod in altari consecratur, neque vere corpus, neque vere Christi sanguinem esse : hoc autem adstruere nititur ex sanctorum Patrum opusculis quæ prave exponit. » Denique in epistola *ad Richardum* idem Berengarius conqueritur Joannem Scotum, in concilio Vercellensi injustissime damnatum, et Paschasium nihilominus assertum.

Nec obest, quod idem Joannes post obitum Sanctus et Martyr habitus sit, sepultusque ad magni Altaris sinistrum latus cum insigni epitaphio his versibus a Guillelmo Malmesburiensi lib. 2. cap. 4. relatis, comprehenso : « Clauditur hoc tumulo sanctus Sophista Joannes, qui ditatus erat jam vivens dogmate miro : Martyrio tandem Christi conscendere regnum commeruit. » Non obest inquam; hoc enim epitaphium non auctoritate Ecclesiæ, sed amicorum affectu positum est. Neque eum ut Martyrem commendat Cardinalis Baronius ad annum 884. Quin potius doctissimus Genebrardus in liturgiam S. Dionysii, confossum graphiis, et a discipulis sævissime interemptum Joannem ait propter Sacramentariorum impium dogma quod defendebat. Unde eum nec ut Sanctum, nec ut Martyrem agnovit Ecclesia Catholica, quæ potius librum ejus post obitum condemnavit.

Octavo in Ecclesiæ orthodoxam fidem insurrexit Berengarius Andegavensis Ecclesiæ archidiaconus, qui licet de multis accusetur ab Episcopo Leodiensi Deoduino epist. *ad Henricum Francorum Regem*, necnon a Guitmundo rejecti Baptismi parvulorum et eversorum legitimorum conjugiorum insimuletur; quia tamen eorum errorum in conciliis Berengarii causa coactis nulla fit mentio, dicendum est propriam et singularem Be-

rengarii hæresim in eo fuisse sitam, quod negaret in Eucharistia veram fieri substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi conversionem. Unde omnia in Sacramento altaris per figuram et similitudinem geri inferebat, et ea quæ ad altare deferantur panis et vini munera, post consecrationem etiam quod fuerant permanere. Quamvis autem initio hæreseos Berengariani realem Christi præsentiam inficiarentur, nihilque corporis et sanguinis Domini sacramentis inesse contenderent, sed umbras tantum et figuras; in progressu tamen Ecclesiæ rationibus convicti dixerunt in sacramento corpus et sanguinem Domini revera, sed impanatum contineri, transsubtantiationem inficiantes.

Porro Berengarii hæresis in Galliis sæpe proscripta ad Apostolicam tandem Sedem delata, primum in concilio Romano deinde, in Vercellensi sub Leone IX. anno 1053. damnata est, liber Joannis Scoti anathemate perculsus, et Ecclesiæ Catholicæ fides concordi omnium assensu confirmata. E vita migravit deinde Leo IX. quem defunctum hæresiarcha Berengarius, ut refert Guitmundus, convitiis laceravit, eumque concilium vanitatis coegisse impie blasphemavit, Petulcam ejus audaciam compressurus Victor II. Leonis successor concilium Turonis coegit anno 1055, cui per Legatos, maxime per Ildebrandum, cui postea fuit Gregorius VII. præfuit. Data ibi illi est causæ suæ defendendæ optio, quam tamen defendere reformidans, communem Ecclesiæ fidem confessus est, datoque propriæ manus sacramento, ab ea se nunquam recesserum spopondit. At hæresiarcha Sacramenti immemor et violator ad vomitum rediit. Unde virus ne serperet, Nicolaus II. Romæ concilium ex centum tredecim episcopis, cui et Berengarius interfuit anno 1059, coegit. Ibique ejus sententia a Patribus et summo totius Christiani nominis Pontifice audita, examinata, atque damnata fuit. Ipseque Berengarius sanctæ synodo concedens libros suos perversum dogma continentes in medio sacri Concilii propalam igni tradidit, jurans fidem a Patribus præsentibus traditam se inviolabiliter servaturum.

Auctoritate sanctæ synodi Umberto episcopo Cardinali demandata provincia est, ut veræ fidei formulam ederet, et Berengario ad legendum et confitendum traderet. Acquiescens autem Berengarius eam accepit, legit, confessus est, seque ita credere jurejurando firmavit, et manu tandem propria subscripsit. Hæc autem fidei professio ad hanc formam redacta fuit : « Ego Berengarius indignus diaconus Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensis cognosco veram, Catholicam, et Apostolicam fidem : anathematizo omnem hæresim, præcipue eam de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur panem et vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, et non verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter nisi in solo sacramento manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, aut Fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ et Apostolicæ Sedi, et ore et corde profiteor de Sacramentis Dominicæ cœnæ eam fidem me tenere, quam Dominus et Venerabilis Papa Nicolaus, et hæc sancta Synodus auctoritate Evangelica et Apostolica tenendam credidit, mihique formavit : scilicet panem et vinum quæ in Altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, et sensualiter non solum sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri. Jurans per sanctam et ὁμοούριον Trinitatem, et per hæc sacrosancta Christi Evangelia. Eos vero qui contra hanc fidem venerint cum dogmatibus et sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando contra id sentire ac prædicare præsumpsero, subjaceam Canonum severitati. Lecto et perlecto sponte subscripsi. » Ita referunt Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, et habetur *de Consecratione* distinct. 2. quæst. 1.

Calumniantur hæretici hanc fidei professionem quam non solum suis hæresibus, sed etiam catholicis Ecclesiæ Romanæ sensibus contendunt esse adversam. Nam neque panis est corpus Christi, nec corpus Christi sensualiter in veritate manibus tractatur, frangitur, et dentibus atteritur, nisi vera esset spurcissima Stercoranistarum doctrina. Verum hæc hæreticorum calumnia nullius momenti est; nam fidei professio illa non habet, panem esse corpus, quod consubstantiationem significaret; sed panem post consecrationem esse corpus, quod transsubstantiationem significat; sicut e contra Berengarius docuerat panem

post consecrationem non esse nisi sacramentum et signum corporis Christi. Dicitur autem corpus Christi manibus tractari, frangi, atteri dentibus, denominatione extrinseca petita a speciebus quæ contractentur, franguntur, atteruntur, sub quibus corpus Christi realiter continetur, uti supra inter dissolvenda Calvinistarum sophismata diximus. Sed ad Berengarium redeamus.

Post tam solemne sacramentum versatilis et arundini vento agitatæ similis Berengarius fidefragus et sacrilegus violator veritatem catholicam iterum impugnavit verbis scriptisque nefariis, Ecclesiæ clavo astante Alexandro Papa, qui cum ad Dominum migrasset anno 1073. ejus successor Gregorius VII. concilium Romæ in Ecclesia Salvatoris anno 1079. adversus impietatem relapsi Berengarii coegit, cujus acta apud eumdem Gregorium libro 6. *Epistolarum*, post epistolam 17. habentur. Ibi firmata veritas Catholica, convictus iterum Berengarius, veniamque ab illa Sede quæ tota est ad clementiam comparata, quæve more Dei non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat, impetravit, in eumque modum juravit : « Ego Berengarius corde credo et ore confiteor panem et vinum, quæ ponuntur in altari per mysterium sacræ orationis et verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Jesu Christi Domini nostri ; et post consecrationem esse verum Christi corpus quod natum est de Virgine, et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris ; et verum sanguinem Christi qui de latere ejus effusus est, non tamtum per signum et virtutem sacramenti, sed in veritate naturæ et proprietate substantiæ. Sicut in hoc brevi continetur, et ego legi, et vos intelligitis, sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. » Ita habetur in editione Lanfranci anni 1540. opera Francisci Quadrati adornata ex vetusto codice bibliothecæ Bexencis Monasterii. Quamvis enim opus Lanfranci editum sit ante obitum Alexandri Papæ, ad quem Lanfrancus ad Archiepiscopatum Cantuariensem assumptus opus suum transmiserat, potuit tamen professio illa fideliter exscripta operi illi adjici, utpote argumento illius peropportuna. Utut sit ex actis concilii Romani habetur Berengario præcepisse Gregorium VII, ne amplius de corpore et sanguine Domini cum aliquo disputaret, nisi forte eorum, qui ejus doctrina decepti in errorem prolapsi fuerant, ad fidem catholicam reducendorum gratia. Absoluto concilio secum per aliquod tempus Berengarium paterna benignitate summus Pontifex detinuit, ut instabilitatem viri toties lapsi figeret et fidei constantiam probaret. Explorata vero illius in fide firmitate, eum post multas moras ad proprios lares cum litteris commendatitiis remisit, quibus et rectam illius fidem testatus est, vetuitque ne ullum vel personæ vel bonis ejus nocumentum importaretur.

An autem Berengarius ad vomitum canino more redierit, an in fide Ecclesiæ in finem usque perseveraverit, contendit Bertoldus continuator Hermanni ad annum 1083, ipsum in errorem suum relapsum, quem sequuntur plures scriptores Calviniani. Veritas tamen est, Berengarium peracta culparum suarum pœnitentia in Ecclesiæ Romanæ fide et communione obiisse anno 1088. die Epiphaniæ. Tum quia ultima Berengarii morientis verba catholicam fidem clarissime significantia refert Guillelmus Malmesburiensis lib. 3. *de gestis Anglorum*, aitque eum in ultimo vitæ agone alternis spei et timoris motibus fuisse jactatum, Dei misericordiam sperans propter pœnitentiam, justitiam vero formidans propter aliena, quorum causa fuerat, peccata. Tum quia egregiis epitaphiis ab Hildeberto, qui postea fuit episcopus Gœnomanensis, et a Baldrico abbate Gurguliensi cohonestatus fuit. Tum quia sepultura Ecclesiastica in claustro S. Martini Turonensis donatus fuit, ut scribit Papirus Masso lib. 3. *annalium Franciæ*. Denique Berengarium ejurata hæresi Catholicum e vivis excessisse fatentur quamplures historici, nec dissentit Baronius ad annum 1088, quamvis Hildebertum redarguat, quod gloriosius quam hæresiarchæ toties sacrilege relapsi conditio postularet, epitaphium ei scripserit. Neque enim iis honoribus excipiendus est hæreticus etiam pœnitens, qui ut ei objecerunt Lanfrancus, Guitmundus, Algerus, aliique scriptores Benedictini (clarissimo enim S. Benedicti Ordini Berengarianæ impietatis victoriam et triumphum secundum Deum Ecclesia debet) doctrinæ novitatem contra Ecclesiæ toto orbe diffusæ sensum invexerat, id sæpius labefactare molitus quod universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.

Nono referunt Guitmundus et Algerus

nonnullos hæreticos existimasse, quod panis et vinum ex parte mutentur, et ex parte remaneant; alios vero putasse panem et vinum ex toto quidem in Eucharistia mutari, sed carnem et sanguinem Domini ab indignis accepta in panem et vinum malis eorum meritis iterum converti.

Decimo circa annum 1126. Petrus de Bruis, a quo sequaces Petrobrussiani dicti sunt, varios errores in Provincia Arelatensi disseminavit. Nam et infantes extra ætatem discretionis baptizari nolebat; et templa non esse in lege nova ædificanda, ædificata esse diruenda docuit; et cruces confringendas comburendasque in horrorem occisionis Christi censuit; et sacrificia, orationes, oblationes, eleemosynas aliaque pia pro defunctis opera derisit, et veritatem corporis et sanguinis Domini in Eucharistia, ejusque juge in Ecclesia offerri solitum sacrificium inficiatus est. Quamvis enim panem in corpus Christi ab ipso Christo in Cœna ultima conversum esse fateretur, ab Apostolis tamen eorumque successoribus idem fieri pernegabat, ut ex initio tractatus Petri Cluniacensis claret. In ignem tandem, quem ad succendendas cruces ipso Dominicæ Passionis die pararat, projectus et combustus est. Adversus hæreticum illum scripsit plures epistolas et tractatum specialem de sacrificio Missæ et transsubstantiatione Petrus Cluniacensis. Ejus hæresim primarius ejus discipulus Henricus, a quo Henriciani, post viginti annos, anno scilicet 1147. propagavit. Hunc S. Bernardus epist. 24. et serm. 65. *in Cantica*, scriptis variis etiam sermonibus et miraculis confutavit, ut in vita Bernardi apud Gofridum Clarevallensem videre est. Arnaldus etiam de Brixia, unde Arnoldistæ nomen sortiti sunt, circa Eucharistiam, referente Othone Frisingensi lib. 2. cap. 20. pariter erravit, quem Bernardus epist. 195. et 196. acriter exagitavit. Tandem combustus, et ejus cineres in Tiberim sparsæ sunt.

Undecimo Waldenses seu Pauperes de Lugduno, sic dicti a Petro Waldo Lugdunensi, in fidem Catholicam circa annum 1176, insurrexerunt. Vocati etiam sunt Albigenses et Tolosani, quia errorum illorum virus non parum per regionem Albiæ et Tolosæ grassatum est. Cognominati etiam sunt Lollardi a Lollardo famoso Waldi discipulo. Non tam secta specialis quam fœdissima sectarum colluvies fuit. Nam et Arianismum renovarunt, et cum Manichæis vetus Testamentum repudiarunt, et veram transsubstantiationem alii negarunt, alii corporis Christi veritatem inficiati sunt, ut apud Historicos quamplures videre est. Illos S. Dominicus auctoritate summi Pontificis, Regum Christianorum copiis partim profligavit, partim prædicatione et miraculis convertit.

Duodecimo Catholicam de Eucharistia fidem Joannes Wiclefus Anglus circa annum 1312. aggressus est. Nam, ut in concilia Constantiensi sess. 8. refertur, substantiam panis et vini in Sacramento Altaris permanere affirmavit, et accidentia panis non manere sine subjecto sustinuit, et Christum in eodem sacramento realiter adesse negavit, et Sacerdotem in peccato mortali existentem non conficere, neque consecrare Eucharistiam tradidit. Ejus errores sequutus est Joannes Hus Boemus, ut patet ex sessione 15. ejusdem Concilii, et ex processibus contra illum factis ac per testes idoneos et locupletes probatis. Nihil tamen contra Eucharistiam scripsit, nec illum ejus errorem omnes discipuli sequuti sunt. More etiam hæreticorum dubitanter de hoc mysterio interdum loquutus est.

Decimo tertio transsubstantiationem aperte impugnavit hæreticorum post hominum memoriam audacissimus Martinus Lutherus ab Erebo sæculo superiori suscitatus, veritatem corporis Domini in Eucharistia negare paratus et avidus, si per planum Evangelii textum et perpetuam traditionem licuisset, ut ex ipso alibi retulimus. Fluctuabat initio hæresiarchæ animus, et transsubstantiationis affirmantem sententiam permittebat, modo ne consubstantiatio sua hæreseos insimularetur : impudentior tamen deinde factus Catholicum de transsubstantiatione dogma impium et blasphemum anno 1522. calamo impio et blasphemo libro *contra Henricum Angliæ regem*, quem novum et eximium Thomistam appellat, edito pronuntiavit, declarans suam se antiquam transsubstantiare seu mutare sententiam. Hanc ejus assertionem mordicus tuentur discipuli Lutherani, verba Christi, *Hoc est corpus meum*, sic interpretantes : In hoc, cum hoc, sub hoc pane est corpus meum. Eodemque modo, aiunt Christum porrigendo corpus suum in pane potuisse dicere : *Hoc est corpus meum*, quo rusticus de avena in sacco inclusa, demonstrato sacco, ait, hoc est

avena ; quo mater de infante in cunis cunas ostendens ait: Hoc est infans meus ; vel caupo de vino scyphum porrigens ait : Hoc est vinum meum. Id etiam aliis exemplis exponit Lutherus libro citato contra Regem Angliæ : Sicut ignis, inquit, in fornace salva ferri substantia, et Deus in homine salva humanitate, utrobique sic mixtis substantiis, ut sua cuique operatio et natura propria remaneat, et tamen unum aliquod constituant : sic salvo pane in Sacramento est corpus Christi. Hanc suam sententiam ut adversus Œcolampadium et Zwinglium propugnaret, ubiquitatem corporis Christi somniavit, quam paulo post abjecit tamen. Hinc inter Lutheranos schisma, Kemnitio cum suis solam impanationem, Brencio et Witembergensibus ubiquitatem defendentibus.

Decimo quarto Huldericus Zwinglius Helvetius non minus Luthero quam Ecclesiæ Catholicæ infensus figurativam tantum corporis Christi in Eucharistia præsentiam circa eadem tempora finxit, quem sequuti sunt Œcolampadius, et ex parte Carolstadius ; ut quales essent imaginarii prætensæ reformationis auctores tot dissidiis clareret. Zwinglium etiam sequutus est hæreticorum nostratium architectus Joannes Calvinus, dolose quidem initio mentem suam aperiens, ne Lutheranos offenderet ; veritatem tamen corporis Christi ferre non valens, Christum ore duntaxat fidei recipi astruere conatus est. Ejus impietatem sequitur confessio Huguenottorum Gallica art. 36. sequuntur et Pseudo-Ecclesiæ Anglicanæ, Scoticæ, Belgicæ, Palatinæ, quam et plures Ministri iniquitatis, et novissime Claudius Charentenensis apertæ veritatis impugnator scriptis nefariis propugnarunt. Sed de his capite proxime superiori satis.

REFLEXIO.

Sacramentum Eucharistiæ erroribus hæretici, sed longe gravius indignis Communionibus Catholici persequuntur. Quare realis corporis Christi præsentiæ veritas, novæ vitæ a nobis postulat veritatem. Si Scripturarum et Patrum Christum sub rerum visibilium specie invisibiliter, revera tamen delitescentem contestantium auctoritati obtemperamus, quidni ejusdem auctoritatis ponderi cedimus, eique quæ vitæ revera conversæ realem præcipit ad Eucharistiam suscipiendam mutationem, non obsequimur ? Si impio Calvino Basilio auscultare jubeamus lib. 2. *de Bapt.* quæst. 3. scribenti : « Qui Eucharistiam sumunt, corpus Christi contingunt ; » cur eidem non et nos auscultemus lib. 1. *de Baptismo* cap. 3. asseveranti : « Oportet ut quisquis accedit ad corpus et sanguinem Domini in commemorationem ejus qui pro nobis mortuus est ac resurrexit, se peccato, mundo, ac sibi mortuum exhibeat ? » Si Sacramentariorum imagines tantum et figuras, quarum alioquin infensissimi sunt nefandi Iconoclastæ, in hoc sacramento comminiscentium, et præcipuum divini in Ecclesiam amoris pignus in symboli tenuitatem deturbantium figmenta et offutias hac Ambrosii luce dispellimus, quam lib. 4. *de Sacrament.* cap. 4. effundit : « Panis est ante verba sacramentorum ; sed ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi : » cur ejusdem Patris sese ingerentem lucem repellimus, dum hæc monita luce splendidiora nobis suggerit sermone *Domin.* 4. *Adventus* : « Mutare vitam debet, qui vult accipere vitam ; nam si non mutat vitam, ad judicium accipiet vitam ; et magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur ; magis occiditur, quam vivificetur ? »

Si novissimum Claudium Ministrum Charentonensem vaniloquiis, sophismatis, et inani philosophia fallacis rhetorices fucis oblita tot Calvinianos decipientem, et adversus veritatem perenni sæculorum omnium traditione, et omnium Christianarum communionum, una dempta Calviniana, consensione stabilitam blaterantem melius loquentis Chrysostomi aureis sententiis confundimus, ejusque eloquentiæ hujus eloquentiam opponimus, quam fudit vir divinus hom. 24. *in I. epist. ad Cor.* his verbis : « Hæc mensa cœli ac terræ supremi Regis est mensa, cui Angeli ministrant, et in qua Rex ipse videndum se exhibet, neque videndum modo, sed etiam contrectandum ac degustandum ; » quia nimirum et cum ibi Angeli vident, et nos ipsum ratione specierum videmus, et contrectamus : cur ejusdem eloquentiæ tanta vi, tantaque copia non flectimur, quæ hom. 17. *in epist. ad Hebræos*, et hom. 24 *in I. Cor.* sic tonat : « Qui hoc honore dignantur, ut mensæ regiæ accumbant, et pocula tangant regia, formosos esse oportet, et mentis pulchritudine præditos, auro fulgentes, ac pura veste amictos. Neque hæc gracculorum mensa

est, sed aquilarum, hoc est animalium sublimium, et in cœlum erectarum. quæ nullum cum terra commercium habeant, neque deorsum trahantur, aut repant rerum creatarum cupiditate illectæ, sed quæ indesinenter sursum evolent, ipsumque justitiæ Solem acutis ac perspicacibus mentis oculis intueantur? »

Si denique omnium modernorum hæreticorum Missæ sacrificium abominantium, et altaria deturbantium petulantiam hoc Augustini fulmine conterimus, quod libro 9. *Confess.* cap. 19. nobis ad extollentia se adversus Ecclesiam capita comprimenda reliquit his verbis : « Et nostris altaribus dispensatur victima sancta , qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis : » cur ad formidandas ejusdem Patris voces attoniti non pavebunt mali Catholici, quas tract. 26. *in Joannem* protulit : « Qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio non manducat spiritaliter carnem ejus, licet carnaliter et visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis et sanguinis Christi : sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit ; quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta, quæ aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est? » Itane contra unos hæreticos valebit sacrata Patrum auctoritas? Itane solos Ecclesiæ hostes exarmabit, Ecclesiæ filios non persuadebit? Absit, absurdum est, iniquum est. Cur credis, o Catholice, ibi Redemptorem tuum esse, si ipsum tam indigne, tam contumeliose maculosissima vita tua habes? Qua fronte Christo pacis osculum foris admoves, ad eumque amantis ore atque habitu accedis, quem prope diem, et quandoque ipso illo die novis peccatis scelerate prodis?

Magna sunt, o Catholice, in Eucharistia quæ credis ; ineffabilia sunt, divina sunt ; gratias non vulgares inde hausturum te speras, eximia ergo sit et singularis animi tui ad recipiendum divinum cibum compositio. Præclare Sixtus III. vel quis alius auctor in Bibliotheca Patrum : « Inenarrabile est quod credimus : immensum est quod speramus : non est vulgare quod quærimus : ergo non debet esse vulgare quod vivimus. »

SPECULATIO II.

Substantia panis et vini in corpus et sanguinem Christi Domini secundum se totam convertitur, unde et vera datur transsubstantiatio.

Definita est hæc veritas orthodoxa in pluribus conciliis adversus Berengarii prophanam novitatem coactis, et deinde in magno Lateranensi sub Innocentio III. et in Constantiensi sessione 8. et Florentino in *decreto unionis*, et Tridentino sess. 13 cap 4. et can. 2.

Eamdem veritatem clarissime docuerunt Patres superiori capite producti. Nihil enim expressius iis testimoniis esse potest, quæ ex Cyrillo Jerosolymitano, Gregorio Nysseno oratione catechetica, Ambrosio libro *de initiandis* et *de Sacramentis*, Cypriano vel Auctore sermonis *de Cœna Domini*, Damasceno lib. 4. *de Fide*, Theophilacto *in cap.* VI. *Joannis* retulimus. Quibus et illud adde Eusebii Emisseni, vel Eucherii Lugdunensis homil. 5. *de Paschate :* « Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit.... Ut ibi novum et impossibile non debeat videri, quod in Christi substantiam terrena et mortalia commutentur. Quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi Numinis consecrentur, substantia est illis panis et vini : post verba autem Christi corpus et sanguis est Christi. Quid mirum autem, si ea quæ verbo creare potuit, possit creata convertere? Imo jam minoris videntur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat commutare. Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit visibilia et invisibilia voluntatis imperia suscitare. » Quid luculentius et nervosius? Qua ergo fronte Lutherus libro suo *de captivitate Babylonica* scribere potuit transsubstantiationem esse portentosum somnium, nec illius Patres per mille ducentos annos meminisse?

Perpetua etiam fidei traditio hanc veritatem demonstrat ; cum enim ante suscitatum ab Erebo Lutherum Christianismus sub cœlo totus veram transsubstantiationem in Eucharistia agnosceret, profecto adversus antiquitatem, universitatem, et consensionem Lutherus pugnavit, unde redeunt argumenta quæ contra Calvinianos et Claudii per-

spicua mendacia superiori capite in aciem produximus.

Denique ostenditur hæc veritas ratione S. Thomæ quæst. 75. art. 2. Non essent vera Salvatoris verba, si substantia panis in Eucharistia remaneret : hoc enim pronomen demonstrativum *hoc*, indigitat substantiam sub accidentibus latentem esse corpus Christi, ut salvetur identitas prædicatum inter et subjectum : ergo si substantia panis post consecrationem permaneret, sensus esset, Substantia panis est corpus meum, quod est aperte falsum : unde non fuisset a Christo dicendum, *Hoc est corpus meum*, sed hic est corpus meum. Sane si quis haberet aurum et argentum in crumena delitescentia, falso diceret, hoc est aurum, quia demonstraret totam substantiam in crumena delitescentem, quæ non est minus argentum quam aurum. Et ratio est, quia omnis prædicatio unius de alio supponit identitatem vel unionem attributi cum subjecto ; ex eo enim quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa : panis autem et corpus Christi sunt res omnino disparatæ, nec inter se ulla identitate vel unione copulantur, nec ex natura sua vel hominum usu panis ad continendum corpus Christi est institutum, sicut dolium est institutum ad continendum vinum ; unde ostenso dolio vini pleno recte dicitur, hoc est vinum : ergo particula *hoc*, non supponit pro substantia panis, quæ proinde non manet, cum nulla panem inter et corpus Christi unio in sacramento Eucharistiæ intercedat.

Nec dici potest sensum hujus propositionis, *Hoc est corpus meum*, istum esse ; in, vel sub, vel cum pane est corpus meum ; non vero panis est corpus meum. Non, inquam, dici id potest, quia unum esse aliud, et unum esse cum alio, toto cœlo differunt : si enim indistantia unius cum alio sufficeret ad veritatem prædicationis, omnia de Deo rebus omnibus intimo prædicari possent.

Hanc rationem ex verbis Christi desumptam sua auctoritate sacrum Tridentinum concilium sess. 13. cap. 4. confirmat his verbis : « Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum id quod sub specie panis offerebat vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo hæc sancta Synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus. » Eamdem veritatem ex verbis Salvatoris sacri Doctores derivarunt : « Dubitari nefas est, » inquit S. Fulbertus Carnotensis Episcopus epist. *ad Adeodatum*, « ad cujus nutum cuncta ex nihilo substiterunt, si pati potentia in spiritualibus sacramentis terrena materies naturæ et generis sui meritum transcendens in Christi substantiam commutetur ; cum ipse dicat, *Hoc est corpus meum*, et paulo post, *Hic est sanguis meus*. Et S. Gaudentius Brixiensis episcopus tractatu 2. *in Exodum :* « Quod annuntiatum est credas, quia quod accipis corpus est panis illius cœlestis, et sanguis illius sacræ vitis : nam cum panem consecratum et vinum discipulis suis porrigeret, sic ait : *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*. » Et Guitmundus lib. 3. *de veritate corporis et sanguinis Domini :* « Hos Impanatores suo ipse Dominus verbo oris sui interfecit, cum accipiens panem gratiasque agens ac benedicens, ait : *Hoc est corpus meum*. Non ait, in hoc latet corpus meum ; sed dixit, in hoc vino est sanguis meus ; sed dixit, *Hic est sanguis meus*. » Unde non est tuta Scoti, Durandi, aliorumque Scholasticorum sententia existimantium futuram veram consecrationis formam, etiamsi panis substantia permaneat, et sola Ecclesiæ auctoritate de fide transsubstantiationis constare. Nam transsubstantiationem ex verbis Christi colligi sacrum Tridentinum concilium cum totius Ecclesiæ sensu, tum sua auctoritate declaravit.

Objiciunt primo Lutherani quasdam Scripturæ et Patrum auctoritates. In primis Eucharistia panis dicitur I. Cor. x. et Matth. xxvi. genimen vitis, Joan. etiam. vi. Christum esse se panem dixit. Irenæus quoque docet Eucharistiam duabus constare rebus, terrena scilicet et cœlesti, quæ terrena panis est. Origenes pariter *ad cap.* xviii. *Matth.* ait Eucharistiam juxta id quod habet materiale, abire in ventrem et in secessum mitti. Item S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. docet panem Eucharistiæ post invocationem S. Spiritus non esse amplius panem communem, sed corpus Christi ; sicut sanctum unguentum postquam consecratum est, non est amplius unguentum commune et nudum, sed sanctum chrisma Christi, quod adventu Spiritus sancti per ejus divinitatem energiam habet ; at chrisma non amittit per consecrationem substantiam unguenti : ergo nec panis Eucha-

risticus transsubstantiatur. Denique panem Eucharistiæ esse corpus Christi, tum Chrysostomus epistol. *ad Cæsarium monachum*, tum in sua retractatione sub Nicolao II. facta Berengarius fatentur.

Respondeo ex dictis capite superiori patere ejusmodi locorum intelligentiam. Eucharistia enim post consecrationem dicitur panis et vinum, quia panis et vinum est hujus sacramenti materia; quia panis et vinum sunt terminus a quo hujus conversionis, sicut serpens Mosis virga unde factus est nominatur; quia in Eucharistia sensibilia panis et vini accidentia permanent, ratione quorum terrenam rem in Eucharistia inveniri dixit S. Irenæus. Corpus Christi in Eucharistia, ut inquit Lanfrancus lib. sæpe citato, dicitur panis, vel quia ex pane conficitur, vel quia ratione accidentium panis, cum caro sit, videtur; vel quia, sicut panis materialis corpus nutrit, sic panis ille divinus animam alit, vegetat, et saginat. Christus autem Joan. VI. panem vivum semetipsum appellavit, utpote in cibum animarum realiter porrectum. Origenes etiam (si tractatus memorati illius sunt, Origenis enim non esse Bellarminus et alii affirmant), de accidentibus, quæ corrumpuntur, facile exponi potest. Comparatio autem Cyrilli non in eo posita est, quod mutatio adveniens unguento et adveniens pani sint ejusdem rationis, sed intendit S. Pater quod, sicut unguentum post consecrationem sanctitatem acquirit, nec est quid profanum, ita panis est corpus Christi. Et diligenter advertendum, non dixisse Cyrillum unguentum post consecrationem esse Spiritum sanctum, vel corpus Christi, sicut dixit panem esse corpus Christi. Mens etiam Cyrilli ex ejus a nobis supra relatis locis expressior est, quam ut in dubium revocari possit. Falso porro producitur Chrysostomus, cujus nulla *ad Cæsarium Monachum* exstat epistola. Confessionem etiam Berengarii sub Nicolao II. factam supra a calumniis hæreticorum vindicavimus.

Objiciunt 2° auctoritatem Ambrosii lib. 4. *de Sacramentis* cap. 4. dicentis : « Si tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant : quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant et in aliud commutentur? » Ergo in Eucharistia cum corpore Christi manent quæ erant, id est substantia panis.

Respondeo in Eucharistia manere quæ erant secundum visibilem sensibilium accidentium speciem, et in aliud commutari intrinsecam panis substantiam, in corpus scilicet Christi, quod non ex nihilo fit, sed ex iis quæ erant, quæ tamen non sunt id quod erant, id est panis et vinum, sed in aliud commutantur. Nam, ut eodem libro S. Doctor ait, « quantis igitur exemplis utimur ut probemus hoc non esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit; majoremque vim esse benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. » Observat etiam Lanfrancus in aliis codicibus præfatam Ambrosii sententiam aliis verbis exprimi hoc modo : « Si igitur tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant; quanto magis operatorius est, ut quæ erant in aliud commutentur. » Quæ littera illi sententiæ affinis est quæ libro de initandis habetur in hæc verba : « Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? »

Objiciunt 3. auctoritatem Papæ Gelasii, qui libro *de duabus in Christo naturis* contra Eutychen et Nestorium edito, sic habet : « Sacramenta quæ suminus corporis et sanguinis Christi divina res est; propter quod et per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, et tamen esse non desinunt substantia vel natura panis et vini. »

Respondeo constans esse, libellum illum de duabus in Christo naturis non esse Gelasii Papæ. Tum quia opus de duabus in Christo naturis a Gelasio Romano Pontifice scriptum dicitur a Gennadio et Honorio Augustodunensi grande volumen, atque, ut addit Anastasius Bibliothecarius in vita Gelasii, divisum in quinque libros : at opus unde locus objectus eruitur, libellus est exiguus, nec ullum habemus argumentum vel in historia Ecclesiastica vestigium, Gelasium duo illa opera edidisse. Tum quia libelli illius auctor inter veterum Patrum referenda testimonia Eusebium Cæsareensem Arianorum signiferum laudat. At Eusebii opera apocrypha Gelasius Papa declaravit. Tum quia illius libelli Scriptor, postquam confessus est se veterum Patrum pro duabus Christi naturis referre testimonia, Græcos tantum Patres producit : Hieronymi, Augustini, Leonis Magni nitentissima verba missa facit. Profert quidem nonnulla Ambrosii verba, at germana non refert, sed alia se-

cundum Græcam Theodoreti, qui opus illud citaverat, versionem adducit. At Romanus Antistes Patrum Latinorum splendida testimonia nec omisisset plane, nec quæ producit ex genuinis haurire fontibus prætermisisset. Tum qui insignem celebris Pontificis locum in suæ causæ patrocinium proferre Berengarius, ejusque discipuli non essent obliti. His omnibus adde opus illud publici juris factum opera Basileensium Lutheranorum anno 1527. ex codice mendis scatente, quem et suis additamentis corrupisse amplius gravis suspicio est, cum et Paschasii catholicum opus eodem tempore adulterarint. Videatur Cardinalis Perronius.

Si autem quæras quisnam sit illius operis architectus? Respondebo arbitrari nonnullos compilatorem esse nullius auctoritatis, qui et quædam ex Gelasio assuit, et alia ex suo cerebro adjecit. Ipsum etiam operis exordium, quod sic incipit : « Necessarium quoque fuit, ut qui », etc. evincit tractatum esse collectoris exscribentis aliena verba, non auctoris librum veluti proprium fœtum edentis. Melchior autem Cano lib. 6. *de Locis*, cap. ultimo, ad 9. librum illum Gelasio Cæsareensi scriptori Græco asserit.

Objiciunt 4° auctoritatem Theodoreti, qui dialogo 1. sic habet : « Symbola quæ videntur appellatione corporis et sanguinis honoravit, non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adjiciens. » Et dialogo 2 : « Neque signa mystica post sanctificationem recedunt a sua natura, manent enim in priori substantia, figura et forma ; et videri et tangi possunt sicut prius. »

Respondeo hujus loci auctoritatem multipliciter elevari. Tum quia grandis non est Theodoreti auctoritas, ubi de Eucharistia sermo est. Fuit enim vir de Nestorianismo suspectus, cui ne noceret, lubrice de Eucharistia loquebatur, Patribus ut occurreret, qui veritatem Incarnationis ex Eucharistia confirmabant, ut ex S. Cyrillo claret, sicut et Verbi divinitatem ex eodem Eucharistiæ myterio S. Hilarius adversum Arianos stabilivit. Tum quia Theodoreti mens ex obscuro elici loco nequaquam potest. At Theodoretus materiam Eucharistiæ nedum obiter pertractat, sed obscuritatem quamdam affectat. Dialogo enim primo sic Orthodoxus affatur : « Velim te paulo magis mystice respondere ; adsunt enim fortasse nonnulli, qui non sunt initiati mysteriis. » Cui Eranista : « Ita audiam, et ita respondebo. » Quod et dialogo 2. et 3. inculcatur. Tum quia priori loco intendit tantum Theodoretus in Eucharistia non mutari naturam seu essentiam accidentium, cum panis et vinum non sint corporis et sanguinis Domini symbola nisi ratione accidentium. Tum quia in posteriori loco per substantiam non intelligitur substantia panis quæ dat esse simpliciter et substantiale oppositum esse secundum quid et accidentali. In Græco enim Theodoreti legimus οὐσίαν, seu essentiam, quam utique accidentia retinent. Substantiæ etiam nomine Doctores leges strictæ Philosophiæ prætergredi non curantes rei qualitates, virtutes, et proprietates intelligunt. Sic Hilarius can. 10. *in Matth.*, in resurrectione futurum esse ait, « ut caro nostra refundatur in substantiam spiritualis animæ. » Tum quia, ut Cardinalis Perronius aliique observarunt, Theodoreti verba non sunt accurate ab interprete e Græco in in Latinum translata, non enim debuit vertere, manent enim in priori substantia figura, et forma » ; sed « manent enim in prioris substantiæ forma, et figura », uti ex Græco demonstrant.

Dices : In dialogo illo Orthodoxus ex comparatione Eucharistiæ colligit in Christo post unionem nedum superesse formam et figuram, sed ipsam etiam corporis substantiam : ergo ne invalidum sit ipsius argumentum, supponere debet in Eucharistia præpter formam et figuram, ipsam quoque permanere panis substantiam.

Respondeo Orthodoxum non comparare in omnibus Eucharistiam cum Incarnatione, cum manifestum sit duo illa mysteria sicut multis conveniunt, multis quoque differre. Valide tamen ex Eucharistia, suppositis aliis ab adversariis vel concessis, vel certe necessario concedendis, argumentatur. Ex eo enim quod in Eucharistia remaneant accidentia panis infert Orthodoxus, in Christo vera quoque fuisse accidentia et proprietates humanitatis afficientia Christum Dominum, non secundum naturam divinam : ergo secundum naturam humanam. Quamvis enim accidentia possint divinitus sine subjecto existere, tamen quia ex Scripturis et communi sententia constabat accidentia humanitatis vere Christum affecisse, qui propterea vere dictus est flens, comedens, fatigatus, passus, etc., recte inde inferebant Catholici, quod cum non possent Christum afficere secundum divinitatem, humanita-

tem prorsus afficiebant. Itaque argumentum adversarii colligentis in Christo non esse humanitatem, sed esse in dinivitatem conversam, quia substantia panis in Eucharistia convertitur in substantiam corporis Christi ; argumentum, inquam, illud recte retorquet Orthodoxus dicens : In Eucharistia nedum est corpus Christi, sed etiam vera panis accidentia : ergo similiter in Christo vera sunt humanitatis accidentia propria. Ex quo, supposito alio principio, inferebat esse quoque in Christo veram humanitatem : quia nimirum accidentia humanitatis vere Christum afficiebant, ut tota Scriptura clamat : ergo aliquam in Christo naturam afficiebant ; non divinam, ergo humanam. Ex concessis ergo ab adversario validum ad Eucharistia argumentum deduxit Orthodoxus.

Objiciunt 5° auctoritatem abbatis Ruperti, qui fatentibus etiam nonnullis insignibus Catholicis impanationem admisit, quatenus voluit panem in Eucharistia non in corpus Christi converti, sed a Verbo divino assumi, quemadmodum ab eodem humanitas in mysterio Incarnationis assumpta est. Ita enim censuerunt Cardinales pietate magis et doctrina quam purpura Eminentissimi Baronius et Bellarminus.

Respondeo multa apud Rupertum legi, quæ impanationi in speciem favere videntur : salvo tamen meliori judicio, salva præsertim quæ Cardinalibus præfatis reverentia debetur maxima, benigne piissimus ille et doctissimus Abbas exponi, et ad sensum Catholicum reduci facile potest. In primis impanationem docuisse videtur lib. 2. *in Exodum*, ad hæc verba : *Sed comedetis assum tantum igni.* « Id est », inquit, « totum attribuetis operationi Spiritus sancti, cujus effectus non est destruere vel corrumpere substantiam quamcumque ; sed substantiæ bono permanenti quod erat, invisibiliter adjicere quod non erat : sicuti naturam humanam non destruxit, cum illam operatione sua ex utero Virginis Deus Verbo in unitatem personæ conjunxit : sic substantiam panis et vini secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam non mutat aut destruit, cum eidem Verbo in unitatem corporis ejusdem quod in cruce pependit, et sanguinis ejusdem quem de latere suo fudit, ista conjungit. » Et rursum : « Quomodo Verbum a summo demissum caro factum est, et non mutatum in carnem, semper assumendo carnem : sic panis et vinum utrumque ab imo sublevatum fit corpus Christi et sanguis, non mutatum in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem, sed assumendo indivisibiliter utriusque, divinæ scilicet et humanæ, quæ in Christo est immortalis, substantiæ unitatem. Proinde, sicut hominem, qui de Virgine sumptus in cruce pependit, recte et catholice Deum confitemur, sic veraciter id quod sumimus de sancto Altari Christum dicimus, Agnum Dei prædicamus. » Idem non minus perspicue tradit lib. 9. *in Joannem*, ubi docet, « Verbum jamdudum factum carnem, panem visibilem fieri, non mutatum in panem, sed assumendo, et in unitatem personæ transferendo panem. » Additque ratione illius assumptionis panem vere dici corpus Christi. Quod et lib. 2. *de Officiis*, cap. 1. et 9, repetere videtur.

Nihilominus tamen pro transsubstantiatione stetisse Rupertum, multipliciter ostendi potest. Tum quia Rupertus locis capite præcedenti, ubi eum a Calvinismo vindicavimus, laudatis, a Berengarii se doctrina adhorrere profitetur : constat vero Berengarium (nec ignorare poterat Rupertus) non minus ob inductam præsentiam figuralem quam ob invectam impanationem ab Ecclesia fuisse solemnibus, iteratisque judiciis condemnatum. Tum quia locis ibi memoratis, « panem et vinum in veram corporis et sanguinis Domini transire substantiam » luculenter confitetur, quæ ipsissima est transsubstantiationis doctrina. Tum quia lib. 2. *de Officiis*, cap. 2, diserte ait : « Panis et vinum in verum corpus et sanginem Domini transferuntur. » Quibus verbis a Catholicis tradita transsubstantiatio significantissime exprimitur.

Quæ etiam in locis præfatis nonnihil molestiæ facere videntur non incommode exponi possunt. Etenim verum est operatione Spiritus sancti non destrui vel corrumpi simpliciter substantiam panis per omnimodam desitionem vel conversionem quæ non sit in melius : tunc enim solum substantia destruitur, vel corrumpitur, cum vel ad nihilum prorsus redigitur, vel totalis fit usque ad materiam primam, nullo sensibili permanente, resolutio. Et certe veram conversionem unius substantiæ in aliam divinitus posse contingere non negat, sed eo loci exemplo conversionis aquæ in nuptiis Cana factæ astruit, confirmatque Rupertus. Cum

etiam permanere substantiam ait, non de substantia opposita accidentibus loquitur, sed de essentia accidentium, quæ substantia quadantenus dicitur, uti supra diximus. Patet enim Rupertum non loqui nisi cum modificatione de substantia, quam ibi substantiam « secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam » appellat, quam et in Joannem « substantiam visibilem » appellat. Substantia autem quam in corpus Christi converti Ecclesia Catholica docet, non est visibilis, neque quinque subacta sensibus. Manifeste etiam colligi videtur, negare ipsum accidentia panis non converti in accidentia corporis Christi, dum ait panem et vinum in Christi corporis non converti saporem, vel sanguinis horrorem. Denique cum comparat assumptionem panis cum assumptione humanitatis, non intendit intercedere unionem hypostaticam panem inter et Dei Verbum, sed idem Verbum, quod assumpsit humanitatem substantiam panis in substantiam corporis Christi a se assumpti convertere ratione cujus conversionis panis appellatur caro, et Verbum panis vivus qui de cœlo descendit. Explicare etiam unum per alia mysteria difficultatum complanandarum gratia Patres assolent; dumque unum alteri comparant, non strictam similitudinem intendunt, sed unum miraculum alio illustrare, servatis servandis, cæterisque paribus confirmare satagunt. Et ita Rupertus Eucharistiam, quam Patres Incarnationis extensionem jure dicunt, ejusdem Incarnationis sacramento exponere, et credibilem reddere studuit, salvis tamen utriusque mysterii discriminibus.

REFLEXIO.

Totam panis, vinique substantiam in suam Christus convertit, ut cibus noster factus totum hominis cor, totam mentem, totos animi affectus in se transformet. Transubstantiatio elementorum est Eucharistiæ miraculum, transformatio animorum finis et fructus est divinissimæ Eucharistiæ. « Cibus sum grandium, » aiebat Augustino Deus : « nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me. » Cibos carnales in substantiam nostram convertimus; at divinus Eucharistiæ cibus in se trans. mutat quos pascit : quia nimirum corporalem cibum nativus calor concoquit, et agendo animalis, cujus instrumentum est, imprimit proprietates. At panis Angelorum Christus ore quidem realiter sumitur, solo tamen amoris igne digeritur : amor porro amantem in rem amatam transfert : unde, si Christus sicut oportet comeditur, in Christum comedens commutatur.

Itaque, si scire aves, an digne cœleste pabulum frequentes, perpende num mentem a Christo semotam, voluntatem aversam, sensus cordis intimos alienatos geras. Cerne utrum te rerum sæcularium ac terrenarum odio fastidioque occupatum, divinarum ac cœlestium studio captum ac velut ebrium senseris. Et cum te videas omnis devotionis sensu et fructibus, quibus solida pietas potissimum dignoscitur, adeo nudum ac vacuum, ut anima tua incultum quoddam ac sterile solum esse videatur, in quo præ nimio terrenorum, quibus mersus es, amore; præ insaniarum falsarum implicatione, nulla charitatis scintilla emicat, nulla qua irrigeris cœlestis gratia stilla pluit.

Ergo, ut vera contingat cordis animique transubstantiatio, expurga vetus fermentum, et munda cordis tui habitaculum; quia cor purum quærit puritatis amator. Insiste orationi, ingemisce, pete, quære, pulsa, neque incepto ante desiste, quam ut a Deo interioris gratiæ radios experiare, et amoris ejus indicia et pignora exprimas, ac velut extorqueas. Frustra animi tui in Christum transformandi beatissimam unionem expectas, si omnes ambitionis ac voluptatum libidines inclusas animo, immotasque serves, si tui, mundique amore ferveas, si arctissimis sæculo vinculis astrictus sis. Solo calore fit cibi transmutatio : quid ergo mirum si in Christum quem realiter sumis non transmuteris, qui nedum torpore et ariditate in Sanctos quandoque cadente afficeris, sed lethali etiam frigore illo laboras, quod a vitæ pravitate, a cupiditatum corruptela, ab ardenti terrenorum studio, a tui ipsius amore immenso, ab incuria et dissolutæ vitæ languore proficiscitur.

Quotquot ad fortunatam illam cordium transformationem aspiramus, audiamus Chrysostomum hom. 83. *in Matth.* serio monentem : « Nemo nauseans ad hanc mensam adeat, nemo remissus; sed alacres, accensi, et ferventes omnes accedant. Nam, si Judæi stantes, calceati, ac baculos in manibus habentes cum festinatione paschalem agnum comedebant : quanto magis vigilare nos decet, vividosque et inflammatos ad Sacramentum istud animos afferre? »

SPECULATIO III.

Inter solvenda argumenta a ratione petita, Catholica transsubstantiationis doctrina magis magisque explicatur.

Expositis paucis quæ ex Patribus depromunt Lutherani argumentis, elidenda supersunt petita ab humana philosophia eorum sophismata; cum enim se ab auctoritate sacra desertos nudosque sentiant, rationem humanam in fidem hæreticorum more armare moliuntur.

Et quidem vulgarem cavillum ab accidentibus, quæ sine connaturali subjecto existere non posse vaniloquiis inanissimis contendunt, desumptum, superius contrivimus. Neque enim convincere unquam poterunt inhærentiam actualem ad essentiam accidentium desiderari; aptitudinalem et radicalem, Deo præsertim qui omnia portat verbo virtutis suæ miraculose operante, non sufficere. Ostendant si possint, Creatorem omnipotentem, qui omnia e nihilo condidit, creata non posse sine naturalibus fulcris conservare. Forte creaturarum adminiculo eget conservator Deus facta ne pereant, qui ipsa adminicula sustentandi vim contulit? Dei virtutis tessera e nihilo agere: tunc ergo digne agit omnipotens, cum e nihilo subjecti facta tenet atque conservat, qui subjecta ipsa e nihilo creavit. Nec propterea accidentia sunt in statu violento, quia cum cuilibet enti insita sit universalis ad obediendum Creatori obedientia, quæ omni est peculiari propensione antiquior et vehementior, nulla fit accidentibus violentia, dum peculiaris inclinatio universaliori Deo supernaturaliter agente et omnia suaviter disponente concedit. Et sane congruebat accidentia panis desinente per transsubstantiationem subjecto permanere: tum quia non est consuetum hominibus, sed horribile humanam carnem edere, sanguinemque potare: porrigi ergo nobis debuit caro et sanguis Christi sub earum specie rerum, quæ frequentius in usum hominis veniunt, qualis est panis et vinum. Tum ne si sub specie propria Dominus ederetur, impiorum irrisioni exponeretur. Tum ut dum invisibiliter corpus et sanguis Christi sumitur, major exercendi et captivandi intellectum in obsequium fidei occasio præbeatur.

Quod si suam sine subjecto accidentibus existentiam largitur Deus, qui est primum totius esse principium, liquido consequitur accidentia Eucharistica in eamdem posse operationem omnem prorumpere, quam dum in subjecto inerant elicere nata erant; operation namque sequitur esse, et unumquodque in tantum operatur in quantum est actu: unde, si accidentia divinitus sine subjecto esse possunt, sine illo etiam operari utique poterunt; non enim operatio accidentis magit pendet ab operatione substantiæ, quam esse accidentis ab esse substantiæ. Quod si accidentia possunt sine subjecto existentia in alia subjecta operari, poterunt etiam ab aliis agentibus pati, seu eorum actionis impressum impulsum recipere, subindeque destrui et corrumpi, si actionis agentis contrarii impetum ferre non valeant: cum enim actio et passio sequantur esse, si esse divinitus accidentia sine subjecto possunt, sicut sine illo agere; ita et ab aliis agentibus sine subjecto pati possunt.

Multa autem huc ex philosophia asportari possent, sed quia varii varie philosophantur, his tricis implicandam theologiam minime necessarium reor. Thomistarum tamen et communior sententia est, solam quantitatem sine subjecto existere, cætera vero in quantitate subjecti vices gerente sustentari. Tum quia videmus accidentia dividi ad divisionem quantitatis; unde ei insunt, cui commensurantur, cujusque sectione intersecantur. Tum quia actionis et reactionis accidentium Eucharisticorum cernimus dari commune subjectum, quod est quantitas ad genus causæ materialis proxime accedens, cum sit prima substantiæ corporeæ proprietas. Sicque omnia in speciebus Eucharisticis et connaturalius fiunt, et commodius explicantur, et innumera sine necessitate miracula non multiplicantur.

Dices: Concursus causæ materialis imprescindibilem involvit imperfectionem partis componentis, et recipientis ab alia perfectionem. Ergo Deus supplere causalitatem materiæ et subjecti accidentium non potest, quia non decet actum purum ab omni imperfectionis labe immensum alienum vel aliud recipere, vel ab alio perfectionem mendicare.

Respondeo Deum non posse causalitatem subjecti per modum subjecti recipientis formam, ab eaque perfectionem emendicantis supplere; ejus tamen concursum efficienter supplere posse quidquid per concursum materialem præstatur. Sicut enim vices formæ

nformantis, et cum materia totum componentis gerere non potest, tametsi quidquid præstat forma eminentiori et nobiliori modo supplere valeat, ut patet in mysterio Incarnationis, in quo divini Verbi subsistentia humanitati propria existentia et subsistentia nudæ totum confert quod ab illa forma præstaretur ; ita quidquid materia substentando facit, totum id Deus Verbo virtutis suæ effective portare, et conservare potest.

Instabis : Dum Deus subjecti accidentium vices et officium supplet, vel id per manutenentiam duntaxat præstat, vel id per modi per se existentis communicationem efficit : neutrum dici potest. Non primum, quia nisi conservatio Dei aliquid reale quantitati imprimat, cujus beneficio per se existat, eodem sicut antea modo quantitas se habebit. Secundum etiam dici nequit, quia modus realis per se existendi est substantiæ proprius, nec potest accidenti esse communis ; nec minus repugnat modum per se existendi communicari accidenti, quam modum existendi in alio substantiæ diffundi, alioquin rerum naturæ confundentur, et omnia susque deque miscebuntur. Ergo subjecti concursum Deus ne quidem efficienter supplere potest.

Respondeo eatenus quantitatem panis in Eucharistia existere per se, quatenus Deo eam manutenente subjecto non inhæret, nec illius eget fulcimento. Neque opus est ut quantitati aliquid Deus reale imprimat, ut sine subjecto persistat ; sed sat est, ut ejus perenni conservatione faciat Deus ne in nihilum relabatur. Fictitius enim, et impossibilis est modus aliquis positivus existendi per se accidentibus communicatus, quia vel esset substantialis, vel accidentalis. Non substantialis ; tum quia nulla remanet in Eucharistia naturalis substantia, sed una remanent accidentia sub quibus corpus Christi latet : tum quia modus quivis rei modificatæ naturam et conditionem sapit, ejusque perfectione inferior est ; modus autem substantialis accidentibus perfectione præstat. Non potest etiam modus ille esse accidentalis ; cum enim modus accidentalis accidens sit, tam repugnat modum illum esse ens per se, quam repugnet non esse accidens. Sane cum modus ille quantitati quam afficit inhæreat, profecto non per se existit, sed in alio : at quomodo quod in alio existit et essentialiter alteri inhærere exigit, modum existendi per se alteri tribuet ? Quomodo quod non habet, nec habere potest, alteri dabit ? Quomodo effectum formalem forma sua longe nobiliorem conferre valebit ? Quapropter, sicut Deus substratis non eget fulcris ut accidentia conservet, ita nec adventitiis indiget adminiculis ea ut suffulciat.

Objicies rursum : Ex Eucharistia etiam post consecrationem potest aliquid substantialiter generari, et interdum de facto generatur, cum e putrescentibus speciebus vermes nascuntur : atqui generatio substantialis ex præjacente materia et substantia fit ; forma namque generatorum vermium nec ex accidentibus solis, nec ex incorruptibili Christi Domini corpore educitur. Ergo in Eucharistia substantialis panis materia, quæ substantialis formæ de novo genitæ subjectum sit, perseverat, subindeque vera non datur transsubstantiatio. Idem argumentum fieri potest de nutritione : potest enim quis ex speciebus Eucharisticis substantialiter nutriri : non nutritur autem homo ex solis panis accidentibus, nec ex corpore Christi : ergo integra remanet unde nutriatur panis substantia.

Respondeo certum esse atque experientia compertum, multa sæpe ex Eucharistia generari. Patet enim ad sensum ex speciebus nimio humore corruptis vel mora diuturniore servatis vermes effluere, easdem combustas in cineres redigi, efficique acetum. Certum est etiam substantias in generationibus illis de novo productis ex incorruptibili Christi corpore non educi, nec etiam ex aere circumstante, ut quibusdam olim visum est, enasci. Quia, uti bene argumentatur art. 5. S. Thomas, illud ex quo aliud generatur, prius alteratum et corruptum apparet : nulla autem in aere circumstante corruptio vel alteratio visa est. Tum quia non est talis natura aeris, ut ex ea corrupta vermes vel cineres generentur. Tum quia ex magna specierum quantitate magna etiam vermium vel cinerum, vel aceti copia generatur : tanta autem terreni corporis abundentia non est ex subtili aeris materia, eaque non addensata generari nata. Tum demum quia ex Eucharisticis speciebus in auro et argento circumstante reclusis similis generatio obvenit, quæ tamen circumstantes materiæ integræ perseverant : ergo quod aer circumstet, non probat novas ex illo formas aggenerari.

Non potest etiam dici formas illas de no-

vo eductas ex redeunte panis substantia gigni, ut quibusdam antiquis a sancto Thoma memoratis bene visum est. Tum quia cum substantia panis sit conversa in corpus Christi, deberet iterum corpus Christi converti in substantiam panis, quod inauditum est. Tum quia, si rediret substantia panis, vel rediret manentibus accidentibus panis, vel iis omnino corruptis. Non manentibus accidentibus panis, quia nunquam est substantia panis cum corpore Christi, ne consubstantiatio admittatur. Non corruptis etiam accidentibus panis, quia substantia panis non existit omnibus suis spoliata accidentibus, nec in illam sic nudam agunt causæ creatæ novam introducentes formam. Et, quamvis per miraculum aliter possit fieri, cum tamen corruptio et generatio in Eucharistia naturaliter contingat, non est ad modos insolitos sine necessitate recurrendum, debetque salvari, ex speciebus Eucharisticis, posse novum compositum naturaliter generari. Quod etiam non salvant Scotus et Vasques, qui volunt novas formas ex nihilo creari : non salvat etiam Hispalensis, qui existimat quantitatem a solo Deo in corpus Christi converti. Illi enim veram generationem experientia, quæ non est sine urgenti necessitate deneganda, minime salvant, quæ exigit ut forma nova de subjecto educatur, vel saltem ut unio materiæ cum forma producta vi agentium naturalium attingatur.

Dicendum ergo cum S. Thoma, novas formas educi vi agentium naturalium ex quantitate materiæ vices gerente : quod non est intelligendum cum Ferrariensi, ut sola quantitate subjecti generationis vices supplente compositum substantiale novum ex sola quantitate et forma coalescat. Tum quia in aliis compositis nunquam forma et accidentia sine materia existunt, estque miraculum Eucharistiæ eximium, ut accidentia sine materia subsistant ; unde non est dicendum accidentia vermium et aceti, aliorumque corporum quæ ex eis successive generantur, sine materia semper consistere, et hominem pane Eucharistico diu vescentem nullam materiam in illa nutritione acquirere. Tum quia ex sola quantitate et forma substantiali non potest fieri ens per se et substantiale, nec compositum physicum quod essentialiter materia et forma constat. Sensus ergo D. Thomæ est, quod quia per consecrationem datum est quantitati supplere vices materiæ primæ quantum ad omnia quæ instans generationis antecedant, ita ut et formas accidentales, et omnes dispositiones ad novam formam præparantes recipere queat ; ideo Deus introducta ultima dispositione materiam primam producit in ipso instanti generationis novæ formæ, quæ tamen ex sinu materiæ vi agentium naturalium dicitur educi, quatenus vi ultimæ dispositionis ab agente naturali inductæ materia a Deo producta talem, et non aliam recipit formam. Nec est necesse quod materia ad recipiendas novæ formæ dispositiones tempore præcesserit novæ formæ introductionem, modo in sui vices gerente quantitate antecesserit : cum enim de æquipollentibus idem sit judicium, satis est ut quantitas vices et officia materiæ supplens toto tempore instans generationis antecedente sub novæ formæ privatione præcesserit.

Porro Deus materiam in hujusmodi generationibus connaturaliter subrogat, utpote qui ad exigentiam causarum naturalium eam subministrat. Statim enim atque dispositiones ad novam formam positæ sunt, exigunt causæ naturales eam formam introduci, ad quam dispositiones per se sunt institutæ : forma vero cum introduci non possit nisi in materiam, nec materia vi agentium naturalium produci possit ; idcirco ad generalem totius orbis provisorem attinet causarum secundarum exigentiæ sese accommodare, ac convenientem proinde materiam mox educendæ formæ supponere ; sicut animam rationalem ad exigentiam organicæ materiæ creat. Quæ materia vel creatione, vel ut probabilius videtur, conversione quantitatis in materiam producitur, ut quantitas quæ recepit dispositiones, in ipsam materiam convertatur, quæ sola formam recipere potest. Ea etiam dicendi ratione res modo magis connaturali, qui retenta mysterii et doctrinæ catholicæ veritate admodum æmulandus est, explicatur, salvaturque id quod remanet de substantia panis esse subjectum formæ eductæ, sin immediatum certe mediante materia in quam conversum est. Ex quibus argumentum a nutritione desumptum omnino solutum manet ; cum enim nutritio sit partialis generatio, sicut ex speciebus Eucharisticis potest aliquid generari, ita et ex eis pari modo nutriri.

Objicies iterum : Si nihil de substantia panis in Eucharistia remaneret, tota panis substantia ad nihilum redigeretur ; quid enim est quippiam annihilari, quam ita in

nihilum cedere ut nulla rei pars remaneat; sicut nihil est aliud corruptio quam destructio formæ, remanente subjecto. Atqui tota panis substantia non annihilatur, cum in corpus Christi convertatur, et ab uno esse in aliud transeat, unde nulla datur convertio, si vera contingat substantiæ panis annihilatio. Ergo aliquid in Eucharistia de substantia panis permanet.

Respondeo inter theologos Catholicos convenire, totam panis substantiam desinere, nihilque ejus post consecrationem remanere sive quoad formam, sive quoad materiam. Contendunt tamen Scotus, Ochamus eorumque discipuli, hujusmodi desitionem annihilationem esse et jure vocari. Negant cum S. Thoma ejus discipuli, aliique non pauci, quibus omnino adhærendum est. Etenim ad annihilationem proprie dictam exigitur tum totalis rei secundum omnes et singulas suæ entitatis partes desitio per meram divini concursus suspensi cessationem; tum ut ad illius desitionem nihil reale et positivum ex natura rei sequatur. Ratio est, quia annihilatio opponitur creationi; unde quemadmodum creatio est a nihilo tanquam termino a quo, ad ens tanquam terminum ad quem; ita annihilatio debet esse ab ente tanquam a termino a quo, ad purum nihil tanquam terminum ad quem. Si autem vel aliquid rei remanet, vel si ex rei desitione aliquid positivum sequatur, jam res non cedit in merum nihilum, sed in aliquid positivum. Ergo substantia panis non annihilatur in Eucharistia. Et confirmatur ex S. Thoma quæst. 75. art. 3. Secundum fidem Catholicam panis vere et substantialiter convertitur in corpus Christi: at substantia quæ prorsus annihilatur non convertitur in aliam; substantia enim quæ convertitur in aliud transit in illud, quod autem in aliud transit, nequaquam in nihilum cedit: igitur substantia panis in Eucharistia non annihilatur. Sane si vera esset Scoti sententia, ad conficiendam Eucharistiam duæ desiderarentur actiones, una substantiam panis ad nihilum redigens, altera corpus Christi producens vel adducens; ex annihilatione enim totali substantiæ panis non magis aut potius sequitur ex natura rei productio corporis Christi, quam alterius. Ergo in Eucharistia non dabitur una actio convertens panem in corpus Christi; actio enim conversiva exigit duos terminos positivos, ita ut ex desitione unius alter per se succedat.

Ad difficultatem in contrarium dicendum, annihilari illud cujus ita nihil remanet ut aliud etiam per conversionem non sequatur; panis autem non fit merum nihil, sed fit corpus Christi. Sicut enim forma non dicitur annihilari, quando ex corruptione illius succedit generatio alterius; ita tota substantia non dicitur redigi in nihilum, quando ex vi desitionis illius per se producitur altera: actio autem per quam desinit panis una in corpus Christi quod in illius locum sufficitur per se tendit; ex positione enim corporis Christi per se panis desinit, et ex desitione panis per se corpus Christi succedit. Unde una et eadem actio ex qua desinit panis, et præsens ponitur corpus Christi. Non enim veritati consona videtur opinio Suaris existimantis admittendam esse specialem actionem, qua separentur accidentia a substantia. Etenim prius natura desinit substantia quam accidentia separentur; ideo enim a substantia separantur, quia substantia desinit. Maxime vero quia, si una actione panis substantia separatur ab accidentibus et desinit, alia vero ponitur Christi, jam illæ actiones erunt disparatæ, nec subsistet ratio conversionis, ad quam plane requiritur, ut terminus a quo transeat in terminum ad quem ex efficacia ejusdem actionis.

Hanc autem totalem panis in corpus Christi conversionem penetrantius intelliges, si cum D. Thoma art. 4. ad 3. consideres, virtute quidem agentis finiti non posse formam in formam, nec materiam in materiam commutari: at virtute agentis infiniti, cujus actio in totum ens protenditur, optime potest talis conversio fieri; quia nimirum utrique formæ et utrique materiæ communis est natura entis, et id quod est entitatis in una potest totius entis effector in id quod est entitatis in altera convertere, eo per quod ab illa distinguitur sublato. Sane qui e nihilo potuit omnia Creator omnipotens efficere, quidni quodlibet ens in aliud valebit commutare, cum longe major sit inter ens et non ens, quam inter hoc et illud disparitas atque distantia? Et, quamvis in conversionibus formalibus, in quibus una forma in aliam mutatur, eadem remanente materia, commune subjectum conversionis desideretur, non tamen in conversionibus totalibus, ad quas sufficit ut ex vi actionis conversivæ destruatur terminus a quo, et producatur terminus ad quem, sufficitque ut sub utroque extremo permaneat ratio communis entis.

Quare nostra sententia magis est doctrinæ Ecclesiæ consentanea, quæ tradit in Sacramento Eucharistiæ veram intercedere conversionem seu transsubstantiationem ; quod sacra Concilia expresse definivere, atque ex ipsius veritate formæ liquido colligitur. Ut enim hæc propositio, *Hoc est corpus meum*, sit vera necesse est ut contentum sub speciebus pronomine *hoc* demonstratum, in fine prolationis verborum non sit amplius panis, sed corpus Christi evadat ; quod plane exigit ut fiat transitus, et mutatio panis desinentis in corpus Christi. In hoc etiam mysterio quatuor conditiones ad veram conversionem requisitæ omnino reperiuntur : primo enim est inter terminos positivos, a quorum uno fit transitus ad alium ; secundo terminus, a quo fit conversio, desinit esse ; tertio aliquid positivum succedit; quarto inter desitionem unius et positionem alterius non mera concomitantia, sed connexio quædam intercedit.

Dices : Ex vi actionis qua corpus Christi ponitur in Eucharistia, non necessario desinit substantia panis ; neque enim repugnat quin de potentia Dei absoluta substantia panis una cum corpore Christi sub speciebus Eucharisticis contineatur. Ergo inter desitionem panis et successionem positi corporis Christi non est necessaria connexio.

Respondeo, quod, quamvis non esset essentialis connexio inter desitionem panis et positionem corporis Christi, quamvis etiam posset corpus Christi aliter quam per conversionem panis in ipsum in Eucharistia divinitus poni ; hoc tamen nihil nostræ assertioni officeret; quæ exigit solum, ut ex vi ejusdem actionis corpus Christi præsens ponatur, et simul desinat substantia panis, quidquid aliter de extraordinaria Dei potentia contingere possit; tunc enim est vera conversio, quando inter desitionem termini a quo, et positionem termini ad quem connexio quædam connaturalis existit.

An autem de potentia Dei absoluta corpus Christi aliter in Eucharistia possit existere, quam per conversionem panis in ipsum, varie opinantur auctores. Capreolus enim, Paludanus, et Ferrariensis existimant id esse impossibile, nec posse etiam de potentia absoluta substantiam panis simul cum corpore Christi sub speciebus contineri. Eis etiam maxime favere videtur S. Thomas in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 1. quæst. 1, ubi dicit, non posse etiam per miraculum fieri, ut aliquid nunc sit alicubi ubi prius non fuit, ipso nihil mutato, vel aliquo in ipsum ; sicut implicat aliquid esse animal rationale et non esse hominem. Et ad 3. sic habet : « Ad hanc positionem» (scilicet quod corpus simul cum substantia panis realiter præsens variis in locis sub speciebus existat) « sequitur gravius inconveniens quam quod contradictoria sint simul vera ; quia ponit definitionem, scilicet aliter esse nunc quam prius ; et non potest ponere definitum, scilicet motum, neque in corpore Domini, neque in substantia panis. » Id etiam suadet ratio qua S. Doctor quæst. 72, art. 2, probat corpus Christi non posse simul existere cum substantia panis. Nihil potest esse alicubi ubi prius non erat, nisi per motum localem, vel per conversionem alterius in ipsum. At corpus Christi non incipit esse in hoc Sacramento per motum localem, alioquin desineret esse in cœlo : ergo per solam conversionem panis in ipsum : ergo ea conversione sublata et remanente substantia panis non posset sacramentalis Christi in Eucharistia præsentia multiplicari. Nec dicas S. Thomam loqui de potentia ordinaria ; de hac enim potentia loquitur S. Doctor, per quam institutum est hoc sacramentum, quæ utique non est ordinaria. Denique si corpus Christi posset esse in Eucharistia sine conversione ulla præsens, vel illam præsentiam ratione substantiæ, vel beneficio quantitatis acquireret. Non primum, quia substantia non est ratio occupandi locum in corporibus. Non secundum, quia alioquin corpus Christi esset ibi circumscriptive, et simul in cœlo, quod in doctrina S. Thomæ repugnat. Adverte autem non esse quæstionem, utrum corpus Christi possit cum substantia panis penetrative poni ; id enim certum est esse possibile : sed tunc desinere esse in cœlo corpus Christi oporteret, quia una et eadem quantitas non est sufficiens duo loca occupandi ratio. Sed quæstio procedit de præsentia sacramentali, utrum nimirum possit Christi corpus sacramentaliter in Eucharistia, et simul connaturali modo in cœlo absque ulla panis in ipsum conversione existere.

Verumtamen Cajetanus et Soto id esse possibile affirmant : tum quia quantitas panis manet cum quantitate corporis Christi ; quidni ergo ambæ simul substantiæ manere possunt? Non enim videntur minus incompossibiles, minusve insociabiles duæ quantitates, quam duæ substantiæ ; sed potius ma-

gis videntur oppositæ, cum proprius quantitatis effectus sit aliam ab eodem loco expellere. Tum quia cum duo corpora invicem penetrantur, una substantia est alteri intime præsens et veluti infusa : ergo potest cum substantia panis adesse simul corpus Christi. Tum quia actio qua ponitur in Eucharistia corpus Christi, est vera productio, ut postea dicemus, ita ut si per impossibile corpus Christi non existeret, per illam actionem revera produceretur : ergo vi et efficacia illius actionis potest poni, conservarique corpus Christi in Eucharistia, tametsi ipsa remaneret panis substantia.

Hæc tamen argumenta absque grandi negotio dissolvunt primæ sententiæ assertores, ad primum quidem dicentes non esse paritatem, quia quod ibi non possit esse substantia panis simul cum substantia corporis Christi, non ex imcompossibilitate substantiarum proficiscitur, sed ex eo quod nequeat corpus Christi alibi existens sacramento interesse nisi per alicujus in ipsum conversionem ; quantitas vero corporis Christi potest divinitus cum quantitate panis simul poni cum eaque penetrari, quia cum sit proprietas corporis Christi, illud semper et ubique comitatur. Ad secundum dicunt, substantiam panis posse quidem cum substantia corporis Christi simul divinitus poni, sed tunc corpus Christi in cœlo esse desiturum. Ad tertium respondent, actionem illam esse quidem corporis Christi productivam, sed simul necessario conversivam, habentem consequenter indissolubilem cum desitione substantiæ panis connexionem.

Utramque sententiam conciliare nituntur aliqui Thomistæ recentiores, si nimirum doctrina S. Thomæ intelligatur eo supposito quod de facto contingit, nimirum corpus Christi incipere esse in hoc sacramento absque ulla sui mutatione ; et hoc supposito verum est repugnare corpus Christi esse absque ulla sui mutatione in Eucharistia, et ibi non esse per conversionem panis in ipsum. Sicut enim Deus, quia nunquam mutatur, non potest incipere esse de novo in creatura sine mutatione creaturæ : ita nec corpus Christi in hoc sacramento absque ulla sui mutatione esse potest, nisi panis ipse per conversionem in corpus Christi mutetur. Cum quibus stat, absolute posse constitui corpus Christi in hoc sacramento simul cum substantia panis, etiamsi non desinat esse in cœlo, modo tamen aliquo alio pacto mutetur. Hæc et alia multa subtilia magis quam necessario tuo judicio, lector, permitto.

Objiciunt demum Lutherani, transsubstantiationis nomen esse in Ecclesia novum et peregrinum, in Scripturis non legi, non fuisse ab Apostolis vel sanctis Patribus usurpatum, sed a concilio Lateranensi post mille ducentos annos in Ecclesiam fuisse invectum : ergo et ipsa res per nomen illud significata nova est, ac proinde Catholicis dogmatis minime annumeranda.

Respondeo eodem prorsus modo Arianos consubstantialitatis nomen olim calumniatos fuisse, quo nunc Lutherani transsubstantiationis vocabulum infamant. Unde, sicut tunc Ecclesia ore Athanasii, aliorumque Patrum respondit, rem antiquam novum accepisse nomen, non vocabulo novæ rei virtutem accessisse, quia Ecclesiasticæ semper moris fuit disciplinæ, si quando hæreticorum nova doctrina insurrexerit, contra insolentem temerariarum quæstionum novitatem rebus immutabiliter permanentibus nominum mutare vocabula, atque significantius rerum naturas exprimere : ita illud idem in præsenti pro transsubstantiationis nomine reponimus. Id præclare exponit alibi laudatus Vincentius Lirinensis. Crescat, inquit, oportet, et multum vehementer proficiat tam unius quam totius Ecclesiæ ætatum ac sæculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Ut annis scilicet Christianæ Religionis dogma consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate ; incorruptum tamen illibatumque permaneat, et universis partiarum suarum mensuris, cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit : quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam sustineat definitionis varietatem. Ut cum aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evolvatur, et nunc latetur et excolatur ; nihil tamen de germinis proprietate mutetur. Addatur licet forma, species, distinctio ; eadem tamen cujusque generis natura permaneat. Quodcumque igitur in hac Ecclesia Dei agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur. Fas est etenim ut prisca illa cœlestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur ;

sed nefas ut commutentur, nefas est ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem, sed necesse est retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem.

Sane, sicut in ipso Christianæ Religionis exordio omnes in Christum Dominum credentes discipuli primum vocati, Christiani postmodum dicti sunt, ut veri a falsis discipulis discernerentur ; impletumque est illud Isaiæ vaticinium : *Servientibus enim mihi vocabitur nomen novum :* ita Ecclesia juxta illam ab Apostolis traditam nominibus utendi formam novas hæreseon pestes novis nominibus refellere consuevit. Sic Patrem ingenitum appellavit, Sabellium ut confunderet, qui eum e Virgine natum blasphemabat. Sic Filium ὁμοούσιον, seu consubstantialem adversus Arii impietatem nominavit. Sic nomen hypostasis, nomen Incarnationis, nomen ipsum Trinitatis in sacris licet Litteris non usurpatum adhibuit. Quidni ergo ad veritatem Eucharistiæ a Christo traditam, ab Apostolis prædicatam, a Patribus ad nos perenni traditione derivatam exprimendam, et contra profanas hæreticorum novitates tutandam transsubstantiationis nomine jure merito utetur ? Falsum est etiam nomen illud a Lateranensi concilio esse invectum ; nam et illius meminit Petrus Blesensis epist. 140, et res per illud significata aliis æquipollentibus vocabulis a Patribus luculentissime tradita est. Quod si nomen illud transsubstantiationis barbarum et inelegans esse hæretici contendant, eorum fastidium delicatissimum facile spernunt Catholici, qui in rebus theologicis Theologos quam Grammaticos agere malunt. Si enim sua cuique opificio artificiosa factitiaque vocabula concedimus, nec cum de re illius sermo est, propriis ejus nominibus uti sordidum, sed scitum splendidumque censemus ; cur quod infimis artibus datur, maxime omnium, et ab humana non solum ratione, sed etiam cogitatione elatissimæ theologorum disciplinæ negabimus ? Cur conditas ab eis ad rerum divinissimarum adumbrationem dictiones degeneri mollitie et morosa teneritudine fugiamus ? Sed hæretici nostri malunt cum grammaticis ornate quam vere dicere : at Catholicis grammaticorum judicio squallescere melius est, quia pulchrior est veritas non solum Helena Græcorum, sed etiam elegantia et nitore hæreticorum.

Quæres, quænam actio sit transsubstantiatio Eucharistica ?

Respondeo in primis certum esse, transsubstantiationem Eucharisticam esse actionem proprie dictam. Id enim modus loquendi Patrum aperte declarat ; utuntur enim nomine transelementationis, mutationis conversivæ, transitus unius substantiæ in aliam, et conversionis : quæ omnes voces actionem significant, qua una substantia in aliam convertitur.

Porro illa actio secundum probabiliorem sententiam talis est, ut per eam corpus Christi vere producatur, non absolute et simpliciter, sed tali modo, nimirum ex substantia panis in ipsum Christi corpus conversa. Id enim dilucide significat modus loquendi Patrum verbis productionem significantibus utentium. Cyprianus namque, seu auctor sermonis *de Cœna Domini*, ait corpus Christi in Eucharistia « creari ». Notum est etiam illud Hieronymi epist. *ad Heliodorum :* « Honorifica Sacerdotes, qui Christi corpus sacro ore conficiunt. » Damascenus quoque lib. 4. *de fide* cap. 14 : « Panem, « inquit, » et vinum corpus suum fecit. » Quod Ambrosius non minus perspicue locis supra memoratis tradidit.

Patres sequutus est S. Thomas, qui art. 8. docet hanc conversionem in hoc cum creatione et naturali transmutatione convenire, quia vere et proprie dicere possumus, quod ex non ente fit ens, et ex pane corpus Christi. Quod evidenti argumento est, corpus Christi ut factum et reproductum esse hujus conversionis terminum. Nec placet expositio Marci Serræ aientis corpus Christi eo modo fieri, quo Deus dicitur factum esse refugium nostrum sine ulla sui mutatione, vel productione. Illud enim subterfugium textui S. Doctoris aperte adversatur. Affirmat enim S. Thomas corpus Christi eo modo vere et proprie fieri, quo ex non ente ens, et ex aere ignis fit ; quæ utique per veram productionem et mutationem fiunt. Juxta etiam tradita a S. Thoma principia repugnat corpus Christi esse terminum conversionis, et non per veram mutationem produci : ideo enim S. Doctor supra quæst. 2. art. 1. ait essentiam divinam non posse converti in aliud, nec aliud in ipsam, quia est incorruptibilis et ingenerabilis : ergo sentit terminum veræ conversionis produci et mutari oportere ; nam per ingenerabile,

ut notat ibi Cajetanus, intelligit improducibile, cum cæteroquin possit fieri transsubstantiatio in aliquid ingenerabile et incorruptibile, quale est corpus Christi gloriosum. Nec valet aliud ejusdem Serræ effugium dicentis id esse verum de conversione quæ non fit per totalem transmutationem, sed per solam formæ corruptionem, qualis ea est, qua elementa convertuntur in mixta, nec esse necesse terminum totalis conversionis debere mutari. Si enim hæc responsio veritate constaret, posset aliquid in divinam substantiam totali et transsubstantiativa conversione transire, cum hæc nullam in termino conversionis inferat mutationem : quod nedum inauditum, sed ab ullo theologo inexcogitatum est.

Ratio vero est, quia implicat esse conversionem substantialem, et non esse productionem termini illius conversionis. Etenim conversionis substantialis terminus est etiam substantialis, qui per influxum alicujus principii communicatur. At communicatio substantialis est vera productio, ut patet in emanationibus divinis, quæ dicuntur productiones hoc ipso, quod essentia divina quæ est in Patre, aliis suppositis divinis intellectione et amore communicatur. Similiter communicatio esse divini facta humanitati assumptæ dicitur productio Dei hominis, et per eam Verbum Dei caro factum est. Ergo pariter communicatio esse substantialis corporis Christi est vera productio, licet idem esse substantiale sub nova ratione formali communicetur. Et certe nulla est actio conversiva unius rei in aliam sine actione productiva vel reproductiva ejus in quod fit conversio, ut cum uxor Loth conversa est in statuam salis, virga Aaron in serpentem, et aqua in vinum in nuptiis Cana. Nec est necesse ut aliquid de novo producatur ; reproductio enim rei abstrahit ab eo quod res existat, vel saltem sufficit ut ad rem alio modo existentem terminetur.

Confirmatur : Impossibile est aliquid ibi esse substantialiter, ubi antea non erat, nisi per veram aliquam actionem producatur, vel certe aliunde adducatur. Atqui corpus Christi non solum adducitur in Eucharistiam, producta duntaxat nova præsentia, vel unione ipsius cum speciebus Eucharisticis, uti Scotus, Vasques, Bellarminus et alii opinantur ; quia conversio quæ in Eucharistia fit est substantialis ; actio autem mere adductiva non est conversio substantialis, seu transsubstantiativa, sed præsentiæ accidentalis productio. Imo nec conversio dici potest ; ad conversionem enim requiritur incompossibilitas termini a quo, cum ex vi actionis illius unus terminus in alium transeat. Terminus autem, quem producit actio mere adductiva, est modus aliquis præsentiæ et ubicationis, similis illi quo Angelus præsens in loco constituitur : modus autem ille ubicationis non est incompossibilis cum termino a quo, scilicet pane, cum quo potest absolute corpus Christi penetrari ; sicut nec Angelus dum spatio corporeo fit præsens, non continuo substantiam corpoream expellit. At vero conversio, et maxime substantialis, exigit, ut terminus *a quo* desinat, atque in terminum *ad quem* transeat et transmutetur. Unde in sententia adversariorum hæc actio non transsubstantiatio, sed transpositio vel translocatio dici deberet. Neque enim ad transsubstantiationem satis est, quod una substantia alteri succedat ; potest enim esse substantiarum successio sine transsubstantiatione, ut cum mortuo homine alter in ejus locum sufficitur, et corruptis speciebus succedunt vermes, in quos tamen nemo dixerit corpus Christi converti.

Ex quibus etiam facile refelles opinionem Gabrielis et Suaris existimantium transsubstantiationem esse actionem duntaxat conservativam corporis Christi sub speciebus Eucharisticis ; quæ quidem actio corpus Christi produceret, nisi de facto illud productum inveniret. Verum id non satisfacit ; mera enim conservatio nulli loco rem conservatam affigit, sed ab omni loco abstrahit, cum eadem maneat creatio et conservatio, tametsi præsentia quotidie mutetur. Non immoror in confutando quorumdam recentiorum placito, qui posuerunt actionem conversivam nec esse adductivam, ut vult Scotus, sed neque productivam ; terminari tamen ad corpus Christi secundum esse substantiale, non quomodocumque, sed ut in illud conversus est panis, et ut contentum sub speciebus ejus. Etenim modus ille dicendi implicat in terminis ; repugnat enim corpus Christi esse in Eucharistia præsens, et tamen nec adduci, neque produci corpus illud. Denique omnes falsas sententias refelles, si præ oculis semper habeas, hanc actionem esse transsubstantiativam, cujus terminus est substantia, cujus efficacia substantia una desinit in aliam in quam conver-

titur, quæ proinde nec ad solum, ubi neque ad aliud quippiam accidentale duntaxat tendit.

Sed dices : Ex D. Thoma in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. hæc interest differentia inter conversiones naturales et miraculosam, quæ fit in Eucharistia, quod in naturalibus transmutatur et id quod convertitur, et id in quod convertitur : sed in hac conversione illud in quod fit conversio erat præexistens ; unde hoc in quod fit conversio nullo modo transmutatur, scilicet corpus Christi, sed solus mutatur panis qui convertitur. Ex quo loco sic instauratur ratio : Conversio Eucharistica non terminatur in id quod non erat, sicut conversio aquæ in vinum in nuptiis Cana, et conversio uxoris Loth in statuam salis, sed potius hæc conversio desinit in corpus Christi præexistens. Atqui quod per actionem aliquam producitur, nunquam actioni præexistit : ergo per hujusmodi conversionem non producitur corpus Christi. Etenim quod producitur, de non esse ad esse mutatur : corpus autem Christi hoc ipso quod est præexistens, de non esse ad esse mutari non potest.

Respondeo quod, cum D. Thomas eo loci docet corpus Christi per transsubstantiationem non mutari, loquitur de mutatione destructiva vel corruptiva, non vero de mutatione perfectiva, qua res semel producta alio modo se habet, unde hæc mutatio modalis dici potest. Ita enim intelligendum esse S. Doctorem patet ex locis pro nostra assertione productis. Ad rationem subjunctam dico, id quod præsupponitur existens non posse actione primitiva ad rem sub novo modo constituendam ordinata produci, bene tamen actione secundaria ad rem sub novo modo constituendam ordinata : qua distinctione sponte corruunt quæcumque in ejus rationis confirmationem addita sunt, quia de primaria et primitiva productione procedunt.

Instabis : Ex nostra doctrina plura secuntur inconvenientia. Si enim corpus Christi in transsubstantiatione produceretur, sequeretur corpus ex pane productum non esse corpus Virgine natum, sicut vinum in nuptiis Cana exa qua factum non fuit vinum ex vite : et tamen Patres et antiqui theologi docent in Eucharistia non fieri novum corpus et novam humanitatem, sed panem in aliquid præexistens converti. 2° Sequeretur idem Christi corpus esse prius et posterius seipso. Prius quidem ; nam corpus Christi est potissimum instrumentum miraculosæ istius conversionis et transsubstantiationis sicut aliorum miraculorum ; causa autem efficiens suo est effectu prior. Posterius vero, utpote a semetipso effective proficiscens. 3° Sequeretur transsubstantiationem esse conversionem accidentalem, utpote ad novum duntaxat modum terminatam, quo Christus ponitur in Eucharistia ; neque enim aliquid substantialem habet Christus in Altari, quod non habeat in cœlo : talis autem est mutatio qualis est terminus ; unde, cum terminus hujus conversionis non sit nisi novus præsentiæ modus, qui utique accidentalis est, consequitur conversionem istam esse accidentalem. 4° Sequeretur eumdem effectum a duabus actionibus totalibus procedere ; corpus namque Christi in cœlo existens per unam actionem totalem productum est, et in sacramento per aliam actionem totalem producitur, et rursus in diversis altaribus per plures distinctas actiones idem corpus producitur. Ex quo ulterius sequeretur plura accidentia solo numero distincta, plures nimirum actiones productivas in eodem subjecto, nimirum corpore Christi recipi : quæ omnia veræ philosophiæ adversantur. Denique sequeretur corpus Christi, quoties desineret sub speciebus Eucharisticis, toties substantialiter annihilatum iri ; talis enim est desitio, qualis est productio, cum eumdem terminum diverso licet et contrario modo respiciant : ergo si productio sit substantialis, ita etiam desitio substantialis, erit, cum id totum desinat quod fuit per actionem productum. Vel dicendum, quod, sicut una duntaxat præsentia et ubi sacramentale desinit, ita solus præsentiæ modus per illam actionem productus fuit.

Respondeo, nullum ex nostra sententia sequi inconveniens. Non primum quidem ; nam corpus ex Virgine natum idem in Eucharistia adoramus. Nec est simile de vino ex aqua producto, quod vinum de vite nequaquam dici potest, quia in prima sui productione ex aqua fuit sine vite formatum. At idem Christi Domini corpus, quod prima fuit productione ex Virgine natum, per secundam actionem reproducitur ; unde illud idem est, quod e virginali Mariæ sinu prodiit. Unde Patres dicunt Eucharistiam esse extensionem Incarnationis : et nota est illa sententia a Sanctis tradita, et in precationibus Ecclesiasticis frequentata : « O magna

Sacerdotum dignitas, in quorum manibus velut in utero Virginis Christus quotidie incarnatur. » Et hoc est quod intendunt Patres et theologi, docentes in Eucharistia non novum Christi corpus, nec novam humanitatem produci ; sed non negant idem Christi corpus produci.

Ad secundum dicendum, idem per primariam actionem terminatam ad esse simpliciter posse esse prius seipso reproducto per actionem secundariam terminatam ad esse sacramentale quod habet corpus Christi in Eucharistia : unde idem non est prius et posterius seipso per eamdem actionem et secundum idem.

Ad tertium dico, non esse necesse ad hoc ut conversio sit substantialis, vel terminetur ad substantiam, quod producatur aliquid substantiale quod antea non erat, sed sat est ut substantia eadem novo modo producatur. Unde terminus formalis actionis transsubstantiativæ non est novus modus, sed substantia novo modo ; non enim a Veritate dictum est, « Hic est corpus meum ; » sed, *Hoc est corpus meum.*

Ad quartum respondeo duas actiones totales in eumdem effectum sub diversa ratione formali productum ferri posse ; corpus autem Christi in cœlo existens non fuit per actionem conversivam, sicut in Eucharistia contingit, productum. Porro diversæ actiones Sacerdotum, quibus Christi corpus variis in altaribus consecratur, sunt duntaxat instrumentales, a quibus per se non pendet effectus, sed ab agente solum præcipuo varia instrumenta ad libitum applicante, ut supra dum de pluribus eumdem baptizantibus dictum fuit.

Ad id quod additur, plura accidentia non posse in eodem recipi subjecto individuo, nec consequenter plures actiones productivas, sive præcipuas, sive instrumentarias in eodem Christi corpore subjectari ; dicendum plura accidentia solo numero distincta non posse recipi in eodem subjecto eodem modo posito, et in eodem loco constituto ; bene tamen in eodem subjecto diversis sub speciebus, distinctisque altaribus constituto, quia tunc licet sit idem subjectum, hoc ipso tamen quod est sub diversis speciebus distinctisque locis præsens, veluti distinctis subjectis æquivalet. Accidentia namque a subjecto eodem modo sumpto et in iisdem circumstantiis constituto individuantur.

Ad ultimum dico corpus Christi corruptis Eucharisticis speciebus nequaquam annihilari, quia annihilatio supponit rem absolute in nihilum cedere : unde tunc solum talis est desitio, qualis est rei productio, quando res per se desinit et ratione sui, non vero quando simpliciter manens desinit solum ratione alterius, ut corpus Christi in Eucharistia non nisi ratione specierum desinit ; vel quando est desitio esse simpliciter primo producti, non vero quando est desitio rei novo modo reproductæ.

Corollaria derivata.

Ex dictis sequitur 1° proprium et formalem Eucharisticæ transsubstantiationis terminum esse Christi Domini corpus et sanguinem ut reproducta per conversionem totius substantiæ panis, et contenta sub accidentibus panis et vini modo invisibili. Patet id ex modo dictis, cum transsubstantiatio sit actio conversiva corpus Christi ex pane producens, transmutans, et transelementans.

Sequitur 2° Eucharisticam transsubstantationem fieri in instanti, ut docet S. Thomas quæst. 75. art. 7. Aliqua enim mutatio triplici ratione potest esse instantanea. Primo ex parte formæ quæ non suscipit magis et minus : secundo ex parte subjecti, quod ad receptionem formæ successive non præparatur : tertio ex parte agentis non indigentis temporis mora suos ut effectus producat. Atqui his tribus modis transsubstantiatio Eucharistica est instantanea ; nam et substantia corporis Christi, ad quam terminatur ista conversio, non suscipit magis et minus ; et in hac conversione totali nullum est subjectum quod debeat successivis dispositionibus præparari ; et transsubstantiatio ab agente infinitæ virtutis Deo ab omni tempore independenter proficiscitur. Ergo in Eucharistia et panis substantia in instanti desinit, et corpus Christi in instanti advenit, ac proinde in instanti in quo est primum non esse substantiæ panis est primum esse corporis Christi.

Sequitur 3° ad corruptionem specierum desinere corpus et sanguinem Domini esse sub illis speciebus. Quia, ut optime ait S. Thomas quæst. 75. art. 4, cum corpus et sanguis Christi succedant in hoc sacramento substantiæ panis et vini, eodem modo desinit ibi esse corpus Christi, quo panis substantia desiisset ; unde, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quæ non fuisset

sufficiens ad corruptionem panis et vini, propter hujusmodi immutationem non desinunt corpus et sanguis Christi esse sub hoc Sacramento; sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cum color aut sapor nonnihil immutatur, vel intenditur aut remittitur calor aut frigus; sive ex parte quantitatis, ut cum dividitur panis et vinum in tales partes, in quibus posset substantia conservari. Si vero tanta fiat immutatio, ut ex ea panis vinique substantia corrumpi nata esset, tunc corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento amplius non remanet, sive corruptio specierum ex conflictu qualitatum species destruentium, sive ex imminutione et contritione partium, sub quibus non posset forma panis permanere, proficiscatur. Quæ specierum corruptio, ut ad tertium S. Doctor monet, naturalis censenda est, non miraculosa, tametsi miraculum præsupponat, quo species illæ per consecrationem esse sine subjecto retinent suum : sicut cæcus miraculo illuminatus et naturaliter videt, et naturaliter vi morbi vel alio casu exoculatur.

REFLEXIO.

Cum stupendam specularis elementorum Eucharisticorum in Christum transsubstantiationem, ad beatam illam cordium cum Christo conjunctionem animum attolle, qua novæ creaturæ a seipsis liquescentes, illi amore copulantur, cujus reali præsentia dignantur. Justum est, æquum plane, Domine Jesu, ut tibi cor nostrum intime adhærescat, cujus amore rerum naturas mirabili potestate immutas. Tibi ergo dicat cor nostrum : « Mihi vivere Christus est. » Id est, quia mihi permisceris, ut in te me totum divino cibo transformes, jam non veterem hominem, sed te novum, Christe, vivo. Tu mihi spiritus, ut mihi lumen et vita es. Procul a me omnis affectio humana ; procul voluptas dolor, ira, invidia, vindicta, et injuriarum tenax memoria ; procul honoris ac gloriæ divitiarumque libido ; procul quidquam eorum, quæ animum quadam erga se affectione polluunt : solus ille in corde vivat, qui nihil est horum Christus. Si missum ferrum in ignem totum profecto ignis efficitur, quidni Christo cibo pastus totus convertar in Christum? Quidni ad me venieus omnes in se transferat et captivet affectus? Quidni « ad alia omnia, » ut Bernardus serm. 7. *Quadrag.* ait, « mortuus sim, non attendam, non curem ; si qua vero sunt Christi, hæc vivum inveniant et paratum? » Postquam animatum Christi cœlum sacra communione factus sum, quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum ? Ita plane supervacua quæque ex animo tollam, liberum ut in me Christus habeat hospitium. Latum spatium res tam magna desiderat. Expellenda omnia sunt, ut totum illi pectus vacet, quod Christi in se majestatem dignum invenitur suscipere, et suscipiens capere. Tanto hospiti locum faciant terreni affectus. Nullam in cordis penetrale, quod totum unus Jesus occupare debet, alienam sæculi curam ingredi sinam Membra mea templum Dei vivi facta sunt ; cor ergo meum velut rem sacram custodiam, ne inquinatam sedem offensus hospes derelinquat. Ibi hostiam vivam, holocausta ratione prædita, sacrificia charitatis jugiter offeram ; quia, ut recte monet Hilarius can. 33. *in Matth.*, « nihil est quod præter eum oporteat in pectora nostra penetrare. »

Verum proh dolor! Quis hæc sentit, quis hujus ævi Christianorum cordis in Christum sui transformationem experitur? Videmus omnes quæ sua sunt quærere, non quæ Jesu Christi. Videmus illos ipsos qui flagitiorum suorum sordes paulo ante in confessione evomuerunt, eorumdem vivam ac veluti spirantem imaginem in animis infixam, radicem in cordibus penitissime impressam gerere ut primum cum occasio inciderit de integro pullulaturam. Illine in Christum convertuntur, qui diuturna atque inolita vitiorum labe in eum languorem debilitatemque venerunt, ut ne ad octo quidem dies ab iisdem peccatis temperare valeant, nullam in sanctis propositis firmitatem assequuti ? Itane in illis formatur Christus qui ulceribus scatentes manant etiamnum sanie ac tabo peccatorum, quæ nullis pœnitentiæ subsidiis expurgare atque detergere satagunt? Panis ille divinus nobis permixtus fatiscentes fulcit, confirmatos tuetur, gratiam dilabi ac diffluere vetat, quotidiana illius a concupiscentia importata detrimenta sarcit, et languentes reficit. Ergo illi panem illum non digerunt, in quibus non splendent Christi mores, in quibus omnis animi temperatio pravis affectionibus dissoluta est, qui denique peccatorum pondere depressi ad Deum sese erigere non possunt. Unde hoc ;

« Timeo ne infirmum validior cibus opprimat, » ut Ambrosius lib. *in cap.* IX. *Lucæ*, observat : quia, ut ibidem ait, « Nemo cibum accipit Christi » (utique fructuose) « nisi fuerit ante sanatus. » Transsubstantiationem ergo Eucharistiæ non imitantur, quorum corda lapidea in carnea non mutantur.

DISSERTATIO II

De existentia et essentia sacramenti Eucharistiæ, necnon materia et forma illius.

Stabilita Eucharistiæ veritate, seu reali corporis et sanguinis Christi præsentia per veram substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Domini conversionem et transsubstantiationem, superest ut de sacramento ipso agamus, ejusque existentiam et essensiam exponamus, unde et consequenter de materia ejus et forma disseremus.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA ET ESSENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ, UBI DE NECESSITATE, UNITATE ET INSTITUTIONE ILLIUS.

Certum est, dari in Ecclesia Catholica Eucharistiæ sacramentum, quod sit unum ex septem illis quæ Orthodoxi omnes semper receperunt, et religiose venerati sunt. Nullum enim est de cujus institutione clarius loquantur Scripturæ, et unanimis quatuor Evangelistarum consensus. Aliunde vero in hoc Sacramento signa visibilia apparent; gratiam in eo sicut in fonte hauritur. Ergo ad veritatem et existentiam sacramenti nihil in Eucharistia desideratur, sed omnia certatim concurrunt.

Existentiam etiam hujus sacramenti utilitas ejus necessitasque demonstrant. Etenim provisor noster Deus non minus in ordine gratiæ quam naturæ et utilia suppeditat, et necessaria nunquam negat, ut vitæ spiritali peræque ac corporali consulat. Ergo, sicut vitam corporalem tradit per parentum generationem, vitæ illius perfectionem per augmentum efficit, ejusdemque conservationem alimentorum copia et delitiis impertitur : ita ad vitam spiritalem nos generat per Baptismum, roborat et perficit in Confirmatione, fovet et pascit in Eucharistia. Igitur utile est et necessarium hoc Sacramentum, et, ut S. Thomas opusc. 37. ait, « nullum Sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, et mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur. » Sed de his plura, dum de effectibus Eucharistiæ. Ejus autem existentiam magis institutio, ejusque percipiendi necessitas confirmabit; illud namque in Ecclesia existat oportet, quod a Christo institutum est, quodve ab omnibus indispensabiliter usurpandum est.

SPECULATIO I.

Eucharistiæ Sacramentum a Christo Domino institutum est luna decima quarta primi mensis, illud subinde in azymo conficiens; quod Sacramentum omnibus est necessarium necessitate medii, sin re, certe voto suscepti.

Antequam prima hujus speculationis pars suadeatur, sciendum est Hebræos alio modo dies festos, alio modo dies naturales numerasse; nam dies festos ab occasu solis ad alium occasum ducebant, ita ut noctem sequentem et diem crastinum usque ad noctem exclusive complecterentur, juxta illud Levitici XXIII : *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata.* Per sabbata autem quælibet festa, maxime vero solemniora intelliguntur; nam ibidem festum expiationis, *sabbatum requietionis* appellatur. Quo more in Ecclesia Christiana festa quoad officium divinum a prima vespera incipiunt, et in secundam vesperam desinunt. Dies vero naturales, seu usuales inverso ordine disponebant; illos enim ab ortu solis ducebant, et ad alium usque solis

ortum protendebant; vel secundum alios a media nocte in mediam noctem.

Sciendum rursus, apud Judæos solemne fuisse menses omnes a novilunio exordiri, et idem fuisse apud illos diem primum et lunam primam. Porro primus anni mensis Judæis erat ille, quem nos Martium nominamus, quemve illi *Abib*, vel *Nizan* appellant.

Sciendum tandem juxta legem Mosaicam, quæ habetur Exodi XII, luna decima quarta primi mensis, id est decimo quarto a novilunio mensis Martii post solis occasum dies azymorum incipere, septemque durare diebus consuevisse, id est ad vigesimum primum inclusive. Qui omnes dies paschales erant, vocabanturque dies azymorum, quia in illis pane fermentato uti minime licebat. Cæterum inter omnes illos dies solus primus dies, id est decimus quintus, et ultimus qui erat vigesimus primus solemnes erant et festivi. Dicebantur autem dies illi Paschales, quia Pascha transitum significat; illi autem dies erant instituti in memoriam beneficii, quo Angelus vastator primogenitos Ægypti interimens, Judæos salvos reliquerat, qui ab Ægyptiis expulsi ita festinanter discesserunt, ut panes per temporis angustias fermentare non valentes, præpopere panes azymos concoquere coacti sint. Illorum porro dierum institutio habetur Exodi XII. his verbis: *Mensis ipse vobis principium mensium primus erit in mensibus anni. Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias et domos suas, et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam, et edent carnes nocte illa assas igni, et azymos panes, et comedetis festinanter. Habebitis autem hunc diem in monumentum, et celebrabitis eum solemnem Domino. Septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentatum in domibus vestris: dies prima erit sancta et solemnis, et dies septima eadem festivitate venerabilis.* His animadversis,

Probatur nostra, et communis Latinorum adversum Græcos sententia ex tribus Evangelistis, Matthæo, Marco, et Luca. Primus enim cap. XVI sic ait: *Prima die azymorum discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi pascha?* Et postea: *Et paraverunt pascha. Vespere autem facto discumbebat cum discipulis suis.* Idem repetit Marcus c. XIV: *Prima die azymorum quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quo vis eamus, et paremus tibi ut manduces pascha?* Quibus cum Dominus respondisset, et quid opus esset facto docuisset, *discipuli paraverunt pascha. Vespere autem facto venit Jesus cum duodecim*, pascha celebraturus, ut ibi diffusius narratur. Et similiter Lucas cap. XXII: *Venit autem*, inquit, *dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha; et misit Petrum et Joannem: et cum facta esset hora discubuit, et duodecim cum illo.* Ex quibus evidens elicitur argumentum: Prima dies azymorum erat decima quarta mensis primi, in qua fermentato uti non licebat, ut patet ex lege duodecimo Exodi capite indicta. Atqui ex præfatis Evangelii testimoniis constat, Christum prima azymarum die comedisse Pascha cum discipulis suis, subindeque illo duntaxat in instituta tunc Eucharistia usum fuisse pane, quo tunc ex præscripto legis uti licebat; non enim Christus venerat solvere legem, sed adimplere. Ergo Christus luna decima quarta primi mensis, in qua fermentato vesci panc vetitum erat, Eucharistiam in azymo consecravit. Et certe si diem a lege præscriptum in comedendo agno paschali prævenisset, ut quidam Græci dicunt, justam accusandi, mortique tradendi Christi causam Judæi invenissent. Cum enim de observantia azymorum lex dicat: *Quicumque fermentatum comederit, peribit anima illa ex Israel;* si illius fuisset legis transgressor Christus, tam speciosam accusandi Salvatoris causam minime reticuissent, qui tam studiose falsa adversus Christum testimonia conquisiverant.

Verba Christi in suo naturali, quem præferunt sensu accipiunt Patres, et ille præsertim, cujus auctoritatem Græci non revereri non debent, Magnus et divinus Chrysostomus, hom. 81. *in Matth.*: « Si pascha comedebant, quare contra legem recumbentes comedebant? Verum dum comederent Pascha minime recumbebant, sed postquam illud comedissent. Ubi vis paremus tibi comedere pascha? » Addit hom. 82: « Non illud quod nostrum est, sed interim Judæorum.... Quia omnia quæ sunt legis adimplevit. » Ubi Christum in comedendo paschate omnes legis Judæorum ritus observasse, subindeque in azymo celebrasse clare tradit. « Illa vespra, » uti subjungit, « quando Judæi comedebant pascha, » utique sine fermentato. Quod et repetit hom. 83. *in Joan.* et orat. 1. *in Judæos.* Idem do-

cet S. Epiphanius lib. 1. hæresi 38, ubi ait Christum tempore Paschatis usum fuisse carne et azymis. Idem habet Theophilactus *in cap.* XXII. *Luc.* : « Idem azymorum, inquit, nominat feriam quintam, in cujus vespera pascha immolaturi erant. « Quod et tradit in commentariis in alios Evangelistas; cujus tamen verba corrupta bene et vestustioribus exemplaribus restituit Arcudius libro 3. cap. 5.

Dices: Joannis XIII. dicitur Christum ante diem festum Paschæ cœnam suam celebrasse; sed dies festus Paschæ erat decimus quartus mensis primi, in cujus vespere festivitas incipiebat. Ergo non in illo vespere Christus Eucharistiam instituit, alias non ante diem festum Paschæ, sed in ejus exordio cœnam suam instituisset.

Respondeo per diem festum Paschæ intelligi solemnem et festivum diem azymorum, seu diem usualem, quo festivitas primæ diei azymorum celebrabatur, quæ dies erat prima de septem, contingebatque luna decima quinta omnium celeberrima, in cujus vespere præcedente, quæ erat luna decima quarta, immolabatur agnus cum azymis; et tunc Dominus cum discipulis cœnavit. Quare eadem omnino dies est quam tres Evangelistæ vocant diem azymorum, Joannes vero ait ante diem Paschæ contigisse. Illi enim loquuntur de prima vespera diei festi azymorum, quæ ad festum illud pertinebat; Joannes vero loquitur de die decimo quarto usuali, qui non erat festivus; solemnitas namque festi quoad cessationem ab operibus non nisi luna decima quinta usuali incipiebat. Dicitur enim Levitici XIII : *Mense primo, decima quarta die mensis ad vesperum Phase Domini est : et quinto decimo die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est.*

Instabis : Joannis XVIII. dicitur quod in die Dominicæ passionis Judæi non ausi sunt ingredi prætorium, ne contaminarentur, utque manducationi paschatis, seu agni paschalis operam darent. Ergo in die quo Christus passus est manducabatur pascha : sed non manducabatur pascha nisi luna decima quarta : ergo passus est Christus luna decima quarta. Atqui cœnam Christus non instituit nisi pridie quam pateretur : ergo cœnam Eucharisticam luna decima tertia, subindeque in fermentato Christus instituit.

Respondeo quod, cum dicitur Judæos in die passionis non ingressos fuisse prætorium, ut manducarent pascha, per ly *Pascha* non intelligitur agnus paschalis, qui primo vespere cum azymis panibus comedebatur, sed alii intelliguntur cibi paschales, qui per septem dierum decursum a Judæis comedebantur; sicut enim septem dies, ita septem illorum dierum cibi paschales merito dicebantur. Nam, ut ex Deuteronomii XVI. et II. Paralipom. XXXV. patet, Judæi azymos panes, aliasque victimas ex legis præscripto offerebant, ad quæ munditia legalis desiderabatur. Qua de causa dies azymi paschales, et azyma pascha indifferenter vocabantur, dicente Luca : *Appropinquabat dies azymorum, qui dicitur Pascha.* Idem quoque Evangelista in Actibus Apostolorum narrat, quod Herodes captum Petrum misit in carcerem, volens post Pascha producere cum populo. Quid autem per Pascha intelligat, declarat subjungens : *Erant autem dies azymorum.* Nec mirum, cum etiam Exodi III. Dominus tria festa præcipua celebrare constituens, Pascha tacuit, solemnitatem azymorum custodiri jussit, qua tamen prætermissa Pascha observari nequit.

Urgebis : Joannis XIX. dicitur : *Erat autem Parasceve paschæ hora quasi sexta.* Est autem parasceve præparatio ad festum celebrandum, seu vigilia paschæ : ergo Christus passus est in vigilia paschæ. Unde Judæi Matth. XVI. dicebant : *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Et Lucas cap. XXIII. narrat, die qua Christus mortuus est, religiosas mulieres parasse aromata, unde dies ille non erat festus, in quo nihil operis facere licitum erat, iis duntaxat quæ ad esum desiderabantur exceptis, ut Exodi II. jubetur. Quod si Christus ante diem Paschatis passus est, a fortiori ante diem illum Eucharistiam instituit, quam pridie quam pateretur nobis reliquit.

Respondeo parasceven Paschæ non significare præparationem ad pascha, sed præparationem ad Sabbatum, quæ illo anno ipso paschalium dierum tempore occurrebat. Cum enim in Sabbato parari cibi non possent, bene tamen in aliis festis, solum Sabbatum parasceven seu præparationem habebat, ut patet Exodi XV. et XXXV, ubi Judæi jubentur feria sexta colligere cibum pro sequenti Sabbato. Et certe Joannem loqui de parasceve Sabbati patet ex eo quod eodem capite ait : *Judæi ergo quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora in Sabbato.* Et ex illo Marci XV : *Erat*

autem parasceve, quod est ante Sabbatum. Nec obest prætextus ille diei festi, quem Judæi objiciebant. Nam vox illa eorum fuit expressa sententia, quæ minime prævaluit, sed aliorum potius obtinuit consilium, qui falsæ religionis umbone putantes obsequium se præstare Deo, vel odio et invidia in Christum perciti eo illum die morti tradendum nisi sunt, quo major illi infamia ex grandi populi ad festivitatem confluentis concursu crearetur. Non obest etiam piarum mulierum in conficiendo aromate labor. Tum quia in aliis a Sabbato festis non erat tam rigorosa vel scrupulosa ab operibus vacatio; tum quia opera misericordiæ erga Salvatorem præsertim exercita inter opera servilia et prohibita religiosæ illæ et divinitus inspiratæ mulieres minime annumerabant. Hac eadem ratione Joseph mercatus est syndonem ad sepulturam, quæ non est opus servile, sed officium caritatis, licitum subinde in die festo, ut ex facto Tobiæ claret, qui mortuos die festo, ut Tobiæ II. refertur, sepeliebat. Deuteronomii etiam XXI. præcipitur, ut qui appensus fuerit in patibulo, eodem die sepeliretur. Qua etiam de causa Simonis Cyrenæi iter licitum fuit, si tamen Simon ille Judæus fuit; nam Hilarius, Ambrosius, et Leo Gentilem illum fuisse volunt, ut typus esset conversionis Gentium, in quas crucis Christi fructus derivandus erat. Et admodum verisimile est, militum vi hominem extraneum ad probrosum lignum deferendum fuisse coactum.

Scio Doctores aliquos aliis modis hæc Græcorum argumenta dissolvere. Nam Lyranus, Burgensis, et Maldonatus censent Christum quidem luna decima quarta celebrasse; arbitrantur tamen eodem die non fuisse Pascha a Judæis illo in anno celebratum, sed ex speciali dispensatione in diem decimum quintum, quod erat Sabbatum, seu in primas ejus vesperas agni paschalis esum transtulisse; ne, inquiunt, molesta foret et gravis populo duorum festorum immediate consequentium celebratio. Verum hæc conjectura levis videtur; nam præter quam quod duorum festorum immediate succedentium incommodum semel in multis annis occurrens haud magni momenti est, insuper Judæi in incommodum, quod initio solemnitatis declinare voluissent, in fine incurrissent; si enim in Sabbatto celebratus fuisset primus dies azymorum, dies septimus qui erat etiam festivus, in feriam sextam sequentem incidisset, ac proinde in vigilia Sabbati utique festi. Accedit, quod in omnibus Scripturæ locis, in quibus dicitur Christum Eucharistiam instituisse, asseritur et am eodem id fecisse die, quo Judæi immolabant, et necesse erat occidi pascha, ut patet Lucæ XXVI. et Matth. XXVI. Ponderatione etiam digna sunt illa verba: *Scitis quia post biduum pascha fiet;* ubi ly *fiet*, ab omnibus faciendum significat; et ly *scitis*, hoc futurum more solito indigitabat, alias illud Apostoli nescivissent. Accusassent etiam Judæi Christum, quod contra morem et traditionem agnum immolasset. Nec est ullum imaginariæ illius Judæorum festum paschæ transferre valentium traditionis fundamentum.

Alii post Oleastrum et Stellam docent eodem quidem die a Christo et una a Judæis Pascha fuisse celebratum; volunt tamen celebrationem illam in priore vespere lunæ decimæ quartæ contigisse, hoc est sub finem lunæ decimæ tertiæ, hisque rationibus moventur. Primo, quia Judæi in illo vespere celebrabant Pascha, qui ad diem decimam quartam pertinebat: atqui ad illum diem pertinebat primus vesper, non secundus, qui magis ad diem sequentem spectabat. Ergo in primis vesperis lunæ decimæ quartæ Christus Eucharistiam instituit. Præterea eodem die immolabant Judæi agnum, quo primum in Ægypto immolaverunt, cum immolatio agni anniversaria in memoriam prioris immolationis et liberationis fieret: sed in exitu de Ægypto agnum in principio lunæ decimæ quartæ immolaverunt; cum enim Judæi egressi sint de Ægypto nocte lunam decimam quartam terminante, ut patet Exodi XII, Deuter. XVI. et Num. XIII, aliunde vero nocte, qua agnus immolabatur, nemo de domo ante ortum diem exibat, juxta illud Exodi XII: *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque ad mane;* relinquitur tunc agnum in principio lunæ decimæ tertiæ Judæos immolasse. Maxime quia, cum sexcenta hominum millia egressa sint de Ægypto absque parvulis et mulieribus, necessarius saltem fuit dies integer ad tantam multitudinem congregandam, ad colligendaque vasa aurea et argentea atque supellectilem quam ab Ægyptiis postularunt; unde ea nocte qua egressi sunt Judæi de Ægypto, non potuerunt agnum immolare, sed illum nocte præcedenti immolare debuerunt, ut per diem integrum, qui inter esum agni et

exitum eorum interfuit, suis negotiis consulerent, atque ad iter se accingerent. Unde Numer. XIII. dicuntur Judæi altera die a Phase seu ab esu agni de Ægypto exisse.

Erudita sane sententia, sed inde fortassis improbanda judicabitur, quod immolari agnum decebat et solebat in vespere ad solemnitatem pertinente ; siquidem ille dies ab Evangelistis primus azymorum appellatur, qui maxime solemnis erat. Maxime quia eo vespere agnus paschalis manducabatur, quo incipiebat interdictio usus panis fermentati, ut ex dictis patet. At in primis vesperis lunæ decimæ quartæ non erat prohibitus usus fermentati, nondum enim inceperat primus dies azymorum a secundis vesperis lunæ decimæ quartæ ortum ducens, ut luna decima quinta esset primus dies solemnis azymorum.

Motiva etiam in contrarium adducta urgentia non sunt. Non primum, quia secundæ vesperæ lunæ decimæ quartæ et ad diem decimum quartum per modum terminantis, et ad diem decimum quintum per modum inchoantis pertinent. Maxime quia celebritas paschæ non erat festiva nisi ratione primi diei azymorum, qui in secundis vesperis lunæ decimæ quartæ incipiebat, unde celebritas paschalis a secundis vesperis lunæ decimæ tertiæ, et primis decimæ quartæ ortum minime ducebat.

Secundum etiam motivum nihilo fortius est. Tum, quia Judæi de Ægypto nocte quidem declinante, sed ante ortum solem tamen egressi sunt. Neque hoc impedire potuit hominum congregandorum multitudo, vel supellectibilis copia, quia ad hoc potuerant retroactis diebus præparari, vel summa diligentia angustiam temporis supplere potuerunt. Adde prohibuisse Mosem ne nocte illa e domibus egrederentur, nisi ab Ægyptiis compellerentur, ut patet Exodi XII. Unde cum Pharaonis Ægyptiorumque vi exire compulsi sint, præceptum latum minime transgressi sunt. Et sane festinanter egressos fuisse Judæos inde perspicuum est, quod panes fermentare minime potuerunt.

Ultimum denique motivum facile solvitur. Ideo namque Judæi de Ægypto altero die ab esu agni egressi dicuntur, quia in vespere lunæ decimæ quartæ agnum comederant, et diluculo sequentis diei usualis exierunt.

Insistes : Chrysostomus hom. *de Proditione Judæ* ait Judæos impudenti animo « proponere azyma, tanquam qui corda habeant incircumcisa. Vides, » ait paulo post, « quod immunda sunt eorum azyma. »

Respondeo damnare Chrysostomum azyma Judæorum, non quod azymis successerit fermentatum, sed quia volunt sola azyma subsistere, et ea nondum esse quorum azyma figura erant ; cum tamen veniente Sole, ut ait, non amplius lucerna præbeat lumen, et adveniente veritate cesset umbra. Immunda similiter ait esse eorum azyma, sicut et eorum sacrificia, quæ Paschæ spiritualis adventu evacuata sunt, et institutione divinissimi Sacramenti figuræ impletæ. Cæterum Christum in illa institutione pane azymo usum fuisse, luculenter inibi tradit Chrysostomus dicens : « Et circumcisionem sustinuit » (Christus) « et Sabbata observavit, et azyma comedit... Nostra azyma non sunt farina humore temperata et macerata, sed sincerum institutum, vitaque honesta. »

Necessitas Eucharistiæ.

Altera speculationis pars asserit Eucharistiæ sacramentum esse omnibus necessarium necessitate medii, ita ut nullus absque eo vel re, vel saltem voto suscepto salutem consequi possit. Dico « saltem voto », nam parvuli sacris undis intincti, vel proprio sanguine baptizatis salutem absque actuali Eucharistiæ perceptione obtinent. Sæpe etiam adulti in ea rerum serie constituuntur, in qua cœlesti hoc cibo pasci nequaquam possunt, ut qui tempestate jactati in aquis sepeliuntur, vel qui repentinam mortem in gratia alioquin constituti obeunt. Et ita quoad parvulos sacra Tridentina synodus sess. 21.cap. 4. his verbis determinavit : « Eadem sancta Synodus docet parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem ; siquidem per baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati adeptam jam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusquam locis aliquando servavit : ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt ; ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est. » Idem definit can. 4. Dixi etiam « necessitate medii » , nam Eucharistiam esse necessariam necessitate præcepti cum Ecclesiastici, tum divini, satis ex verbis Salvatoris Joann.

VI. et ex Ecclesiæ decretis patet. Quare sola medii necessitate non est semper necessarium hoc sacramentum re susceptum, cum sine eo prima gratia haberi possit, et illud phreneticis, vel infirmis vomitum patientibus, vel ultimo supplicio addictis sancta et a Domino gubernata Ecclesia non porrigat.

Cæterum quod saltem implicitum Eucharistiæ votum sit omnibus necessitate medii necessarium, aperte colligitur ex verbis illis Redemptoris Joan. VI : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Idque post Augustinum infra referendum docet expresse S. Thomas quæst. 73. art. 3, ubi inter alia quæ huic veritati probandæ peropportuna sunt, sic fatur : « Per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam, et ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ad Eucharistiam ordinantur per Ecclesiam ; et sic sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex fide Ecclesiæ desiderant Eucharistiam. » Quod et luculenter confirmat quæst. 79. art. 1. ad 1. inquiens : « Hoc sacramentum ex seipso virtutem habet gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante susceptionem hujus sacramenti, vel nisi in aliquo voto ipsius, vel per seipsum sicut adulti, vel voto Ecclesiæ sicut parvuli, sicut supra dictum est. »

Ratio vero est, quia Eucharistia est omnium Sacramentorum finis, ad quam cætera tanquam media ordinantur. Cum enim in eo Christus Dominus sacramentorum auctor et gratiarum omnium scaturigo realiter contineatur, clarum est hoc sacramentum esse totius religionis centrum, et christianæ sanctitatis consummationem, apicem, et coronamentum : unde fit cætera omnia mysteria et Sacramenta ad Eucharistiam dignius suscipiendam, ad ejusque effectus uberius percipiendos ordinari. Nec solum Eucharistia Christum, qui est finis noster, juxta illud, *Vos autem Christi*, continet ; sed ipse etiam Eucharistiæ effectus cæterorum est Sacramentorum finis et coronis : ad hoc namque instituta sunt Sacramenta, ut Christo uniti et incorporati vitam adipiscamur æternam, et gloriosam corporum resurrectionem obtineamus. Hæc autem per Eucharistiam obtinemus ; divino enim hoc sacramento Christo intime unimur, eique, ut loquuntur Patres, commiscemur, unde dixit Veritas : *Qui manducat me, vivet propter me.* Futura etiam animæ beatitudo et gloriosa corporum resurrectio proprius est hujus sacramenti fructus, juxta illud : *Qui manducat hunc panem vivet in æternum, et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Quod ut melius intelligas, suaviusque percipias, eo modo Christus Dominus in Eucharistia considerandus est, quo rex in regno quod moderatur. Sicut enim omnia officia et ministeria regni et a rege proficiscuntur, et propter illum sunt, et illi serviunt ; cunctaque imperii munia regali potestati subordinata et regi militant, et in ejus honorem cedunt, et in illius obsequium conspirant, et membrorum politici corporis cum capite unionem et colligationem intendum, procurant, conservant ; licet non omnes subditi familiarem cum persona regis convictum habeant, quia hæc specialioris amicitiæ significatio a rege ut privatæ personæ munus obit, non ut publici regni moderatoris officio fungitur, proficiscitur : ita similiter licet convivere Christo, ejus præsentia frui, et panis cœlestis suavitate pasci ac saginari sit specialis Eucharistiæ effectus, quo ii duntaxat dignantur qui cibum illum divinum de corde puro et optimo comedunt ; attamen unio cum Christo capite, quæ hujus sacramenti effectus est, omnium est sacramentorum finis, in quem tota quanta sunt collimant. Et certe justum est ut, sicut Deus est rerum omnium ultimus finis, ita ubicumque Deus speciali modo invenitur, ibi etiam ultimi finis rationem habeat, cæteraque quæ ad illum ordinem spectant, illiciis suæ bonitatis sibi subjiciat. Hinc quia in justis singulari modo inhabitat, ideo omnia propter electos facta sunt, juxta illud : *Omnia vestra sunt.* Quia in Christo omnis plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat, ideo propter Christum electi prædestinati sunt, juxta illud : *Nos autem Christi.* Quia cœlum Deus specialiter manifestatione suæ gloriæ incolit, juxta illud : *Cœlum mihi sedes est*, idcirco fortunatus ille locus laborum omnium nostrorum et desideriorum meta est. Ergo quia Christus singulari et ineffabili modo in Eucharistia realiter præsens est, ideo ad Eucharistiam omnia religionis Sacramenta referuntur. Unde per aquas Baptismatis et Pœnitentiæ evadimus receptacula munda ad cœlestem illum cibum recipiendum idonea ; per Confirmationem ad illius mysterii fidem, fideique professionem et defensionem armamur ; et per Ordinem digni constituimur Eucharistiæ ministri ; per Matrimonium concupiscentiam frænamus cujus re-

pressio non parva est ad immaculatum Agnum immaculato animo manducandum dispositio ; et per Extremam-Unctionem post viaticum conferri solitam, unionem cum Christo suscepto in ultimo agonis conflictu indivulse servamus, et illud Apostoli Deo donante experimur, *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.*

Ex quibus omnibus subsumo in hunc modum : Atqui sine aliquo finis Christianæ religionis voto nemo potest justificari, imo sine voto illo cætera suscipi sacramenta nequaquam possunt ; cum media non nisi ex amore finis assumi queant, et cætera sacramenta media sint quæ ad Eucharistiam recipiendam, vel ejus fructum conservandum proprio et connaturali pondere inclinant ad eamque velut ad vitæ spiritalis consummationem propendent. Ergo omnino necessarium est Eucharistiæ votum, sin expressum et explicitum, certe implicitum et virtuale, quo res desideratur non in seipsa ut distincte cogitata, sed in aliquo alio connexionem quamdam cum illa habente. Quod implicitum votum in adultis et in actus formales interdum prorumpere, et executioni aliquando mandari debet, cum præcepta non de habitibus, sed actibus cum internis, tum externis, ut sæpe diximus, dentur. Alioquin frustra Veritas dixisset : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quasi diceret : Non poteritis diu vitam in Baptismate acceptam sine cibo carnis meæ conservare, nec ad veram vitam in finis ultimi adeptione sitam pervenire.

Solvuntur objectiones. Mens sancti Augustini circa Communionem parvulorum accurate indagatur et exponitur.

Dices : Sine Eucharistia salus æterna obtineri potest, cum ad eam adipiscendam prima duntaxat gratia requiratur cum perseverantia in illa : utrumque autem sine Eucharistia obtineri potest ; prima quidem gratia, quia est effectus Baptismatis, nec eam confert Eucharistia, tametsi illam foveat augeatque ; perseverantia etiam, quam parvulis præmatura mors ex speciali Dei providentia contingens confert, quam utique mortem votum Eucharistiæ non infert. In adultis vero perseverantia est donum speciale sub meritum non cadens, quod quibus voluerit, et quando voluerit largitur misericors Deus. Ergo Eucharistia non est absolute necessaria.

Respondeo hac objectione firmari magis nostram sententiam, ex eaque erui rationem ad eam probandam efficacem. Nam, sicut ad dandam vel restaurandam primam gratiam instituta sunt Baptismatis et Pœnitentiæ sacramenta, ita ad conferendam in accepta gratia perseverantiam institutum est divinum Eucharistiæ sacramentum. Quemadmodum enim vita animalis per alimenta fovetur, nisi stomachum invenerint ægrum, et cibos præ cachecte non laudabiliter, ut loquuntur medici, concoquentem : sic vita spiritalis cibo animarum, qui Eucharistia est, sana incolumisque servatur, nisi cor invenerit prava peccati affectione laborans. Unde perseverantia in bono proprius est et characteristicus Eucharistiæ fructus. Præmatura etiam electorum mors ejus effectus est, non ut est occisio, sed quatenus est conjunctio mortis cum gloria, quam Deus intuitu Eucharistiæ voto Ecclesiæ in parvulis desideratæ impertitur. Et, quamvis donum perseverantiæ adultis collatum ex sola Dei miserentis voluntate pendeat, auxilia tamen ad perseverandum necessaria, quibus homo et præcepta servat et peccata vitat, confert usus Eucharistiæ.

Instabis : Quæ ad confirmandam Eucharistiæ necessitatem produximus, nimis probant ; convincunt enim Eucharistiam re susceptam esse necessariam necessitate medii, ac proinde nec sine ea parvulos decedentes posse salvari ; nam, sicut dictum est : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non introibit in regnum Dei ;* ita de Eucharistia scriptum est : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sicut ergo ex prioribus verbis necessarium esse baptisma necessitate medii colligimus, ita et idem de Eucharistia peræque fatendum est. Idque primitivæ Ecclesiæ praxis confirmat, qua Eucharistiæ sacramentum parvulis recens baptizatis conferebatur, ut docent S. Dionysius *de Ecclesiastica Hierarchia* cap. 2. et 3, S. Cyprianus serm. *de lapsis*, S. Augustinus epist. 107. *ad Vitalem*, aliique Patres, suoque tempore morem illum viguisse testatur S. Anselmus *in cap.* II. *Lucæ*. Quod observatum minime fuisset, nisi Patres existimassent Eucharistiam re susceptam medium esse ad salutem consequendam, non minus quam Baptisma necessarium.

Respondeo Baptismum et Eucharistiam in hoc convenire, quod, sicut adulti sine voto Baptismi salvari nequaquam possunt, quamvis sine eo re collato interdum cum solo voto salventur; ita sine aliquo Eucharistiæ voto nullus adultus salutem consequitur, licet eam sine actuali Eucharistiæ usu aliquando adipiscatur. Attamen hoc inter utrumque Sacramentum interest, quod Baptismus est spiritalis vitæ principium, et omnium Sacramentorum janua, Eucharistia vero est vitæ spiritalis fastigium et consummatio, omniumque Sacramentorum finis; quia per omnium sanctificationes Sacramentorum ad recipiendam vel consecrandam Eucharistiam via sternitur, animusque instruitur et comparatur; et ideo perceptio Baptismi ad inchoandam vitam spiritalem omnino desideratur, usus autem Eucharistiæ ad vitam illam consummandam necessarius est; unde non exigitur ad vitam spiritalem simpliciter habendam, modo tamen in aliquo voto habeatur, sicut et finis desiderio et intentione haberi potest. Habent autem parvuli baptizati votum illius finis eo modo, quo habent fidem, nimirum ex intentione Ecclesiæ, sicut ex fide Ecclesiæ credunt: et ideo per Baptismum ordinantur pueri ad Eucharistiam per vota ipsius Ecclesiæ, unde et recipiunt fructum ipsius, licet illam re minime percipiant. At vero ad Baptismum non ordinantur per aliud sacramentum antecedens, et ideo Baptismum in voto sicut adulti habere non possunt, remque proinde Baptismi sine actuali Baptismo recipere non valent. Ex quibus patet arctioris esse necessitatis sacramentum Baptismatis quam Eucharistiæ. Nec obest primitivæ Ecclesiæ praxis, quæ, ut ait Tridentinum, probabilem habuit ratione illorum temporum causam, sed necessitatem absolutam minime imponebat. Nam etiam Confirmatio parvulis post Baptismum continuo conferebatur, sine qua tamen parvulos baptizatos posse salvari nemo ambigit.

Urgebis: Saltem negari non potest, Augustinum in ea fuisse sententia, sacramentum Eucharistiæ re susceptum esse omnino et necessitate medii ad salutem æternam obtinendam necessarium. Cum enim existentiam peccati originalis adversus Pelagianos probaret ex illo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* Pelagianique vim argumenti elusuri distinguerent inter Regnum Dei et vitam æternam, vellentque illud solis baptizatis donandum, istam vero parvulis etiam Baptismate non initiatis; reponebat Augustinus, quod etiam a vita æterna excludendi erant non baptizati, propter illud Christi: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Eamdem percipiendæ Eucharistiæ ac suscipiendi Baptismatis impositam a Christo necessitatem existimans, ut ex concertationibus Augustini adversum Pelagianos claret.

Respondeo non solum heterodoxos quamplures, præsertim Calvinistas Augustinum accusare, quod necessitatem Eucharistiæ re susceptæ omnibus imposuerit; sed inter Catholicos etiam Joannem Maldonatum *in cap.* VI. *Joannis*, existimasse Augustinum et Innocentium in ea fuisse opinione a cæterorum Patrum sensu longe discedente. Verum Augustini mentem minime intellexerunt, cujus doctrina hac in parte communis erat totius Ecclesiæ, ac ipsius præsertim Ecclesiarum matris et magistræ Romanæ et Sedis Apostolicæ sensus, ut testatur ipse Augustinus epist. 106, ubi ait Pelagianos asserentes infantes non baptizatos habituros vitam æternam, « contra sententiam Domini disputare dicentis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis;* et contra Apostolicæ Sedis auctoritatem, ubi de hac ipsa re cum ageretur, hoc testimonium adhibitum est evangelicum, ne parvuli non baptizati vitam posse habere credantur. » Et postea: « Si autem credimus Sedi Apostolicæ, vel potius ipsi Domino et Magistro Apostolorum, qui dicit non habituros vitam in semetipsis, nisi manducaverint, » etc. Et lib. 2. *ad Bonifacium* cap. 4: « Quid illud quod idem Papa de hac ipsa causa etiam Numidiæ rescripsit episcopis, quia de utroque Concilio, et de Carthaginiensi scilicet et de Milevitano scripta susceperat, nonne apertissime de parvulis loquitur? Hæc enim ejus verba sunt: Illud vero quod eos vestra Fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine Baptismatis gratia posse donari, perfatuum est; nisi enim manducaverint carnem filii hominis, et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptismum velle cassare, cum prædicant nos habere, quod in eos credimus non nisi Baptismate conferen-

dum. » Et deinceps : « Ecce beatæ memoriæ Innocentius Papa sine baptismo Christi, et sine participatione corporis et sanguinis Christi vitam non habere parvulos dicit. » Videsis Innocentii epistolam inter Augustinianas nonagesimam tertiam.

Nec Innocentius solum, sed ipse Papa Gelasius post obitum Augustini sic ad Episcopos per Picenum scripsit : « Ipse Dominus Jesus Christus cœlesti voce pronuntiat : *Qui non manducaverit carnem* etc., ubi utique neminem videmus exceptum : nec opus est aliquem dicere parvulum sine hoc sacramento salutari ad æternam vitam posse perduci, sine autem illa vita in perpetua futurum morte non dubium est. » Nihil autem aliud scripsit Augustinus, quam quod Sedes Apostolica clarissimorum Pontificum oraculis tradidit, ut cum lib. 1. *de peccatorum Meritis* cap. 20, adversus Pelagianos distinguentes regnum cœlorum a vita æterna, dixit : « Nova quadam et mirabili præsumptione, quasi salus et æterna vita posset esse præter Christi hæreditatem, præter regnum cœlorum ? Dominum audiamus, non quidem hoc de sacramento sancti lavacri dicentem, sed de sacramento sacræ mensæ suæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit : *Nisi manducaveritis*, etc. An vero quisquam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus et sanguinis in se habere vitam, quia non ait : Qui non manducaverit ; sicut de Baptismo : *Qui non renatus fuerit ;* sed ait : *Si non manducaveritis*, velut eos alloquens qui audire et intelligere poterant, quod utique non valent parvuli ? Sed qui hoc dicit non attendit, quia nisi omnes sententia ista teneat, ut sine corpore et sanguine Filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas major id curat ; potest enim (si non voluntatem, sed verba loquentis attendas) eis solis tunc videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur : quia non ait, qui non manducaverit ; sed, *si non manducaveritis*. Et ubi est quod eodem loco de hac ipsa re ait : Panis quem ego dedero caro mea est pro sæculi vita ? Secundum hoc enim etiam ad nos pertinere illud sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando ista dicebat ; quia non possumus dicere ad sæculum nos non pertinere, pro cujus vita Christus carnem suam dedit. Quis autem ambigat sæculi nomine homines significatos esse, qui nascendo in hoc sæculum venimus ? Ac etiam pro parvulorum vita caro data est, quæ data est pro sæculi vita ; et si non manducaverint carnem Filii hominis, nec ipsi habere possunt. » Idem repetit lib. 1. *ad Bonifacium* cap. 22. et lib 3. *contra Julianum* cap. 1. et lib. *de prædest. Sanct.* cap. 13. et alibi non semel.

Anne propterea Doctor sanctissimus Romanæ Ecclesiæ vestigiis catholice indivulseque adhærens a communibus cæterorum Patrum et universalis Ecclesiæ sensibus recessit ? Absit, absurdum est dicere, et cogitare impium et juxta ignorantia plenissimum. Quando enim Augustinus, quando Innocentius, quando Gelasius Eucharistiam ad salutem omnibus etiam parvulis necessariam dixerunt, ejusque indispensabilem necessitatem clarissimis Salvatoris verbis confirmarunt, manifeste de Eucharistia quoad rem in voto suscipiendam, non de actuali ejusdem esu locuti sunt. Ita enim sui interpres mentem suam exposuit Doctor gratiæ lib. 3. *de Peccatorum meritis* cap. 4. his verbis : « Quid autem apertius tot tantisque testimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissime apparet, nec propter Christi societatem ad vitam salutemque æternam posse aliquem injuste damnari, hoc est ab illa vita ac salute separari ? Unde fit consequens, ut quoniam nihil tale agitur aliud cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est Christi corpori membrisque socientur, manifestum fit eos ad damnationem, nisi hoc iis collatum fuerit, pertinere. » Et postea : « Numquid etiam illud, nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam ? Nonne Veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere, nisi Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento Baptismatis inducuntur ? »

Vides S. Patrem eo modo velle Eucharistiam esse necessariam, quo in Baptismo manducari potest : manducari autem ait in Baptismo carnem Christi, quatenus incorporamur mystico Christi corpori et membris ejus, id est, Ecclesiæ. Idem declarat Præsul sanctissimus tract. 26. *in Joan.* ad hæc verba : *Qui manducat meam carnem.* etc : « Qui hanc sumit, » inquit, « habet vitam, et hanc utique æternam. Hunc itaque cibum et potum

societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, sicut rei sacramentum, id est virtutem corporis et sanguinis Christi. Alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica mensa præparatur, et de mensa dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium : res vero ipsa cujus sacramentum est omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit. » Quando ergo dixit Augustinus Eucharistiam esse omnino omnibus ad vitam necessariam, non de sacramento ut sic locutus est, quod quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium porrigitur ; sed de re sacramenti, quam societatem esse ait corporis et membrorum Ecclesiæ, cui parvuli per Baptismum ascribuntur. Denique sententia 341. a S. Prospero ex Augustino excerpta, sic habet : « Escam vitæ accipit seu æternitatis pocula bibit qui in Christo manet, et cujus Christus agitator est : nam qui discordat a Christo, nec carnem ejus manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei sacramentum ad judicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat. » Itaque res et fructus Eucharistiæ, qui est in Christo manere, omnibus est omnino necessarius, nec potest ullus unquam vitam æternam habere, qui eo modo Eucharistiam non comederit.

S. Augustinum de re sacramenti, non de sacramento actu suscepto loquutum esse, non ex ejus solum verbis, sed ex Patribus posterioribus ita eum interpretantibus perspicuum est. Ita ipsum intellexit S. Fulgentius epistola *ad Ferrandum* de Baptismo Æthiopis, cap. 11. his verbis : « Nullus debet moveri fidelium in illis, qui etsi legitime sana mente baptizantur, præveniente velocius morte carnem Domini manducare et sanguinem bibere non sinuntur, propter illam sententiam Salvatoris, qua dixit : *Nisi manducaveritis*, etc. Quod si quisque non solum secundum veritatis mysteria, sed secundum mysterii veritatem considerare poterit, in ipso lavacro sanctæ regenerationis fieri providebit. Quid enim agitur sacramento sancti Baptismatis, nisi ut credentes membra Domini nostri Jesu Christi fiant, et ad compagem corporis ejus Ecclesiastica veritate pertineant ? » Quod ubi productis variis sacrarum Litterarum testimoniis demonstravit, subjungit : « Qui ergo membrum corporis Christi fit, quomodo non accipit quod ipse fit, quando utique illius fit verum corporis membrum, cujus corporis est in sacrificio sacramentum ? Hoc ergo fit ille regeneratione sancti Baptismatis, quod est de sacrificio sumpturus Altaris. Quod etiam sanctos Patres indubitanter credidisse ac docuisse cognoscimus. Beatus quoque Augustinus de hac re sermonem fecit admodum luculentum et aptum ædificationi atque instructioni fidelium, quem sermonem totum epistolæ malui subjicere. » Integrum sermonem profert Fulgentius, in quod inter cætera hæc habentur : « Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum dicentem audi, dicentem, inquam, fidelibus : *Vos estis corpus Christi et membra.* Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est : mysterium Domini accipitis. Ad id quod estis, *Amen* respondetis, et respondendo subscribitis. Audi ergo corpus Christi, et respondeas *Amen*. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit *Amen*. Qua re ergo in pane ? Nihil hic de nostro afferamus : ipsum Apostolum item audiamus. Cum ergo de isto sacramento loqueretur, ait : *Unus panis, unum corpus multi sumus*... Qui accipit mysterium, et non servat vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Arbitror, sancte Frater » (verba sunt Fulgentii sermonem Augustini ponderantis), « disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipse hoc quod illud sacramentum significat invenitur. »

Augustinum eodem modo interpretatus est Lanfrancus epist. 33. his verbis : « Credimus generaliter omnes omnibus ætatibus plurimum expedire tam viventes quam morientes Dominici corporis et sanguinis perceptione se munire ; nec tamen si priusquam corpus et sanguinem Domini sumant contingit baptizatos statim de hoc sæculo exire, ullatenus credimus eos (quod Deus avertat) propter hoc in æternum perire... Nam sententia illa quam Dominus in Evan-

gelio dicit, *Nisi maducaveritis*, etc., quantum ad comestionem oris non potest generaliter dicta esse de omnibus. Plerique enim sanctorum Martyrum ante Baptismum quoque diversis excruciati prius de corpore migraverunt; eos tamen in numero Martyrum computat, et salvos credit Ecclesia. Infantem quoque non baptizatum, si morte imminente urgeatur, a fideli laico, si Presbyter desit, posse baptizari Canones præcipiunt; nec eum tamen, si statim moriatur, a consortio fidelium sejungunt. Necesse est ergo prædictam Domini sententiam sic intelligi, quatenus unusquisque divini mysterii per intelligentiam capax carnem Christi et sanguinem non solum ore corporis, sed etiam amore et suavitate cordis comedat et bibat, videlicet amando, et in conscientia pura dulce habendo quod pro salute nostra Christus carnem assumpsit, pependit, resurrexit, ascendit, et imitando vestigia ejus, et communicando passionibus ipsius, quatenus humana infirmitas patitur, et divina ei gratia largiri dignatur. Hoc est enim vere et salubriter carnem Christi commedere, et sanguinem ejus bibere. » Quam sententiam in libro *de doctrina Christiana* B. Augustinus exponens, sic ait : « Facinus vel flagitium jubere videtur; figura vero est præcipiens passioni Dominicæ communicandum esse, et suaviter atque utiliter in memoria recondendum, quod pro nobis caro ejus vulnerata et crucifixa sit. Figuram vocat figuratam locutionem : neque enim negat veritatem carnis et sanguinis Christi (quod plerisque schismaticis visum est, et adhuc non cessat videri). Et Dominus in Evangelio : *Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Quod exponens B. Augustinus ait : Hoc est namque carnem Christi et sanguinem salubriter comedere et bibere, in Christo manere, et Christum in se manentem habere. Nam et Judas qui Dominum tradidit, cum cæteris Apostolis ore accepit; sed quia corde non comedit, judicium sibi æternæ damnationis accepit. »

Sanctus etiam Thomas sic magistrum suum Augustinum intellexit quæst. 73. art. 3. ad 1, ubi explicans illud nostri Servatoris, *Nisi manducaveritis*, etc. sic habet : « Dicendum quod, sicut Augustinus dicit exponens illud verbum Joannis, hunc cibum et potum, scilicet carnis suæ, societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est Ecclesia. » Quod et verbis ejusdem Augustini epist. *ad Bonifacium* confirmat. Hoc etiam pacto locum Joannis interpretatus est S. Bonaventura in 4. dist. 12. quæst. 1. ad 1. et Durandus dist. 9. quæst. 2. ad 2. Et certe eadem fuit S. Augustini hac in parte sententia, quæ Innocentii; cum sanctissimi hujus Pontificis verba exscribat, laudetque Augustinus. At Innocentius Papa locutus est de Eucharistiæ re in veto suscepta, non de sacramento actu suscepto; Innocentius enim commentum Pelagianorum vitam æternam a regno cœlorum insulsissime distinguentium reprobans ex illo, *Nisi manducaveritis*, ait hæreticos illos « Baptismum ipsum cassare, quia prædicant habere sine baptismate infantes, quod non nisi baptismo eis confertur. » Ergo censebat Beatus ille Papa, censebatque proinde S. Augustinus, Baptismate conferri vitam æternam, quæ non datur nisi manducando carnem filii hominis; atque in ipso baptismo manducari carnem filii hominis quoad rem, quatenus baptismo mystico Christi corpori incorporamur. Unde effectus Eucharistiæ sine Eucharistia re suscepta, in voto tamen optata habetur. Quod Eucharistiæ votum in Baptismate includitur. Id ipsum ex eo etiam evidentissime claret, quod Augustinus lib. 1. *de Peccatorum meritis* docet Baptismum infantibus sufficere ad salutem : « Parvulus, » inquit, « si percepto Baptismo de hac vita migraverit soluto reatu cui erat originaliter obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommunitabiliter manens, in æternum justificatos præsentia veritatis illuminat. » Quod et cap. 21. et 22. repetit, necnon lib. 2. cap. 28. Videatur etiam Bernardus lib. *de diligendo Deo* cap. 4.

In fine hujus speculationis nonnulla advertere operæ pretium visum est circa Communionem parvulorum. Sciendum igitur, non solum Ecclesiam Græcam pueris et infantibus sacram Communionem porrigere, sed morem illum fuisse antiquitus non modo in Oriente, sed in Occidente etiam usurpatum. Hinc olim sacramenta Baptismatis, Confirmationis, et Eucharistiæ non interrupta celebratione conferebantur. Cujus ritus meminit Alcuinus Venerabilis Bedæ discipulus et Caroli Magni præceptor lib. *de divinis Officiis* cap. *de sabbato sancto Paschatis;* et Gennadius lib. *de Eccles. dogmatibus* cap. 52. Et longe ante Clemens Roma-

nus lib. 8. *Constitut.* cap. 20. Meminit etiam hujus consuetudinis Cyprianus serm. *de Lapsis*, inter referendam historiam puellæ quæ Eucharistiæ sacramentum, quod prius idolothyta comedisset, deglutire non potuit. Augustinus quoque hujus moris non semel mentionem facit. Evagrius similiter refert lib. 4. *Eccles. hist.* cap. 35. puerum Hebræi cum pueris Christianorum scholas frequentantem, cum aliis reliquias Eucharistiæ comedisse, et domum tardius revertentem a patre vitriario opifice in elibanum ardentem injectum, illæsum tamen post triduum repertum inter flammas fuisse. Quod et Nicephorus lib. 17. cap. 25. recenset. Hujus etiam praxis concilia Toletan. XI. cap. 11. et Matisconense cap. 16. testes sunt.

Ecclesia tamen Latina hæc duo sacramenta, Eucharistiæ potissimum communionem solis adultis usu rationis præditis confert, tum ut majori cum fructu et ampliori emolumento recipiantur; tum ut tantorum mysteriorum immensa dignitas sanctius tractetur, et ab infantibus non satis decore cibus ille divinus sumatur. Multos etiam in Actibus Apostolorum legimus baptizatos, quibus hæc bina Sacramenta non impertivisse Apostolos refertur. Illum tamen morem non reprehendit Tridentinum supra laudatum, quia nimirum primitivis temporibus, quando minor erat fidelium numerus, cito et facile incommoda illa, quibus consuetudo hujusmodi, sicut et communio sub utraque specie exposita est, præcavebantur.

Cæterum quorumdam Schismaticorum hæreticos imitantium audacia minime ferenda est, qui cum Simeone Thessalonicensi lib. de *Sacramentis*, Nicolao Cabasila orat. 1. *de Vita in Christo*, Hieremia Constantinopolitano in secunda suæ censuræ apologia, Philadelphiensi lib. *de Sacram.* Ecclesiæ Romanæ sugillandæ gratia opinantur Eucharistiæ usum esse medium ipsis etiam parvulis ad salutem omnino necessarium. Quod merito reprobat Tridentinum, cum Baptismus animam parvuli divina gratia exornet, qui per lavacrum regeneratus et Christo incorporatus adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non potest. Gratiæ autem, si quis in ea decesserit, vita æterna respondet; quæ quidem gratia semel obtenta uno peccato mortali deperditur.

REFLEXIO.

Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, Luc. XXII. Si desiderium una et condigna fuit ad hoc Sacramentum amoris instituendum præparatio, profecto eadem desideratur ad illud idem suscipiendum dispositio. Justum est plane ut amore recipiamus, quod uno amore donatum est; et sicut, teste Augustino, anima Deo plene serviens beatam vitam, qua Deo æternum fruatur, sine intermissione desiderat, « augescentisque pietatis indicium est maximum, cum desiderium istud magis ac magis inflammatur, » ut epist. 121. et *in Psalm.* XXXVII. inculcat; sic divinam Eucharistiam, quæ futuram fruitionem præfigurat, ejusque pignus est et primitiæ, vehementer appetere tenetur anima sancta, ut omnium quibus hæc mortalis vita assidue conflictatur, ægritudinum levationem ac remedium indidem petat, utque urgente caritate ad Christum realiter præsentem, ut ad unicum in ærumnis consolatorem, unicum in miseriis liberatorem, unicum in infirmitate adjutorem, unicum sanctitatis auctorem adducatur. Hinc viri sancti nihil sibi gravius accidere, vel acerbius posse rentur, quam cibo illo, qui votorum suorum summa est, privari. Cum enim Eucharistia summum in hac vita Christiani hominis bonum sit, gravissimam omnium pœnam merito judicant divinorum mysteriorum participatione carere : gravior enim, aut levior pœna est, quo majus vel minus bonum est qui privantur, quove magis vel minus boni illius præstantiam percipimus. Quemadmodum ergo desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desideret ad Christum anima nostra, ut hoc puro desiderio veluti sacro igne divinissimum illum cibum concoquere sufficiat, ejus alioquin exuberantia obruenda potius quam fovenda et roboranda.

Etenim, ut recte observat S. Franciscus Salesius lib. 2. *Epistolarum*, epist. 48, « cibi appetentia duplex est; altera quæ proba et legitima concoctione ; altera quæ attrahentis virtutis stomachi depravatione gignitur. » Adest interdum adumbrata hujus cibi fames, eaque se accendi imaginantur infirmissimæ virtutis viri, et sæpius mulierculæ, quorum, vel quarum tepida vita, negligens conversatio, terrenus affectus sæcularibus implicatus, incuriosum abstergendarum culparum studium desiderium illud fallax et suspectum

esse convincunt. Cum enim hujusmodi desiderantes nulla vel levis mandatorum Evangelicorum observandorum cura tangat, nihil ex cœlestis alimenti usu virium vel firmitatis trahant, neque cœlesti illo pane pasti vegetentur et spiritus pinguedine saginentur, procul dubio desideria illa fallacia suspicionem habent, nec sancti Spiritus, sed amoris proprii calori ascribuntur.

Nihil sanctius, nihil laudabilius, nihil justius sacræ communionis desiderio; nihil ejus usu, si recte atque ordine fit, utilius et fructuosius in vita Christiana esse potest. Sed illos vero et sufficienti desiderio flagrare nunquam crediderim, qui nihil de vitæ integritate, morum innocentia, bonorum operum cultu, sæcularium maximarum abjectione, firma in pietate christiana constantia, arctiore cum Deo unione, atque perfectionis progressu solliciti, eo tamen tenentur errore, ut se probe communione defungi arbitrentur, si in superficie mentis quædam ejus cibi desideria sentiant, et brevem ac fluxum devotionis sensum capiant, qui nihil veri fructus et incrementi virtutis asserat, et nihilo amplius ex Eucharistia assequatur, quam si ad illam omnino hujusmodi desidiosi non accessissent. Verum hujus cibi efcaxque desiderium vitam omnino infert cœlesti pabulo dignam, iis solis divinitus comparato, qui in cupiditatibus expugnandis, domandoque animo acriter et studiose laborant. Ad hunc enim spiritalem panem non minus quam ad materialem ut bene dixit Joannes Avila 1. parte, epist. 66. referendum est illud Apostoli : *Qui non vult operari non manducet;* ne scilicet panem gratis comedat. Cuinam vero sine labore ac dimicatione pane hoc sanctissimo animam pascere concessum est?

Reminiscere, lector, quod nisi vita tua cum Evangelii forma congruat, periculose divinis altaribus admoveris. Quia, si Patres uti tenemur audiamus, indubium est eum qui frequenter cœlesti cibo reficitur, caritatis eum incensum esse ardore oportere, non secus atque illum qui crebrius alimenta adhibet, nativo calore abundare necessum est : unde, sicut solidorum ac succulentorum alimentorum copia ægris non officere corporibus non potest; ita infirmiori ac debiliori animo discrimen imminet, si tam crebro divinissimo illo pane vescatur. « Illi, » inquit Hieronymus *in cap.* IX. *Zachariæ*, « hunc panem comedunt» (ut oportet) « qui in Christo robusti sunt, et ad quos Joannes Evangelista loquitur : *Scribo vobis, juvenes, quia sermo Dei in vos manet, et fortes estis, et vicistis malignum.* » Non fert summa, quam Christo debemus veneratio, ut ejus benignitate properatis frequentibusque communionibus abutamur, antequam familiari tanti hospitis consuetudine dignos nos vitæ ac morum sanctitate præbuerimus; eaque est tremendi mysterii dignitas atque præstantia, ut ab illo interdum etiam Sacerdotes reverentiæ causa digredi expediat, tum ne dum hoc sacramento familiarius utuntur, debita ei observantia et reverentia minuatur : tum ut certo tempore jejuniis, orationibus, aliisque pœnitentiæ et pietatis officiis impenso, dilatione illa puriores, paratiores, et appetentiores ad cœlestem mensam accedant. Hinc præclare ab Hieronymo *in cap.* v. *Jonæ* dictum est : « Ipsum quoque Dominum verum Jonam missum ad prædicationem mundi jejunasse quadraginta dies, et hæreditate nobis jejunii derelicta, ad esum corporis sui sub hoc numero nostras animas præparasse. »

Concors est Catholicorum omnium Doctorum vox, eum qui frequenter communione pasci velit, eximio quodam pietatis motu efferri oportere; teneri illum non solum grandes grandium peccatorum fœditates pœnitentiæ lacrymis diluere, sed etiam divellere pro virili animum affectumque a venialibus eorum quavis occasione accurate abjecta : quia cavillationibus et suffugiis minime unquam fiet, quin hic sit communis Christianæ pietatis sensus, frequentem communionis usum, et multo minus quotidianum non nisi sanctioribus animis, gratiæ muneribus, Christique amore plenis concedi oportere. Hoc vero in animum inducere suum quis possit, homines illos veris lacrymis peccata diluere, sincero affectu animum a venialibus divellere, Christique dilectione abundare, qui de divinis vix cogitant, quorum pietas elanguit; qui sui amore tumentes et tenacissimi huic sæculo vinculis astricti, omnibus conflictantur animi morbis, omnibus ferme passionibus famulantur, veris et a Spiritu sancto inseminatis sacræ Communionis desideriis flagrare? Itane mulieres illæ, quas vulgus *Devotas* dictitat, quarum unum in hac vita negotium est crines componere, vultum immutato Creatoris opere sibi pigmentis refingere, in publicis deambulationum curriculis saltantium, comœdorumque choris, ac lu-

dentium consessibus frequentandis dies conterere, et vigilias producere, in multam diem et provectiorem solem stertere, in altam noctem epulari et ludere, usuque præpostero noctes in dies, et vicissim commutare ; illæ, inquam, mulieres circumornatæ ut similitudo templi, odorariis pulveribus inspersæ, unguentis oblitæ, perfusis moschis imbutæ, nigrarum macularum distinctione vermiculatæ satin' ad Communionem quoties libuerit frequentandam paratæ, satin' instructæ ut Sanctuarii cœlestis adyta ingredi toties audeant, quia molle aliquod in extrema mentis superficie desiderium expertæ sunt ? Adeone abjecte sentiemus de virtutibus animi quas frequens cum Christo consuetudo postulat, ut omnes sine ullo discrimine ad tremendum altare ipsis Angelis formidandum immittamus ? Adeone neminem vel imbecillum vel pravum reperiri censebimus, quin Communionis octavo quoque die usurpandæ frequentia dignus habendus sit, postquam sancti usum illum præstantissimæ virtutis præmium et mercedem esse constituerunt ?

Bonum ergo est atque laudabile ardentibus in Eucharistiam desideriis a caritate profectis æstuare : bonum etiam est sacerdotem vitam sanctam agentem frequenter celebrare, quia, ut Venerabilis Beda dixit, « Sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, privat sanctam Trinitatem laude et gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio et gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam spiritali Christi beneficio, et seipsum medicina et remedio. » Sed bonum etiam est et Communionem et sacrificium interdum omitti ; tum ut ejus desideria eo intervallo accendantur ; tum ut lacrymis aliisque pœnitentiæ operibus, atque propriæ indignitatis confessione eum amplius advocemus, qui a solis humilibus honoratur ; tum ut Centurionis et Chananeæ partes suscipientes, cum illo clamemus, *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum ;* cum ista vero profiteamur, « Etiam, Domine, indigna sum quæ filiorum pane reficiar. » Canis utique sum ; sed si canes integro pane non fruuntur, micas certe e mensa Domini defluentes accipiunt. Ita, suavissime Domine, qui totus es desiderabilis, si minus sacrosanctum tuum corpus, gratiæ saltem stillas, quas in eos qui ad ipsum amore se applicant effundit, supplex postulo. Hinc S. Franciscus Salesius lib. 2. epist. 52. præstantem virtute matronam sic alloquitur : « Jam tibi tuæ mentis cura serio habenda est, ut pro tot tamque ardentibus votis tuis puriorem eam in dies ac firmiorem efficias. Nec abs re censeo tantisper sacra communioni privari, si forte ipsum Eucharistiæ desiderium majorem etiam vitæ emendandæ curam tibi ac diligentiam allaturum sit. »

SPECULATIO II.

Eucharistia est sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini realiter contentum, ad spiritalem animæ refectionem institutum : quod licet duplici elemento, pane scilicet et vino constet, non plura tamen, sed unicum est sacramentum.

Prior speculationis pars tradit Eucharistiæ essentiam et definitionem id quod est commune et genericum explicantem, dum ait Eucharistiam esse signum, seu sensibile aliquod symbolum, quod omnibus et singulis convenit Sacramentis ; illud autem sensibile sunt species panis et vini continentes corpus et sanguinem Christi, quas dum digni comedimus, divina gratia pascimur et reficimur : unde habetur hujus sacramenti differentia. Per Baptismi enim gratiam in Christo nascimur, per Confirmationem nova in Christo nata creatura augetur, per Eucharistiam novus homo pascitur et in vita spiritali perficitur. Nam, ut bene ait S. Thomas quæst. 73. art. 1. ad 1, alia est perfectio quam confert Confirmatio, alia quæ Eucharistia obtinetur : in homine namque una est perfectio ad quam pervenitur per augmentum, et talis perfectio competit Confirmationi : alia autem est perfectio, quam homo consequitur ex admixtione alicujus extrinseci hominem conservantis, puta ex admixtione cibi, vel alicujus ejusmodi ; et talis perfectio competit Eucharistiæ, quæ est spiritalis refectio.

Sed difficultas est, pro quo essentialiter supponat sacramentum Eucharistiæ, ut sacramentum est. Communior Thomistarum sententia est, hoc sacramentum essentialiter supponere pro solis speciebus consecratis corpus et sanguinem Christi realiter continentibus, ita ut species illæ sint tota hujus sacramenti essentia vel natura, nec ejus constitutionem essentialem ingrediatur corpus Christi, uti Suarez, Vasques, Sylvius, et alii

opinantur. Nam in concilio Tridentino sess. 13. can. 1. dicitur corpus et sanguinem Christi in Eucharistiæ sacramento contineri. Censet ergo sancta Synodus, non corpus Christi, sed species sub quibus realiter continetur, esse totum Eucharistiæ sacramentum. Eamdem sententiam tradit Catechismus Romanus part. 2. titulo *de Eucharistia*, numer. 8. his verbis : « Diligenter observandum est, multa in hoc mysterio esse, quibus aliquando sacramenti nomen sacri Scriptores tribuerunt. Interdum enim et consecratio, et perceptio, frequenter vero et ipsum Domini corpus et sanguis qui in Eucharistia continetur, sacramentum vocari consuevit. Inquit enim S. Augustinus sacramentum hoc duobus constare, visibili scilicet elementorum specie, et invisibili carne et sanguine ipsius Domini nostri Jesu Christi. Atque ad hunc modum sacramentum hoc adorandum esse, nimirum corpus et sanguinem Domini intelligentes affirmamus. Verum hæc omnia minus proprie sacramentum dici perspicuum est. Ipsæ autem panis et vini species veram et absolutam hujus nominis rationem habent. » Quæ verba apertissima sunt. Hinc sæpissime a Patribus Eucharistia sacramentum corporis Christi appellatur, quod utique corpori Christi non convenit. Hinc theologi vulgo cum S. Thoma quæst. 73. art. 1. ad 3. et articulo 6. post Innocentium III. cap. *cum Marthæ*, *de celebratione Missarum*, distinguunt tria in Eucharistia : sacramentum tantum ; rem sacramenti tantum ; sacramentum et rem sacramenti simul : per « sacramentum tantum » sensibiles species intelligentes ; per « rem tantum sacramenti », gratiam animum pascentem et spiritaliter saginantem ; per « rem et sacramentum simul » corpus Christi quod per species significatur ; et corpus Christi mysticum, sive gratiam, qua viva Ecclesiæ membra cum inter se, tum cum Christo capite adunantur, significat. Sicut ergo Baptismus non constat essentialiter ablutione et charactere, qui est res et sacramentum simul ; sed in sola aquæ elementaris ablutione sub præscripta verborum forma situs est : sic Eucharistia non in speciebus et corpore Christi ex æquo, sed in solis speciebus consecratis, corpus tamen Christi realiter præsens connotantibus consistit. Hac etiam nostra sententia difficiliora Novatorum adversus realem Christi præsentiam e Patribus deprompta argumenta facillime confringuntur et in fumum abeunt. Cum enim Patres Eucharistiam dicunt esse sacramentum, symbolum, et signum corporis Christi, non propterea corpus Christi excludunt, ut nostrates hæretici mentiuntur, sed de Eucharistia formaliter et in ratione sacramenti loquuntur, scilicet de speciebus sensibilibus, quæ sunt signum et figura corporis Christi, illud tametsi realiter includant.

Rationem vero hujus sententiæ aliqui ex eo derivant, quod omnia sacramenta secundum se tota, et secundum omnes suas partes intrinsecas sunt quædam instrumenta Dei separata : at corpus et sanguis Christi non sunt instrumenta separata, sed conjuncta divinitati : ergo nec sacramentum Eucharistiæ sunt, nec pars ejus intrinseca. Verum enim vero frigida admodum et imbecilla ratio illa videtur. Voluntarie namque asseritur, omne sacramentum esse instrumentum separatum ; licet enim id in sacramentis, in quibus Christus realiter non continetur, verum probetur, quomodo id sacramento, cui Christus realiter adest, non conveniat, probandum superest.

Vera ergo ratio a sacro concilio Tridentino laudato indicatur, et hujusmodi est : Sacramentum qua sacramentum est essentialiter symbolum rei sacræ et invisibilis, gratiæ visibilis et sensibilis forma. Atqui hæc omnium calculo probata sacramenti definitio solis speciebus, minime vero corpori et sanguini Christi realiter sub eis contentis convenit. Species namque significant gratiam animam cibantem, eamque instrumentaliter causant ; significant etiam realiter præsens, invisibile tamen Christi corpus quo pascimur, cuive unimur ; non tamen illud causant : non enim omne quod significant sacramenta efficiunt, cum omnia Redemptoris passionis, quam utique non efficiunt, signa sint. Ergo tota hujus sacramenti essentia in speciebus Eucharisticis sita est.

Dices : Licet corpus Christi non sit sensibile per se, est tamen sensibile ratione specierum : sufficit autem ad rationem partis essentialis sacramenti, quod sit sensibilis per aliud ; nam contritio est pars essentialis sacramenti pœnitentiæ, et tamen non est sensibilis ratione sui, sed tantum ratione confessionis. Ergo ratione facta non efficaciter probamus corpus Christi non esse partem essentialem sacramenti Eucharistiæ.

Respondeo, quod, cum corpus Christi sub sensus non cadat, sed omnium aciem fugiat,

solæque species sensibus percipiantur, hinc fit corpus Christi non esse signum et sacramentum ratione sui, sed unarum duntaxat ratione specierum. Nec est simile de contritione, quæ licet non sit sensibilis sacerdoti ratione sui, sed tantum ratione confessionis rei; est tamen ipsi reo pœnitenti sensibilis, cum eam actu percipiat, actu experiatur. Sufficit vero ad sacramenti rationem, illius præsertim cujus materia sunt actus pœnitentis, ut id quod dicitur pars sacramenti, sit alicui sensibile. Sacramentum vero cujus materia exterius exhibetur, mere sensibilem habere materiam oportet, ut patet discurrenti per singula sacramenta.

Instabis : Sacramentum Eucharistiæ est id quod a Christo institutum est ad fideles per modum cibi et potus reficiendos ; hic enim est perpetuus Patrum et Conciliorum loquendi modus : sed cibus ille non species Eucharistiæ, sed caro Christi est sub speciebus latens ; scriptum est enim : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Ergo sacramentum Eucharistiæ non solum pro speciebus consecratis, sed etiam pro corpore et sanguine Christi supponit. Unde Patres docent, hoc sacramentum constare ex duabus rebus, terrena et cœlesti, ex visibili specie et invisibili carne.

Respondeo Patres sacramentum Eucharistiæ accipere pro omnibus quæ in illo inveniuntur, non vero pro eo quod præcisam constituit sacramenti rationem, quia continens pro contento, et vice versa communi modo loquendi usurpatur. Cum enim a præcisionibus metaphysicis Patres abstraherent, non erant solliciti tria illa distinguere, quæ in quolibet sacramento theologi discernunt, sacramentum tantum, rem tantum, sacramentum et rem simul ; quorum primum solis speciebus, secundum gratiæ sacramentali, tertium corpori et sanguini Christi convenire fatendum est, omnia sus deque ne misceamus. Fateor tamen in communi loquendi usu sacramentum pro corpore Christi sub speciebus contento accipi, ut cum dicimus : « Laudetur sanctissimum Sacramentum ; Tantum Sacramentum veneremur cernui. » Quia de illo loqui solemne est secundum omnia qua involvit. Quia etiam, licet corpus Christi non constituat directe ipsum sacramentum, est tamen res significata et contenta in ipso, quo pascimur et nutrimur ; unde sacramentum Eucharistiæ est cibus animæ ; tum ratione gratiæ ad quam producendam evehitur; tum quia realiter continet vivificam Christi carnem, quæ se manducantibus dat spiritus pinguedinem. Hac etiam de causa Sacramentum Eucharistiæ adoratur ratione Salvatoris in eo contenti. Sed de his magis speculatione sequenti.

Urgebis : Omne sacramentum novæ legis constat rebus et verbis ; rebus ut materia ; verbis ut forma, ut docet concilium Florentinum alibi relatum. Ergo solæ species Eucharisticæ etiam ut connotantes et continentes corpus Christi, non sunt adæquata sacramenti Eucharistiæ essentia, quæ etiam verbis consecrationis intrinsece constat. Et sane, sicut in aliis sacramentis verba materiam ad significandam gratiam determinant; ita species Eucharisticæ non sunt gratiæ significativæ, nisi quatenus verbis consecrationis determinantur.

Respondeo propter hoc argumentum Cardinalem de Lugo, aliosve quosdam recentiores existimare verba consecrationis, quibus panis et vinum in corpus et sanguinem Christi convertuntur, ad essentialem hujus sacramenti constitutionem pertinere. Verum cum hoc sacramentum habeat esse permanens, non successivum ; forma vero seu verba consecrationis se habeant per modum alicujus transeuntis effective conficientis hoc sacramentum, quamvis verba illa necessario desiderentur ut fiat sacramentum, non tamen ipsius sacramenti Eucharistiæ constitutionem intrinsece ingrediuntur, nec tam informant quam efficiunt hoc sacramentum habens esse ratum et permanens. Non enim ea tantum ratione aliquid dicitur forma sacramentalis, quod semper informet, sed quia materiam de se indifferentem determinat, consecrat, et sanctificat. Quare, sicut, licet ad Confirmationem omnino requiratur chrisma consecratum, et ad Extremam-Unctionem oleum ab Episcopo benedictum, ipsa tamen chrismatis consecratio, vel olei benedictio non sunt intrinseca hujusmodi sacramentorum pars; ita verba consecrationis Eucharistiæ omnino quidem desiderantur, ut perficiatur sacramentum, ipsum tamen intrinsece non constituunt, sed solæ species sacramentales, verba tamen illa connotantes et essentialiter supponentes. Ex quibus intelligitur doctrina concilii Florentini dicentis omnia novæ legis sacramenta perfici rebus ut materia, verbis ut forma ; forma, inquam, intrinseca respectu

sacramentorum in usu positorum, extrinseca vero et effectiva respectu sacramenti permanentis, quale est Eucharistia, ut magis postea patebit.

Unitas sacramenti Eucharistiæ.

Posterior pars ad explicandam hujus sacramenti unitatem posita est. Et illius ratio est, quia cum sacramentum sit signum, illa omnia, tametsi varia sint, unicum sacramentum efficiunt, quæ unum integrum sacramenti effectum, eumdem finem, idem et objectum significant. Atqui nisi species panis et vini simul jungantur, non potest significari integer hujus sacramenti effectus, finis, et objectum : etenim hoc sacramentum et passionem Christi, et spiritualem animæ refectionem, et corporis mystici, quod est Ecclesia, unitatem in futura vita consummandam significat; quia, ut canit Ecclesia, in hoc sacro convivio, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, futuræ gloriæ nobis pignus datur, atque unitatis et pacis dona sub oblatis muneribus designantur. Illa autem omnia non repræsentat sola species panis, nec sola species vini; quia in passione fuit et corporis mactatio, et sanguinis fusio : in convivio etiam fames cibo, sitis potu sedantur. Unitas etiam Ecclesiæ eodem convictu significatur, in quo idem cibus idemque potus omnibus peræque sine ulla personarum acceptione ministratur. Ergo hoc sacramentum formaliter et completive ex utraque specie integratur, sicut totum artificiale, puta domus, ex suis partibus componitur. Ergo hoc sacramentum unum est : sicut Extrema-Unctio, tametsi pluribus unctionibus, pluribusque formis partialibus constet, unicum tamen sacramentum est, quia illa omnia quibus constat, ad eumdem finem, ad eumdemque effectum, ad reliquias nimirum peccatorum e sensibus profectas, et languentis animum deprimentes persanandas referuntur.

Et certe, sicut cibus et potio, tametsi duæ res diversæ sint, quia tamen in unum finem instituta sunt et ad unam corporis viriumque refectionem adhibentur, unicum convivium integrant tamen : ita bina sacramenti Eucharistiæ species, quæ unum spiritualem cibum animos sustinentem et recreantem significant, unicum quoque efficere sacramentum fatendum est, ut ait Catechismus citatus num. 10 : « Licet desint elementa, panis scilicet et vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ sacramentum conficitur; non tamen plura sacramenta, sed unum tantum esse Ecclesiæ auctoritate docti confitemur. » Ecclesiæ, inquit, auctoritate, quæ ex communi Patrum et Conciliorum loquendi modo colligitur, juxta quem septem tantum sacramenta agnoscimus, et Eucharistiam esse unum e septem confitemur.

Dices : Tridentinum sess. 21. can. 3. definit sub una specie totum atque integrum Christum, verumque Eucharistiæ sacramentum suscipi. Ergo, si in qualibet specie verum sacramentum est, in duplici duplex est. Et ratio est : tum quia quælibet species seorsim sumpta est signum practicum gratiæ, non solum quia totum Christum omnis gratiæ fontem continet, sed etiam quia laici una specie pasti totam sacramenti gratiam recipiunt. At quoties multiplicatur signum, quæ est ratio generica, multiplicatur etiam sacramentum, quæ est ratio specifica : ergo in duplici specie sacramentum duplicatur. Tum quia in hoc sacramento duæ materiæ, duæque formæ nullam inter sese conjunctionem habentes inveniuntur, cum una species independenter ab alia conficiatur, independenter ab alia conservetur. Ergo duo sunt in duplici specie sacramenta.

Respondeo, quod, cum ratio essentialis sacramenti Eucharistiæ in eo sita sit, ut spiritalem animæ refectionem significet et efficiat; cumque ad eam significandam et efficiendam utraque species ordinetur, consequens est ex utraque specie non nisi unum conflari sacramentum. Quod autem Tridentinum ait, sub qualibet specie verum sacramentum, indubitatum est, at nusquam dixit sacra Synodus in qualibet specie esse totale et adæquatum Eucharistiæ sacramentum, sicut anima rationalis vera est, sed non completa substantia.

Ad rationes subjunctas eadem distinctione respondetur, quamlibet speciem esse practicum gratiæ signum, sed duntaxat inadæquatum; unde, licet in qualibet specie totus Christus contineatur, tota etiam sacramenti gratia cordi recte disposito per quamlibet speciem conferatur; totalitas tamen significationis in qualibet specie non invenitur, cum Eucharistia perfectam refectionem spiritalem per modum convivii cibum et potum peræque includentis essentialiter significet. Unde etiam secundæ rationi fit satis; quia

in duplici specie non est duplex materia completa, sed duntaxat inadæquata in ratione significandi, quæve unitur non per modum actus et potentiæ, nec per modum continui physici, sed nexu quodam morali simili illi, quo domus in eadem civitate, milites in eodem exercitu, homines in eadem republica, partiales in eodem Extremæ-Unctionis sacramento unctiones copulantur. An autem laici unica tantum specie panis refecti minorem accipiant gratiam, inferius, cum de communione sub utraque specie agetur, explicabitur, ex quibus palam erit hoc sacramentum multa quidem esse materialiter ob signorum partialium distinctionem; esse tamen unum simpliciter, formaliter, et perfective. Unum namque dicitur non solum quod indivisibile est vel continuum, sed etiam quod perfectum est. Illud porro in perfectione unum est, quod omnia habet ad suam perfectionem concurrentia; sicut homo ex omnibus membris ad operationem animæ desideratis, domus ex omnibus partibus ad inhabitandum desideratis integratur.

Relinquitur igitur hoc sacramentum specifice quidem unum solo numero multiplicari posse. Nam unum numero sacramentum est quod semel sumitur ab uno, etiamsi plures hostias consecratas accipiat; plura vero sunt numero sacramenta, vel quando unus pluries reficitur, vel quando Eucharistia a pluribus sumitur, etsi illis unica hostia plures in particulas divisa ministretur.

Et ratio est, quia cum hoc sacramentum ad spiritalem animi fidelis refectionem referatur, de illo eodem proportionali modo ac de convivio discurrendum est: unde, sicut convivium instructum et paratum in actu primo unum est, in actu tamen secundo per plures refectiones numero multiplicatur; tot enim sunt numero refectiones, quot refecti; ita quando sacerdos plures hostias per modum unius consecrationis in eodem altari vel sacrario ponit, unum in actu primo sacramentum et convivium spiritale parat, quod dum a variis sumitur, in actu secundo numerice multiplicatur. Nam divisione numerali multitudo crescit, ut patet in aqua plures in portiones distributa. Unde, sicut unitas specifica Eucharistiæ ab una specie refectione desumitur; ita ejusdem unitas numerica ex eo quod ad unam numero refectionem referatur petenda est. Fateor equidem majorem esse in hoc sacramento etiam numero multiplicato, quam in cæteris unitatem, tum propter ejusdem Christi sub omnibus et singulis speciebus existentis, et jugiter oblati unitatem; tum propter unitatem sacrificii crucis, in cujus commemorationem institutum est. Quia tamen plures in Eucharistia refectiones percipiuntur, et pluribus materiebus formisque frequentatis cœlestis Christi cibus ministratur, plura etiam esse numero Eucharistiæ sacramenta inficiandum non est; quamvis in contrariam sententiam Soto et Suares inclinent.

REFLEXIO.

Si Eucharistia in duplici specie unum sacramentum est, seu, ut loquitur D. Thomas art. 2, « est multa materialiter, sed unum formaliter et perfective; » si hoc sacramentum sit vinculum pacis, mysterium unitatis, centrum religionis, denique communio seu communis unio, atque Christianorum gordius nexus: vide, lector, atque a temetipso serio sciscitare, num pacem cum Deo, num cum proximo habeas? Ideo post institutam divinissimam Eucharistiam, quæ sacramentum unitatis est, hanc fidelium concordiam amantissimus Redemptor tam enixe, tam suaviter a Patre postulabat. *Pater sancte* (verba sunt æternæ Vitæ, Joan. XVII.) *serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.* Quia nimirum hic unus, vel certe præcipuus est instituendæ Eucharistiæ fructus Christianorum charitate conjunctorum nexus. Posuit enim fines suos pacem, qui nos erat adipe frumenti divini satiaturus.

Recordare, mi lector, ipsum hujus sacramenti auctorem Christum pacem, fratrumque concordiam sacro sui ipsius usui, suo subindeque honori quadantenus prætulisse, dum Matth. V. præcepit: *Si offers munus tuum ad Altare, et ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* Quam amanda, quam fovenda, quam utilis, quam felix pacis, mutuæque dilectionis concordia, sine qua nec ipsum altaris sacrificium acceptum esse ullatenus po-

test ! Inquire ergo pacem et persequere eam: quæ, ut sæpe inculcat Augustinus, serenitas mentis est, tranquillitas animi, congregationis anima, animæ beatitas, amoris vinculum, consortium caritatis. Hæc simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos frangit, humiles solatur, discordes sedat, inimicos conciliat, cunctis placida, nullis amara, quia extolli nescit, horret inflari. Hanc si acceperis, tene ; si perdideris, repete ; si amiseris, exquire. Quia tale bonum est bonum pacis, ut in rebus humanis nihil gratiosius soleat audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil et utilius possideri. Membra humana spiritus hominis, nisi unita fuerint, non vivificat : et Ecclesiæ membris vitalis Eucharistiæ cibus, nisi fuerint Eucharistiæ vinculo copulata, spiritalis vitæ motum non impertit.

« Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. » Cum Christo in Eucharistia unum sumus ; quomodo ergo a se invicem Christianorum corda sejungi aliquo tandem prætextu possunt ? Unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane, et de uno calice participamus : ergo ab illo corpore se dividunt, qui solliciti non sunt servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Et præclare Augustinus sermone ad infantes, quem ex integro S. Fulgentius refert : « Qui accipit mysterium unitatis, et non servat vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. »

Quia in primitiva Ecclesia Fideles perseverantes erant in divini fractione panis, ad eumque eximia cordis castimonia accedebant, ideo *multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat*, ut dicitur Actuum IV. Non poterant corda illa divelli, quæ in Eucharistiam veluti lineæ in centrum unita confluebant. « Nemo autem, » ut *in caput* V. *Matth.* Chrysostomus observat, « inter duos inimicos potest esse fidelis amicus amborum ; ideo et Deus non vult esse amicus fidelium, quamdiu inter se fuerint inimici. » Unde nec Christo poterunt in Eucharistia conjungi, qui a se fuerint simultatum divortio separati.

SPECULATIO III.

Momentosa de permanentia et adoratione Eucharistiæ corollaria derivantur.

Ex hactenus constitutis sequitur 1° Eucharistiam esse sacramentum permanens, et non in usu formaliter positum. Est contra modernos hæreticos Lutheranos et Calvinistas. Licet enim Lutherus Ecclesiæ Romanæ de permanentia Eucharistiæ fidem aliquando non improbarit, ut constat ex libro *ad Waldenses*, ubi ait Papistas corpus Christi vere in sacramento habere et circumgestare, licet hoc faciant sine mandato ; ab ea tamen sententia suasu Buceri anno 1536. recessisse, et præsentiam corporis Christi in sola cœnæ actione usuque agnovisse dicitur. Hunc errorem aperte secutus est Philippus Melanchtonus in *Apologia*, Kemnitius in *Examine sess.* 13. *cap.* 3. *Tridentini.* Eucharistiam etiam in solo usu consistere hæresiarcha Calvinus exerte docuit lib. 4. *Institutionis*, capit. 17. §. 36. et 39. cui adhærent Calvinistæ Eucharistiam propterea nunquam reservantes, nec reservatam ad infirmos deferentes. Hanc hæresim damnavit sacra Tridentina synodus sess. 13. cap. 3. et 6. et can. 4. et 7, ubi docet in Eucharistia excellens illud et singulare reperiri supra reliqua sacramenta, quod reliqua tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur : at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est ; nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat ; et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere : et præterea in hostiis seu particulis, quæ post consecrationem reservantur vel supersunt, remanere verum corpus Domini : atque ex veteri omnino, salutari et necessario more licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, et ad infirmos honorifice deferri.

Hanc sacri concilii doctrinam confirmat veteris Ecclesiæ praxis, Eucharistiam sive domi, sive in sacris ædibus asservantis, eamque ad infirmos deferentis. Ecclesiastici moris hujus testis est Justinus Martyr *Apologia* 2, ubi ait Eucharistiam non solum distribui unicuique præsentium, sed per dia-

conos et ministros etiam « ad absentes perferri ». Irenæus quoque epist. *ad Victorem*, apud Eusebium lib. 5. *Historiæ*, cap. 24 : « Eucharistiam ad alios mitti » docet. Tertullianus lib. 2. *ad Uxorem*, de Eucharistia « domum deportata » apertissime loquitur. Cyprianus sermone *de Lapsis* narrat mulierem Eucharistiam « domi in arcula sua conclusam » indignis manibus tractare tentantem « igne surgente fuisse deterritam. » Dionysius Alexandrinus epist. *ad Fabium Antiochenum*, apud Eusebium lib. 6. cap. 36. narrat sacerdotem præ ægritudine incedere non valentem, « puero Eucharistiæ exiguam partem dedisse, præcipiendo ut eam madefactam in os senis Serapionis infunderet. » Basilius epist. 28. *ad Cæsarium Patricium* cum morem defensurus quo fideles urgente persecutione propria manu, Sacerdote vel ministro non præsente, communionem percipiebant, ait « eos omnes qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi copia non competit Sacerdotis, cum habeant Domini communionem, de suis manibus illam percipere. » Additque « Alexandriæ et per Ægyptum unumquemque etiam de plebe utplurimum habere domi suæ communionem. » Narrat etiam Gregorius Nazianzenus in laudem sororis suæ Gorgoniæ, « illam omnibus aliis auxiliis desperatis, intempesta nocte captata, ad altare cum fide procubuisse, ibi Christum in Eucharistia præsentem adorasse, statimque liberatam se morbo sensisse. » Ubi Eucharistiam nocte in Altari asservari manifeste testatur. S. etiam Ambrosius de obitu fratris sui Satyri refert « illum fracta navi petiisse dominicum sacramentum, et in orario ligari fecisse, moxque in mare se misisse, unde favente Deo evasit incolumis. » Chrysostomus quoque epistola 1. *ad Innocentium Papam*, recenset hostes suos magno Sabbato ad vesperam in primarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ templum irruisse, et militibus, quos inter aliqui nondum erant mysteriis initiati, statim ingredientibus, et penitus omnia, quæ intus erant perlustrantibus, « Sanctissimum Christi sanguinem » (utique in Ecclesia pro more illius ætatis asservatum) « in prædictorum militum vestes fuisse effusum. » Hieronymus epist. 4. *ad Rusticum*, de S. Exuperio Tolosano episcopo sic habet : « Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. » S. Cyrillus Alexandrinus epist. *ad Calosyrium* adversus Anthropomorphitas, tom. 5 : « Aliquos esse audio, inquit, qui mysticam Eulogiam nihil ad sanctificationem juvare dicat, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt vero qui hæc asserunt. Neque enim alteratur Christus, neque sanctum corpus ejus immutatur : sed benedictionis vis ac facultas, et vivificans gratia perpetua in illo existit. » Eucharistiam demum in columbis aureis et argenteis appensam in sacris ædibus fuisse servatam manifeste colligitur ex libello supplici clericorum et monachorum Antiochiæ contra Severum, qui habetur in concilio Constantinopolitano sub Menna, act. 5. ex Amphilochio in vita Basilii, et ex Liturgia seu Missa præsanctificatorum, in qua sacerdos non consecrat, sed hostia præsanctificata utitur, ut habetur ex canone 52. in Trullo ; quem morem Ecclesia Græca per totam Quadragesimam, exceptis Sabbatis, Dominicis diebus, et festo Annuntiationis, et Ecclesia Latina in die Parasceves etiamnum observat. Hac testium nube obstupefactus hæresiarcha Calvinus, veritate coactus fatetur Catholicos Eucharistiam servantes ad ægrosque deferentes habere veteris Ecclesiæ exemplum, addit tamen insaniens, « in re tanta non sine periculo eos errare. » Scilicet dum Ecclesiæ veteris ab Apostolis natæ, a Petribus informatæ vestigia sequimur, periculose erramus? Si ita sit, nulli impietati, nulli profanæ novitati aditus præclusus erit.

Ratio autem fundamentalis hujus veritatis orthodoxæ a sacro Tridentino concilio posita est : « Statim peracta consecratione ante omnem ejus usum et actualem perceptionem corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini existunt ; nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, vel certe comederant, cum vere tamen affirmaret corpus suum esse quod præbebat ; nec verbis hypotheticis, sed absolutis Veritas usa est. » Ergo Eucharistiæ sacramentum est ante omnem suscipientis usum, cum tunc vere sit Eucharistiæ sacramentum, quando corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini existunt. Et sane cum hoc sacramentum per modum cibi et potus spiritalis institutum sit, sicut cibus est aliquid permanens, tametsi ad usum referatur ; ita Eucharistia est aliquid fixum et ratum, licet ad esum sit instituta. Sicut etiam communes cibi ad alimoniam licet parati per aliquid temporis asservantur ; ita cœlestis Eucharistiæ cibus per aliquid spatii ad usum fide-

lium reservatur. Denique nemo dixerit conficiendi corporis et sanguinis potestatem penes recipientes esse ; et tamen si usus esset de hujus essentia sacramenti, non minus penes recipientes quam penes Ministros et Sacerdotes esset consecrandæ Eucharistiæ facultas.

Dices : Prius Christus discipulis panem et vinum præbuit, quam verba illa, *Hoc est corpus meum*, proferret ; dicitur enim Matth. XXVI : *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite, et comedite, hoc est corpus meum.* Ergo ratio concilii Tridentini falso nititur fundamento.

Respondeo in primis non dixisse Tridentinum prius Christum verba protulisse, quam Apostoli panem de manu Domini susceperant, sed « Eucharistiam » nondum « eos suscepisse », quia ante verba Christi nondum erat Eucharistia. Unde argumentum manet in sua vi ; nam panis ille tametsi ante verba ab Apostolis susceptus, non fuit tamen ab Apostolis comestus ante verba Salvatoris, quibus Eucharistia consecrata est ; quod maxime verum probatur de calice, ex quo uno et eodem Apostoli omnes biberunt, quamvis verba simul tantum Christus protulerit. Ergo ante usum Eucharistiæ Eucharistia consecrata erat, et sub specie panis et vini corpus et sanguis Christi vere existebat. Deinde veritas est, Christum verba protulisse antea quam cibum discipulis edendum tradiderit, cum non dederit cibum manducandum nisi ut corpus suum ipsis porrigeret, idque ipsi non ignorarent. Nec obsunt verba relata Matthæi : quid enim in ultima cœna ordine gestum sit, non ex serie et contextu verborum, sed eorum vero sensu colligendum est : alioquin cum Marcus cap. XIV. de calice dicat, *Gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes, et ait illis : Hic est sanguis*, etc., sequeretur prius Apostolos e pretioso calice porrecto bibisse, quam Christus vinum consecrarit, et sacramentum ipsam actionem et usum recipientis fuisse sequutum, quod nemo jure dixerit. Similiter ergo licet Matthæus referat verba consecrationis panis post benedictionem, fractionem, et porrectionem ; prius tamen illum consecravit, quam edendum distribuerit, cum Eucharistiam Christus edendam distribuerit, nec potuit ante verba Christi esse Eucharistia. Unde sensus Matthæi est, accepisse Jesum panem, illumque quem discipulis dedit, his verbis consecrasse, *Hoc est corpus meum.*

Instabis : Non est potior ratio cur alia sacramenta in usu et actione consistant, quam ipsa Eucharistia : ergo id gratis de Eucharistia affirmamus.

Respondeo manifestam esse disparitatem, quæ ex formis sacramentorum dilucide colligitur ; cum enim forma aliorum sacramentorum actionem essentialiter significet, puta forma Baptismatis, *Ego te baptizo*, etc. ablutionem ; forma Confirmationis, *Signo te signo crucis, et confirmo te*, etc. chrismationem ; forma pœnitentiæ *Absolvo te*, remissionem peccatorum, clarum est hujusmodi sacramenta sine usu non consistere, sed in actione sita esse. At forma Eucharistiæ non significat actionem et usum, sed aliquid permanens ; nam *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, nullam actionem præ se fert vel indicat, et congruit ut cibus et potus in aliquo permanenti consistat, licet ad usum referatur.

Oppones rursum quædam Patrum testimonia : Origines enim hom. 4. *in Levit.* ait, quod panem quem discipulis Dominus dedit, « non servari jussit in crastinum. » Auctor etiam libri *de cœna Domini* ait : « Panis iste recipitur, non includitur. » Et Ambrosius *in cap.* XI. *prioris ad Corinthios* ait : « Indignos illos intelligi a Paulo, qui sacramentum hoc vel aliter celebrant, quam a Christo institutum est, vel aliter illud accipiunt, quam ab ipso traditum est. » Eucharistia autem a Christo consecrata non fuit reservata, sed statim comesta. Hieronymus etiam in eumdem locum ait, in Ecclesia quidquid de sacrificio superesset, omnes pariter comedisse. Beda demum lib. 4. *Eucharisticæ historiæ*, cap. 14. refert puero ægroto ab Apostolis cum invisentibus dictum fuisse, ut expectaret donec Missæ celebrarentur, quo viatico Dominici corporis et sanguinis reficeretur.

Respondeo mirum esse hæc nostrates hæreticos objicere posse, et non pudore suffundi, dum ea referunt, quibus plures eorum hæreses de sacrificio Altaris, de Missa, de Viatico Dominici corporis jugulantur, plus inde detrimenti imprudentes reportando, quam scientes lucri referre possent, vera licet essent quæ intendunt : capitalibus illis hostibus similes, qui furore in aliquem sibi invisum occæcati, si quid eis nocere credunt avidissime captant, in quæ ipsi incommoda

longe graviora incurrant rabie acti non advertunt. Sed nihil ex illis locis lucri vel compendii eruere possunt inimici veritatis. Non quidem ex Origene, qui non ait non fuisse prohibitum ut Eucharistia consecrata servaretur, sed non fuisse præceptum ut servaretur. Nec sane tunc hoc præcipere Christum congruebat ; cum enim Eucharistia in commemorationem sacrificii crucis instituta sit, non debuit eo die servari, quo Christus seipsum obtulit Patri : sed quod jam non debeat servari ad fidelium solatium, ad ægrorum remedium, ad piorum cultum perennem, nunquam dixit Origenes, soli moderni hæretici totius pietatis jurati hostes inficiantur. Adde scopum Origenis eo loci fuisse ostendere ea quæ ad Dei laudem pertinent nova et recentia esse debere, non vetera, quod probat suo more allegoriis, quia Christus panem mox consecratum dedit discipulis, nec distulit ; et quia Christus prohibuit, ne panes portarentur in via, ut semper recentes verbi Dei panes proferamus ; et quia Gabaonitæ quod veteres panes ad Israelitas detulerint damnati sunt. Quæ probatio per allegoriam procedens vim suam habet, etiamsi Eucharistia in Ecclesia asservetur ; procedit enim non ex eo quod potest fieri, sed ex eo quod Christus fecit ; unde, sicut panem consecratum Christus dare non distulit, ita nova semper offerre Deo congruit.

Ad autorem sermonis *de cœna Domini* dicendum, non velle eum Eucharistiam non posse in vasis includi, ut reservetur, sed non ita in recipiente includi, quin aliis communicari possit. Patet hic sensus ex verborum contextu : « Æqua, » inquit, « omnibus portio datur, integer erogatur, distributus non demembratur, incorporatur, non injuriatur ; recipitur, non includitur ; cum infirmis habitans non infirmatur. » Ad locum Ambrosiastri (neque enim hujus operis S. Ambrosius auctor est, sed quidam de grege Pelagianorum) dico, indignos esse qui hoc sacramentum aliter celebrant vel recipiunt, quam a Christo institutum vel traditum est, qui nimirum nec præscriptam materiam adhibent, nec formam institutam servant, nec eam afferunt cordis castimoniam, quam cœlestis cibus desiderat. Nec contra institutionem vel traditionem Christi agunt, qui Eucharistiam servant, sed ei potius se conformant ; cum enim Eucharistiam Christus instituerit, ut omnibus communicetur, convenienter asservatur ea ut omni tempore fideles etiam infirmi refici possint. Hieronymus vero (qui tamen falso hujusmodi commentariorum uni Pelagio asserendorum auctor esse dicitur) loquitur de oblatis pro, vel cum sacrificio, non de his quæ de consecratis superessent ; vel de illis sacramenti reliquiis loquitur, quæ nec commode, nec decenter juxta morem Ecclesiæ poterant asservari, quales sunt particulæ, vel alia hujusmodi. Historia demum Bedæ non est ad rem ; loquitur enim de Monacho incola parvi monasterii, in cujus sacello Eucharistia minime reservabatur. Vel præcipitur ei ut Missæ celebrationem expectaret, non quod aliunde reportata Eucharistia reservata refici non posset, sed ut sacrificio interesse posset, vel ut communionem in tempus celebrationis Missæ, quo magis se ad cibum illum instrueret, differret.

Pro solutione aliarum objectionum sciendum, morem Eucharistiam domum deferendi olim urgente persecutione inductum in concilio Cæsaraugustano can. 3. et Toletano 1. can. 14. fuisse antiquatum, ut sacrilegiis et abusibus inde profectis via præcluderetur. S. etiam Clemens epist. 2. ea quæ supersunt de sacramento Altaris reservari non vult in crastinum, ubi nimirum necessariis provisum est, cum ibidem attestetur sacrorum Eucharistiæ fragmentorum reliquias ministris custodiendas fuisse commissas, ne qua in sacrario putredo inveniatur. Sciendum etiam viguisse per multos annos in Ecclesia Orientali morem, ut pueris innocentibus scholas frequentantibus reliquiæ Eucharistiæ consumendæ traderentur, ut ex Evagrio lib. 4. cap. 35. et Nicephoro lib. 17. cap. 25. constat. Quin et in Ecclesia Occidentali consuetudinem illam viguisse patet ex concilio Matisconensi II. can. 6, ubi præcipitur reliquias sacrificiorum post peractam Missam in sacrario supersedentes feria 4. vel 6. ab innocentibus jejunis esse percipiendas. Quædam etiam Ecclesiæ, auctore Esychio lib. 2. *in Leviticum*, cap. 8. reliquias sacramenti comburere solebant. Verum hæc non nisi reservatis pro infirmorum solatio necessariis fiebant. Quibusdam etiam diebus reservata fuisse sacra fragmenta, ex canone Matisconensi claret, cum certis quibusdam diebus asservatas consumi reliquias præscribat, in quibus nimirum diebus recentes species consecrabantur, et Eucharistia renovabatur, ne quid putredi-

nis, vel indecori obveniret. Hac de causa reliquiæ diu servatæ, et putredine vel aliquo simili sordidatæ igni comburendæ tradebantur, repositis in sacratiori loco cineribus in honorem corporis Christi, cujus fuerant velamenta, ut ex concilio Arelatensi III. can. 5. et Aurelianensi apud Ivonem et Burcardum patet. Idque non obscure indicat Esychius, eo loci addens ea fragmenta non esse igni committenda, quæ paucis adhinc diebus servata sunt.

Corollarium alterum.

De adoratione Eucharistiæ.

Sequitur 2°, Christum in Eucharistiæ sacramento esse adorandum adoratione latriæ. Docet hanc veritatem catholicam concilium Tridentinum sess. 13. cap. 5, ubi ait nullum dubitandi locum relinqui, quin omnes Christifideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto latriæ cultum qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino ut sumatur institutum. Nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit : *Et adorent eum omnes Angeli Dei ;* quem Magi procidentes adoraverunt ; quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura (Matth. XXVIII et Luc. XXIV.) testatur. Ibidem etiam declarat S. Synodus religiosum esse Ecclesiæ morem, quo singulis annis peculiari quodam et festo die præcelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari veneratione et solemnitate celebraretur, et in processionibus honorifice per vias et loca publica circumferretur : ut hac rara et singulari grati animi significatione ineffabile et plane divinum beneficium Christiani recolant, Salvatorisque victoriam ac triumphos repræsentent. Sic enim oportet victricem veritatem de mendacio et hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.

Adversus hanc fidem communissimis Christianismi notionibus tantopere consentaneam insurrexerunt nedum Ariani et Nestoriani divinitatis Verbi vel unionis hypostoticæ veritatem negantes, sed etiam Wandali, Donatistæ, Suriani, et nonnulli Græci, non quod Ecclesia Græca Eucharistiam non adoret (cum oppositum ex praxi eorum et ritibus Liturgiarum pateat, nec nobis unquam Græci objecerint, quod Christum in Eucharistia adoremus) ; sed in odium Latinæ Ecclesiæ et rituum illius. Videsis Jacobum de Vitriaco lib. 1. *Hist. Jerosolymitanæ*, cap. 74. Qui Catholicos excommunicatos arbitrantes, priores Eucharistiam a Catholicis confectam conculcabant, ut videre est apud Victorem Uticensem lib. 1. *de Persequut. Wandalica*, et Optatum Milevitanum lib. 2. posteriores vero altaria, super quæ Latini divina celebraverant abluere, nec Sacramento a nostris Sacerdotibus ad ægrotos delato assurgere consueverunt. Illi etiam cultui intercesserunt Berengariani corporis et sanguinis Christi in Eucharistia veritatem inficiantes ; Waldenses quoque in professione fidei ad Vladislaum, necnon Begardi et Beguinæ, qui singularem pietatem profitentes eo impietatis prolapsi sunt, ut crederent Christo in Eucharistia præsenti nullam se debere exhibere reverentiam, ne a contemplatione divinitatis ad humanitatem recogitandam descenderent. Quos Concilium Viennense proscripsit, ut videre est in Clementina *Ad nostram* lib. 5. *Clementinarum*. Lutherus autem lib. *ad Waldenses*, anno 1523. conscripto adorationem Christi in Eucharistia liberam permisit. Philippus Melanchtonus in *Apologia*, titulo *de cœna Domini*, Eucharistiam extra usum non posse sine manifesta profanatione et idololatria adorari contendit. Posteriores tamen Lutherani neque in ipsa cœnæ actione et usu Christum in Eucharistia esse adorandum affirmant, quod Christus huic sacramento non ut adoretur, sed ut edatur intersit. Hunc errorem sequitur hæresiarcha Calvinus lib. 4. *Institutionis*, cap. 17. §. 35, ubi ait, Catholicos carnalem adorationem perversa temeritate in sacramento erexisse, quia mandatum accipiendi, non adorandi habemus, nec leguntur Apostoli prostrati adorasse, sed discumbentes accepisse et comedisse : in cœlum ergo duntaxat erigi pias animas, et sursum habere corda oportere concludit, atque eam demum adorationem esse legitimam, quæ ad Christum in cœlo sedentem dirigitur.

In hoc veluti speculo recentiorum hæreticorum ingenium inspicere est, et perditam illorum frontem et conscientiam perhorre-

scere. Mihi certe tam incredibilem in deneganda Christo etiam præsenti putato adoratione audaciam consideranti, nescio quid in illa supra solitam humani cordis pravitatem subesse videtur, et peculiarem quemdam, nec minus manifestum diaboli instinctum atque afflatum licet advertere; non enim sic omnem christianæ pietatis sensum humana perturbatio posset extinguere, nec in tot se homines diffundere. Si Christum præsentem creditis, o Lutherani, itane tam absurda, tam impia, tam a sanitate aliena consecutione ipsum non adorandum esse credere potestis? Si tam manifestam cæcitatem nondum cernitis, profecto nimis aperte eum qui vos agitat hæreticum spiritum proditis, quem si præ tenebris vestris non agnoscitis, agnoscunt omnes qui ab ejus contagione liberi sunt. Hinc vestro exemplo mire patet, eam esse fidei ac rationis, pietatis, veritatisque connexionem, ut qui unam deserat, omnes deserat. Nam, ut nuperos suos de Eucharistia errores ab infestæ sibi veritatis apertissima luce hæretici moderni tuerentur, ea de adoratione Eucharistiæ effutiunt, quæ omnimodam in ipsis rationis obscurationem probant. Hoc bene vidit ipse Kemnitius ad cap. 5. et can. 6. sess. 13. Tridentini, dicens adorationem Christi non esse loco vel tempori alligatam : quare posito quod sit realiter præsens in Eucharistia, fieri nec posse, nec debere, quin fides ipsum in illa præsentem veneretur et adoret : neque posse negari Christum esse adorandum, nisi ab eo qui vel negat prorsus, vel certe dubitat de præsentia Christi. Et sane cum Christus ubicumque sit, Deus et homo sit, ubique etiam est adorabilis. Nec est expectandum hujus adorationis speciale mandatum, quod supposita fide, ipsa indicat ratio naturalis, qua persuasi Magi Christum in cunis adorarunt, cæcus natus in templo, leprosus et Chananæa in via, vectores in navi, Apostoli in Galilæa. Nec ullum inde imminet idololatriæ periculum, vel panis adorandi occasio datur; quia fideles adorantes in Christum cultum suum dirigere testantur, et Ecclesia talem cultum præcipiens, fideles suos de Christi præsentia satis informat.

Hunc tam justum, tam sanctum Ecclesiæ morem veteris Ecclesiæ praxis confirmat. Cyrillus enim Hierosolymitanus catechesi 3. mystagogica, docet accepturum Eucharistiam accedere oportere « pronum adorationis in modum ». Gregorius Nazianzenus in oratione funebri sororis suæ Gorgoniæ, ait illam « ad altare cum fide procubuisse, ipsumque qui super ipso honoratur cum ingenti clamore invocasse. » Ambrosius libro 3. *de Spiritu sancto,* cap. 12 : « Itaque, » inquit, « per scabellum terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus. » Chrysostomus homil. 24. *in I. Cor.* : Hoc corpus in præsepi reveriti sunt Magi, et viri impii et barbari longo itinere confecto cum timore et tremore plurimo adoraverunt. Imitemur saltem barbaros, nos qui cœlorum cives sumus. Illi enim cum id præsepe et tugurium tantum, nec eorum quicquam quæ nunc intueris viderent, summa accesserunt reverentia et honore. Tu vero non in præsepi, sed in altari; non mulierem quæ in ulnis teneat, sed præsentem sacerdotem et spiritum perabunde super proposito diffusum sacrificio vides. Nec simpliciter ut illi corpus intueris; sed et ejus potentiam, et omnem cognoscis administrationem, et nihil eorum quæ per ipsum facta sunt ignoras. » Et hom. 3. *in epist. ad Ephesios* : « Cogitemus ad illum sursum sedentem; qui ab Angelis adoratur, hunc degustamus. Considera quæso, mensa regalis est apposita, Angeli mensæ ministrantes, ipse Rex adest, et tu astas oscitans? Igitur adora, et communica. » Augustinus *in Psal.* XCVIII : « Timeo non adorare scabellum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit : *Adorate scabellum pedum ejus.* Quæro quid sit scabellum pedum ejus, et dicit mihi Scriptura : *Terra scabellum pedum meorum.* Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, ut non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. » Idem docent alii Patres, qui hæc verba Psalmi XXI : *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum; manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ;* verba, inquam, illa de esu et adoratione Christi in Eucharistia interpretantur, quales sunt Basilius, Hieronymus,

Augustinus, Theodoretus. Testantur etiam Chrysostomus lib. 6. *de Sacerdotio*, Ambrosius orat. 1. præparatoria ad Missam, Gregorius Magnus lib. 4. *Dialogorum*, cap. 58. Eucharistiam ab ipsis Angelis, qui frequenter nobis mysteriis intersunt, adorari. Denique hanc praxim retinet tota Ecclesia Græca, ut tradit et ex professo probat Gabriel archiepiscopus Philadelphiæ in *Apologia cultus;* Eucharistici, et Cabasilas in *Expositione Liturgiæ;* nec hoc ullus negare ausus fuit, nisi fuerit similis hæretico Claudio, qui etiam in quæstionibus facti oculis, auribus, et sensui communi renuntiare vovit, mavultque mendacii totum orbem accusare, quam mendacissimam suam assertionem revocare, qua Ecclesiam Græcam Christi corporis realem præsentiam non agnoscere, nec Christi in ea corpus adorare semel pronunciavit, quasi infallibilitas in quæstionibus facti illi asserenda sit, qui infallibilitatem Ecclesiæ in quæstionibus juris inficiatur.

Ex quibus sponte et liquido sequitur, Eucharistiam cultu externo et corporeo adorari oportere, ut patet ex verbis Patrum memoratis, et ipso omnibus non omnino corruptis animis inseminato pietatis sensu Congruit etiam Eucharistiam eo nos adorationis modo adorare, qui sit naturæ nostræ corpore non minus quam anima constanti consentaneus, per signa nimirum corporea adgeniculationum, prostrationum, inclinationum, salutationum, capitis adaperti, corporis assurgentis, junctarum, constrictarumque manuum, vel etiam expensarum, etc. Hac de causa Urbanus IV. ad summum Ecclesiæ Pontificatum anno 1261. evectus, divini hujus Sacramenti devotione affectus pie statuit, ut integro solemnitatis officio institutionem tanti mysterii recoleret plebs fidelis, utque ejusdem institutionis memoria prima quinta feria post octavam Pentecostes a cunctis Ecclesiis celebraretur. Tum ut qui per totum anni circulum hoc Sacramento utimur ad salutem, ejus institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo Spiritus sanctus corda discipulorum edocuit ad plene cognoscenda hujus mysteria Sacramenti; nam et in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a fidelibus frequentari. Tum ne tantum Christi beneficium unquam excidat e memoria, debuit per speciale festum ob oculos poni; sicut et alia Dei beneficia in Scripturis et in Ecclesia per festorum convenientem dispositionem ab oblivione vindicantur. Licet enim tanti doni fiat in Missa quotidiana memoria, ejus tamen speciale decet peragi festum, quia solent quotidiana attentionem perdere et admirationem, nisi nova aliqua adhortatione et solemnitate ad ea cogitanda animus excitetur. Compulerunt etiam summum Pontificem ad ejus festi institutionem, tum miracula insignia in hujus honorem sacramenti divinitus edita; tum revelationes variæ piis viris de ejusdem procuranda celebratione factæ; tum ut hæretici et impii hujus mysterii impugnatores confunderentur. Et sane si in honorem insignium Martyrum vetus Ecclesia festa instituit, potiori jure in tanti sacramenti honorem potuit festum institui. Quamvis enim feria 5. hebdomadæ sanctæ hujus institutionis memoria recolatur, quia tamen Ecclesia tempore illo in deflenda morte sponsi sui salubriter occupatur, alius debuit eligi dies, in quo majori cum mentis lætitia per diem integrum talis festivitas celebraretur. Hac etiam de causa eodem die omnium Ordinum solemnis supplicatio, seu processio, in qua corpus Christi honorifice circumgestatur, habetur; tum ut grati animi significationes hoc veluti triumpho exhibeantur; tum ut fidem nostram ab hæreticis impugnatam propalam et intrepide profiteamur; tum ut sicut Christus olim pertransibat benefaciendo et sanando omnes, ita corpus ejus circumgestatum dæmones fuget, mala avertat, bona conferat necessaria, sicut Arca hujus sacramenti figura, quasi in processione extra tabernaculum malorum avertendorum et bonorum impetrandorum gratia circumgestabatur. Qui sane ritus est in Ecclesia Christiana perantiquus, ut ex canone 5. concilii III. Bracarensis anno 654. celebrati constat. Solebant etiam olim Christiani certa in loca certis diebus convenire, quod stationes et stationum dies nuncupabant; quæ loca Martyrum reliquiis ornata Martyria dicebantur, ad quæ pie, modesteque procedebant divina ut officia persolverent, sacramenta perciperent, tremendo sacrificio interessent; unde tales conventus processiones dicti sunt. Ad illa Martyria reliquias Eucharistiæ domum pro more illius ætatis asportatæ deferebant, clam quidem urgente persequutione, reddita vero Ecclesiæ pace solemniter a solo Episcopo; quia tunc prohibitum erat ne laici Eucharistiam domum asportarent.

Pro solutione objectionum a novis hæreti-

cis fieri solitarum advertendum est, quod, licet in Scriptura speciale non exstet de adorando Christo in Eucharistia præceptum, sufficere tamen in Scripturis haberi, Deum esse adorandum, Christum esse adorandum, Christum esse in Eucharistia realiter præsentem. Unde, sicut olim Maximino hæretico petenti ab Augustino : « Da mihi testimonia, ubi adoratur Spiritus sanctus? » respondebat sanctus Pater lib. 3. contra eumdem cap. 3 : « Ex iis quæ legimus, ea quæ non legimus intelligi » ; ita similiter dico, ex iis quæ de Christo et de Eucharistia in Scriptura legimus, Christum in Eucharistia adorandum recte concludi.

Sciendum rursus, quod, licet semper in Ecclesia Christus a Fidelibus adoratus sit, eam tamen adorationem Patres adversum Arianos divinitatem Filii probaturi minime in medium proferebant ; quia Christum adorandum esse Ariani censebant, tametsi Deum illum esse inficiarentur. Unde Patres idololatriæ Arianos jure merito accusabant ; cum Christum puram creaturam arbitrantes, nihilo tamen minus eum adorandum prædicabant, ut apud Augustinum serm. *contra Arianos*, et lib. 1. *contra Maximinum*, necnon apud Athanasium orat. 1. *contra Arianos*, Nyssenum sermone *in laudem Basilii*, Ambrosium lib. 1. *de Fide* cap. 7. videre est. « Aut igitur », inquit inibi Ambrosius, « desinant colere, quem creaturam appellant ; aut desinant, quem colere se simulant, dicere creaturam. »

Sciendum 3° quod aliquando Eucharistiæ usus per modum convivii, in quo convivæ sedebant, celebratus sit : nunquam tamen probabunt hæretici, convivas neque antequam sederent, neque sedentes adorasse. De viris quidem Apostolicis nullo id testimonio confirmare poterunt : de Apostolis vero, utrum Eucharistiam ad pedes Christi provoluti receperint, Scriptura non commemorat. Quare, sicut credibile est Apostolos Agnum Paschalem stantes, juxta legis mandatum, comedisse ; ita et eosdem ad pedes Christi prostratos cœlestem cibum a Christo accepisse, tametsi Scriptura taceat, probabile est. Utut sit Christum præsentem credere fide pura non possumus, quin illum continuo adoremus ; neque ad hoc speciali mandato opus est. Sicut enim licet Deus filiis parentes colere et diligere præceperit, nullo tamen speciali Decalogi præcepto parentibus amorem filiorum imperat, quia ad illum natura non omnino corrupta satis superque inclinat : ita Christus corpus suum recipi speciali mandato jussit : illud adorare nullo speciali præcepto urgere constituit, quia ad deferendum illum cultum sufficit communis Christianæ pietatis sensus, sufficiunt communissimæ rationis impietate vel hæresi non prorsus excæcatæ notiones. Nec possunt ab eo cultu removeri vel retardari fideles, quod incerti sint, num panis sit a vero sacerdote cum debita materia, forma, et intentione consecratus. Non, inquam, hæc obsunt, quia ad legitimum cultum sufficit rationabilis adorantis existimatio, cui licet metaphysice falsum subesse possit, nulla tamen committitur idololatria, cum cultus in Christum solum præsentem putatum referatur : sicut qui proditorem, quem amicum credit, colit, non infidelitatem simulatoris, sed existimatam ejusdem fidem et amicitiæ necessitudinem veneratur.

Objicit insuper hæreticus Faucherus lib. 4. cap. 3. Non potuit in primitiva Ecclesia Eucharistia solemni externoque cultu a Patribus adorari, quin eo ritu Ethnicis speciosa occasio et ansa præberetur suam simulacrorum adorationem defendere, eamque ab argumentis sacrorum Doctorum vindicare. Etenim Patres superstitiosum illum cultum inde confutabant primum, quod absurdum esset deos in ligno, metallo, simulacrisque concludi, ut patet ex Arnobio lib. 6. Secundo, quod impium esset ligna et lapides eo cultu venerari, qui soli Deo Creatori debetur. Tertio, quod absurdum esset aliqua dedicatione numina fieri præsentia simulacris, in minoribus constringenda, in majoribus extendenda commodius. Quarto, ridiculum esse et sacrilegum opera hominum adorare, res illas colere, quæ nec vident, nec audiunt, nec agunt, nec ulla se ratione movent. Denique irrationabile esse illos agnoscere Deos, qui frangi, cremari, cremari, ab hostibus conteri, a vermibus exedi, furto radi, sub repagulis pessulisque custodiri, et infinitis demum modis deperire possent. Atqui hæc omnia inconvenientia in Eucharistiæ adorationem retorquere facile Gentes potuissent : nam statim regerere in promptu erat. Quid vos improbatis in nobis quod frequentatur a vobis ? Vos namque hostiam consecratam terrena et cœlesti substantia constare opinamini, in eaque Deum vestrum concluditis, conclusum adoratis. Vos panem et vinum colitis. Quod si ad la-

tentem Christum cultum dirigere vestrum respondetis, ad numina etiam in simulacris latentia adorationem nostram referimus. Vos in Eucharistia Deum vestrum præsentem consecratione reddi aitis, sicut nos eos ibi deos colimus, quos dedicatio sacra infert, et fabrilibus efficit inhabitare simulacris. Vos Christum modo sub minoribus speciebus coarctatis, modo sub majoribus protenditis. Vos Eucharistiam reverimini, quæ est opus manuum vestrarum; nam et panis humana operatione fit, humana et consecratione celebratur. Vos in Eucharistia rem quæ neque videt, neque audit, neque se ciet veneramini. Vos denique Eucharistiam colitis, quæ frangi, cremari, custodiri, calcari, et aliis modis perire potest. Ergo ne inania fateamur Patrum adversum simulacrorum adorationem argumenta, dicendum adorandæ Eucharistiæ ritum non fuisse in Ecclesia primitiva usurpatum, sed esse recens invectum.

Respondeo has inanissimarum objectionum fallacias ab ipsis idololatris mutuatum fuisse hæreticum Faucherum. Constat enim ex Origene lib. 3. *contra Celsum*, hæc argumenta in favorem cultus simulacrorum suorum fuisse a Paganis producta, et contra adorationem Christi intorta. Enimvero consideranti patebit, majorem vim hæc sophismata adversus Dei incarnati, quam Christi in Eucharistia residentis adorationem obtinere. Majori enim verisimilitudine objicere poterant Christum humana et divina substantia constare, et totum Deum in humanitate residere et constringi; humanitatem creatam ob præsentiam deitatis cultu divino honorari; unione hypostatica humanitatem divinitate ungi et consecrari; divinitatem in infantilibus Christi membris contractam, in virilibus longius fuisse porrectam; divinitatem unitam Christo in utero materno recluso, et perseverantem in corpore in sepulchro recondito, in ea re præsentem fuisse, quæ neque videbat, neque audiebat, neque ullo prorsus pacto movebatur. Denique Christum, quem Deum colimus, omnibus fuisse injuriis obnoxium, ligatum funibus, flagellatum verberibus, clavis affixum cruci, mortuum, atque in tumulo conclusum. Hæc solvere tenetur Faucherus, nisi adorationem Christi de medio tollere, atque adeo Christianismum ab imis fundamentis subruere cum Ethnicis moliatur. Et si quid probabile in defensionem adorationis Incarnati Verbi protulerit, vindicandæ ab infidelium sophismatis adorationis Eucharistiæ omnino inserviet. Sed non sunt expectanda ab hæreticis religionis et veritatis præsidia, quæ nobis a Patribus et Doctoribus Catholicis largissime ministrantur.

Ad primum ergo dicendum immensum interesse discrimen inter cultum simulacrorum et adorationem Eucharistiæ, non solum ex objecto cultus petitum (cum ethnici falsos deos et veros peccatores in simulacris venerarentur, nos Christum Filium Dei vivi in Eucharistia realiter præsentem adoremus) : sed etiam ex modo et circumstantiis utriusque cultus. Ethnici enim deos suos cœlos deserere, simulacris alligari, ibique virtute consecrationis affixos non posse inde ad libitum discedere fingebant : at corpus Christi in Eucharistia realiter præsens cœlos modo suo connaturali simul incolit, et divinitas ejus immensitate sua omnia replet. Inepte ergo comparatur divinitas Paganorum simulacris alligata cum divinitate Christi nulli addicta loco, quæ omnia suis continet locis, nusquam contenta locorum. Inepte etiam cum corpore Christi; tum quia majus est inconveniens divinitatem coarctari, quam corpus; tum quia Christus sub speciebus non alligatur, cum in cœlo modo extenso permaneat, et aliis altaribus innumeris simul et semel adsit.

Ad secundum respondeo, idololatras existimasse simulacra sua esse vel tanquam corpora divinitatum suarum; unde eis tanquam animatis deorum corporibus divinos honores et cultus obsequia deferebant, ut ex Hermete Trismegisto refert Augustinus lib. 8. *de Civit.* cap. 23. et videre est apud Arnobium lib. 6, vel saltem esse repræsentationes et sedes deorum suorum ibi magicis invocationibus inhabitantium, atque in sedis obscuræ coercitione latitantium, ut patet ex Arnobio lib. 6. atque Eusebio lib. 5. *de Præparatione Evangelica*, cap. 8, ubi ex Pythagora Rhodii refert deos simulacris adigi, a quibus discedere cum libuerit non poterant, quia vis eis illata, gravis atque imperiosa potestas eos cogebat, ac quadam ab hominibus imposita necessitate pertrahebat : vel denique voluisse deos suos et Deum esse partes vel virtutes magni Jovis, et quasi quædam ejus magni Dei membra, quem mundi animam esse putabant, ut ex Augustino lib. 4. *de Civit.* cap. 11. patet. At Catholici non dicunt species

sacramentales esse corpora divinitatis, nec eis divinitatem alligari virtute humana, nec ibi partem divinitatis existere; sed corpus Christi ibi virtute et insigni Dei miraculo adesse, Divinitate ubique protensa, et corpore ipso in cœlo modo connaturali remanente. Insulsissime ergo initur comparatio inter Eucharistiam Christianorum et simulacra Paganorum.

Ex quibus patet ad tertium responsio; nam species sacramentales non sunt repræsentationes divinitatis, vel sedes in quibus coarctetur Deus ubique præsens, imo nec Christi corpus ibi modo spiritali totum in toto, totum in qualibet parte residens, et aliunde in cœlis modo extenso et connaturali perseverans, nec deserens cœlestia, ut habitet in Altari. Patet etiam ad quartum; nam idololatriæ primæ opinionis (quibus solis id a Patribus objiciebatur) existimabant simulacra esse corpora divinitatis habentia oculos et aures, nihil tamen videntia vel audentia. At species sacramentales non sunt corpora divinitatis, nec habent oculos, vel aures. Divinitas etiam nostra ubique videt, et audit preces nostras. Ex quibus tandem patet ad ultimum; nam divinitas nullis obnoxia est injuriis : corpus etiam Christi gloriosum ibi ad modum spirituum existens ab illis omnibus immune est, quæ in solas species creatas cadunt. At simulacra erant vel corpora falsorum deorum, vel propriæ et solæ eorum sedes, unde injuriæ illis illatæ in divinitatem ea animantem, vel in illis coarctatam merito refundebantur. Illud etiam observandum, omnes illas objectiones nobis nostræque causæ plurimum prodesse; si enim tanto zelo ethnici dæmonis suasu summa veneratione impia simulacra, in veri Dei contemptum colebant, majoris nos decet verum Deum in Eucharistia absconditum ardore et omnigenis religiosi cultus significationibus in despectum cacodæmonis venerari.

Instabis : Non solum Christum, sed etiam species consecratas ratione conjunctionis cum Christo adorant Catholici; atque illæ species sunt aliquid creatum : ergo Catholici adorant creaturam, sub indeque in idololatriæ crimen infandum incurrunt.

Respondeo Catholicos non solum ab idololatriæ crimine, sed etiam specie esse alienissimos. Quantum vero ad cultum specierum attinet, docent plures theologi, quos inter Thomistas sequitur Marcus Serra, solum Christum in Eucharistia adorari. Nec obest quod Tridentinum sess. 22. cap. 5. dicat, latriæ cultum huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhiberi. Non obest, inquam, quia, licet sacramentum formaliter pro speciebus supponat, ibi tamen sacrum concilium accipit continens pro contento. Unde suam doctrinam in definitionem reducens sancta Synodus can. 6. sic habet : « Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, anathema sit. » Alii tamen theologi concedunt species consecratas ut conjunctas corpori et sanguini Christi posse et debere adorari, non quod illæ motivum et simul terminativum adorationis objectum sint, sed quatenus solius objecti terminativi rationem habent Quia nimirum intimior est cum corpore et sanguine Christi specierum Eucharisticarum conjunctio, quam regiæ purpuræ, diadematis, aut sceptri cum Rege; quæ tamen eumdem cum Rege cultum terminant, sola licet regia majestas sit venerationis motivum. Et certe, si accidentia naturalia corporis Christi cultu latriæ sunt adoranda, quia ita unum cum corpore Christi faciunt, ut ea qui tangit et videt, corpus Christi tangere et videre censeatur : quidni idem de speciebus Eucharisticis dici licebit, quas qui tangit et videt, corpus Christi tangere et videre juxta tritum Patrum loquendi modum censetur? Nudas ergo species in illo cultu non apprehendimus, sed in Christum verum adorationis motivum mentem attolimus. Adorantur species illæ, non quod rationem formalem ob quam adorantur in se habeant, sed quia Christo eam rationem habenti conjunguntur. Hac ratione adoratur humanitas Salvatoris, quia cultum terminat, cujus motivum est solus Deus. Si vero illæ species sine illa conjunctione ad Christum, cujus sunt velamenta spectentur, considerenturque ut partes essentiales sacramenti ad nostram sanctificationem instituti, non sunt quidem latria soli Deo eximia colendæ; quia tamen sunt aliquid sacrum, aliqua eas coli veneratione oportet, quatenus reverenter, religioseque sicut res aliæ sacræ tractari debent.

REFLEXIO.

Permanet Christus in Eucharistia : ergo inibi permanenter, et si fieri posset, indesinenter adorandus foret. Hinc animæ sanctæ singularis pietatis laude insignes divinissi-

mum hoc sacramentum Calvinistarum impietate tantopere inhonoratum, præcipua sibi pietate colendum elegerunt, ejusque perpetuo sese cultui dicarunt, devoverunt, consecrarunt. Hinc in quibusdam sanctissimis monasteriis non solum officium corporis Christi quinta quaque feria, approbante Sede Apostolica, recitatur, sed etiam quædam de sacrarum Virginum cœtu coram sanctissimo Sacramento semper assistunt, ut sanctum Sanctorum in sanctuario realiter residentem continenter adorent, atque ut ferme perpetuas a nostratibus hæreticis tanto Sacramento illatas injurias adorationis perpetuitate sarciant. Sicut religiosæ vitæ observantia Angelicos mores æmulantur, ita hoc potissimum instituto Seraphinorum ardores imitantur, qui, ut dicitur Isaiæ VI, *Clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum : plena est omnis terra gloria ejus.* Mysticis etiam illis animalibus oculis plenis morem gerunt, de quibus Apocalypseos IV. Joannes ait : *Requiem non habeant die ac nocte dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens.* Et sane non poterant melius Virgines prudentes nefandæ Calvinianorum hæreseos in Eucharistiæ excidium conjuratæ impietatem quam ea pietate pensare, quæ jugi adoratione juge sacrificium prosequitur. Non poterant apertius eum quo flagrant divinissimi mysterii amorem et reverentiam significare, quam eo perpetui Eucharistiæ cultus testimonio, non verbis tantum expresso, sed in factis omni eloquentia disertioribus impresso, nec in uno tantum, aut altero facto, sed in totius vitæ serie perpetuæ Christi in Altaribus residentis adorationi consecratæ.

Certe, si exinanitioni exaltatio jure merito respondeat, quid justius quam ut in eo sacramento Christus jugiter adoretur, ubi propter nos a suæ majestatis fulgore pallescens ita se humiliat, ita Deo, ita hominibus se supponit, ut pœnitentis et agni pro nobis occisi personam jugiter gerat, et pro nobis impleat. Quidni Deum majestatis post suam exaltationem rursum se deprimentem, ut se totum in nostros usus expendat, pro virili extollemus, et cordis corporisque demissionibus ad centrum usque terræ, si possibile foret, inflexis et pronis venerabundi significabimus? Utique te, Domine, cerno usquequaque humiliatum, ad summas scilicet panis angustias depressum strictequeredactum, impiorum etiam manibus obvium, et quod horribile dictu est, eorum sacrilegis communionibus conculcatum. Quis ergo mihi det non modo ut ad humum memet usque dejiciam ac deprimam, sed ut in tantæ humilitatis etiam tuæ honorem et compensationem sanguinem profundat servulus vilissimus, et ad nihilum, si opus esset, redigatur? Quidni pro te honorando, te inquam, quem tam supra me in hoc sacramento esse scio quam propter me; cujus, inquam, curam excubare pro salute mea quotidie experior, objiciam me mucronibus hæreticorum tanto tuo beneficio insidiantium, et substernam corpus meum, si per stragem illam meam ad honorem tuum iter struam; sternam, et aliquatenus muniam? Mihi ad honorandam tanti Sacramenti, ubi te totum, Christe, realiter possidemus, magnitudinem pectus angustum est, et cum illam satis æstimare nequeam, quæ reapse inæstimabilis est, illam quemadmodum sentio eloquar non verbis sonantibus, sed factis pronuntiantibus, si mortem pro te oppetam, tibi ut æternus honor et gloria, mihi autem confusio faciei obveniat.

Gaudeo plane dum populi Christiani, Principum etiam et Regum in honorando tanto sacramento certatim conspirantium fervorem intueor; sed unum, fateor, est quod me dolore defigit. Itane Catholici venerabile et mirabile sacramentum reverentur, qui nihil sunt de componendo ad recipiendum divinum epulum animo solliciti, qui cum iisdem semper hæreant flagitiis, nullam futuræ emendationis spem ostendunt, et tremendam mensam nefandis piaculis polluunt? Næ illi non magni divinissimi Mysterii adoratores sunt, qui e flagitiorum cœno prodeuntes, dignos se pane Angelorum rentur, cum hominum cibis indigni sint; et Christi se tremendæ mensæ circumfundunt, qui tot illam sacrilegiis dedecorant. Solus ille realem Christi præsentiam veneratur, qui externum cultum ab interna pietate proficiscentem exhibet. Solus ille transsubstantiationis miraculum honorat, cujus cor lapideum et peccati duratum frigore in cor carneum et amoris flamma mollitum commutatur. Solus ille tantum sacrificium prout oportet adorat, in quo nec vitia vigent, nec cupiditates flagrant, sed mundo, peccato, et sibi mori didicerunt. «Necesse est,» inquit Magnus Gregorius lib. 4. *Dialog.* cap. 55, « ut cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contri-

tione mactemus ; quia qui passionis dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vere pro nobis hostia erit Deo, cum nos ipsos hostiam fecerimus. »

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ, ATQUE DE MODO QUO CHRISTUS IN EUCHARISTIA EXISTIT.

Quia ad omne sacramentum novæ legis certa materia et præscripta quædam verborum forma desideratur, ad plenam hujus sacramenti naturam pernoscendam operæ pretium est conficiendæ Eucharistiæ veram materiam, veramque formam exponere. Sed quia statim post consecrationem et institutorum verborum prolationem verum Domini nostri Jesu Christi corpus, verusque ejus sanguis in Eucharistia existit, statim se offert indagandum, quid vi verborum, quid concomitanter in alterutra specie existat, atque de modo quo Christus sub illis præsens adest.

SPECULATIO. I.

Panis et vinum vera sunt et sola sacramenti Eucharistiæ materia.

Circa materiam ex qua conficienda sit Eucharistia, varii multipliciter errarunt hæretici. In primis Gnostici a Simone Mago exorti, et a Nicolao uno e septem Diaconis adaucti horrendum in modum prolapsi sunt. Hæret animus calamusque, nec illa in medium audet producere spurciloquia, quæ Apostolus in nobis prohibet nominari. Verum ut pateat in quam deplorandas exerrationes humanum animum sibi permissum et a Deo desertum præcipitem agi necesse sit, non abs re erit hæc occulta dedecoris exponere, quorum fides impietatis magnitudine elevaretur, nisi S. Epiphanium testem haberemus omni exceptione majorem. Narrat ergo lib. *de Hæresibus*, hæresi 6. in illa secta, quam merito sterquilinium dixeris, virum et mulierem adulterantes, ex profluvio seminis maris excipientes ad cœlum manibus expansis offerre solitos, cum hoc carmine : Hoc tibi munus, nimirum Christi corpus offerimus. Illo etiam vescentes dicebant : Hoc est corpus Christi : Hoc est Pascha. Menstruos etiam sacrilegarum mulierum profluvios (horresco referens) colligentes offerebant aientes : Hic est sanguis Christi. Pascha vero celebrasse se existimabant, si gravidæ mulieris fœtum vi extractum in mortario cum pipere, melle, et aromatibus pistillo conterrerent, et execrandum farcimen mox vorarent. Hanc nefariam turpitudinem imitabantur Manichæi, qui Eucharistiam humano semine conspersam sumebant, ut August. lib. *de Hæresibus*, hæresi 46. refert.

Cataphryges, a Phrygia quam incolebant sic dicti, aliam materiam pro Eucharistia assignabant, sin æque impuram, certe magis feram. Nam, ut refert Augustinus lib. *de Hæresibus*, hæresi 26. sacramenta funesta habebant : infantis enim anniculi sanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquebant, quasi Eucharistiam suam conficiebant, admixta tamen farina ut panem conficerent. Puerum inde mortuum habebant pro martyre, superstitem pro magno Sacerdote. Ortum duxit hic non tam hominum quam belluarum grex a Montano hæreticorum post hominum memoriam amentissimo, qui se Spiritum Paracletum, adjutricibus insanis mulieribus Prisca et Maximilla somnia inanissima pro veris prophetis venditantibus, comminiscebatur, cum ne quidem sensu communi præditus esset. Istos hæreticos sequuti sunt Peputiani idem de sanguine infantium pro Eucharistiæ materia conficientes, ut hæresi 27. refert Augustinus.

Circa Eucharistiæ materiam errarunt etiam Artotyristæ, seu Panicaseistæ, qui panem et caseum offerebant ; et Aquarii, qui, ut refert Augustinus hæresi 64, aquam in poculo sacramentali offerebant, a vino tanquam ab aliquo diabolico abstinentes, ut tradit S. Epiphanius ; unde Encratitas seu Abstinentes, referente Theodoreto, se nominabant. Ideo etiam solam aquam adhibebant, quia, ut colligitur ex Cypriano epist. 63. timebant ne fervente Decii persecutione hausti odore vini proderentur, magnanimi scilicet Christi milites : nam qui sanguinem Christi erubescebant bibere, suum propter Christum sanguinem quomodo fudissent? De recentiorum hac in parte hæresibus postea dicemus.

Verum hæc omnia deliramenta refellere et veritatem speculationis nostræ stabilire in promptu est. Tum quia de pane id expressum habemus Matth. XXVI : *Cœnantibus*

illis, accepit Jesus panem. Quod Marci XIV, Lucæ XXII, I. Cor. XI. inculcatur. De vino etiam vitis, seu ex fructu vitis expresso patet ex Matthæo et Marco, qui calicem consecratum fuisse vini, aperte indicant, dum hæc verba Servatoris subjiciunt: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Quamvis enim Lucas duplicis calicis, communis nimirum et sacri mentionem fecisse videatur, et innuere hæc verba dicta esse de calice communi, cum ea verba ante consecrationem dicta referat : attamen dicendum est juxta Augustinum lib. 3. *de consensu Evangelistarum*, cap, 3. unum et eumdem fuisse calicem a Luca bis commemoratum, semel præoccupando, et iterum ordine suo post consecrationem panis. Neque enim series rerum in Eucharistiæ institutione factarum ex verborum ordine, ut supra notavimus et Scriptura confirmavimus, sed ex eorum sensu colligenda est.

Assertio etiam nostra Patrum testimoniis, Conciliorum decretis, perpetua Ecclesiæ traditione constantissima est. Testimonia passim obvia huc asportare supervacaneum est. Ratio vero non est alia quam instituentis voluntas, qui hanc materiam delegit et ipso suo usu designavit. Quod autem ipse fecit, faciendum aliis præcepit, dum dixit : *Hoc facite in meam commemorationem.* Sicut ergo materia Baptismi est vera et naturalis aqua, quia aquam simpliciter dictam Veritas designavit ; ita quia panem et vinum Christus consecravit, et ita faciendum discipulis imperavit, non est dubium, quin panis simpliciter et absolute talis, et similiter vinum sint genuina hujus sacramenti materia.

Nec desunt aptæ hujusmodi materiæ convenientiæ. Primo, quia, sicut pane et vino homines communiter reficiuntur, ita convenienter illa materia ad Eucharistiæ sacramentum electa est, quo animi nostri cœlesti cibo reficiuntur. Secundo Eucharistia præteritæ Christi passionis signum est, et corporis a sanguine separati repræsentatio ; quotiescumque enim hunc panem manducamus, vel calicem bibimus, mortem Domini annunciamus donec veniat : at panis corpus exangue, vinum sanguinem in passione Salvatoris fusum aptissime repræsentat. Tertio Eucharistia etiam Ecclesiæ unitatis symbolum est unde et communio dicitur, non solum quia per eam divina nobis communicata participamus, sed quia est communis unionis signum, communis dilectionis vinculum, commune Religionis centrum, in quod omnes fideles unanimes veluti lineæ confluunt, juxta illud Apostolicum : *Unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane, et de uno calice participamus.* At hæc communis unio optime per panem ex multis granis confectum, optime per vinum multis e racemis expressum, uti Augustinus observat, designatur. Quarto Eucharistia est futuræ gloriæ, qua Deo satiati torrente voluptatis potabimur, et inebriabimur ab ubertate domus Dei, signum prognosticum, et pignus suavissimum ; nam qui manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Sub illis ergo symbolis convenienter Eucharistia, quæ dicitur frumentum electorum, instituta est, quibus homo satiatur, et satiatus in profusam erumpit lætitiam.

Nonne, inquies, expressior foret cruentæ Christi passionis repræsentatio per animalium occisorum carnes, quam per simplicis panis vinique elementa? Expressior esset, fateor, sed minus aptior, tum ad unitatem Ecclesiæ repræsentandam, tum ad usum fidelium, tum ad hujus sacramenti puritatem et castimoniam significandam, cum non parum impuritatis in carnibus occisorum animalium insit. Convenientius ergo illa materia instituta est, quæ fuit hominis innocentis alimentum ; cujus consecratione Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui panem et vinum obtulit Altissimo ; quæve in omnibus terris nascitur, ut triticum ; vel certe ad omnes terras de facili asportatur, quantum ad usum hujus sacramenti sufficit, ut vinum.

Nec obest, quod vinum quibusdam inermis nocet. Non obest, inquam : tum quia vinum immodica quantitate nocere non potest; tum quia si timetur nocumentum infirmis, vel nausea abstemiis, nihil inde detrimenti eis creatur, cum totus Christus in utraque specie recipiatur. Non obest etiam canon. 3. Apostolorum, quo licere dicitur ad altare novas spicas, uvas, oleum, et incensum offerre. Non obest, inquam; tum quia in priori canonis parte vetitum est Sacerdoti aliud præter id quod Christus instituit offerre, puta mel, lac, aves, vel animalia ulla, aut legumina. Cætera vera posteriori parte permittit, vel ad honorem sacrificii concedit, puta oleum ad luminaria, et incensum quo altare suffitur ; vel ad alimentum ministrorum, ut spicas et uvas maturas tanquam primitias, quæ etiam offeruntur ut

benedicantur, et benedictæ a Fidelibus comedantur.

Observanda circa materiam Eucharistiæ scitu necessaria. Et primum, quis et qualis panis?

Porro circa memoratam Eucharistiæ materiam nonnulla sunt quæ observentur dignissima. In primis panis Eucharisticus omnino debet esse triticeus, ut contra Cajetanum docent communiter theologi, et expresse determinatur in litteris unionis concilii Florentini. Id etiam docet Cathechismus Romanus sæpe laudatus numero 13. diserte inquiens, nullum panem nisi triticeum aptam ad hoc sacramentum materiam putandum esse. « Hoc enim, » ait, « Apostolica traditio nos docuit, et Ecclesiæ auctoritas firmavit. » Accedit primo, quod panis ille congrua hujus sacramenti materia solus censendus est, in quo Christus Eucharistiæ auctor hoc sacramentum confecit : sed Christus panem triticeum consecravit, qui, ut supra monstravimus, pane azymo usus est : azymus autem ex præcepto Domini, quod habetur Exodi XXIX. ex simila triticea, id est ex purissimo farinæ tritici flore conficiebatur. Accedit rursum, quod, ut ait S. Thomas art. 4, solus triticeus apud homines panis simpliciter dicitur; nec alii nisi in hujus defectum introducti sunt et in usum veniunt.

Ex quibus infert S. Doctor, materiam hujus sacramenti non posse esse siliginem, si per siliginem intelligatur granum tritico inferius, quod vulgo secale vel arinca dicitur; secus si siligo accipiatur pro candidissimo tritici genere, a seligendo apud Plinium et Isidorum dicto. Idem dicendum de hordeo, spelta seu zea, farre, millio, oryza, aliisque, ex quibus non nisi in defectum tritici panis conficitur. Idem de amido vel amylo censet S. Doctor, quia cum ex tritico corrupto fiat, ex eo confectus panis non censetur usualis. Idem docet de tritico variis alterius speciei granis permixto, quia multa permixtio speciem solvit et mutat; si tamen modica sit, sicut non impedit quominus panis sit simpliciter triticeus, ita ex eo confici Eucharistia potest.

Panis Eucharistiæ quomodo coagmentatur? Præclara Ordinis S. Benedicti cautela. Figura hostiæ.

Observandum secundo, panem triticeum debere esse ex aqua naturali coagmentatum, quia non verus et usualis panis ille censetur qui ex ovis vel lacte, vel aqua rosacea, aliave artificiali conficitur, unde apta nequit esse hujus sacramenti materia. Debet etiam panis ille calore ignis concoqui, quo solo panis usualis efficitur, et forma substantialis panis introducitur. Debet etiam esse fixus et solidus; puls enim ex farina licet triticea et aqua naturali confecta et igne naturali decocta non censetur panis usualis.

Hac de causa magna cum cautela et circumspectione panis in Eucharistia consecrandus confici debet, et pietas Patrum æmulanda est. Refert Lanfrancus lib. *Decretorum pro Ordine S. Benedicti*, cap. 6. illius Religionis monachos tanto studio Eucharistiæ materiam parasse, ut frumentum granatim eligerent, in sacculum mundum, aptum, et fortem reponerent; famulo boni studii ad deferendum in molendinum committerent, qui aliud frumentum moli prius curraret, ut frumentum in usum Eucharistiæ destinatum nullam alienæ farinæ sortem contraheret, vel retineret. Farinam e molendino asportatam sacrista alba indutus et velato amictu capite incerniculo cribrabat. Constituto autem die Sacrista cum aliis adjutoribus fratribus, facie manibusque lotis, albis indutis, amictibus velatis ad panem Eucharisticum seu hostias elaborandum et concoquendum eo se ordine accingebant. Eorum unus farinam aqua conspersam super tabulam mundissimam fortiter compingebat et macerabat : alter qui ferra in quibus hostiæ coquebantur tenebat, nulla alba vel amictu indutus, solas manus chirothecis involutas habebat : alii Psalmos et varias preces pie recitabant; omnes arctissimum silentium servabant, famulo interim ignem accendente et fovente lignis siccis, et ante multos dies de industria præparatis. Idem fere habetur in antiquis statutis Cluniacensium cap. 55, in quibus etiam cavetur, ne hujusmodi opus post prandium fiat, utque ne vel saliva, vel flatus ullius aliquo modo ad hostias pertingat. Eadem pietate et accuratione panem Eucharisticum paratum in Ecclesia Romana fuisse refert Humbertus contra calumnias Græcorum Schismaticorum. Theodulphus etiam Aurelianensi episcopus, qui sæculo 9. floruit, epist. *ad suum Clerum* panem Eucharisticum vel ab ipsis Sacerdotibus, vel ipsis saltem præsentibus nitide studioseque parari præceperat, nihil ut in illo vile, nihil non probatum inveniatur. Idem statuerat

sub finem sæculi VII. concilium Toletanum 16. can. 6. Refert etiam Fortunatus in *Vita sanctæ Radegundis* lib. 1. cap. 7, quod suis manibus oblationes factas Sancta hæc venerabilibus locis dispensabat.

Quantum vero ad figuram consecrandæ hostiæ attinet, observavit dudum Ecclesia, ut rotunda, orbicularis et circularis sit. Ita enim panem super mensam Domini in sacrificium esse offerendum statuit concilium Toletanum mox relatum. Ejus etiam ritus meminit S. Epiphanius in *Ancorato*, circa medium. Et, quamvis figura quælibet sit integritati sacramenti omnino accidentalis ; attamen Ecclesia Latina traditionis sacræ tenax, hanc figuram a Patribus probatam religiose custodit, quæ et perfectio divinitatis Christi, quæ principio et fine caret ; et perfectio humanitatis, qua totum terrarum orbem circulari figura constantem redemit, designantur. Solet etiam communius pani Eucharistico imago imprimi Crucifixi Domini nostri, ut in tanti sacrificii memoriam hanc hostiam offerri significetur. Aliter figurant panem Eucharisticum Græci, ut refert Petrus Arcudius lib. 3. cap. 38. Aliquando enim utuntur figura circulari, quæ tamen in se quadrangulum continet una cum cruce et his literis abbreviatis, Ἰησους Χριστὸς νικᾶ, Jesus Christus vincit. Aliquando mere quadrangulari utuntur cum cruce, et litteris præfatis. In sacrificio autem quamvis figuram contingat esse circularem, sacerdotes tamen quadrangularem in circulari inclusam quatuor adhibitis incisuris, et conceptis quibusdam verbis eximunt ad consecrandum, ut ex Liturgia Græcorum patet. Figuram a Latinis observatam damnat Simeon Thessalonicensis in suo *de Sacramentis* libro, sed ineptis et ridiculosissimis argumentis, vel potius nugis, quas ibidem confutat Arcudius ; sed quæ a nobis referantur indignissimæ sunt.

Convenentiæ panis azymi. Schismaticorum et hæreticorum calumniæ elisæ.

Observandum tertio, quod licet panis triticeus, sive fermentatus sit, sive azimus, idonea sit et valida hujus sacramenti materia, convenientior tamen est panis azymus. Quod uterque panis sit apta Eucharistiæ materia, patet : tum quia utrique propria ratio panis, proprium et nomen convenit. Tum quia ita definivit Florentinum, et de facto annuente Catholica Ecclesia in fermentato celebrant Græci, imo et Latinos aliquando ita celebrasse Richardus, Scotus et Durandus opinantur, in detestationem hæresis Ebionitarum legalia simul cum Evangelio permiscentium : unde sancti Patres ne eis consentire viderentur, instinctu Spiritus sancti Eucharistiam in fermento ad tempus confecerunt. Sed hæresi illa extincta, inquiunt, Romana Ecclesia ad pristinum morem, quem ab Apostolis receperat, reversa est. Verumtamen Ecclesiam Latinam azymo ad Eucharistiam pane semper usam fuisse, nec Ebionæos fuisse notatos quod azymis in Eucharistia uterentur, sed quod utendo azymis se legem Mosaicam una cum Evangelio observare existimarent, probabilius reor et infra confirmabo. Utut sit, unusquisque sacerdos juxta receptam Ecclesiæ suæ consuetudinem celebrare tenetur : et sicut peccaret presbyter Latinus celebrans de pane sermentato, ut ait S. Thomas quæst. 74. art. 4, peccaret Presbyter Græcus celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum. Quia nemini licet privata autoritate, vel potius temeritate Ecclesiæ suæ ritum immutare. Latinus tamen Sacerdos iter agens per Græciam latino ritu in azymo celebrare potest, quia ad suam Ecclesiam pertinere censetur. Potest tamen Ecclesiæ Græcæ ritui probato sese accommodare, juxta regulam Ambrosii ab Augustino epist. 118. laudatam : « Ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, neque quemquam tibi. » Modo tamen omnes Liturgiæ Græcæ ritus observet ; neque enim fas est ex una Ecclesia conditionem panis, ex alia cæteros ritus usurpare. Legatur constitutio Pii V. anno 1566. edita, quæ incipit, *Providentia Romani Pontificis ;* ubi omnes facultates Latinis ritu Græco, et Græcis ritu Latino celebrandi concessas revocat.

Convenientius tamen panem azymum ab Ecclesia Latina usurpari suadetur tum ex institutione Christi, qui primo azymorum die, quo nihil fermentati domi Judæi habebant, Eucharistiæ sacramentum confecit. Tum quia hæc materia mirum in modum et puritati Christi, et integritati ac mentis munditiei, quam fideles ad hoc sacramentum afferre debent, convenit. Unde Apostolus I. Cor. v. ait : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum immolatus est Chri-*

stus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Quæ rationes Græcorum momentis, præponderant.

Dices : Panis azymus, utpote legalis, pertinet ad vetus Testamentum, non ad Evangelium ; non est etiam panis usualis. Atqui in lege Evangelica non sunt observanda legalia, et panis usualis solus idonea est Eucharistiæ materia. Ergo panis azimis non est apta Eucharistiæ materia.

Respondeo Ecclesiam Latinam uti azymo non ut legalia servet vel judaizet ; sed ut Christo sponso suo morem gerat. Et certe, si argumentum quidpiam efficeret, probaret etiam usum panis fermentati esse illicitum, utpote legalem ; nam, ut ex Levitici VII. et XIII. patet, panes fermentati Deo offerebantur. Ad id vero quod dicitur, panem azymum non esse usualem, respondeo per panem usualem illum intelligi, qui ex farina triticea, et aqua coagmentatus igne naturali concoquitur ; et in hoc sensu panis azymus est usualis, licet, quod careat fermento non sit ita usurpatus, sed hoc omnino accidentale est materiei : sicut aqua naturalis est materia Baptismi ; quod tamen illa aqua sit sale aliquo condita, vel aliis benedictionibus præparata, est aliquid accidentarium, nec usibus ordinariis frequentatum. Panis ergo azymus usualis recte dicitur, quia ex rebus illis conficitur, quæ in usum panis ordinarii quotidie veniunt.

Ex his sequitur 1° calumniose et erronee Græcos Latinam Ecclesiam erroris insimulare, quod in azymo celebret. Cœpit hoc schisma circa annum 860. anno vero 1053. Michael cognomento Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, et Leo archiepiscopus Acridanus vehementem adversus Latinos epistolam ad episcopum Kouvensem scripserunt, in qua Ecclesiam Latinam accusabant, quod sabbata in Quadragesima custodiret, cum eo die jejunaret ; quod suffocatis vesceretur ; quod Alleluia in Quadragesima non psalleret ; quod demum in azymo Eucharistiam conficeret. Ultimum autem morem inde ibi reprehendunt, quod vox ἄρτος, quæ in Evangelio habetur, significat panem elevatum, sic dictum a fermento et sale, a quibus calorem habet et elevationem ; azymus autem est similis luto, nihil saporis habens vel elevationis. Habetur hæc epist. tom. 4. Bibliothecæ Patrum editionis Parisiensis, quam Humbertus Cardinalis episcopus Silvæ Candidæ in Latinum idioma translatam ad Leonem IX. quintum Pontificatus sui annum agentem misit. Scripsit ad Michaelem Patriarcham et Leonem archiepiscopum Leo Papa, cujus epistola ordine prima in voluminibus Conciliorum legitur. Ad summum Pontificem rescripsit Patriarcha, Ecclesiæ unitatis, et pacis cupidus, vel certe simulator : cui Leo Papa epist. 6. in Domino congratulatus est. Anno sequenti 1054. Humbertum et Fridericum Cardinales Legatos suos Constantinopolim misit Papa, per quos ad Imperatorem Constantinum monomachum scripsit, laudans ejus pacis zelum, et Michaelis damnans audaciam, qui aperta persecutione in Latinam exardescens Ecclesiam, anathematizare non timuerat omnes qui sacramenta attrectant ex azymis. Scripsit etiam idem Papa ad Patriarcham, quem novum Ecclesiæ Latinorum calumniatorem, et publicum persecutorem appellat. Præsentibus imperatore, proceribus, et legatis Nicetas monachus, dictus *Pectoratus*, librum *de Azymo* adversus Latinos sub ipsius nomine editum reprobavit, qui liber insistentibus legatis jussu Imperatoris in ignem projectus est. Sequenti vero die Nicetas legatos adivit, et anathemate in suos errores iterum a se lato, in Legatorum gratiam et familiarem amicitiam receptus est. Ita refertur in actis brevioribus, quæ exstant tom. 4. Bibliothecæ Patrum. Michael vero in errore pertinax colloquium et præsentiam Legatorum vitavit. Hinc Græci Schismatici Latinos Azymitas palam vocitabant, ut patet ex tractatu adversus errores Græcorum, anno 1252. in Conventu Fratrum Prædicatorum edito, qui eodem Bibliothecæ tomo refertur. Perseveravit hic error ad tempora concilii Florentini anno 1439. coacti.

Porro fundamentum schismaticorum a voce ἄρτος desumptum, nullius momenti est, sed vanum prorsus ad puerile, cum panis dicatur ἄρτος indifferenter, sive azymus fuerit, sive fermentatus. Nam panes propositionis ex lege debebant esse azymi; et tamen ἄρτοι in Scriptura dicuntur : et Exodi XI, ubi dicitur, *Comedetis azymos panes cum lactucis agrestibus ;* in Græco habetur vox ἄρτος. Denique Lucas refert quod Christus comesturus cum discipulis euntibus in Emaüs, accepit ἄρτον : quod tertia die Resurrectionis factum est, quo tempore in omnibus Judææ finibus nullus panis fermentatus inve-

niebatur; nam in Paschate per septem dies panis fermentatus nec inveniebatur, nec servabatur.

Sequitur 2. turpiter errasse Calvinum lib. 4. *Institut.* cap. 17. §. 43, dum ait in Eucharistia usurpari solitum esse panem fermentatum ante tempora Alexandri Romani Episcopi, qui primus azymo pane delectatus est, ut plebis oculos traheret magis quam ut animos vera religione institueret. Et infra Catholicæ Ecclesiæ ritum appellat Heresiarcha impiissimus frigidas et histrionicas nugas, quæ nullum alium usum afferunt, nisi ut stupentis populi sensum fallant. Quibus verbis non malitiam solum suam, sed et ignorantiam etiam prodidit novus iste Aristarcus; unde et quis Alexander hujus moris auctor fuerit tacet, ne mendacii convinceretur. Etenim in Ecclesia Occidentali ad consecrationem panis azymus semper assumptus est. Ita testatur Leo IX. epist 6. *ad Michaelem Constantinopolitanum:* « Illud autem, inquit, quis non stupeat, quod post tot sanctos et orthodoxos Patres per mille, et viginti a Passione Salvatoris annos novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes et publicam excitans persecutionem, quicumque participarentur sacramentorum ex azymis. » Ubi testatur Ecclesiam ad sua usque tempora azymis in Eucharistia usam semper fuisse. Idem tradit Innocentius III. lib. 4. *Mysteriorum Missæ*, cap. 4, ubi de ritu panis azymi erroris a Græcis insolenter accusato agens sic habet: « Ab ipsis ergo beatis Apostolis Petro et Paulo, quos vivos habuit, et defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit. » Idem tradit Algerus lib. 6. cap. ultimo: « Nulla, » inquit, « ratio cogit, ut azymum a Christi sacrificio repellatur: dignum est ut quod Christus instituit, omnis autem Ecclesia præter Græcam a primordio sui ex traditione Principum Ecclesiæ, Petri scilicet et Pauli celebravit, indesinenter conservet. » Testatur etiam Rupertus lib. *de divinis Officiis*, cap. 22. consuetudini sanctæ Romanæ Ecclesiæ nunquam in sacrificio fermentatum admittendi totam Græciam « nescio qua auctoritate suffragante refragari ». Quia nimirum unus nemo ante Græcos schismaticos usum panis azymi vitio vertit. Nunquam ergo in Ecclesia Latina etiam tempore Ebionitarum vel Ebioneorum pane fermentato Patres usi sunt ad sacrificium, sed tantum ad Eulogias seu panes benedictos, quos dari diebus Dominicis et festivis mos fuit in signum Ecclesiasticæ communionis, qui deinde in usum ministrorum, fidelium, et pauperum distribuerentur. Et hi panes fermentati dicuntur in vita Melchiadis et Syricii Summorum Pontificum, et cap. 5. epistolæ Innocentii I. *ad Decentium*. Quod patet ex eo quod prohibent Melchiades et Syricius, ne mittantur panes illi ad presbyteros, nisi prius consecrati ab episcopo fuerint: quod dici nequit de pane Eucharistico, quem Presbyteri consecrant. Innocentius vero statuit panes illos ad Ecclesias tantum civitatum esse mittendos, et non ad parochias quæ sunt extra civitates: quod de pane Eucharistico intelligi nequaquam potest. Unde canon 2. Laodicenus prohibet Eucharistiam loco Eulogiarum mittere, distinguens panem Eucharisticum ab Eulogico, qui ultimus erat fermentatus, quemve fideles ultro citroque dare et accipere consueverant, et latiori significatu dicebatur sacramentum, quod esset signum panis Eucharistici, et fidelium concordiæ. De eo videtur loqui Augustinus, et innuere solitum fuisse porrigi Cathecumenis, de quibus loquens lib. 2. *de peccatorum Meritis*, cap. 26, ait: « Quod accipiunt (Cathecumeni,) quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, et sanctius quam cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est. » Quamvis aliqui illud quod auctore Augustino accipiebant cathecumeni, de sale interpretentur, quod solitum erat cathecumenorum sacramentum: et canone 5. concilii III. Carthaginiensis præceptum erat, ut cathecumenis solitum duntaxat sal etiam per solennissimos Paschatis dies daretur. Conjecturis locus est: nihil certi definiri potest. Id solum constans, Ecclesiam Latinam nunquam fermentato in Eucharistia usam fuisse, quidquid Scotus et Durandus supra memorati nihil in confirmationem suæ opinionis proferentes sentiant. Multo magis a veritate alienum est quod disquisitione de azymo Sirmundus ait, consultissime ad azymos transiisse Ecclesiam Latinam, sed serius. Id enim cum adductis a nobis luculentissimis auctoritatibus hujus ritus in Ecclesia perpetuitatem demonstrantibus pugnat.

Sequitur 3. impie debacchari adversus Ecclesiam Romanam hæreticos Calvinistas, quod Latinos azymo pane uti astringat, cum fermentato uti expediat, ut contendit hæreticus Chamierus lib. 6. *de Eucharistia*, cap.

6. asserens Ecclesias suas (si superis placet) reformatas tanto fermentata maluisse, quanto Papistæ confidentius azymi prætextu devenerunt tandem ad non panem, sed ad farinacea folia, quæ neque panis formam habent, neque pro pane usquam gentium fuere usitata. Sed hæretici Ecclesiæ Catholicæ in præparanda Eucharistiæ materia mundissima accurationem damnantis petulcitas ex his quæ observatione secunda dicta sunt contrita manet. Intolerabilior est Amandi Poloni lib. 5. *Syntagmatum,* cap. 56, Besæ epist. 2. *ad Tillium,* Scarpii controversia 3. quæst. 1. *de Causa materiali sacræ Cœnæ*, error quo existimarunt deficiente pane et vino licere ex alia substantia conficere Eucharistiam, quia id convenit cum mente instituentis et fine sacramenti, utique Calvinisti, non Christiani. Sed non est novum hæreticis suas ab Erebo excitatas imaginationes Scripturis et perenni traditioni e diametro repugnantes obtrudere, quas sine argumentis pudor Christianis inseminatus satis superque refellit.

Materia calicis consecrandi vinum, et quale,

Observandum 2° quod, cum solum vinum vitigineum sit idonea calicis consecrandi materia, sequitur nec succum e malis granatis, pomis, piris, vel moris expressum, nec acetum, nec agrestam posse esse aptam consecrationis calicis materiam. Quia succus ille e fructibus eliquatus non est nisi similitudinarie vinum ; acetum vero est vinum corruptum, et se habet ad verum vinum sicut cadaver ad animal ; agresta vero seu omphacium nondum habet speciem vini. Mustum tamen, quia habet speciem vini, in casu necessitatis adhiberi potest, ordinarie tamen usurpari non debet, quia cum non sit purum et defæcatum, non raro sordibus permiscetur. Vinum etiam congelatum, quamvis si fieri possit non debeat propter reverentiam sacramenti adhiberi, absolute tamen potest esse materia hujus sacramenti, etiamsi aqua gelu concreta non possit esse materia Baptismi. Quia, cum sacramentum Eucharistiæ non consistat essentialiter in usu, sed sit aliquid permanens ex rebusque permanentibus constans, non est necesse ut vinum ipso consecrationis momento bibatur, sicut fluidam esse oportet aquam Baptismatis, ut per illam possit corpus ablui. Unde dicitur in rubricis Missalis, ubi de defectibus Missæ agitur, quod si species vini consecrati congelentur in calice, calix operiri debet pannis calefactis, ut liquefactus postea sumatur; quod si per pannum calidum liquefieri non potest, ponendus est calix in aquam ferventem prope altare, donec liquefiat, et liquefactum bibatur. Quod argumento est congelationem a vino consecrationem non auferre, nec eam subinde necessario impedire. Nec est simile de vino pani imbibito, quod non potest esse idonea consecrationis materia, licet species vini consecrati quibus panis intingitur et imbuitur, retineant consecrationem. Non est, inquam, simile ; quia vinum quo imbuitur panis nulla est ratione potabile ; at vinum congelatum de facili bibi potest, nec gelatione amittit speciem potabilis. Nec est quod opponas, vinum in uva matura adhuc inclusum non minus esse potabile quam vinum congelatum ; illa tamen nequit esse materia consecrationis calicis ; ergo nec istud. Non, inquam, id dicas : quia uva vel botrus secundum omnium hominum sensum et usum non est vinum : vinum tamen, sive calidum, sive frigidum, sive congelatum, sive non, jure vinum apud omnes habetur.

Vino aqua permiscenda, quo jure, et quanta ?

Observandum est quinto, vino aliquam aquæ naturalis guttam permisceri oportere, ut Sanctorum testimonio, Conciliorum auctoritate, et inviolabili Ecclesiæ praxi perspicuum est. Christum enim consecrasse in vino aqua mixto habetur in liturgia S. Jacobi his verbis : *Similiter postquam cœnavit, accipiens Calicem et permiscens ex vino et aqua.* Quod et in liturgia S. Marci, et in liturgia S. Basilii repetitur. Idem docet concilium Carthaginiense IV. canone 24 : « In sacramentis, » inquit, « corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aqua mixtum. » Idem habetur canone 32. Concilii Quinisexti, ubi liturgiæ Jacobi et Basilii, et canon Carthaginiensis referuntur.

Traditionis vero Ecclesiæ et praxis perpetuæ testes sunt sancti Patres : Clemens Romanus lib. 8. *Constit.* cap. 12 : « Postquam », inquit, « miscuit ex vino et aqua. » Irenæus lib. 4. cap. 57 : « Christus accipiens calicis temperamentum. » Et libro sequenti vocat « mixtum calicem ». Cyprianus epist.

63 : « Admonitos, » inquit, « nos scias, ut in calice offerendo dominica traditio servetur, nec aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit : ut in calice qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.... Invenimus calicem mixtum fuisse, quem Dominus obtulit. » Idem docent Justinus Martyr apolog. 2, Hieronymus *in cap.* XIV. *Marci*, Ambrosius lib. 5. *de Sacrament.* cap. 1, Augustinus lib. 4. *de Doctrina Christiana*, cap. 21. Hac de causa concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. sic habet : « Monet sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.» Et canone ultimo : « Si quis dixerit, aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit. »

Egregias hujus ritus congruentias affert de more S. Thomas. Tum quia credibile est Christum in cœna vinum aqua temperasse pro suo bibendi more qui viros sobrios decet. Tum quia hac permixtione Passio Christi melius repræsentatur, in qua aqua permixta sanguini fluxit e latere Salvatoris. Qua ratione Alexander Papa dist. 4. *de Consecratione*, cap. *In sacramento*, et Tridentinum loco præfato utitur. Tum quia hoc ritu unio populi Christiani cum Christo capite significatur ; aqua enim populum Apocalypsis XVII. præfigurat, vinum vero sanguinem Redemptoris. Ergo, cum aqua vino in calice miscetur, Christo populum adunari intelligitur. Qua ratione Cyprianus et Tridentinum locis memoratis usi sunt. Nec obest quod in Scriptura nulla hujus mixtionis mentio fiat. Non obest, inquam, quia aliunde, nimirum ex clarissimis Patrum testificationibus factum Christi tenemus. Ritum etiam illum, justis piisque de causis potuisset Ecclesia instituere, illique obtemperare teneremur.

Non est tamen probanda Armacani sententia existimantis permixtionem aquæ esse de necessitate materiæ hujus sacramenti. Tum quia superius laudatum Tridentinum sacerdotes ad eam permixtionem Ecclesiæ præcepto obligari docet. Tum quia nullibi hanc permixtionem a se licet factam Christus Dominus imperavit. Tum quia Cyprianus paulo ante memorata epistola ait, simplicitati eorum, qui aquam vino permiscere in Eucharistia conficienda prætermiserant, veniam posse concedi. Quibus verbis satis indicat, illicite eos quidem peregisse, at valide sacramentum confecisse tamen. Nec obsunt alia ejusdem Cypriani verba, quibus in eadem epistola affirmat, aquam debere vino calicis permisceri sicut permiscetur farinæ, ex qua altera hujus sacramenti materiæ pars conficitur. Non obsunt, inquam, quia, ut ait S. Thomas quæst. 74. art. 7. ad 2, intendit solum Cyprianus convenientem esse illam aquæ permixtionem. Nec similitudo farinæ ob aliud profertur, quam ut ostendatur quid oporteat fieri, non quod tanta sit utriusque mixtionis et peræqua necessitas, cum aqua sit de essentia panis, non vini. Adde permixtionem aquæ cum vino non esse quidem tantæ necessitatis, quantæ permixtio aquæ cum farina in ordine ad sacramenti integritatem, bene tamen in ordine ad repræsentationem et significationem mysticam unionis populi fidelis cum Christo. Unde ibidem ait : « Si vinum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. » Quibus satis innuit sanguinem Christi sub speciebus solius et impermixti vini consecrati realiter quidem existere, sed unionem qua populus Christianus suo Salvatori copulatur tam expresse non significari. Dico « tam expresse », nam cæteroquin hæc significatio habetur per hoc, quod multa grana in unum panem coeunt, et liquor e multis uvis eliquatus in unum vinum confluit.

Non obest etiam, quod Christus sacramentum hoc in vino aqua mixto confecerit ; unde consequens videtur hanc mixtionem esse de præcepto divino, subindeque de necessitate sacramenti, cujus ea sola materia idonea censenda est, quam Christus sacramentorum auctor instituit. Non obest, inquam, quia, sicut, licet Christus panem azymum consecraverit, non tamen sequitur solum illum panem esse necessariam hujus sacramenti materiam, quia solum panem triticeum in materiam Eucharistiæ Christus delegit : ita similiter vinum, seu genimen vitis materiam calicis instituit ; mixtionem ejus cum aqua non instituit ad præceptum, sed in exemplum, ut quid conveniens, non necessarium.

Ex quibus sequitur errasse Armenos sæculo septimo, qui propter quemdam Chrysostomi locum male intellectum arbitrati sunt, nullam aquam vino consecrando esse permiscendam. Eorum erroris fit mentio canone 32. Synodi Quinisextæ, seu Trullanæ, sic dictæ, quia ejus canones facti sunt in Trullo palatio Constantinopolitano. Verba

canonis sunt hæc : « Quoniam ad nostram cognitionem pervenit, quod in Armenorum regione vinum tantum in sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes qui incruentum sacrificium peragunt, adducentes Joannem Chrysostomum hæc dicentem in interpretatione Evangelii secundum Matthæum. Quamobrem non aquam bibit cum surrexit, sed vinum, improbam sane hæresim radicitus extirpans : et ex eo aquæ in sacro sacrificio adjunctionem Doctorem subvertere existimant. Ut autem non ab hoc tempore imposterum ignorantia teneantur, Patris sententiam orthodoxe aperimus. Cum enim improba Hydroparastatarum, hoc est eorum qui aquam offerebant, antiqua esset hæresis, qui pro vino sola aqua in proprio sacrificio usi sunt, refellens hic vir divinus detestabilem ejusmodi hæresis doctrinam, et ostendens quod directe Apostolicæ traditioni adversetur, id quod jam dictum est affirmavit. Nam et suæ Ecclesiæ, ubi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit. » Hanc, quam detestabilem hæresim Synodus appellat, renovare molitus est hæresiarcha Lutherus lib. 6. *contra Regem Angliæ*, ibi : « Meo sensu, » inquit (suo sensu omnia judicans hæreticorum post hominum memoriam audacissimus), « melius et tutius foret aquam non miscere vino, cum sit merum figmentum humanum, et sinistram, imo pessimam habeat significationem. » Quia nimirum Isaiæ I. dicitur : *Vinum tuum mixtum est aqua.* Sed non advertit homo hæresi inebriatus, et meri etiam non minus quam veneris amantissimus, eamdem rem in Scripturis modo bonam, modo malam sub diversa consideratione significationem habere, ut patet de fermento, quod I. Cor. V. corruptionem significat : *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et Luc. XII. significat hypocrisim : *Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Et tamen idem fermentum in bonam partem accipitur Matth. XV : *Simile est regnum cœlorum fermento.* Vinum pariter aqua mixtum malum aliquid significare potest, cum similitudo ducitur a cauponibus miscentibus aquam vino, ut impurum pro puro vendant, et ementes decipiant. Cæterum in bonam significationem usurpatur, dum symbolum est sobrietatis Luthero tantopere invisæ ; unde dicitur Proverb. IX : *Bibite vinum quod miscui vobis.* Vel cum ad unionem membrorum cum capite, fidelium cum Christo, vel aliquam mysticam bonæ rei significationem exprimendam adhibetur.

Sequitur rursum impie discipulos Lutheri et Calvini hæresiarcharum clamitare, et adversus Ecclesiam Catholicam debacchari, quod aquam vino admiscere præcepto obliget. Cum enim, inquiunt Kemnitius, Scarpius, Chamierus, sit res indifferens, et de numero earum quas ἀδιαφόρας vocant, unicuique est arbitrio permittenda. Tantummodo in Papistis reprehendimus, addit hæreticus Chamierus, quod nullo præeunte verbo Dei peccata, et quidem mortalia fingant. Nam, si possent aliorum Christianorum libertatem tolerare, nihil esset hac quidem in re quod cum eis verbum committeremus. « Fortasse nec discessimus quidem » (inquit suæ apostasiæ et schismatis conscius) « ut qui non soleamus in rebus ejusce generis aut Ecclesiam occupare, aut ab ea nobis laborem creari. » Itane tandem inter res mere indifferentes et cujusvis privati Christiani arbitrio permittendas ritus ille Christi usu consecratus, a Patribus imperatus perpetua traditione retentus, et cujus omissionem rebus detestabilibus vetustissima concilia accensuerunt, putandus est ? Itane propter religiosum Patrum suorum cultum Ecclesia Catholica a spuriis et apostasiæ suæ consciis filiis damnanda, vel tyrannidis insimulanda communis mater est ? Itane de cujusvis arbitratu libertatis obtentu Ecclesiastici mores perenniter custoditi calcandi sunt? Si privatorum Reipublicæ probatos usus pessumdare volentium temeritas coercetur, omnia in Ecclesia susdeque miscere licitum erit ? Id certe est Ecclesiam occupare nedum, sed eam etiam perditum ire moliri.

Observandum est sexto, aquam vino consecrando permiscendam oportere esse elementarem, in sua naturali conditione constitutam, et in modica quantitate. Elementaris quidem debet esse aqua, quia hæc simpliciter et absolute aqua dicitur, et ut talis usurpatur ; sicut vinum simpliciter tale est vitigineum, et oleum simpliciter est oleum ex olivis expressum. Illa quoque aqua sola populos repræsentat, juxta id quod ex Apocalypsi dicimus. Debet etiam aqua in suo naturali statu adhiberi, id est nec alio liquore perfundi, nec calefieri. Quia ita Christum adhibuisse credibile est, cum unus nemo Patrum aliter observet, cum etiam ita

soleat vino communiter bibendo a viris sobriis usurpari. Fateor Græcos in calicem jam consecratum nonnihil aquæ ferventis injicere solere, sed prius frigidam vino consecrando permiscere, ut ex liturgia Chrysostomi et Basilii patet. Injiciunt porro guttas aquæ ferventis, ut descensum Spiritus sancti in Ecclesiam significent, ut ait Nicolaus Cabasilas in expositione liturgiæ cap. 37. Unde non debet improbari ille eorum ritus, utpote antiquus, a quibusdam sanctis, Chrysostomo nimirum et Basilio in suis liturgiis commendatus, ad aliquid sanctum significandum iutroductus, et in concilio Florentino ab ipsis Patribus Latinis probatus. Denique aqua apposita debet esse in modica quantitate. Tum ne solvatur species vini sæpe debilis et parum generosi, ut in frigidioribus regionibus esse assolet. Tum ut significetur excessus dignitatis Christi supra fideles per aquam designatos, quæ in illa unione absorbetur. Tum ut aqua in vinum possit converti, et eo mediante in sanguinem Servatoris. Unde Honorius III. libro 3. *Decretalium* relatus, perniciosi erroris et abusus eos insimulat, qui majorem aquæ quam vini quantitatem adhibebant, cum secundum consuetudinem rationabilem Ecclesiæ generalis longe plus vini quam aquæ adhibendum sit. Denique notat S. Thomas talem permixtionem in ipsa sacrificii celebratione, aut ejusdem præparatione fieri oportere, nec sufficere ad ea significanda quæ tali permixtione representantur, si aqua in dolio fuerit in antecessum apposita.

Quæres 1° quid fiat de aqua vino infusa post consecrationem, et in quid evadat aut transmutetur?

Respondeo varias esse sententias. Primo enim aliqui posuerunt eam converti in aquam, quæ ex Christi pendentis latere fluxit. Sed hæc opinio jam exolevit, et inde rejicitur, quia in illud solum fit conversio, quod verbis consecrationis significatur, illa quippe verba efficiunt quod significant : patet autem verbis consecrationis calicis nullam significari conversionem appositæ aquæ in eam quæ de latere Christi manavit. Accedit quod illa aqua lateris ponitur sub speciebus vini vel vi verborum, vel per solam concomitantiam : non vi verborum, quæ eam poni non exprimunt, sed unum duntaxat sanguinem : si per concomitantiam, jam illa aqua non est potiori ratione in calice quam in hostia ; unde in eam speciali ratione aqua apposita non transumatur.

Secunda sententia eorum est, qui posuerunt aquam in propria semper specie permanere vini accidentibus circumfusam. Sed eam communiter rejiciunt theologi : tum quia veritas formæ exigit, ut totum quod demonstratur sit sanguis Christi : tum quia totum proponitur populo adorandum : tum quia Sacerdos post consumptas vini species censetur jejunus, quod indicio est aquam in sua naturali conditione non mansisse. Tum demum quia accidentia non transeunt de subjecto in subjectum, nec subinde accidentia vini aquam afficiunt. Nec nova, et Ecclesiæ ignota miracula sunt in hoc sacramento sine necessitate multiplicanda.

Tertia sententia docet, aquam in propria specie ante consecrationem permanere, nec in vinum converti, sed vi consecrationis immediate in Christi sanguinem transmutari. Hanc opinionem dudum antiquatam et exoletam suscitavit Ægidius Coninchus, quem aliqui recentiores sequuntur. Sed refellitur primo auctoritate Innocentii III. cap. *Cum Marthæ* de celebratione Missarum, ubi tres refert de hac difficultate sententias. Prima eorum est, qui dixerunt permixtam vino aquam in eam converti quæ de latere Salvatoris promanavit. Secunda est illorum qui censent aquam vino mixtam in vinum converti, et sic conversam in sanguinem Christi transubstantiari : innuit tamen hanc sententiam niti fundamento, quod nonnulli physici inficiantur, qui aquam a vino per artificium posse asserunt separari. Tertia sententia ait non transire aquam in sanguinem, sed manere vini accidentibus circumfusam. Ex his vero tribus sententiis quæ tenenda sit, his verbis subindicat : « Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari. » Ergo cum hæc sit secunda sententia, eam dubio procul Pontifex ille egregius amplexus est. Scio Coninchum respondere Innocentium secundam sententiam bimembrem distinxisse, nec primum membrum approbasse quo asseritur in vinum transire aquam mixtam vino, sed secundum elegisse, quo dicitur aquam cum vino in sanguinem transmutari, et abstraxisse ab illa philosophica quæstione, utrum vino mixta aqua in vinum convertatur. Sed præter quod non dixisset Pontifex

aliquam ex his sententiis, nempe secundam, esse probabiliorem, cum ipse quartam invexisset ; insuper omnia subterfugia Innocentius lib. 4. *Mysteriorum Missæ*, capite 4. occupavit. Ibi enim eamdem versans quæstionem diserte docet, aquam transire in sanguinem, quia mixta vino transivit in vinum. « Quis enim ambigat » (inquit) « aquam in vinum transire cum multo vino modicum infunditur aquæ ? »

Præterea hæc sententia, et opinio D. Thomæ asserentis aquam mixtam vino transire mediate in sanguinem Christi, mediante nimirum vino, in quod prius aqua convertitur, stabilitur. Illud duntaxat convertitur immediate in sanguinem Christi, quod est idonea calicis consecrandi materia, cum ideo duntaxat assumatur materia ut consecratione fiat ineffabilis elementorum transubstantiatio. Atqui solum vinum vitigineum apta est calicis consecrandi materia, ut ex perpetua traditione hactenus creditum est, et sacrorum conciliorum Florentini et Tridentini definitionibus firmatum. Ergo aqua mixta vino non immediate in Christi sanguinem, sed mediante vino, in quod prius conversa est, transmutatur.

Nec valet evasio adversariorum dicentium duplicem esse calicis consecrandi materiam ; necessariam unam, nempe vinum ; liberam alteram, nempe aquam vino mixtam, sicut peccata venialia libera sunt sacramenti Pœnitentiæ materia. Non, inquam valet : tum quia hujus duplicis materiæ commentum est in Ecclesia inauditum, sua proinde novitate in re tanti momenti sollicite cavenda sponte liquescens et corruens. Tum quia cum aqua nonnisi ex præcepto Ecclesiæ sit permiscenda, nec talis permixtio sit de jure divino, ut ex dictis constat, manifestum est aquam non esse Eucharistiæ ulla prorsus ratione materiam : omnis quippe sacramentorum materia a Christo designata et instituta est, alioquin dicere licebit sal aquæ lustrali Baptismatis ex præcepto et ritu Ecclesiæ permixtum, et alia sacramentalia jussu Ecclesiæ materiebus sacramentorum adjuncta ad eorum materiam pertinere. Tum quia ea materia libera censenda est, quæ absente necessaria ad sacramenti integritatem sola sufficit : ea enim ratione peccata venialia libera sacramenti materia dicuntur, quod eis forma absolutionis, non existentibus etiam mortalibus, valide applicari potest. At in nullius theologi mentem adhuc venit, in sola aqua posse calicem deficiente vino consecrari, et oppositum dicere est in damnatam Aquariorum hæresim incurrere. Et certe grandis hallucinatio committitur dum aqua peccatis venialibus comparatur. Peccata enim venialia dicuntur libera sacramenti Pœnitentiæ materia, quia nullum est ea in confessione aperiendi præceptum, sed vera tamen sunt materia hujus sacramenti, cujus materia idonea est omne peccatum vero dolore contritum, et ore sacerdoti apertum. Unde supposito, quod homo solorum venialium conscius sacramentum Pœnitentiæ adire velit, fiunt necessaria sacramenti Pœnitentiæ materia. At nemo volens sacramentum Eucharistiæ peragere, potest aquam solam in penuria vini consecrare. Tum quia, si aqua permixta esset hujus sacramenti libera materia, in magna posset quantitate apponi, contra Florentinum « modicissinam » vino apponi aquam imperans. Cur autem modicissima aqua præscriberetur, si in Christi sanguinem immediate converti posset, nec eam prius in vinum transmutari oporteret ? Tum demum, quia, si aqua esset Sacramenti materia in sanguinem Christi immediate conversa, poterit sub speciebus aquæ a speciebus vini arte separatis (ut separari posse contendunt adversarii, argumentum inde postea diluendum depromentes) conservari ; tandiu enim manet corpus et sanguis Christi, quandiu durant species, quarum substantia in Christi substantiam conversa est, et quandiu sub illis vera et naturalis substantia integra permansisset, ut docet Tridentinum sess. 13. can. 3. At quis credat sub separatis arte aquæ speciebus, si separari possunt, sanguinem Christi existere, ibique adorandum esse ? Quis credat sub illis separatis remanere posse Christi sanguinem, et non posse aquam separatam consecrari ? Quod enim sine vino consecratum manet, quidni sine vino consecratum fiat ?

Vera ergo sententia, et ad propositam quæstionem responsio est, aquam non immediate in Christi sanguinem, sed mediante solum vino, in quod primitus fuerit transmutata, converti ; et ideo modicam infundendam esse, ut ait Catechismus Romanus titulo *de Eucharistia* : « Nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententia et judicio, » inquit, « aqua illa in vinum convertitur. » Idem docet Sacerdotale Romanum 1. p. tract. 10. cap. 2. his verbis : « Aqua, quæ

in calice vino admiscetur, debet esse in modica quantitate, quia eam in vinum converti oportet. » Quia nimirum aqua modica in minutissimas particulas divisa confunditur, absorbetur, et activitate vini fere momento corrumpitur, nec potentiori agenti, quo undique cingitur, resistere valet. Nec obest quod aqua sit corpus elementare et simplex, quod in mixtum immediate non convertitur. Non obest, inquam, quia pura hic non habemus elementa, sed multorum admixtione impura. Adde quod, licet elementum aquæ non posset actione vini in vinum commutari, posset tamen per divisionem, qua materia aquæ in minimas particulas dissecta formam aquæ retinere nequaquam potest, sed circumdantis vini forma afficitur. Non est etiam quod dicas, aquam vino mixtam posse arte chimica a vino separari, ut si vinum in vase ex ligno hederæ facto includatur, vel si immittatur medulla junci, vel si spongia oleo imbuta adhibeatur. Non, inquam, id dicas; quia tunc solum vera aqua extrahitur, quando magna ejus quantitas, quæ in vinum non potuit converti, apposita fuit : si autem modica aqua infusa fuit, id quod separatur non est aqua elementaris, sed debilior vel subtilior vini pars aquæ similitudinem et colorem præferens, ut ex eo patet quod eadem arte e vino puro, cui nulla aquæ portio admixta est, hujusmodi vapor aqueus elici facile potest, et in aquam etiam naturalem converti, sicut terræ vapores vi caloris solaris exciti in media aeris regione in aquam convertuntur. Sed de hic ad philosophos.

Fit satis objectis.

Dices : Patres docent aquam vino mixtam in altari offerri, benedici, consecrari, et consecratione mutari in sanguinem Christi. Ita Cyprianus epist. 53, Justinus Martyr apologia 2. sub finem, Ambrosius lib. 4. *de Sacramentis*, cap. 4. et 5, ubi ait : « Vinum et aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis. Ante verba Christi calix est vini et aquæ plenus : ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit. » Idem tradunt Damascenus lib. 4. *de Fide*, cap. 14, Paschasius lib. *de corpore Domini*, cap. 11, Algerus lib. 1. cap. 16, Hildebertus Genomanensis carmine *de mysterio Missæ*. Ex quibus patet aquam in sanguinem Christi transmutari, unde non prius in vinum convertitur, alioquin solum vinum in consecratione transubstantiaretur.

Respondeo Patres vel loqui de oblatione præparatoria antecedente consecrationem, et sic verum est aquam in vinum infusam peræque atque vinum ipsum offerri ; vel loqui de oblatione essentiali, seu consecratione, in qua sacrificium altaris essentialiter situm est ; et sic aqua non immediate, sed mediante vino, in quod prius conversa est, transmutatur. Cum enim Patres doceant admixtionem aquæ rem esse institutionis Eucharistiæ, secundum hanc doctrinam dicere necesse est, vel non transmutari aquam, quod sancti nolunt ; vel in sanguinem Christi mediante duntaxat vino transsubstantiari ; cum in potestate Ecclesiæ positum non sit Sacramenta condere, vel novas eis materias assignare. Mediante ergo vino, quod sola est a Christo præscripta calicis consecrandi materia, aqua consecratur. Nihil tamen propterea dicere vetat aquam in sanguinem Christi converti, etiamsi prius in vinum conversa sit ; solent enim substantiæ in aliam transmutatæ eo nomine appellari, quo ante conversionem vocabantur : nam Joan. II. aqua in vinum in nuptiis a Domino conversa pristino nomine nuncupatur : *Cum gustasset*, inquit, *architriclinus aquam vinum factam*. Exodi etiam VI. serpens Mosis virga, unde factus fuerat, appellatur. Et magis ad rem corpus Christi in Eucharistia sæpe panis in Scripturis et a viris Catholicis vocitatur.

Instabis : Sæpe contingere potest in vinum aquam non posse converti, ut cum aliqua aquæ quantitas vino tenui et parum generoso infunditur ; cum Sacerdotes ante mox consecrandum calicem recordati se non miscuisse aquam, eam immediate ante consecrationem, ex præscripto rubricarum *Missalis Romani* apponunt ; et cum Christus aquam calici mox bibendo apposuit, utique in magna quantitate juxta leges temperantiæ et mores hominum conviventium, apud quos ridiculum haberetur guttulis aquæ vinum temperare. Atqui tunc aqua immediate in sanguinem Christi convertitur, cum totum quod calici inest, populo adorandum exhibeatur ; cum haustu illius aquæ non solvatur jejunium sacerdotis, possitque in casibus licitis, puta in die Dominicæ Nativitatis iterum celebrare ; cum denique totum in calice contentum hoc pronomine *Hic* designatum consecretur, ne falsidica forma conse-

crationis existat, et redeant omnia argumenta contra secundam sententiam initio a nobis intorta. Ergo aquam immediate in sanguinem Christi converti contingit. Quod si aliquando id concedere necesse sit, frustra ad eam conversionem requirimus, ut prius in vinum fuerit transmutata.

Respondeo majorem et minorem dubiis vel falsis suppositionibus constare. In primis non est certum, vinum non convertere in se aquam, tametsi debile sit; quia aqua in vinum non solum actione vini, sed ipsius etiam aquæ absorptæ divisione convertitur, modo quantitas vini aquam notabiliter excedat. Unde in casu quo Sacerdos guttulam aquæ calici mox consecrando apponit, aqua ipsa momento liquescit, et fit vinum. Christus vero naturarum omnium perfectissimus comprehensor eam aquæ quantitatem calici a se consecrando et discipulis propinando apposuit, quam sciebat in vinum conversam iri, sive illa magna fuerit, sive parva. Quod si parvam miscendam esse cognovit, parvam utique infudit, quod licet homines in convivio communi et usuali non probarent, nihil absurdi in eo convivio, quod mysticum fuit, invenirent tamen. Minor etiam propositio falsum assumit, nimirum aquam vino admixtam, nondumque in vinum quibusdam in casibus fortassis conversam immediate in Christi sanguinem converti. Si enim ita esset, frustra Innocentius in rationem secundæ quam amplectitur sententiæ protulisset hæc verba: « Cum in vinum transeat mixta vino. » Frustra etiam ab Ecclesia præciperetur, ut modica, et, ut ait Florentinum, « modicissima » aqua vino misceretur. Si ita esset, aqua esset idonea hujus sacramenti materia, sub ejusque specie a vino separata sanguis Christi existeret. Si ita esset, mixtio aquæ esset de jure divino, cum ea solus Christus instituerit, quæ sunt in suam substantiam transsubstantiatione convertenda. Quare, si contigerit aquam non esse in vinum ipso consecrationis tempore conversam, vel propter nimiam ejus copiam infusam, vel propter vini non satis generosi debilitatem; vel propter aquæ resistentiam et tenacitatem, tunc per accidens et præter intentionem aqua in Christi sanguinem non convertitur, atque adeo ad illud sancti Patres docentes absolute aquam consecratione transmutari, non respexere. Nec obest, quod totum in calice consecratum proponatur populo adorandum. Non obest, inquam, quia adorantis populi intentio ad Christi sanguinem realiter in calice existentem dirigitur, sicut non adoratur pulvis, musca, vel quippiam simile casu vel incuria in calicem decisum. Et ratio est, quia adoratio fide dirigitur, unde id solum in calice adoratur, quod fides objectum esse adorationis docet. Nec ea aqua in sua natura permanente solvitur jejunium: tum quia ignoratur num aqua sit conversa, et ideo modica apponenda præcipitur, ne jejunium solvatur: tum quia tunc aqua per modum sacramenti et communionis ebibitur, unde non est similis ablutioni, quæ quia seorsim a sacris speciebus, neque ut conjuncta sacramento sumitur, jejunium solvere merito existimatur. Denique nulla propterea falsitas formæ contingit, quia particula *hic*, contentum sub speciebus vini designat; intentio enim sacerdotis consecrantis, Christi in cujus persona loquitur intentioni conformatur: Christus autem solum vinum consecrare voluit, cum ex Scripturis, Patribus et conciliis habeamus solum vinum vitigineum esse idoneam calicis consecrandi materiam.

Urgebis: Si unum vinum vitigineum sit apta consecrationis materia, aqua neque mediate, neque immediate in Christi sanguinem convertetur; aqua enim etsi in vinum quavis tandem ratione conversa, non est genimen vitis, utpote de vite non expressa: ergo nostra ratio nimis probat.

Respondeo vinum, quod est materia calicis, naturam vini vitiginei habere oportere, quamvis hujus causa efficiens non sit vitis. Vinum enim vitigineum opponitur vinis improprie dictis vini natura carentibus. Unde vinum miraculo productum, quale fuit vinum nuptiarum in Cana Galilææ, aptam esse hujus sacramenti materiam nemo nisi absurde negaverit. Addi potest aquam in vinum conversam esse quadantenus vinum vitigineum, quia a vino vigitineo conversa est; unde sicut vitis est causa efficiens vini convertentis, ita et remote vini conversi, quia quod est causa causæ est causa causati.

Quæres secundo, utrum una species possit sine altera consecrari in extremæ saltem necessitatis articulo, et accedente summi Pontificis dispensatione.

Respondeo valide quidem unam speciem sine altera consecrari, nunquam tamen licite, quantaquanta necessitas supponatur, quantave dispensatio accedat. Valide, in-

quam, una species sine altera consecratur ; quia statim ac verba consecrationis panis prolata sunt, continuo sub speciebus illius existit corpus Christi ; verba enim cum producant quod significant, statim atque corpus Christi præscriptis verbis significatur, sine mora adest. Unde et confestim hostia proponitur adoranda. Nunquam tamen unam sine alia speciem consecrare licet, quia non licet alio modo Eucharistiam consecrare, quam eam Christus consecrandam imperavit : præcepta namque divina transgredi nunquam et nusquam licet. At Christus utramque speciem indivisim consecrandam præcepit ; nam, ut ait Tridentinum sess. 22. cap. 1, « Christus corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper Ecclesia Catholica intellexit et credidit. » Et ratio est, quia Eucharistia jure divino sacramentum est per modum convivii spiritalis institutum ; nec sacramentum tantum, sed etiam sacrificium : nec potest hoc sacramentum perfici, nisi simul sacrificium offeratur ; sed ad rationem integri convivii potus peræque ac cibus desideratur. Sacrificium etiam Eucharistiæ una nequit specie immolari et perfici, quia sacrificium novæ legis est cruenti sacrificii crucis commemoratio, juxta illud ejusdem Tridentini cap. 2. dicentis : « In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit.... Una enim, eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. » Sicut ergo sacrificium Crucis non fuit sine sanguinis a corpore separati effusione, ita nec potest talis separatio sine consecratione calicis repræsentari ; utraque ergo species consecretur necesse est, ut sit sacrificii crucis jugis memoria, et sacrificium secundam ordinem Melchisedech, qui panem et vinum obtulit Altissimo, ut Genesis XIV. dicitur, perenniter offeratur. Igitur non potest ullo unquam casu, suffragante quavis dispensatione, panis solus sine vino consecrari, quia summus Ecclesiæ Antistes nec præcepta divina irritare, nec sacramenta truncare, nec sacrificii perennis institutum a Christo modum et ordinem immutare, atque invertere potest. Neque enim potestas illi divinitus data est, ut superioris sibi Christi leges solvat ; ab eisque observandis Fideles eximat ; sed eas ut custodiat, curetque ab aliis custodiri. Habet quidem Ecclesia Catholica, ejusque visibile caput Romanus Pontifex in Sacramentorum dispensatione ea statuere vel mutare potestatem, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaverit, ut Tridentinum sess. 21. cap. 2. docet : at « salva » tamen remanere debet « eorum substantia », ut inibi sacrum Concilium tradit. Patet autem ad substantiam convivii et sacrificii passionis Christi rememorativi utriusque speciei consecrationem pertinere.

Non dispensabit, inquies, summus Ecclesiæ Hierarcha, sed legem Christi interpretabitur, illamque certis in causis vel locis non obligare potestate sibi a Deo facta declarabit, concurrente præsertim altero divinæ legis mandato, ut alterutrum omitti necesse sit. V. g., contingere potest, ut nisi panis sine vino consecretur, aliqui populi vino laborantes vel semper, vel certe diu cœlesti et adeo necessario Eucharistiæ cibo priventur, vel quod aliqui repentino morbo oppressi sine viatico mortem obeant, si nullis reservatis speciebus Missæ celebratio expectanda sit. Quidni ergo extremis illis necessitatibus succurrendi gratia, habita Ecclesiæ Capitis licentia, solum panem cito consecrare, et multorum calamitatem sublevare, et recipiendæ Eucharistiæ divinum præceptum servare fas erit ? His de causis cum Norvegiis dispensasse Innocentium VIII. ut sine vino, quod statim in illis regionibus acescat, consecrarent, Volaterranus et Onuphrius testes sunt. Nec Christi solum intentioni, sed etiam facto et exemplo se Pontifex ille accommodavit : Salvator enim coram discipulis in Castellum Emaus proficiscentibus panem sine vino consecravit, ut innuit Augustinus lib. 3. *de consensu Evangelistarum*, cap. 25. et in ipso contextu satis indicatur ; nam accepto, fracto, et benedicto pane evanuit ab oculis eorum.

Respondeo, illegitimam futuram quamvis Christi legis de consecrando sub utraque specie sacramento dispensationem, quia divini natura et substantia sacrificii sine duplici specie consistere non valentis deperiret. Nec est ulla populorum vel alicujus morientis necessitas, cui non facile per dela-

tionem vini, vel hostias in Ecclesiis reservatas possit occurri. Omnis ergo vel obligatio vel utilitas præcepto de retinenda sacrificii integritate, quo nullum arctius est vel antiquius, concedat necesse est, et perfectio sacramenti et sacrificii reliquis omnibus est anteponenda; nec sumendæ Eucharistiæ præceptum prævalere unquam potest, quia non nisi habita sacramenti copia unquam urget, et pio hominum voto suppleri potest. Historia porro Volaterrani fabella est male materiata, et sua ipsa falsitate sponte evanescens, cum dicat facultatem fecisse Pontificem, ut sine vino Norvegii calicem consecrarent, quasi sine vino possit aliquando rerum calix consecrari ? Quasi vini materiæ vel aquam Aquariorum damnato more, vel cervisiam, vel pomaceum, aliumve liquorem sufficere Innocentius potuerit aut voluerit ? Quasi importatum aliunde in illas regiones vinum statim acescere non sit commentum ipsi experientiæ repugnans ? Certe nullibi exstat Pontificiæ illius dispensationis diploma; unde, si aliquod ullibi promulgatum est, alicujus male feriati falsarii adulteratione id contigisse fatendum est. Nec te moveat exemplum Christi : tum quia Christum calicem non consecrasse male ex Evangelistarum silentio colligitur ; non enim omnia quæ facta sunt recensere solent : tum quia si a calice consecrando Christus abstinuit, id potestate excellentiæ sibi tanquam sacramentorum auctori eximia, nec Ecclesiæ concessa præstare potuit. Unde Ecclesia hujus Christi præcepti adeo fuit semper solicita, adeo tenax, ut voluerit in casu quo sacerdos aquam pro vino soluto jejunio consumpserit, consecrationem calicis ex integro repeti, et sacrificium ab aliquo inchoatum, et quavis tandem ratione non completum, ab alio etiam non jejunio perfici, non obstante de sumenda a jejunis Eucharistia mandato.

Dices : Ecclesia laicis usum calicis justis de causis non indulgens, a Christi præcepto verbis illis, *bibite ex eo omnes*, expresso eximit ; quidni similiter gravibus de causis poterit a consecrando vino dispensare ?

Respondeo falsum esse omnibus omnino Christianis communionem calicis Christum verbis illis imperasse, quibus solis eam sacerdotibus consecrantibus præcepit. Illis enim duntaxat dixit, *Bibite ex eo omnes*, quibus etiam, *Hoc facite in meam commemorationem*, continuo præcepit, quibus verbis verbis Apostolos sacerdotes instituit, et ipsis eorumque in sacerdotio successoribus, ut corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo offerrent mandavit, ut ex perpetua Ecclesiæ traditione sacrum concilium Trid. docet. Unde laicos una tantum specie refectos a Christi lege Ecclesia non eximit, quibus utriusque speciei usus non est a Christo imperatus. Sacerdotibus vero consecrantibus nunquam indulsit, nec indulgere Ecclesia potuit, ut altera tantum specie reficerentur, quia in quolibet sacrificio, et utraque species consecrari, et utraque consumi debet. Unde in die Parasceves, in quo utraque species nec offertur, nec sumitur, nullum sacrificium celebratur.

Urgebis : Una species potest sine alia sumi, et licite sumitur : quidni sola poterit, ut in necessitate sumatur, consecrari, cum non conficiatur consecreturque cibus cœlestis, nisi ut sumatur ?

Respondeo quod, cum Eucharistiæ sacramentum non consistat in usu, ejus integritas, ejusque perfectio essentialis non ex fidelium sumentium usu, sed ex totius materiæ consecratione pensanda est. Adde Eucharistiam non ideo solum confici ut sit animorum cibus, sed ut sit etiam juge Christianæ Religionis sacrificium, quod sine utraque specie non subsistit.

Quæres tertio, utrum ad materiam hujus sacramenti determinata panis et vini præsentia, determinata etiam quantitas desiderentur.

Respondeo ad primum, materiam consecrandam præsentem esse oportere sacerdoti consecranti ; præsentem, inquam, cum physice, tum moraliter. Id enim colligitur tum ex facto Christi Domini, qui panem et vinum sibi præsentia et in mensa apposita consecravit : tum ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ nec Eucharistiam, nec ullam aliam rem sacris usibus destinatam ; nisi præsentem benedicit aut consecrat : tum ex ipsa formæ consecrationis significatione, quæ pronomine demonstrativo *Hoc*, vel *Hic* materiam consecrandam coram sacerdote, ac proinde physice et moraliter, id est secundum prudentum hominum existimationem præsentem esse indigitat.

Quid autem requiratur ad illam præsentiam, non potest, nec debet mathematicæ determinari, sed fat est ut usu, more, et consuetudine hominum atque prudentum

judicio materia in ea distantia sit, ut pronominis prolatione demonstrari rationabiliter queat. Unde absurdum est credere posse sacerdotem omnes fori venales panes, omnia in cella vinaria reclusa vina consecrare, sicut et hostias a tergo positas, vel trans parietem collocatas, quamtumvis in speculo relucentes; quia secundum moralem hominum æstimationem (cujus in administratione Sacramentorum humano modo peragendorum ratio magna habenda est) materia sic posita præsens in ordine ad exercendam, demonstrandamque aliquam operationem minime censetur. Sicut e contra hostia sub aliis in acervo latitans, vel subtus corporali, vel in pyxide clausa contenta, vel vinum in calice cooperto existens præsentia moraliter censentur ; quia quæ interjacent corpora per modum continentis aut velaminis se habentia moralem subjectarum rerum præsentiam minime impediunt. Ex quibus sine negotio Majoris oppositum sentientis argumentis occurres. Ex quibus etiam sacerdotum eorum scrupulos evelles, qui verba consecrationis dum proferunt, os et labia ita materiæ admovent, ut inspirato halitu eam fœdent. Qui sane mos et inanis est, et juxta indecorus. Neque enim oris inconcinnam compositionem, sed modestam capitis inclinationem, et sacrorum verborum secretam, distinctam, reverentemque prolationem rubricæ præscribunt.

Respondeo ad secundum, materiam hujus sacramenti non esse determinatæ quantitatis : unde panis et vinum possunt in quantalibet quantitate valide, tametsi non licite consecrari. Est contra aliquos antiquos theologos, nominatim contra Alensem 4. part. quæst. 34. art. 3. existimantem non esse divinitus datam eam verbis consecrationis virtutem, quæ panem et vinum in quacumque quantitate convertat, sed in ea duntaxat quantitate, quam ordinata consecrantis intentio determinet. Porro illam ordinatam intentionem esse ait, quæ est Ecclesiæ intentioni consentanea : Ecclesia vero eum solum panem consecrari vult, qui fidelium usibus rationabiliter et moraliter deserviat, cum Dominus eo se fine consecrasse satis his verbis indicet : *Accipite, et comedite.* Unde cum indefinita materia non sit Fidelium usui accommodata, non potest etiam valide consecrari.

Verum hæc sententia confutatur, et una responsio nostra suadetur. Licet quantitas materiæ hujus sacramenti per comparationem ad usum fidelium determinetur, quia cujusvis materiæ determinatio ex fine propter quem assumitur petenda est : attamen non potest materiæ quantitas per comparationem ad usum fidelium tunc occurrentium determinari, « alioquin, » inquit bene S. Thomas quæst. 74. art. 2, « Sacerdos paucos parochianos habens non posset multas consecrare hostias. » Quod praxi et moribus Ecclesiæ adversatur. Ergo materia hujus sacramenti non nisi per comparationem ad usum fidelium absolute determinari potest. Atqui numerus fidelium non est determinatus. Ergo materiæ hujus sacramenti præfixa non est certa quantitatis mensura.

Sacerdos ergo qui quantitatem nimiam consecraret, id est in longe majori copia, quam fidelium qui communiter occurrunt, vel occurrere possunt aut solent, usus postulat, valide quidem sacramentum perageret, at illicite et sacrilege tamen ; utpote qui concredita sibi potestate abutens, tremendum et venerabile sacramentum vel contemptui et derisioni, vel certe corruptioni specierum sine causa exponeret.

Sicut autem quantitas materiæ non debet esse tam magna, ut numerum fidelium communiter occurrentium propemodum et moraliter excedat ; ita non debet esse tam parva, ut non sit sensu aliquo perceptibilis, quia nisi percipi possit, demonstrari nequaquam potest. Unde consecratio materiæ imperceptibilis est invalida; consecratio autem materiæ, quæ licet percipi possit, porrigi tamen commode secundum Ecclesiæ morem non potest, illicita est; tum quia praxi Ecclesiæ adversa, tum quia tam exigua materia in contemptum et venerabilis Sacramenti derisionem vergeret. Dixi materiam debere esse aliquo sensu perceptibilem, quia non est necesse ut actu videatur : tum quia hostiæ in acervo latitantes non videntur : tum quia quod est perceptibile, tametsi actu non videatur, pronomine demonstrativo indigitari potest : tum quia sacerdos cæcus valide consecrare potest. Narrat enim Dominicus Soto in 4. dist. 9. in concilio Tridentino quemdam fuisse Episcopum cæcum, qui ex summi Pontificis dispensatione celebrabat.

Præter præsentis materiæ determinationem exigitur etiam sacerdotis designatio, qua hanc potius quam illam materiam practice usurpet. Unde sacerdos coram se sex

panes positos habens, ex quibus quinque velit consecrare, quos tamen non designaverit, nullum prorsus consecraturus est, quia non est potior ratio cur unum potius quam alium inconsecratum relinquat, et particula demonstrativa *Hoc*, vel *Hic*, in panes a sacerdote designatos cadat necesse est : ubi ergo nulla designatio, nulla consecratio. Unde consultius erit, sacerdotem eos panes velle consecrare, qui sibi moraliter præsentes sunt, et in Altare ad consecrandum asportati sunt, et omne vinum in calicem infusum. Ad quod intentio formalis et virtualis, modo dum de sacramentis in communi satis exposito, sufficit. Nec sunt curandæ, sed floccifaciendæ scrupulosorum næniæ, nec tam religio quam superstitio ; habenda solum accurata, diligensque cautela.

REFLEXIO.

Multa sane sunt quæ aperte, nitideque demonstrant, panis et vini symbola aptissima esse ad eas res declarandas, adumbrandasque, quarum sunt sacramenta : eis namque convenientissime erudimur, Christum Dominum hæc sacramenta pure sumentibus æternæ vitæ alimenta præbere, mentem quoque pretiosi corporis et sanguinis communione refici, et, ut loquitur S. Thomas, « impinguari ». Monemur etiam, ut eam cogitationem suscipiamus, esse in hoc sacramento corporis et sanguinis Domini realis præsentiæ veritatem. Cum enim panem et vinum in humanam carnem et sanguinem nativi virtute caloris quotidie immutari experiamur, quis adeo mentis inops et fidei Christianæ rudis est, ut dubitare possit panis, vinique substantiam in veram Christi carnem, verumque sanguinem divina posse virtute converti ?

Hæc, fateor, mira, et juxta vera sunt ; sed unum est, quod nisi meus me fallit animus, quoslibet cito rapere possit attentos. Christus eam delegit materiam, quæ nunquam non præsto est, atque omnibus et ubique facile parari potest ; ut omnes, et singuli, et ubique, et semper Salvatoris beatissimam copiam habentes, suavissime illius caritatem experirentur, qui naturam, quam a nobis sumpserat, a nobis nunquam subtrahere voluit, nobiscum usque ad consummationem sæculi permansurus. Mirentur qui voluerint, et jure mirentur hujus sacramenti miracula in eo certatim mysterio micantia, quod fecit Deus memoriam mirabilium suorum : mirentur transsubstantiationem, accidentium nullo subjecto nisorum existentiam, et alia sine fine prodigia. Ego Christi suavissimam facilitatem magis magisque demiror, qua esse, versarique nobiscum et semper voluit, et ubique ; ideoque ea elementa elegit ; quæ et facile invenire esset, quibus et in nos intime transfundi posset, ut omni tempore, omnique loco illud vere dictum verissime impleret : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.*

Et quod auget admirationem, non solum justis et sanctis, sed et criminosissimis hominibus sui copiam facit. Miratur Tertullianus lib. *de Patient.* cap. 3. Christi Domini patientissimam benignitatem, non tantum quod tempore passionis calumniis petitus, sputis inhonestatus, verberibus laniatus, felle potatus, clavis confixus, spinis coronatus sit, sed quod proditorem etiam suum secum æquo animo tulerit. « Despuitur, » inquit, « verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur : parum hoc si non etiam proditorem suum secum haberet. » At in Eucharistia proditores nedum secum patitur suos, sed eorum etiam pectus inferno horribilius ingreditur. Non est magni beneficium dare et perdere aiebat Seneca lib. 7. *de Beneficiis ;* hoc est magni animi beneficium perdere et dare. Id est magnanimi est beneficia iis etiam prodigere, qui prævidentur ingrati. Quale ergo est Christi magnificentiæ prodigium, vel si dicere fas est, prodigalitas stupenda, qua corpus suum et proditori ea ipsa in qua tradebatur nocte, et infinitis beneficio suo abusuris paravit ?

Hoc immensum divinæ largitatis prodigium jure suscipit Angelicus Doctor opusculo 57 : « Neque enim, » inquit, « est aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. » Etenim non solum in nostræ assumptione naturæ in terris Deus visus est, et cum hominibus conversatus est ; sed insuper « quod de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem : corpus suum in cibum, et sanguinem suum in potum sub specie panis et vini fidelibus dereliquit. » Non fuit satis divino amori omnes et sapientiæ et scientiæ Dei thesauros, ipsam quoque totius divinitatis plenitudinem humano generi vere, et, ut scripsit Apostolus, *corpo-*

valiter impertiri, ut hominibus in altissimo dignitatis fastigio collocatis jam gloriari liceat, Filium Dei os nostrum et carnem nostram esse : quod utique beatissimis Angelorum spiritibus non licet ; nusquam enim, ut ab Apostolo veridice scriptum est, Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Non fuit satis nimiæ Christi caritati vitam humanam a nobis sumptam pro nobis ultro offerre, et totum sanguinem pro omnibus fundere, ac nostro tantum nomine mortem, quam defugere poterat, libenter occumbere; quamvis hoc beneficii genus tale ac tantum sit, ut omnem non solum referendæ, sed etiam habendæ gratiæ facultatem vel gratissimo cuique eripiat. Sed hæc redemptioni sufficiebant, amori non sufficiebant. Humanitatem quam pro omnibus sibi univit, omnibus uniri voluit, ut tam communis esset Christus ac panis, tam intimus ac cibus.

Quam merito Eucharistia « Incarnationis extensio » a Sanctis nominatur ! Etenim qui semel pro nobis in utero Virginis incarnatus est, quotidie ubique terrarum in omnibus quotquot voluerint quadantenus incarnatur, dum caro ejus vere cibus, sanguis ejus vere potus noster efficitur. Angustatum quodammodo, et veluti coarctatum erat divini amoris opus, quando in Incarnationis operæ pretio una duntaxat Redemptoris humanitas ad Divinitatis apicem provecta est. At magnifico Eucharistiæ instituto beneficium uni collatum in omnes et singulos protenditur, diffunditur, dilatatur. Decebat plane Christum Dominum, Deum se esse hac largitate probare. Nemo bonus nisi solus Deus, bonorum omnium summum et summa. At bonum est sui diffusivum, nec ullis patitur se limitibus præfiniri. « Magna et vera bona, » aiebat Philosophus Moralis epist. 73, « non sic dividuntur, ut exiguum in singulos cadat, ad unumquemque tota perveniunt. » Hinc Christus non solum in unoquoque Altari totus, sed in utraque specie, et in quavis utriusque speciei particula totus voluit contineri, ut omnibus sui copiam faceret, nec esset qui se absconderet a calore ejus.

Sed, si Deus dignatione dives, dignitatis nescius, sui adeo prodigus effectus est, si nullum repellit, si omnes allicit, et sub qua latet panis vinique specie inescat ; cur, quæso, tam difficilem, tam morosum, tam te præbes avarum, ut et Christo amorem, et pauperibus Christi bonorum tuorum deneges communionem? Itane charitati tantæ tepiditas tanta, largitati tali talis avaritia tua respondet? Christus sub communissimis speciebus omnes laborantes ad se vocat reficiendos a se, omnes expectans expectat, omnes digne accessuros mammilla regum gratiarum omnium rore plenissima lactaturus invitat : cur ad eum ergo tam raro, tam invitus, tam incomposite accedis, ut nisi præceptis Ecclesiasticis adigerere, ipsum vix invisere dignareris, qui a sexcentis supra mille annis sinum suum aperit totum tibi, et ædificatam ab amore suo solitudinem patientissima longanimitate custodit?

An nescis Eucharistiam totius esse Christianæ Religionis centrum suavissimum, in quod omnes confluant Christiani, veluti in oceanum rivi, nec secus ac in punctum medium ambientes lineæ, necesse est? An ignoras te pani illi vivo indivulse adhærere oportere, qui caput nostrum est, a quo præcisus non vitis, sed sarmentum ; non operi agricolarum, sed igni destinaris flammarum? Euge tandem illi cor tuum dare ne detrectes, qui corpus et sanguinem suum vi verborum, animam et divinitatem, totum denique quidquid habet ex concomitantia liberalissime largitur. Ne illi per aliquot horas fusis de corde puro precibus convivere fastidi, quem tot sæculorum curricula, tot sacrilegorum flagitia non fatigant. Quam justum, ut pro illo vivas qui pro te semel physice mortuus, mystice quotidie mori non cessat ! Absit ut ad eum venire trepides, apud quem nullus advena, nullus extraneus, nullus habetur ignotus ; cui est cura de omnibus, fecitque cœnam magnam omnibus patentem, mittens servos suos animarum rectores, qui dicant invitatis parata esse omnia. Ergo modo vestem nuptialem, innocentiam ad altare apportes, « securus accede, panis est, non venenum, » inquit August. tract. 26. *in Joan.* Avertere itaque, ut alibi monet idem Pater, ut convertaris ; funde, ut implearis; disce non diligere, ut discas diligere. Avertere a peccato et commutabili bono, ut ad Deum bonum incommutabile convertaris : funde a corde tuo vitia, ut gratia et virtutibus impleare : disce non diligere creaturas, ut discas diligere Creatorem.

SPECULATIO II.

Legitima et essentialis sacramenti Eucharistiæ forma his verbis continetur : Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus ; *vel quod idem est,* Hic est calix sanguinis mei.

Circa formam Eucharistiæ varii prodierunt hæreticorum errores, et Catholicorum sententiæ. In primis si credamus Guidoni Carmelitæ cap. 9. *de Hæresibus Waldensium*, Waldenses rejecta Ecclesiæ forma posuerunt, vel potius somniarunt orationem Dominicam septies repetitam legitimam esse hujus sacramenti formam. Verum quia nihil tale de illis Æneas Sylvius, qui postea fuit Pius II. summus Pontifex, hæreseos illius diligentissimus inquisitor observavit, nec illis hanc hæresim asserunt Petrus de Luxenburgo, vel Alphonsus a Castro, ideo de hac eorum hæresi merito dubitant theologi gravissimi.

Secundo Græci recentiores, ut refert Cardinalis Bessarion lib. *de Sacramento Eucharistiæ*, censent Eucharistiam confici precibus sacerdotum, quæ suis in Liturgiis hoc modo habentur : « Rogamus Pater, ut mittas Spiritum tuum super nos, et super hæc apposita munera, et fac panem istum pretiosum corpus Filii tui, et quod est in calice pretiosum sanguinem Filii tui. » Hujus sententiæ præcipui defensores fuerunt Nicolaus Cabasilas in expositione Liturgiæ, cap. 17, Marcus Ephesinus in speciali opusculo de forma Eucharistiæ, et Simeon Thessalonicensis in Liturgia, qui omnes licet doceant debere verba Christi proferri, illis tamen opposita elementa non consecrari, nisi Sacerdotis oratione applicentur, asserunt. De hac Græcorum cum Latinis discordia in concilio Florentino sess. 25. agitur.

Tertio Lutherani et Calvinistæ multifariam in hac sicut in aliis fere omnibus rebus lapsi sunt. Etenim Lutherus libro *de abroganda Missa privata*, et in libro *contra regem Angliæ*, et in formula Missæ pro Ecclesia Wittembergensi, postquam Catholicam irrisit Ecclesiam, quod verba consecrationis a sacerdotibus in intimo sacrarum rerum secreto agentibus proferri jubeat ; quia, inquit, verbis illis in toto orbe nihil oportuit esse notius atque vulgatius ; declarans postea quæ sit Eucharistiæ forma, ait hæc verba : *Qui pridie quam pateretur*, etc. esse etiam consecratoria. Kemnitius vero in examine capitis primi, et canonis primi de Eucharistia, vult ad formæ integritatem totam Christi institutionem recitari oportere. Calvinus autem lib. 4. *Institut.* cap. 17. sugillans Ecclesiam Catholicam quasi adhibentem verba velut magi sua carmina, quæ demurmurasse satis sit, quasi ab elementis exaudiantur, addit verba consecrationis esse vivam prædicationem, quæ auditores ædificet. Ejus hæresiarchæ impietatem, et in Ecclesiam Catholicam odium æmulatur et vincit Ostinianus l. 1. et 2. *Hist. sac.*, c.1, ubi ait benedicere, consecrare, seu sanctificare panem et vinum, non esse incantare, et occulta quadam vi verborum panem et vinum transelementare vel transsubstantiare ; sed esse ea divinis sacrisque usibus destinare, nimirum ut quæ communia erant corporum alendorum adminicula, fiant efficacia deinceps symbola carnis et sanguinis Christi. In Ecclesiam deinde Romanam ore petulco blasphemans, ait eam hac in re, quemadmodum in aliis ethnicos egregie imitari, quin et magos, eorumque artem æmilari, dum verba consecrationis tam sollicite occultat, et a vulgi oribus removet. Scarpius vero controversia 2. *de sacra Cœna*, quæst. 4. preces et totam institutionem ac consecrationem pertinere ait, quem sequitur Chamierus lib. 6. cap. 5, addit tamen consecrationem distingui a forma, ut totum a parte : consecrationem vult esse in tota Christi institutione, ne exclusis quidem Ecclesiæ precibus, quibus a Deo postulat fieri quod Christi institutione continetur : formam vero non diffitetur illis verbis contineri, *Hoc est corpus meum ; Hic est sanguis meus.* Deinde vero iræ, acerbitatisque suæ virus adversus Ecclesiam genio hæretico et infrunito, atque ore mendaci evomens subjungit, se cum suis improbare magicam illam vim, quam Papistæ verbis ipsis tribuunt, quasi iis indita quædam potentia mysterium peragat, et aliter operetur quam per significationem in animis humanis. Hæc hæretici : quid Catholici, ex sequentibus clarebit.

Probatur ergo speculatio tum ex perenni Ecclesiæ Catholicæ praxi formam illam usurpante, eamque ab Evangelistarum et Pauli I. Cor. x. textibus, atque Apostolorum traditione derivante. Tum ratione : Illa est legitima sacramenti forma, qua illud significatur quod in sacramento efficitur ; ad hoc enim instituta sunt verba in Sacramentis usurpari solita ; maxime quia cum verba id

efficiant quod significant, procul dubio illa sunt verba idonea, quæ quod efficitur significant. Atqui verba præfata declarant et significant id quod in hoc sacramento fit, nempe conversionem panis in verum Domini nostri corpus, et vini in sanguinem ejus. Ergo prædictis verbis idonea sacramenti Eucharistiæ forma continetur.

Objicies 1° : Christus Eucharistiam sine verbis confecit, licet confectam verbis postea declararit. Etenim Christus panem consecravit antequam diceret, *Hoc est corpus meum :* panem quippe tum consecravit, cum eum benedixit : prius vero benedixit, quam verba illa protulerit ; testante enim Evangelio, *Accepit Jesus panem, benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens : Accipite, et manducate, Hoc est corpus meum.* Ex verbis etiam Marci cap. XIV. apparet Apostolos jam bibisse, quando Christus dixit, *Hic est sanguis meus.* Discipulis etiam in Castello Emaüs Eucharistiam sine verbis ullis consecratam porrexit, dicente Luca cap. ultimo : *Accepit panem et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis.* Denique Augustinus *in Psalm.* x. ait Eucharistiam manibus Christi confectam ejus ore fuisse commendatam. Ergo verba illa a nobis relata non sunt necessaria Eucharistiæ consecrandæ forma, sed sufficienter precibus et benedictionibus Ecclesiæ Eucharistia conficitur.

Respondeo existimasse olim Innocentium lib. 4. *de mysteriis Missæ*, cap. 6. Christum ratione potestatis excellentiæ absque omni verborum forma consecrasse, verba tamen postmodum protulisse, quibus in Ecclesia futuris temporibus Eucharistia consecraretur. Alii Christum verbis quidem et oratione consecrasse aiunt, sed vel nobis ignotis, vel si iis quibus utimur, bis illa protulisse, clam ut consecraret, palam ut instrueret. Verum hæ sententiæ non sunt veritati consentaneæ. Tum quia Evangelistæ et Paulus referunt Christum verba illa adhibuisse, et addidisse, *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo cum Sacerdotes consecrantes faciant quod ipse Christus fecit, verba eadem quæ sacerdotes usurpant, Christus adhibuit. Tum quia concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. docet Christum tunc hoc sacramentum instituisse, quando disertis verbis se corpus et sanguinem illis præbere suum testatus est. Illud autem quo Christus hoc sacramentum instituit et confecit, rationem formæ habeat necesse est. Tum quia id ipsum docent perspicue Patres. Tertullianus lib. 4. *contra Marcionem*, cap. 40 : « Acceptum panem et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo. » Auctor sermonis *de cœna Domini* apud Cyprianum : « Ex quo a Domino dictum est, » inquit, « *Hæc est caro mea, Hic est sanguis meus ;* quotiescumque his verbis et hac fide actum est, panis iste supersubstantialis, et calix solemni benedictione sacratus ad totius hominis vitam salutemque proficit. » Chrysostomus etiam hom. 2. *in secundam ad Timothæum*, et hom. 60. *ad populum Antiochenum*, idem docet, sicut et Ambrosius supra dum de veritate corporis Christi in Eucharistia memoratus, postea etiam memorandus. Denique omissis aliis, Damascenus lib. 4. *de Fide*, cap. 15, sic habet : « Sicut Deus dicendo, *Fiat lux*, fecit lucem : ita dicendo, *Hoc est corpus meum*, et *Hic est sanguis meus*, perfecit hoc sacramentum. »

Ad rationes in contrarium respondere non est difficile. Ad primam quidem dicendo, vel benedictionem ibi per verbum *benedixit* expressam, non esse consecrationem, sed bonam super panem precationem, et divinæ potentiæ ac munificentiæ super illam invocationem, qua Christus elevatis in cœlum oculis, ut habetur in sacro Missæ canone, elementorum mox futuram consecrationem et transmutationem postulabat. Favet Tridentinum loco ante relato dicens : « Post panis vinique benedictionem se suum corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est. » Contendunt tamen alii benedictionem illam fuisse ipsam consecrationem, propter illud Apostoli I. Cor. x : *Calix benedictionis cui benedicimus* (id est ut exponit S. Thomas lect. 4. « quem nos Sacerdotes consecramus ») *nonne communicatione sanguinis Christi est ?* Favet Ambrosius lib. *de iis qui initiantur*, cap. 9 : « Hic est panis, » inquit, « quem benedictio consecravit : major est vis benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam ipsa natura mutatur. » Favet etiam auctor sermonis *de cœna Domini*, verbis paulo ante prolatis. Nec obest contextus Evangelistarum, qui, ut docet Augustinus lib. *de consensu Evangelistarum*, cap. 39. et 44, non semper eumdem ordinem in recitando servaverunt, quo res gestæ sunt. Unde sensus eorum est : Accepit Jesus panem, et gratias agens benedixit dicens, *Hoc est corpus meum.* Seu, ut ait D. Thomas art. 1. ad

1., dum Jesus benediceret, frangeret, et daret discipulis suis, hæc verba dixit : *Accipite et manducate, Hoc est corpus meum.* Et ita interpretandum venit Tridentinum. Testatus est Christus corpus suum dare post benedictionem seu consecrationem. Sicut, si diceremus : Post baptismum homo accipit characterem et fidem, id est, non nisi per baptismum, et non ante homo charactere insignitur. Ad factum Christi Lucæ ultimo memoratum, supposito quod Christus tunc Eucharistiam confecerit (quod non pauci inficiantur) dicendum verba consecrationis Christum protulisse, nec esse necesse hanc circumstantiam fuisse a S. Luca descriptam. Vel si aliter tunc Christus potestate excellentiæ se gessit, nihil tamen inde contra nos, qui contendimus in ipsa Eucharistiæ institione Christum verbis præfatis Eucharistiam consecrasse. Ad locum Augustini respondeo Eucharistiam dici manibus Christi, id est potestate ejus confectam, et ore commendatam ; non quod fuerit sine verbis illis consecrata, sed quia verbis consecrandi vim sua potestate impressit.

Instabis : Sancti Patres asserunt oratione Sacerdotis consecrari Eucharistiam . Ita enim docet Justinus Martyr apologia 2, et Irenæus lib. 4. cap. 34, ubi ait, « invocatione Spiritus sancti confici corpus Christi ». Et Origenes lib. 8. *contra Celsum*, ubi docet, « prece fieri ex pane corpus Christi. » Et Optatus lib. 6. *contra Parmenianum*, abi ait quod ad conficiendam Eucharistiam « postulatus descendit Spiritus sanctus » Et Cyrillus Jerosolymitanus cathechesi 1. et 5, docens, « invocari sanctam Trinitatem, et peracta invocatione ex pane fieri corpus Christi. » Et S. Ephrem lib. *de natura Dei curiosius non scrutanda*, ubi tradit, « benedictione fieri consecrationem. » Et Theophilus Alexandrinus serm. 1. Paschali, ubi inquit, « panem et calicem per invocationem et adventum Spiritus sancti consecrari. » Et Gregorius Nyssenus orat. catechetica, cap. 37. ait panem « sanctificari per verbum Dei et orationem ». Et Basilius lib. *de Spiritu sancto*, cap. 37. dicens : « Invocationis verba cum conficitur panis Eucharisticus et poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? » Et Hieronymus epist. 85. *ad Evagrium*, ubi inquit : « Ad quorum » (Sacerdotum) « preces Christi corpus sanguisque conficitur. » Et Augustinus lib. 3. *de Trinit.* cap. 4. ait Eucharistiam esse id, « quod prece mystica consecratum sumimus ad salutem. Et lib. 1. *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 10. ait, « Deum exaudire homicidam deprecantem super Eucharistiam ». Et epist. 59. *ad Paulinum*, in solutione 5. quæstionis, orationes appellat ipsam benedictionem et consecrationem Eucharistiæ. Et Magnus Gregorius lib. 7. epist. 59. dicit morem Apostolorum fuisse, « ad ipsum solummodo orationem Dominicam oblationis hostiam consecrare. » Denique in Liturgiis Græcis post recitata Christi verba rogat sacerdos, ut Deus subjectum panem faciat corpus, et quod est in calice sanguinem Christi. Ergo non in a nobis relatis verbis, sed in Ecclesiæ precibus a sacerdote fusis tota consecrandæ Eucharistiæ forma sita est.

Respondeo in precibus sacerdotum non posse Eucharistiæ formam constitui. Tum quia positio corporis et sanguinis Christi, et mirabilis panis et vini transelementatio, et transsubstantiatio cum sit quid divinum et miraculorum miraculum, sola Dei potestate, et per ea quibus nihil fit efficacius evenit : talia autem sunt Christi Domini verba, quibus dicit et res fiunt, mandat et creantur, non autem hominum preces. Tum quia humanæ preces tunc fiunt efficaces, cum ab hominibus Deo gratis et bene meritis funduntur ; ut enim dicebat cæcus natus : *Scimus quia Deus peccatores non exaudit.* Eucharistia vero non petentium meritis fit, sed ab indignis sacerdotibus peræque peragitur, quia nimirum quod significant efficiunt. Tum quia consecratio corporis Domini non pendet a re dubia, sed infallibiliter fit : penderet autem a re dubia, si solis hominum precibus conficeretur ; dubium enim remanet, num preces ab hominibus fusæ suum sint effectum sortituræ, et infallibiliter impetraturæ. Nec est simile de forma Extremæ-Unctionis, quæ deprecatoria est ; quia tunc non tam sacerdotis quam Ecclesiæ oratio est, quibus in hoc singulari Sacramento efficaciam Christus spopondit. Tum quia verborum, quibus hæc ineffabilia mysteria peraguntur, nulla diversitas, nulla debet esse mutatio, cum immutabilis sit tanti sacramenti forma. At sola verba Christi eadem sunt, preces varie a variis proferuntur : unde verba illa et Evangelistæ, et Paulus ritum hujus conficiendi sacramenti a Domino acceptum recitans, et Patres omnes in suis Liturgiis unanimi consensione referunt.

Tum quia in sui memoriam, et quemadmodum ipse fecit, hoc sacramentum facere sacerdotes Salvator imperavit : expressior autem fit Christi memoria, expressior est ejusdem imitatio, dum ipsius verba proferuntur. Ergo non in precibus quibusvis, sed sacris Christi verbis Eucharistiam confici certissime tenendum, et sine ulla dubitatione credendum est. Tum demum, quia utriusque Ecclesiæ ritus id demonstrant. Græci enim verba hæc, *Hoc est corpus meum*, recitant, et populus respondet, *Amen*, quasi dicat, vere ita est ut tu dicis, et confestim diaconus sacerdoti ministrans panem et calicem ostendit, significans utique panem illum esse corpus Christi, et quod in calice est, sanguinem ejus quemadmodum verbis illis assertum est. Et tamen nondum sunt preces illæ fusæ, quibus unis Græci recentiores Eucharistiam confici asserunt. Id ex ritu Ecclesiæ Romanæ et Latinæ manifestius est; nam post prolata Christi verba, hostia adoranda proponitur ; non autem proponeretur, nisi foret consecrata. Et certe falsa essent illa verba, *Hoc est corpus meum*, nisi vi illorum corpus Christi consecraretur.

Nec Patres adversantur, sed prorsus favent. Luculentissima sunt Ambrosii verba lib. 4, *de Sacr.* cap. 4. ubi ait : « Tu forte dicis : Meus panis est usitatus. Sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum : ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus, quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi ? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, et cujus sermonibus ? Domini Jesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laudem Deo offerunt. Oratio præmittitur pro populo, pro Regibus. Ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. » Et cap. 5 : « Ubi verba Christi accesserint, corpus est Christi.... Ante verba Christi calix est vino et aqua plenus ; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. » Et lib. *de iis qui initiantur*, cap. ult. : « Ipse clamat Dominus Jesus : *Hoc est corpus meum* ; ante benedictionem verborum cœlestium species nominatur ; post autem consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum, ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, *Amen* : hoc est, Verum est. »

Favet etiam Augustinus lib. 20. *contra Faustum*, cap 13 : « Noster panis, et calix non quilibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. » Certa autem consecratio, non preces Ecclesiæ quæ variari possunt, sed determinata a Christo Domino verba sunt. Favet quoque Chrysostomus homil. *de proditione Judæ* : « Non enim homo est, » inquit, « qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit et sanguinem ; sed ille qui pro nobis crucifixus est Christus. Sacerdotis ore verba promuntur, et Dei virtute consecrantur et gratia. *Hoc est*, ait, *corpus meum*. Hoc verbo proposita consecrantur. Et, sicut illa vox, quæ dicit, *Crescite et multiplicamini et replete terram*, semel quidem dicta est, sed semper sentit effectum ad generationem operante natura : ita et vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, et usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem. » Et hom. 2. *in II. ad Timothæum* : « Volo quiddam adjicere plane mirabile, et nolite mirari, neque turbemini. Sacra ipsa oblatio, sive illam quilibet sacerdos, sive ipsam Paulus, sive Petrus offerat, eadem est quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modo quoque conficiunt. Nihil habet ista quam illa minus. Cur id ? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus qui illam ante sacraverat. Quemadmodum enim verba quæ loquutus est Christus, eadem sunt, quæ sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita et oblatio eadem est. » Favet pariter Gregorius Nyssenus orat. catechet. c. 37, ubi docet quod « panis statim per verbum in corpus transmutetur, sicut dictum est a verbo : *Hoc est corpus meum.* » Et paulo post : « Mox ad carnem transmutatur, quoniam ipse dixit : *Hoc est corpus meum.* »

Idem docet Tertullianus, auctor sermonis *de cœna Domini* et Damascenus superius producti. Quibus adde Justinum Martyrem apologia 2, ubi docet Eucharistiam perfici precibus Christi et gratiarum actione sitis in illis verbis : *Hoc corpus meum.* Adde etiam Irenæum lib. 4. cap. 32. eodem modo explicantem preces quibus perficitur hoc sacramentum. Adde etiam Eusebium Emissenum hom. *in Ramis Palmarum* : « Qui dixit tunc per se, inquit, modo dicit per suos ministros, *Hoc est corpus meum*, et tanta est ejus verbi virtus et efficacia, ut statim fiat quod dicitur. » Adde et Paschasium lib. *de*

corpore Domini, cap. 5. dicentem : « Hoc sacramentum non meritis, non verbis humanis, sed procul dubio divinis efficitur et consecratur mandatis.... Sed verbo Creatoris, *Hoc est corpus meum*. In hoc verbo creatur illud corpus, quia divinum verbum est, et omnipotentia plenum. » Adde quoque Remigium Altissiodorensem *de celebratione Missæ* : « Christi ergo virtute, » inquit, « et verbis iste panis et calix ab initio est consecratus, et semper consecratur, et consecrabitur. Ipse enim loquens per sacerdotes verba sua cœlesti benedictione sanctum corpus et sanguinem suum perficit. » Adjice quoque Stephanum Eduensem *de sacramento Altaris*, cap. 14. aientem : « Credimus et quod cum benedixit, corpus suum fecit ; et in his verbis, *Hoc est corpus meum*, *Hic est calix sanguinis mei*, data est virtus sacramenti : *dixit enim, et facta sunt.* » Et cap. 15 : « Fides nostra est, et vere credendum est, quod Sacerdote proferente hæc verba, *Hoc est corpus meum*, jam non est panis terrenus, sed ille panis qui de cœlo descendit. Item virtute verborum istorum, *Hic est calix sanguinis mei*, vinum convertitur in sanguinem meum. » Adde et Odonem Cameracensem in expositione Canonis : « Tolle, » inquit, « verba Christi, non fiunt sacramenta Christi. Vis fieri Christi corpus et sanguinem, appone Christi sermonem : facit sermo veritatis quod dicit, quia ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt. Sine dubio fit in creatura, quod Christi sermo dicit de creatura. Est enim omnipotens sermo tuus, o Genitor : fit ergo sermone Christi corpus et sanguis Christi. »

Hac traditione permotum concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. docet Christum Eucharistiam his perspicuis verbis, *Hoc est corpus meum*, instituisse. Et cap. 3. docet vi verborum solum corpus sub specie panis, solum sanguinem sub specie vini poni. Ergo supponit verbis illis consecrari panem, quibus solum corpus significatur, consecrarique vinum illis quibus unus sanguis significatur. Ad ejusmodi verba non sunt alia quam recensita verba Salvatoris : ergo doctrina nostra est magis sacri concilii menti consentanea. Dico esse « magis consentaneam » ; testatur enim Salmeron, qui concilio Tridentino interfuit, Patres auditis hinc inde rationibus, qua forma Christus hoc sacramentum confecerit, definire prudenter noluisse, et totum theologorum indagini permisisse. Ita ille tom. 9. tract. 13.

Ad auctoritates in contrarium productas priusquam respondeam præmonendus est lector, Ecclesiam verbis consecratoriis, in quibus totam et integram hujus sacramenti formam constituimus, preces præmittere solere, quibus Deum panem in corpus, vinum in sanguinem Christi convertere in Canone deprecatur. Sic enim habet : « Hanc igitur oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat Domini nostri Jesu Christi. » Hac de causa propter illas Ecclesiæ preces nunquam omitti solitas, orationibus Ecclesiæ et sacerdotum Eucharistiæ confectionem Patres interdum asseruerunt, non quod illis formaliter Eucharistia consecretur, sed quia consecrationem illam immediate et semper antecedunt. Nec dicas inanem esse illam orationem, si independenter ab illa fieri consecratio possit : non, inquam, id dicas ; delectatur enim Deus, ut illa etiam postulemus, quæ etiamsi nulla fieret postulatio, largiretur, ut ea se gratis, liberaliter, et pura misericordia largiri significet. Sic prædestinatio, tametsi sit gratuitum miserendi propositum, sit liberalis transmissio creaturæ rationalis in vitam æternam a meritis et precibus etiam prævisis independens, sit præparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur, teste tamen D Thoma gratuitæ prædestinationis acerrimo defensore juvatur precibus Sanctorum. Sic etiam Ecclesia formæ Baptismi puero mox conferendi varias præmittit preces, tametsi nec in illis, nec dependenter ab illis forma Baptismatis suum imprimat novæ creaturæ effectum. Verum novit pia et humilis mater dona etiam illa a Deo petere, quæ se daturum obstrinxit, atque oppignoravit Deus, quia non illa ex justitia nostra, sed sua confert Deus fidelis in omnibus verbis suis.

Præmonendus es rursum, Patres per preces et orationes, quibus confici Eucharistiam interdum aiunt, non intelligere quid distinctum a verbis Salvatoris, quæ quia verba sunt, oratio dici possunt; et quia illis formaliter hostia immolatur et mystice mactatur, preces et oblationes veluti in actu exercito dicuntur. Tunc enim Deum precari jure merito censemur, cum ei actu litamus, et

sacrificii immolatione divinam recognoscimus Majestatem. Hunc esse non extortum vel violentum, sed genuinum Patrum objectorum sensum, ex singulorum locorum examine clarebit.

Ita enim Justinus Martyr, ita Irenæus, uti vidimus, seipsos interpretati sunt, dum orationem et invocationem in relatis Christi verbis posuerunt. Eodem plane modo Origenes, Optatus, Cyrillus, et Ephrem veniunt intelligendi, nisi semper addas respexisse eos ad preces, quas consecrationi præmittere Ecclesia in omni suo ritu consuevit. Theophilus ait quidem, panem et calicem per invocationem et adventum Spiritus sancti consecrari, sed non negat præfatis Christi verbis advocari, vel advenire Spiritum sanctum. Gregorii Nysseni mens ex iis quæ ex eadem oratione catechetica protulimus conspicua est. Basilius vult solum totum canonem, sine quo Eucharistia non conficitur, nec verba consecratoria proferuntur, non esse in sacris Litteris scriptum, sed traditione haberi. Ambrosius per sacræ orationis mysterium verba Christi se intelligere manifeste locis a nobis relatis ostendit. Hieronymus similiter per sacerdotum preces in latiori significatione verba Christi intelligit, vel ad duo quæ præmonuimus respexit. Augustinus vero per « precem mysticam » non potuit intelligere orationem Ecclesiæ, quæ perspicua est et plana, sed verba Christi mysteriorum plena, et mysteriorum efficientia. Dum vero ait Deum exaudire homicidam deprecantem super Eucharistiam, seipsum in eodem contextu explicat dicens : « Deus adest sacramentis et verbis suis per qualeslibet administrentur. » Unde per deprecationem verba Christi a sacerdote prolata intelligit. Ibidem ait, quod sacerdos deprecatur super aquam Baptismi, et super capita eorum quibus manus imponitur; ergo quemadmodum forma Baptismi et Confirmationis non in oratione proprie dicta, sed in præscriptis verbis sita est, ita et de forma Eucharistiæ secundum Aug. dicendum est. In epistola vero ad Paulinum orationem appellat sanctificationem et benedictionem Eucharistiæ ; sed illam orationem a verbis Christi esse distinctam non tradit. Magnus Gregorius voluit duntaxat post consecrationem recitari Orationem Dominicam, uti Apostolorum sacra traditio ferebat, non quod per illam orationem Apostoli consecrarint, sed quia inter celebrandum tremendum sacrificium hujus orationis recitationem nequaquam prætermittebant. Unde ait per Orationem Dominicam, sed ad illam solummodo Apostolos consecrasse, quia tunc propter temporis et persecutionis angustias non multis precibus sicut modo sacrificium adornabant, unius Dominicæ Orationis (quæ, ut ait Tertullianus *de orat. Dominica*, est « breviarium Evangelii », auctore Cypriano, est « cœlestis doctrinæ compendium », auctore Ambrosio lib. 5. *de sacramentis*, c. 4, est « cunctarum plena virtutum » recitatione contenti. Loqui autem Gregorium de precibus sacrificio adjunctis manifestum est ex eo quod inibi ait : « Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, et ipsam traditionem quam Redemptor noster composuit, super ejus corpus et sanguinem non diceremus. » Id est, si verba et preces a Scholastico aliquo compositas, aliasque pias orationes consecrationi præmittimus et subjicimus, quanto magis inter celebranda divini sacrificii solemnia Orationem Dominicam, quæ omnibus aliis immensum præstat, adhibemus? Ad ritum Græcarum Liturgiarum respondeo cum cardinali Bessarione, rogari post verba præfata ut fiat corpus Christi non naturale, sed mysticum ; fiatque corpus Christi naturali corpori mystico utile, ut fideles unum sint, et in Christo maneant; unum enim corpus multi sumus omnes qui de uno pane et de uno calice participamus, ut in Liturgia Basilii satis perspicue significatur. Suspicatur etiam idem doctissimus Cardinalis ordinem Liturgiarum esse inversum, et postpositas, fuisse orationes, quas Latina Ecclesia præmittit.

Quæres, utrum sola verba adducta sint essentialia et necessaria, ut corpus Christi conficiatur; num vero illa etiam pro consecratione panis, *Qui pridie quam pateretur*, etc. vel ista, *Quod pro vobis tradetur*, desiderentur?

Respondeo ad primum existimasse Scotum, ad conficiendum Eucharistiæ sacramentum necessario præmittenda verba esse illa Canonis : *Qui pridie quam pateretur*, etc., quia nisi illa præmittantur, non significat Sacerdos se loqui in persona Christi, sed in sua, et consequenter dum dicit, *Hoc est corpus meum*, non corpus Christi, sed suum demonstrat. Sed hanc sententiam optime ante confutaverat S. Thomas quæst. 78. art. 1. ad 4. Quia sacerdos sola præfata

verba proferens cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficit hoc sacramentum; quia intentio facit ut hæc verba intelligantur, quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis præcedentibus id minime significetur. Neque enim verba consecrationis mere historice recensentur, ut unus sit sensus, Christus ita loquutus est; sed verba illa significative etiam, et, ut ita dicam, exercitive a sacerdote referuntur, ita ut nomine suo institutionem Christi referat, et nomine Christi practice significet corpus Christi vi hujusmodi verborum in altari effective poni, sicut dum orationem Dominicam in Missa sacerdos profert, verba Christi referens, una petit quæ in illa postulantur. Etenim si forma historice duntaxat proferretur, nec practice ad præsentem materiam applicaretur, sequeretur verbis illis non significari conversionem actu factam, sed consecrationem Christi recoli et in memoriam revocari; sequeretur sacerdotem in persona Christi, contra unanimem Patrum et conciliorum vocem, non loqui, nec eam veluti induere, sed ea duntaxat recensere, quæ a Christo in ultima cœna gesta sunt. Quod sane si sufficeret, nulla præsentis materiæ foret necessitas, ad recitandam quippe historiam non est necessaria rei de qua fit narratio, præsentia. Quia ergo sacerdos verba consecrationis in persona Christi profert, sicut Legatus in persona Regis, sicut et Angelus in persona Dei, cum diceret, *Ego sum qui sum*, *Ego sum Deus patris tui;* nec Sacerdos suam ipsius, sed Christi actionem exprimit, et conversionem ac transubstantiationem elementorum practice et in actu exercito significat; ideo valide consecraret, tametsi verba illa narrativa, *Qui pridie quam pateretur*, prætermitteret. Graviter tamen sic conficiendo peccaret, utpote qui ritum ab Ecclesia præscriptum privata auctoritate, vel potius temeritate violaret. Qua etiam de causa particulam, *Enim*, verborum connexionem convenienter significantem, qui prætermitteret, peræque peccaret. Sicut etiam graviter peccaret, qui particulam *Enim*, missam faceret, quia licet non sit de essentia formæ, nec eam Christus adhibuerit, gravissimis tamen de causis eam a Domino docta et inspirata Ecclesia usurpat, ut nimirum veritas et efficacitas formæ patesceret, pleniusque innotesceret Eucharistiam non cibum esse communem, sed ipsum Christi corpus, quo reficimur et nutrimur.

Ex his etiam responsum manet ad secundam quæsiti partem, nimirum verba illa, *Quod pro vobis tradetur*, non esse essentialia; nam sacramenti ea forma est, qua illud significatur quod in sacramento efficitur, ut sæpe dictum est. Atqui sola verba illa : *Hoc est corpus meum*, conversionem panis in corpus Christi sufficienter significant, ac proinde illam efficiunt. Ergo sola verba illa formæ consecrationis panis rationem habent : ista vero, *Quod pro vobis tradetur*, non sunt necessaria necessitate sacramenti, imo nec necessitate præcepti, cum ab Ecclesia Romana et Catholica ab Spiritu sancto gubernata prætermittantur, nec apud Matthæum et Marcum habeantur. Et, quamvis verba illa a Christo prolata referant Lucas et Paulus, non tamen omnia quæcumque Christus inter consecrandum protulit, sunt de necessitate sacramenti, sed ea duntaxat quibus conversio panis in corpus Christi significatur. Scio aliam esse Ecclesiæ Græcæ praxim a praxi Latinæ, sed unaquæque probatos suos ritus retineat.

Quæres 2° An verba illa quæ inter consecrandum calicem proferuntur, sint de essentia formæ, nimirum novi et æterni Testamenti : mysterium fidei qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum?

Responsioni præmitto verba illa convenientissime ab Ecclesia Catholica adhiberi tum quia multa ex illis verbis tanquam a Christo prolata referunt Evangelistæ et Paulus, cætera vero protulisse Salvatorem communis sententia traditioni et generali Ecclesiæ praxi innixa fert. Tum quia tres sanguinis Christi in passione fusi effectus mirabiles ad hoc sacramentum potissime pertinentes verbis illis explicantur, nimirum aditus ad æternam vitam, qui nobis novi et æterni Testamenti jure patescit. « Habemus » enim *fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi*, ut dicitur Hebr. x. Secundus effectus esse accessus ad justitiam, quæ est per fidem dilectione operantem, juxta illud Rom. III : *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.* Tertius effectus est remissio peccatorum, quibus uterque aditus intercludebatur; unde dicitur Hebr. IX : *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.* Primi effectus designandi gratia apponuntur illa verba, *Novi et æterni Testamenti;* ratione secundi additur,

mysterium fidei; ratione tertii subjungitur; *Qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Explicantur uberius singula verba, quæ cum sint mysteriorum plenissima, non parum ad pietatis igniculos et reverentiæ ciendos motus conducent. Hoc namque præcipue intendere debet quicumque de sacramentis disserit, ut lectores et sacrorum præsertim ministri admoneantur, quæ, qualia, et quanta sint quæ quotidie tractant, quo rerum divinarum quas frequentant studio et desiderio exardescant. *Hic est calix sanguinis mei*, id est : En vobis propino calicem sanguine meo plenum, neque enim sanguinem sub specie vini porrigo, nisi ut bibatur, nec nisi in calice bibitur. Ergo, bibite, carissimi, et inebriamini, non mero, sed amore, et dum vini suavitatem percipitis, verba mea meliora vino sapite, atque gustate quoniam suavis est Dominus. Si quid infiniti valoris sanguine pretiosus haberem, ultro amorem meum testaturus largirer : at enim quid eo cruore præcellentius, quo emitur hæreditas regni cœlorum? Unde subdit, *Novi et æterni Testamenti*, id est : Ne credite figuram solum sanguinis mei eo vobis in calice propinari : verum sanguinem exigit novum Testamentum, in quo non figuris locus amplius est, sed veritati; verum sanguinem postulat Testamentum æternum, id est æterna hæreditas, quam vobis ereptam non figura, sed sanguis Agni immaculati crastina die fundendus, vobisque jam bibendus porrectus redempturus et restituturus est. Scio equidem vobis hoc visum iri difficile, quod alias Capharnaitis durum apparuit; sed nescitis mysteria fidei ab oculorum sensu remotissima certa esse fide credenda? Quamlibet ergo difficultatis et negotii in hoc sacramento humana ratio experiatur, vos tamen estote in hac credenda propugnandaque veritate intrepidi, quia *mysterium fidei* est, non quod rei veritatem excludat, sed quia tam stupendum pietatis meæ miraculum sola fide creditur, nullis humanis argumentis suadetur. Et ne vobis ulla dubitandi ratio insit, illum eumdem sanguinem vobis bibendum relinquo, qui crastina die *pro vobis effundetur*. Qua ergo sinceritate et veritate eum pro vobis in passione et cruce fundam, eadem illum vobis in calice propino. Sed proh dolor! Sanguinis illius, tametsi a me pro omnibus fundendi fructus non ad omnes, sed ad multos duntaxat perveniet, ideoque *pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Nam, ut præclare dixit Catechismus Romanus, verba *illa pro vobis et pro multis effundetur*, e Matthæo et Luca singula singulis sumpta sunt, quæ tamen sancta Ecclesia spiritu Dei instructa simul conjunxit, ut passionis fructum et sanguinis fundendi utilitatem declararet. Nam, si ad ejus virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem a Christo effusum esse fatendum erit : si vero fructum quem homines ex eo perceperint cogitemus, non ad omnes, sed ad multos tantum eam utilitatem pervenire facile intelligimus. Cum igitur *pro vobis* dixit, eos qui aderant, vel delectos ex Judæorum populo, quales erant Discipuli, excepto Juda, quibuscum loquebatur, significavit. Cum autem addidit *pro multis,* reliquos ex Judæis et Gentibus electos intelligi voluit. Recte ergo factum est, ut pro universis non diceretur, cum hoc loco tantummodo de fructibus passionis sermo esset, quæ salutis fructum pro electis solum attulit. Atque huc spectant verba illa Apostoli : *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et quod Dominus apud Joannem inquit : *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt.* His præmissis,

Respondeo divisos esse hac in quæstione theologos etiam Thomistas; quia cum nihil hac in parte certum ex traditione Patrum et conciliorum habeamus, in varias varii sententias suis hinc inde momentis instructas abierunt. Porro illa sententia longe nobis probabilior, et traditioni magis consentanea videtur, quæ totam consecrandi calicis formæ essentiam in illis duntaxat verbis constituit : *Hic est sanguis meus;* vel quod idem est, *Hic est calix sanguinis mei.* Patres enim paulo ante relati asserentes formam consecrationis non in precibus Ecclesiæ, sed in verbis Christi esse sitam, aliorum ab istis verborum mentionem non faciunt, quin solis illis verbis, *Hic est sanguis meus*, Deum operari mirabilem conversionem testantur. Quia, inquit Damascenus lib. 4. *de Fide*, cap. 14 illud Dei verbum « verum est, et efficax, atque omnipotens, » non minus quam illud, *Fiat lux, fiat firmamentum.* Eusebius etiam Emissenus, sive quicumque auctor vetustus sermonis *de corpore et sanguine Domini*, cujus initium, « Magnitudo cœlestium

beneficiorum, » sic habet : « Invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens, *Accipite et edite ; Hoc est enim corpus.* Et sanctificatione repetita, *Accipite, et bibite ; Hic est sanguis meus.* Ergo, sicut ad nutum præcipientis Domini ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluminum, vasta terrarum ; pari potentia in spiritualibus sacramentis verbo præbetur virtus, et rei servit effectus. » Et S. Gaudentius tract. 2. *de Exodo :* « Quod annuntiatum est, » inquit, « credas ; quia quod accipis corpus est illius panis cœlestis, et sanguis est illius sacræ vitis ; nam cum panem consecratum et vinum discipulis suis porrigeret, sic ait : *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Credamus cui credidimus : nescit mendacium Veritas. Non infringamus os illud solidissimum, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* » Verbum etiam exclusivum adhibet Justinus Martyr Apologia 2. *ad Antonium Imperatorem :* « Apostoli, » inquit, « in commentariis suis, quæ Evangelia dicuntur, ita sibi Jesum præcepisse tradiderunt, eum accepto pane cum gratias egisset dixisse, *Hoc facite in memoriam mei. Hoc est corpus meum ;* dixisse etiam accepto poculo, *Hic est sanguis meus ;* ipsisque solis dedisse. » Illis etiam mox prolatis consecrari vinum, et in sanguinem Christi converti, docet non solum Ambrosius, lib. 4. *de Sacrament.* cap. 5, sed etiam auctor sermonis *de cœna Domini* apud Cyprianum : « Ex quo, » inquit, « a Domino dictum est, *Hæc est caro mea*, et, *Hic est sanguis meus*, quotiescumque his verbis et hac fide actum est, panis iste supersubstantialis, et calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam salutemque proficit. » Quod totidem fere verbis repetit Innocentius III. lib. 4. *de Mysteriis Missæ*, cap. 6. Nec sufficit dicere Patres illos consecrandi calicis formam integram referre non fuisse sollicitos. Non, inquam, id sufficit : tum quia Patres illi contestantur verbis illis omnipotentibus consecrari calicem, et vinum in Christi sanguinem converti ; quod nisi formæ rationem haberent, nequaquam efficerent. Tum quia idem et eodem modo sentiunt de verbis illis, *Hic est sanguis meus*, atque de istis, *Hoc est corpus meum.* Ergo, sicut in istis integram et non diminutam consecrandi panis formam, ita in illis completam conficiendi Christi sanguinis formam constituerunt. Tum quia « illis solis », et « ex quo » verba illa prolata fuerint, calicem « benedictione solemni sacrari » dixerunt : ergo alia quævis verba ad essentiam formæ pertinere minime arbitrati sunt.

Eadem traditio colligitur ex Liturgiis Ecclesiæ Græcæ, tum perantiquis, cum etiam recentioribus et hodiernis a Romana Sede probatis, in quibus non habentur omnia illa verba, *Novi et æterni Testamenti, mysterium fidei*, etc., sed vel penitus omittuntur, vel non omnia, sed quædam in aliis, quædam in alteris referuntur : illa vero, *Hic est sanguis meus*, in omnibus constanter et uniformiter habentur. Nam, ut Petrus Arcudius Græcorum rituum callentissimus lib. 3. *concordiæ Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis in septem Sacramentorum administratione*, cap. 16. testatur : « Forma consecrationis hujus sacramenti apud Græcos, » inquit, « sunt hæc certa et determinata, eaque sola verba : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Quæ sunt verba Salvatoris, et ea exstant in Liturgia Græcorum. » Affirmant etiam viri locupletissimi, pietate, doctrina, et dignitate etiam eminentes, quales fuerunt Cardinales Cajetanus et de Lugo, Missalia se vidisse Græca et Maronitica, in quibus additamenta præfata non habentur. Et certe in nulla (sola Romana excepta) Liturgia omnia illa verba referuntur, ut ex Liturgiis quæ in Bibliotheca Patrum referuntur, legenti patebit : Nec integra illa calicis consecrandi verba Græci usurpant, si unos excipias monachos Cryptæ Ferratæ non procul ab Urbe degentes, qui ritus suos Ecclesiæ Romanæ omnium Magistræ, et sibi alioquin conterminæ et confinis praxi prudenter et tuto conformant. Dicere autem totam Ecclesiam Græcam forma calicis et caruisse semper, et etiamnum carere, nec Ecclesiam Romanam reclamare, nec reclamasse ; hoc, inquam, dicere tam absurdum est quam quod maxime, nec refutari oportet quod sponte sua corruit.

Nec satisfacit si dicas cum quibusdam recentioribus, similem esse hanc difficultatem illi quæ de forma Confirmationis, et de materia sacramenti Ordinis objici solet omnibus theologis peræque communis, peræque solvenda. Nam Græci in administranda Confirmatione hac utuntur verborum forma, « Signaculum donationis Spiritus sancti, » quæ utique a Latinæ Ecclesiæ verbis inter confirmandum adhibitis diversa sunt. Varia etiam est verborum forma, quibus sacros

Ministros ordinant; varia quoque ejusdem Ordinis in utraque Ecclesia materia, quæ Græcis manuum impositio, Latinis instrumentorum porrectorum contractus est, ut alibi diximus, explicatius etiam dum de Ordinis sacramento dicturi. Sicut ergo a communi illa difficultate nos expedituri, agentes de sacramentis in communi diximus, Christum Dominum materias et formas sacramentorum generice duntaxat et quoad rationes formales, non specifice et quoad rationes materiales ac individuales determinasse; quatenus talem quidem voluit esse materiam, talemque formam, quæ effectum sacramenti determinate significaret; materialia tamen verba non elegit, quibus effectus ille significaretur; sed ea non cujuslibet quidem privatæ voluntati, sed Ecclesiæ a Spiritu suo gubernatæ auctoritati et determinationi permisit. Similiter ergo, inquiunt, licet sit diversitas materialis in forma calicis a Græcis adhiberi solita, est tamen unitas formalis, utpote ad eumdem effectum significandum ordinata. Et, quia Ecclesia Latina ad significandam sanguinis consecrationem verba omnia illa elegit, ideo illa omnia esse essentialia fatendum est, quidquid sit de tenore formæ a Græcis ex suæ præscripto Ecclesiæ usurpatæ.

Non satisfacit, inquam, difficultati hæc responsio, sed eam magis implicat, magisque auget. Quamvis enim verba quoad materiale vocis, integra essentia sacramenti, variari possint, necesse est tamen quod verba æquivalentia, eamdemque significationem habentia remaneant. V. g., quod baptizetur Christianus his verbis, *Ego te baptizo;* vel istis, *Baptizatur servus Christi*, ad materialem vocum diversitatem in diversis Ecclesiis usurpatam pertinet, ac proinde formæ essentialem significationem non mutat. Si vero verba, *In nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti*, Ecclesia aliqua prætermitteret, causata effectum Baptismi prioribus verbis satis significari, omissionem illam Ecclesia Catholica non probaret, sed decretis reprehenderet, percelleret anathematis; sicque truncata forma baptizatos iterum ex integro baptizaret, quia nimirum verba illa, *In nomine Patris*, etc. formæ Baptismatis essentialia esse Ecclesiæ verbis Christi et traditioni innixa semper et ubique arbitrata est. Ergo similiter si verba illa, *Novi et æterni Testamenti, mysterium fidei*, etc. essentialia esse Romana Ecclesia arbitraretur, materiam quidem eorum variationem; sufficique illis æquivalentia tolerare posset, et prudenter toleraret. At omnimodam verborum illorum omissionem ferre nec posset, nec deberet; multoque minus hanc formæ mutilationem, et tot verborum essentialium suppressionem auctoritate sua falli vel fallere nescia, utpote cui Deus semper assistit, positive non probaret. Et Græcos tamen sic consecrare et probe novit, et sic consecrare jubet, dum suum cuique ritum servare conciliorum et summorum Pontificum infallibilibus imperiis præcipit, et calicem sic consecratum non modo non consecrat iterum, sed adorat. Ergo doctrina illa de variatione materiali formarum variis in locis et etiam temporibus contingenti ad præsentem quæstionem impertinens est (Logicorum more loquor verba quædam impertinentia, alia pertinentia distinguentium; absit enim ut oppositæ sententiæ admodum probabilis, quæve mihi diu placuit, auctores offendam): nec argumentum a liturgiis omnium temporum et locorum a Sede Apostolica in concilio Florentino et deinceps non toleratis modo, sed probatis, sed imperatis petitum enervat, sed magis confirmat.

Accedit primo, magisque illustratur doctrina illa dum de sacramentis in genere tradita. Quamvis materiæ et formæ sacramentorum sacris in Litteris non expresse, nec a Christo Domino in individuo designatæ et definitæ non sint materialiter determinatæ, sed eam determinationem Ecclesiæ columnæ et firmamento veritatis judicio permiserit, ut docent theologi dum de Sacramentis in communi : attamen si quæ materia et forma a Christo indicata legitur, nulla eam praxis, nulla consuetudo, nulla auctoritas mutare potest: sic quia materiam Baptismi aquam, materiam Eucharistiæ panem et vinum esse Christus voluit et luculentissime expressit, alia quavis quocumque tandem modo suffecta materia, nunquam Baptismus, nunquam Eucharistia conficietur. Sic quia in forma Baptismi nominari personas sanctissimæ Trinitatis Salvator voluit et præcepit, irrita erit omnis forma Baptismatis, quæ omissa invocatione et expressione nominis trium divinarum Personarum, invecta et obtrusa fuerit. In aliis vero sacramentis, Confirmatione, Ordine, Pœnitentia varia in diversis Ecclesiis, diversis quoque temporibus verba usurpata circumferuntur, quia numeralem eorum quan-

titatem veritas non expressit. Cæterum in Eucharistia Christus multa verba protulisse legitur ; nam cum corpus tradidit, *Hoc est corpus meum*, *quod pro vobis tradetur*, dixit, et cum calicem sacravit, *Hic est sanguis meus*, *qui pro vobis et pro multis effundetur ;* vel, *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*, dixisse sacri Scriptores Litteris commendarunt. Ergo, si omnia verba a Christo inter instituendam, conficiendamque Eucharistiam probata essent essentialia formæ, nulla possent Ecclesiæ potestate mutari, nulla praxi, nulla consuetudine prætermitti. Ergo e contra si eorum aliqua supprimantur sicut in Ecclesia Latina supprimuntur illa, *Quod pro vobis tradetur :* et in Græca ista, *Novi et æterni Testamenti*, *mysterium fidei*, etc., manifestum est utramque Ecclesiam credere verba duntaxat hæc, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, vel illis æquivalentia, puta *Hoc est calix sanguinis mei*, esse sola essentialia. Maxime quia, ut recte observat Arcudius lib. 3. c. 25. §. *Nota quarto,* alia Sacramentorum conficiendorum verba Evangelistæ referunt, ut sunt verba institutionis : at verba Eucharistiæ produnt ut sunt institutionis simul et consecrationis. Quando enim Christus præcepit baptizare in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, neminem baptizavit ; neminem etiam absolvit a peccatis, cum dixit, *quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* At, quando dixit, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, et Eucharistiam instituit, et una sacravit, juxta illud supra laudati Tertulliani : « Acceptum panem corpus suum illum fecit, *Hoc est corpus meum* dicendo, » et illud Chrysostomi homil. 59. *in Matth. :* « Qui dixit, *Hoc est corpus meum*, et verbo factum confirmavit. » Nec illis tantum verbis Christus elementa sacravit, sed a sacerdotibus etiam consecranda præcepit, cum dixit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Non autem hoc facit quod Christus fecit, nisi eadem verba, quibus Christus fecit, ipse proferat, quando quidem dicere Christi actio est, et quidem potissima, quam inter illud sacramentum consecrandum fecit, cum dicendo corpus et sanguinem fecerit : unde, si verba, quibus Christus sanguinem suum fecit, Græci prætermitterent, quæ Christus fecit non facerent subindeque nihil efficerent. Ergo, si quid efficiant (efficere autem illos verum Christi sanguinem nemo Catholicus inficiatur) ea proferunt verba, quæ Christus tanquam essentialia adhibuit. At Græci sola hæc verba, *Hic est sanguis meus*, proferunt. Ergo illa sola sunt essentialia formæ, utpote nulli Ecclesiæ ullius arbitrio vel mutationi obnoxia.

Accedit rursum, atque amplius eadem ratio ad hominem confirmatur. Thomistæ qui nobis hac in parte adversantur, probaturi contra Ægidium Coninchum aquam vino infusam non converti immediate in sanguinem Christi, inde præcipuum argumentum depromunt, quod in solum in sanguinem convertitur, quod est instituta a Christo Eucharistiæ materia, quam solam esse vinum vitigineum communis sententia Scripturæ et Traditioni innixa fert. Ægidium vero respondentem Christum instituisse, ut id quod Ecclesia Spiritu sancto afflata misceret, idonea esset consecrandi calicis materia, sic confutant : Quia in designandis Sacramentorum materiis Christus nihil Ecclesiæ commisit, sed circa illorum duntaxat usum et administrationem, dicente Tridentino sess. 21. cap. 1 : « Declarat » (sancta Synodus) « hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, ac locorum varietate magis expedire judicaret. » At materia, inquiunt, et quidem bene, pertinet ad substantiam seu essentiam Sacramentorum. Ergo illius designatio non est commissa Ecclesiæ, nec Ecclesiæ liberæ facultati permissa, quæ non ad sacramenta, sed ad sacramentalia duntaxat extenditur. Quæ sane ratio vel nihil, vel idem pro forma Eucharistiæ convincit.

Nec obest quod Christus pro materia matrimonii illum contractum designaverit, quem Ecclesia validum esse decreverit : quidni ergo similiter illa erunt essentialia calicis consecrandi verba, quæ Ecclesia Christi auctoritate freta assignaverit. Non obest, inquam, quia Christus evehendo matrimonium in Sacramentum, illius materiam eam esse duntaxat voluit, qua verus contractus constat ; quid autem ad contractum in individuo opus sit, non significavit : unde Ecclesia contractuum leges et conditiones instituens, et novas interdum pro rerum exigentia et sua sapientia adjiciens, non materiam a Christo institutam mutat, nec facit, ut validus contractus non sit apta matrimonii celebrandi materia sed quid sit

verus contractus, quæve ejus conditiones declarat. At vero materiam et formam Eucharistiæ ipse Salvator delegit, ut in illam observandam Ecclesia sub cœlo tota conspiraret, utque omnium præstantissimum sacramentum majori fideles veneratione prosequerentur, conscii Redemptorem suum sacramentum illud, ejusque ritum et verbis suis instituisse, peregisse, et ita ab omnibus peragendum præcepisse. Ergo non licet Ecclesiæ quidquam essentiale a Christo adhibitum mutare, sed illud idem religiose et inviolabiliter retineatur necesse est.

Mens D. Thomæ ob oculos posita, et ejus rationis efficacitas.

Probatur demum nostra sententia auctoritate et ratione S. Thomæ quæst. 73. art. 1. et 3. Et, quamvis mens S. Doctoris nonnihil intellectu difficilis et quadantenus subobscura videatur, quin S. Doctorem nobis prorsus adversum dicant quidam recentiores Thomistæ ; si tamen contextus Angelici Præceptoris attente et accurate perpendatur, palam erit doctrinam ejus non modo nobis non repugnantem, sed penitus esse favorabilem, nostræque sententiæ fundamentum solidissimum sanctum ipsum Thomam jecisse.

In primis art. 1. quærit, utrum hæc sit forma hujus sacramenti, *Hoc est corpus meum*, et *Hic est calix sanguinis mei*, nec ullorum ibi aliorum verborum meminit. Respondet vero affirmative, « quia, » inquit, « forma hujus sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transsubstantiatione consistit, puta cum dicitur : *Hoc est corpus meum*, vel, *hic est calix sanguinis mei.* » Vides S. Thomam perspicue se explicantem, et nostram sententiam inde confirmantem, quod illa est vera forma Eucharistiæ, quæ importat et significat consecrationem materiæ, quæ in transsubstantiatione consistit. Atqui sola illa verba, *Hoc est corpus meum*, *Hic est calix sanguinis mei*, significant consecrationem et transsubstantiationem ; significant enim substantiam sub speciebus panis latentem esse corpus Christi, substantiam in calice existentem esse sanguinem Christi. Ergo, auctore S. Thoma et ratione ejus id suadente, sola illa verba constituunt formam Eucharistiæ.

Hinc in responsione ad 4. ejusdem articuli sic exerte mentem suam aperit, ut nullum dubitandi locum reliquerit, ait enim : « Dicendum est, » quod si sacerdos sola prædicta verba proferret (nimirum, *Hoc est corpus meum*, et *Hic est calix sanguinis mei)*, « cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum. Ergo sola illa verba cum intentione conficiendi hoc sacramentum, » ad perficiendum Eucharistiæ sacramentum S. Thomas desideravit. Unde non est hallucinatus noster Marcus Serra, dum scripsit hoc testimonium esse pro nostra sententia manifestum, ut quidam carpere faciles, carpi impatientes arbitrati sunt, qui tantæ lucis vim eo ex testimonio emicantem ægre ferentes dixerunt S. Thomam verbis illis excludere solum verba antecedentia. *Qui pridie quam pateretur*, non vero subsequentia, *Novi et æterni Testamenti.* Quia nimirum S. Thomas respondens argumento probanti verba illa, *Qui pridie quam pateretur*, esse necessaria, ait quod sola verba illa cum intentione perficiunt sacramentum : « Quia intentio, inquit, « faceret ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata, etiamsi verbis præcedentibus hoc non recitaretur. » Unde, inquiunt, sola verba præcedentia excludit S. Thomas.

Sed hoc effugium sua ipsa subtilitate evanescens abit in fumum ; etenim in toto illo articulo primo asserit, et ex professo probat sanctus Thomas, sola illa verba, *Hoc est corpus meum*, *Hic est calix sanguinis mei*, essentialem formam continere. Contra hoc objicit sibi primo loco, sola illa verba non posse formam constituere ; quia cum verba illa in persona Christi proferri debeant, ut id significetur, oportet præmitti verba illa, *Qui pridie quam pateretur.* Ad quod respondens in conclusione in corpore stabilita constanter perseverans, ait sola illa verba sufficere, nec obesse quod illa in persona Christi a sacerdote proferri oporteat, ad quod videntur necessaria verba antecedentia ; non obesse, inquam, quia hoc sufficienter facit intentio, etiamsi verbis antecedentibus hoc non significetur. Ex quibus manifestissimum est, S. Thomam excludere quidem eo loci a forma Eucharistiæ verba antecedentia, sed ea ratione, iisque verbis, quæ et alia quævis verba sive comitantia, sive sequentia excludunt. Quia, inquit, ad conficiendum Sacramentum sufficit ad materiam accedere formam cum intentione, quæ facit ut Sacerdos agat in persona Christi, etiamsi præcedentia Canonis verba omit-

tantur : « Unde, si sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc sacramentum. » Accedit, quod in eadem responsione ad 4. ideo verba illa, *qui pridie*, non esse de essentia formæ ait : « Quia Canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposita » Ex quibus infert sola verba a nobis adducta esse essentialia, et quidem consequenter, nam verba illa et eadem apud omnes sunt, et semper, et ubique fuerunt. Qua ratione tam sequentia, quam antecedentia verba apertissime exclusit : Verba enim illa, *Novi et æterni Testamenti*, etc. « Nec sunt eadem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposita, » et a multis prætermissa, ut ex lectione Liturgiarum, tam antiquarum quam modernarum omnibus constat. Ergo verissime dixit S. Thomas : « Quod si sacerdos sola illa verba proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum. »

Major videtur esse difficultas in articulo tertio. Sed diligenter consideranti patebit ibi S. Doctorem nostram sententiam astruxisse. In primis notandus est titulus articuli, « Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis vini, *Hic est calix sanguinis mei, novi et æterni Testamenti*, » etc. Ubi advertendum non inquirere S. Doctorem, utrum hæc sit essentialis forma, vel utrum hæc omnia ad essentiam formæ Calicis pertineant; id enim inquisiverat art. 1. et responderat sola illa verba, *Hic est calix sanguinis mei*, esse essentialia, eisque solis perfici sacramentum. Impræsentiarum ergo quærit, num hoc non obstante in forma Calicis adhibeantur hæc verba, *Novi et æterni Testamenti*, etc., quæ per modum unius formæ Ecclesia Latina ab Apostolis instructa recitat. Unde convenientiam illorum verborum, non essentialem eorum necessitatem exponere intendit.

Hoc posito respondet quosdam absolute, et sine ulla distinctione affirmare verba illa nullo modo esse de substantia formæ. « Sed hoc videtur inconveniens, » inquit, « quia ea quæ sequuntur sunt quædam determinationes prædicati, id est sanguinis Christi, unde pertinent ad integritatem locutionis : et propter hoc sicut alii melius dicunt, omnia sequentia sunt de substantia formæ usque ad hoc quod postea sequitur : Hæc quotiescumque feceritis, quod pertinet ad usum hujus sacramenti. » Ecce verba quibus potissimum adversarii confidunt. Sed frustra ; legitimus enim D. Thomæ sensus est : Inconveniens est dicere absolute verba illa nullo modo esse de substantia formæ, cum sint explicationes formæ essentialis, et cum illa per modum unius continentis periodi et integræ locutionis uno et eodem ritu et modo a Sacerdote recitentur. Certe, sicut in sacramento Pœnitentiæ licet forma essentialiter consistat in illis verbis, *Ego absolvo te*, ut docet et probat D. Thomas 3. p. quæst. 84. art. 3, tamen verba ista, *a peccatis tuis*, quæ ex usu Ecclesiæ adduntur, possunt dici de substantia formæ, quia eamdem propositionem integrant, et quid ly *absolvo* significet declarant : ita quia verba illa, *Novi et æterni*, etc. per modum unius integræ orationis explicite aperiunt quod verba essentialia implicite tantum important, merito de substantia formæ dici possunt, id est ingrediuntur integritatem locutionis, et veluti constructionem ejusdem propositionis et enuntiationis.

Hanc esse D. Thomæ mentem manifestum est, tum quia explicans quo sensu verba illa sint de substantia formæ, ait ideo esse, quia « pertinent ad integritatem ejusdem locutionis » ; quo etiam modo hæc verba, *a peccatis tuis*, pertinent ad integritatem ejusdem locutionis Sacerdotis absolventis ; quo similiter modo verba hæc, *Quod pro vobis tradetur*, in Ecclesia Græca eodem ritu et modo celebrata dici possunt pertinere ad integritatem ejusdem locutionis. Tum quia mentem suam sic adhuc apertius in eodem corpore articuli S. Thomas interpretatur. « Dicendum ergo, quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ, sed per prima verba cum dicitur, *Hic est calix sanguinis mei ;* significatur ipsa conversio vini in sanguinem eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis. » His verbis omnem ambiguitatem submovit ; si enim sola hæc verba, *Hic est calix sanguinis mei*, significant conversionem vini in sanguinem, profecto eam efficiunt, cum sacramenta id efficiant quod significant; et si eodem modo significant quo forma consecrationis panis, utique perfectam conversionem significant. Addit tamen convenienter verba sequentia adjici per modum ejusdem formæ, seu per modum explicationis formæ essentialis, quæ cum significet sanguinem ut a corpore sepa-

ratum, convenienter verba sequentia formam calicis ingrediuntur per modum accessorii, ut illis « designetur virtus sanguinis effusi in Passione, quæ operatur in hoc sacramento, » inquit S. Thomas.

Dices : S. Thomas ibi per substantiam formæ intelligit essentiam formæ ; tum quia agens de sacramentis in genere, quæst. 60. art. 8, pro eodem accipit substantiam et essentiam : « Si diminuatur, » inquit, « aliquid eorum quæ sunt de substantia formæ sacramentalis tollitur sensus verborum. » Tum quia in eodem sensu accipit S. Thomas nomen substantiæ, cum ait quosdam velle verba omnia non esse de substantia, ac cum addidit alios melius dicere omnia esse de substantia formæ. Atqui in prioribus verbis auctores illi nomen substantiæ pro essentia usurpant. Ergo et in posterioribus verbis D. Thomas per substantiam essentiam intellexit, ne æquivocatione laborasse videatur.

Respondeo satis mirum videri, conari nonnullos S. Thomam ipsomet reclamante in alium sensum detorquere, et conjecturis suadere velle ibi S. Doctorem per substantiam essentiam intellexisse, ubi declarat se per substantiam intelligere « integritatem ejusdem locutionis », et majorem explicationem, « seu designationem virtutis sanguinis effusi ; » non vero essentiam formæ conversionem operantis, quia « per prima verba cum dicitur, *Hic est calix sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quod dictum est in forma consecrationis panis. » Quod autem alibi per substantiam essentiam intellexerit, quid inde, vel quid tum ? Quasi nomen substantiæ non possit varie variis in locis accipi, præsertim si quo sensu accipiatur luculentissime explicetur ? Quasi D. Thomas verba multiplici sensu fœta, in eodem sensu ubique et semper accipere alligatus fuerit ? Quasi D. Thomas in quæstione illa 60. per substantiam essentiam se intelligere non indigitarit, dicens per diminutionem substantiæ se intelligere mutationem, « qua tollatur debitus sensus verborum ; » hic vero per substantiam non asseruerit se intelligere « integritatem », et veluti explicationem « ejusdem locutionis ? » Quod vero dicitur, auctores quos in principio articuli refellit S. Thomas, per substantiam intellexisse essentiam, ægre ni fallor probarent adversarii : si ejusmodi illorum conjecturæ rationes sciscitaremur. Quare eorum auctorum mens non divinando, sed ex refutatione S. Thomæ dignoscenda est. At S. Thomas non reprehendit eos, quod vellent sola verba priora esse essentialia, sed quod nullo modo, nulloque sensu substantiam formæ ingrederentur, se haberentque sicut verba illa, *Hæc quotiescumque feceritis*, etc. Ergo auctores illi per substantiam non intelligebant essentiam tantum, sed quidquid substantiæ nomine comprehendi aliqua tandem ratione potest, ut magis patet ex his quæ inter expendenda S. Thomæ verba dicta sunt.

Ex his, quæ in *Summa Theologica* clare et distincte S. Præceptor docet, explicari facile possunt quæ nobis ex aliis locis objici solent. Nam, cum dixit S. Thomas in 4. dist. 8. q. 2. art. 4. quæst. 1. omnia verba illa esse « de forma », veridice scripsit ; sed an sint de forma per modum essentiæ vel per modum integritatis locutionis, seu explicationis et veluti expansionis formæ essentialis, non ibi, sed in *Summa* nobis aperuit. Cum vero ait ibidem ad 3. verba illa esse « essentialia sanguini prout in hoc sacramento consecratur », verum est ; quia explicant essentiam sanguinis ut revera separati, quam verba essentialia implicite tantum significant : sicut ly *a peccatis*, sunt essentialia gratiæ absolutivæ quæ Pœnitentiæ sacramento impenditur, quam hæc verba, *Ego te absolvo*, implicite duntaxat nobis significant. Similiter cum lect. 6. *in cap.* XI. *prioris ad Corinth.* scripsit omnia verba « esse de necessitate formæ », id intelligitur non per modum constitutivi formæ, sed per modum explicationis illius ; unde subdit ea « pertinere ad ejusdem locutionis sententiam », sicut de his verbis, *a peccatis tuis*, dictum est, et eodem modo quo diceretur ; Petrus est homo, seu animal rationale. Cum denique ibidem ait, « Totum pertinere ad vim effectivam », vel per modum essentiæ efficientis, vel per modum explicationis rei quæ efficitur, verissimum est, ut in *Summa* S. Doctor sui interpres exposuit.

Sed inquies : Quid ergo causæ est, quod B. Pius V. summus Pontifex non ita pridem in Beatorum numerum a Clemente X. relatus illam Cajetani commentariorum partem, in qua nostram sententiam tuebatur, expungi jussit ?

Respondeo varias afferri a variis hujus Pontificii præcepti causas, quarum meminit Isambertus. Primo aiunt Pontificem non

Cajetani sententiam reprobasse, sed prudenter statuisse discipuli et interpretis S. Thomæ, tanti Magistri sententiam non satis honorifice, nec ea qua par erat reverentia tractantis, commentaria textui, quem elucidare debuerant, contraria esse delenda. Secundo et verius dici potest, merito obliterari illam Cajetani commentariorum partem debuisse, quia germanam D. Thomæ mentem non attigerat vir alioquin ingeniosissimus et eruditissimus Cajetanus ad purpuram jam assumptus, subindeque sui juris factus et propriis opinationibus plus æquo indulgens. Etenim S. Thomam arbitratus est existimare omnia verba illa esse formæ calicis consecrandi essentialia, quibusdam articuli tertii verbis ab aliorum contextu divulsis deceptus. Et tamen veritas est S. Doctorem totam Calicis consecrandi formæ essentiam in illis duntaxat verbis, *Hic est sanguis meus*, constituisse ; cætera ad majorem expressionem, et formæ essentialis declarationem idonea et congrua declarasse.

Ratio fundamentalis hujus nostræ responsionis non est alia præter eam, quæ a S. Thoma posita est, et ad hanc formam reducitur : Forma sacramentorum essentialis ea est, qua illud significatur quod in sacramento efficitur : atqui hæc una verba *Hic est sanguis meus*, vel *Hic est calix sanguinis mei*, significant conversionem vini in sanguinem, subindeque eam efficiunt ; non enim minus significant ista, *Hic est sanguis meus*, quam hæc, *Hoc est corpus meum*, ut bene argumentatur S. Thomas. Ergo sola illa verba sunt essentialia. Hanc rationem tangit concilium Trident. sess. 13. cap. 4, ubi probat fieri in Eucharistia conversionem substantiæ panis in corpus Christi, et vini in sanguinem ejus, quia verbis suis Christus significavit hoc quod offerebat, esse corpus et sanguinem suum. Ergo illa tantum verba quæ hoc significant, sunt conversiva et consecrativa, cum idem sit convertere panem et vinum in corpus et sanguinem Christi, et Eucharistiam consecrare. Atqui verba conversiva et consecrativa sunt essentialis hujus sacramenti forma, cum sacramentum sola consecratione fiat. Ergo sola præfata verba sunt essentialis Calicis consecrandi forma, cum ex vi illorum etiam non prolatis aliis significetur conversio vini in sanguinem Christi, proindeque conversio illa efficiatur. Dicere vero verba illa non significare conversionem illam nisi dependenter a verbis sequentibus, probabilitate caret ; tum quia non minus sunt significativa verba hæc, *Hic est sanguis meus*, quam ista, *Hoc est corpus meum ;* et sicut significatio istorum non pendet a verbis quæ Christus adjecit, dum dixit, *Quod pro vobis tradetur ;* nec illa ab istis, *Qui pro vobis effundetur*. Quia nimirum utraque non addidit Christus tanquam formæ essentialia, sed ut discipulos et fideles omnes de quo corpore, de quove sanguine loqueretur efficeret certiores. Tum quia verbis illis, *Hic est sanguis meus*, continetur aliqua propositio perfecta significans aliquam veritatem. At non aliam significat, quam quod in calice sit sanguis Salvatoris, cum ex illis verbis Ecclesia in sacro Tridentino congregata colligat veram dari et substantialem vini in sanguinem Christi conversionem. Ergo sola illa verba. *Hic est sanguis meus*, significant sanguinem Christi ibi adesse, etiam antequam verba cætera proferantur, alioquin falsum enuntiarent ; assererent quippe adesse sanguinem qui nondum foret : ex eo autem quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa. Quia nimirum omnis oratio vera objectum suum vel supponit, si speculativa sit, vel certe efficit, si practica et factiva existit. Præsertim cum verba sacramentorum sint agentia necessaria, quæ a Ministro quidem applicari debent, sed semel prolata et applicata non possunt quod significant non efficere.

Nec valet si respondeas quod, sicut verba ista, *Ergo te baptizo,* licet grammaticæ effectum sacramenti Baptismi significent, verba tamen sequentia, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, sunt essentialia, quibus nondum prolatis, nondum etiam producitur effectus sacramenti, quamtumvis in prioribus verbis significatus.

Non, inquam, valet : tum quia verbis istis, *Ergo te baptizo*, non ita perspicue effectus Baptismi significatur, quin ad alia multa significanda deduci possint ; verba enim illa de se ad varias ablutiones significandas indifferentia, ad ablutionem internam a gratia sanctificante, quæ sanctissimæ Trinitatis expressio est et attractio, proficiscentem designandam determinantur. At vero verba hæc, *Hic est sanguis meus*, *Hic est calix sanguinis mei*, perspicue conversionem vini in sanguinem Christi significant, non minus quam ista, *Hoc est corpus meum*, conversionem panis in corpus Salvatoris. Tum quia in designandis Sacramentorum essentialibus for-

mis Ecclesiæ judicio, usibus et consuetudinibus probatis standum est. Cum ergo in omnibus Christiani orbis Ecclesiis expressa sanctæ Trinitatis invocatio ad formam Baptismi essentialiter desideretur, relinquitur verba illa, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, ad essentialem Baptismatis formam pertinere. At contra vero in multis Ecclesiis, quin et in toto Oriente omnia illa verba inter consecrandum calicem non adhibentur; et qui non adhibent minime reprehenduntur : signum ergo est omnia illa non esse formæ essentialia.

Dices : Omnia illa verba eodem ritu et modo profert sacerdos calicem in manu tenens, antequam sanguis populo adorandus proponatur. Quin verba illa adeo necessaria arbitratur Latina Ecclesia, ut in Missalis rubricis præcipiatur, repetendam ex integro esse formam, si aliqua verborum illorum prætermitti contigerit. Ex quibus sic ratio instauratur : Si omnia verba illa ad essentiam formæ non pertinerent, possent salva Sacramenti essentia prætermitti, cum per priora verba conversionem vini in sanguinem efficientia peractum Sacramentum supponatur. Atqui Ecclesia Latina aliquod verborum illorum prætermitti strictissime vetat, et in casu quo prætermissum fuerit, repeti iterato formam præcipit, cum tamen Sacramentorum formas super eamdem repetere materiam nefas sit. Ergo censet Ecclesia Latina omnia verba illa esse essentialia.

Respondeo eodem argumento probaturum theologum Græcum verba illa, *Quod pro vobis tradetur*, esse panis consecrandi formæ essentialia, cum ea Græcus sacerdos eodem ritu et modo proferat, ut ex Græcorum Liturgiis quæ habentur tomo 6. Bibliothecæ Patrum editionis Parisiensis patet. Nec posset ei responderi, ideo verba illa non esse essentialia, quia ab Ecclesia Latina prætermittuntur : non, inquam, id ei responderi posset; statim namque reponeret quod nobis respondent adversarii, Christum non instituisse specificas et individuales sacramentorum formas, seu materialem eorum tenorem, sed totum quoad hoc Ecclesiæ auctoritati permisisse : et quia Ecclesia Græca verba illa, *Quod pro vobis tradetur*, Scripturæ et Patrum Liturgiis innixa adhibenda decrevit, verba illa erunt essentialia, tametsi a Latinis non usurpata, si vera sit adversariorum doctrina, de qua superius actum est.

Dicendum ergo omnia verba illa eodem ritu et modo a sacerdote proferri, quia sunt formæ essentialis explicatio et declaratio, atque integram et adæquatam propositionem determinando præcipuum prædicatum componunt : sicut in forma Pœnitentiæ omnia verba hæc, *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, a sacerdote eodem ritu et modo proferuntur, licet non omnia peræque ad essentiam pertineant. Cum vero dicitur interdicere Ecclesiam, ne verba ex illis ulla prætermittantur, probat quidem necessitatem præcepti, at non necessitatem Sacramenti tamen. Quod vero additur, Ecclesiam in casu omissionis alicujus particulæ formæ illius, totam ex integro repeti velle, sollicitudinem et cautelam Ecclesiæ in Sacramentis conficiendis securiora sectantis ostendit; cum enim omnia verba illa ad essentiam desiderari multi Doctores teneant, illa præsertim, quæ effusionem sanguinis significant, et aliunde in possessione illius formæ Ecclesia sit, eam retinere, et omissam instaurare prudentissime studet, ut in re omnium maxima, centro nimirum Religionis et pietatis Eucharistia nullum prorsus dubium supersit. Cum vero verba ex integro repetuntur, postquam illa semel prolata sunt, *Hic est calix sanguinis mei*, tunc non sunt consecratoria, cum consecrationem supponant, sed sunt explicativa et declarativa proprietatum sanguinis Christi fusi, et veluti sacer formæ commentarius a traditione consecratus.

Instabis : Eucharistia non solum est Sacramentum, sed etiam sacrificium. Ergo utrumque debet exprimi per formam; formas enim Sacramentorum ipsorum exprimere naturam effectusve oportet. At nequit verbis exprimi sacrificium, nisi fiat fusi sanguinis mentio, sicut nec reapse fit sacrificium sanguine non fuso. Ergo saltem verba illa, quæ Christi sanguinis effusionem significant, non possunt ad essentiam formæ non pertinere.

Respondeo certum esse verba quæ sanguinis effusionem significant, longe magis censeri necessaria quam ista, *Æterni mysterium fidei;* unde in omnibus ferme Liturgiis quas legere potui, fusi vel fundendi sanguinis mentio expressa fit. Sed non propterea essentialia esse argumentum convincit. Quamvis enim Eucharistia sit sacramentum et simul sacrificium, tamen utrumque essentialiter significant verba hæc, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Cum enim signi-

ficent corpus mystice separatum a sanguine, imo et significando illud mystice separent, sacrificium et significant, et significando peragunt, et adorandam victimam Deo immolant.

Multa circa efficacitatem, significationem, instans productionis verborum formæ inquiri solent; sed hæc aliaque subtilia magis quam utilia ex superius dictis dum de transubstantiatione agebamus, satis superque elucidata manent.

REFLEXIO.

In materia Eucharistiæ Christi aditu et congressu facilis, suavissimam comitatem, et beatissimam copiam mirati sumus; in forma ejusdem Christi voluntariam obedientiam, quæ attentos rapit, contemplari et imitari est. Micant fateor et certatim in hoc divinissimo Sacramento virtutes tuæ collocent, o Domine Jesu; unde illud Davidicum merito usurpare licet: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* Et iterum: *Altaria mea, Domine virtutum, Rex meus, et Deus meus.* Quia nimirum in Sacramento tuo fecisti speculum animæ meæ, in quo splendentes omnes virtutes tuæ se conspicuas et imitandas præbent, ut sine timore de manu inimicorum meorum liberatus serviam tibi in sanctitate et justitia coram te omnibus diebus vitæ meæ. Verum enim ita in eo rutilat virtus obedientiæ, ut sola tenere palmam, sola eminere videatur. Ad cujus claritatem,

Considerandum est primum totum universi decorem in ordine a Deo præstituto, et partium illius harmonia et consonantia situm esse. Porro ordo ille, in cujus tranquillitate pax orbis tota, auctore Augustino, consistit, rerum invicem concatenatarum obedientia continetur, qua inferiora superioribus, infimæ causæ mediis, mediæ supremis jugiter supponuntur. Hinc tam innato odio a vacuo natura abhorret, quo nimirum causarum influxu et inferiorum a superioribus dependentia dissolutis, universitatis unitas in illa connexione et naturali obedientia consistens interturbaretur, omniaque proinde susdeque miscerentur, Creaturæ omnes et singulæ, ut docet D. Thomas 1. 3. quæst. 93. art. 2, a superioribus, et a prima omnium causa Deo motuum suorum principia perenniter accipiunt, quæ sunt veluti æterna legis derivati radii et expressiones, juxta illud Psalmographi: *Præceptum posuit, et non præteribit.*

Considerandum rursus in solis Creaturis ratione præditis veram obedientiam inveniri, quæ Deo dum obsequuntur, ultimam naturæ suæ perfectionem consequuntur; servire enim Deo regnare est. Hinc Angeli, creaturarum nobilissimi, toti ad obedientiam nati, toti comparati, et veluti effecti sunt. Omnes enim sunt administratorii spiritus, atque ut Paul. Hebr. II. post Davidem testatur, *Fecit* Deus *Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem,* seu *flammam ignis:* quia nec celerius rapiunt ut venti, nec ignis in centrum vehementius cietur, quam beati illi spiritus ad exequenda supremi Domini mandata feruntur. Solus Deus, per quem reges regnant, utpote ab omnibus independens, ab obedientiæ legibus immunis est. Tot tamen et tantæ sunt hujus virtutis venustates et gratiæ, ut Dei filius cum intra Deum obtemperare non posset qui Patri æqualis est, humanam sibi assumere decrevit infirmitatem, obedire ut posset, dicente Apostolo Hebr. V: *Et quidem cum esset Filius Dei, didicit obedientiam.* Tota Redemptoris vitæ series perpetua obedientiæ exercitatio fuit. Prima Incarnati Verbi cogitatio obedientia fuit: *Ecce venio, Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Ultimum ejus suspirium obedientia; fuit enim obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, et, ut ait Bernardus, « ne perderet obedientiam, perdidit vitam. » Moriens quoque inclinat caput, ut observat Cyprianus, quasi ponens super caput Patris mandatum.

Quia Eucharistia est Incarnationis extensio, et passionis jugis memoria et viva imago, obedientiæ etiam est perpetua expressio. Generalis est illa obedientia; etenim Patri obsequitur, cui se perenni sacrificio immolat. Sacerdotibus obtemperat, ad quorum nutum se sistit, et momento præsentem exhibet. Utrinque stupor, ut phrasi Bernardi utar, utrinque miraculum; et quod creatura Deo principetur, sublimitas sine socio, et quod Creator creaturæ obsequatur, obedientia sine exemplo. Infinitam omnipotentissimæ virtutis suæ potestatem, cum e nihilo cuncta condidit, demonstravit: at nihilo minus infinitam obedientiæ humilitatem ostendit, dum a Sacerdote toties Christus producitur, quoties divinum Sacramentum conficitur. Beneficium Incarnationis extollit Joannes, quod per illud dedit Pater

nobis potestatem filios Dei fieri : quid autem mirabilius, an accipere potestatem filios Dei fieri, an habere potestatem corpus Filii Dei facere? Magnificat Scriptura collatam Josue potestatem, quod solis cursum sistere, et Deo solis conditori et rectori meruerit imperare. *Stetit itaque sol*, inquit sacer Textus Josuæ x, *et non festinavit occumbere : non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis.* At sacerdotes non solem corporeum, sed Solem justitiæ ; non per unum diem, sed a sexdecim sæculis sistunt, et apud nos præsentia ejus et deliciis fruituros retinent. Sol, aiebat Seneca, spectatorem non habet, nisi cum occidit. Ejus miramur eclipsim cujus splendorem non suscipimus. Sol justitiæ in hoc Sacramento quotidie mystice moritur, quotidie morientis formam induit, quotidie sub specierum velo eclipsim et veluti luminis sin defectionem, certe occultationem præ obedientiæ amore patitur : et nemo miratur, quia tantum prodigium nobis assiduitate vilescit. Præclare Chrysostomus hom. 27. *in epist. ad Hebr.* expendens Josue divinitus collatam potestatem solem in medio cœlo cohibentem : « Fortasse, » inquit, « unusquisque vestrum vellet esse hujusmodi, posse imperare soli et lunæ : sed his majora assequemur, si velimus. Quid mihi opus est sole et luna, et his miraculis? Cum ipse omnium Dominus ad me descendat, et apud me firmus maneat et stabilis. »

Nec sacerdotibus solum, sed cæteris etiam omnibus obsequitur obedientissimus Jesus. Impiorum etiam conculcationibus se supponit ; unde omnibus charitate et voluntaria obedientia inferior. « Calcari enim non potest, » inquit Augustinus lib. 7. *de serm. Domini in monte*, cap. 10, « nisi inferior. » Et D. Thomas *in cap.* I. *ad Hebr.* lect. 6 : « Illud dicitur perfecte subjectum alicui quod ipse potest pedibus conculcare. » Hinc Scriptura significatura omnia Christo esse subjicienda : *Ponam*, inquit *inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Et, quasi parum esset omnibus hominibus obedire, illis in omnibus, et per omnia obsequitur Christus, nedum generali, sed cæca etiam obedientia. Omnibus sui copiam facit Christus, nec causas requirit : ad infirmos se deferri, per plateas circumgestari, indignis quoque se porrigi sinit ; quia sepulto propriæ voluntatis arbitrio, ad hoc se usque ad consummationem sæculi reliquit, ut aliorum se permitteret voluntati. Duas obedientiæ cæcæ dotes Patres spiritales commendant : nam non vultum, sed potestatem respicit imperantis, nec præcepti rationes disquirit. Christus non sacerdotis consecrantis vultum, aut animæ sive fœdum, sive pulchrum, sive sordentem peccatis, sive splendentem virtutibus considerat : solius potestatis rationem habet, ut prolatis ab ipso verbis sine mora adsit. Motiva etiam consecrantis non discutit ut veniat sive sacrilega, sive sacra intentio sit, sive Dei gloriam, ut decet sive propriam, et turpe lucrum, ut fieri sæpe et nimium assolet, inquirat, perinde est : obedire sine discretione vult, et iniquis se subjicit voluntatibus, ut superbus homo justis amet obedire præceptis.

Denique quod me stupore defigit, promptitudo est obedientiæ : momento exequitur Dominus servi voluntatem, et ut adventum suum nulla tardatione remoretur, ingentia in instanti miracula patrat, innumerisque simul locis adest, ulla ne sit verba prolata inter et sui præsentiam intercapedo. Verus obediens, uti libro de præcepto et dispensatione docet Bernardus, parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, et se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis. En genuinam Christi in Eucharistia obedientis imaginem, ubi totum se nostris devovet voluntatibus. Plane aures ejus in preces nostras inclinatæ sunt, qui sacerdotum nutibus regitur, et beneplaciti eorum expectatione totus suspensus hæret et pendet.

Si tam grata est et accepta Christo obedientia, ut ea alligari omnipotentiam suam sinat qui nullo vinculo astringi potest, ut ejus amore inescatus Christus, et magnitudinem naturalem seponat ad exiguum spatium contractus, et civilem exuat totus in nostros expensus, et sacrilegiis etiam impiorum suppositus : nonne Deo Regi regum, veroque omnium Domino subjecta erit anima mea? Qua fronte tam justum imperium detrectabit vilis creatura, posteaquam tam iniquo se Deus majestatis subjecit? Non qua tuordecim duntaxat annos, sicut olim Jacob sponsam obedientia lucraturus, sed a sexcentis supra mille annis nobis deservire non desinit amator cordis nostri, et videntur ei dies pauci præ amoris magnitudine, et nondum eum de cordibus nostris triumphare sinimus, et post tantos tanti tamque solliciti

amoris impulsus repulsam patitur et contemptionem? Teneræ militiæ est, aiebat Chrysologus, et delicati conflictus amore certare, amore referre victoriam : et tamen, o cordis humani super adamantem duri rigorem! tantæ teneritudini, tantis infiniti amoris blanditiis non cedimus? Nonne talem rebellionem talis confundit obedientia? Christus quidquid suarum virtutum est ad utilitates et compendia nostra refert et nos, cujus nostrum nihil est, Deo denegamus?

Dignum sane et justum est, Domine Jesu, ut sicut auctore Apostolo præmium obedientiæ fuit exaltatio, et nominis tui super omne nomen celebrati gloria, ut in nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum; ita ob tantam quam in Eucharistia obedientiam præstas, de omnibus gloriose cordibus triumphes. Ergo Rex esto noster, et dominare in medio inimicorum tuorum. Adveniat, quæso, regnum tuum; regnum, inquam, quod intra nos sit, quodve non est esca et potus, sed gaudium et pax in Spiritu sancto. Regnum, inquam, cui qui servit, liber et rex efficitur; a quo qui se summovet, et quam habet amittit, et in deteriorem quam assequitur incidit servitutem. Nam alia sarcina pondus habet; sarcina tua pennas habet, cujus jugum suave est et onus leve : et quod de Patre filii prodigi in collum occurrentis nati incidente scripsit Chrysologus, in te per Eucharistiam in nos incurrentem verius cadit : « Juvatur istius Patris onere filius, non gravatur. »

SPECULATIO III.

Modus, quo Christus in Eucharistia existit, paucis quæsitis exponitur.

Ex formæ Eucharistiæ superiori speculatione stabilitæ veritate, et realis Christi corporis, sanguinisque præsentia, materiæ transsubstantiatio, seu transelementatio sponte sua consequitur : sed cum forma panis solius corporis, forma vini consecrandi solius sanguinis mentionem faciat, restat, et statim se offert inquirendus modus, quo Christus sub remanentibus utriusque elementi speciebus, seu accidentibus existit.

Quæres 1° quid vi verborum, quid concomitanter sub utraque specie contineatur?

Respondeo ex vi verborum formæ corpus Christi sub speciebus panis, sanguinem sub speciebus vini contineri; cætera vero omnia nonnisi per concomitantiam hoc in sacramento inveniri.

Ratio totius responsionis est : illa ex vi formæ verborum in hoc sacramento per se ponuntur, quibus positis veritas formæ consistit; illa vero concomitanter adesse dicuntur, quæ verbis non exprimuntur quidem; illi tamen quod exprimitur ita conjunguntur, ut sine illis, quod exprimitur, esse naturaliter non possit. Atqui verbis consecrationis panis unum Christi corpus exprimitur, verbis vero consecrationis vini solius sanguinis mentio fit. Ergo ex vi verborum solum sub speciebus panis corpus, solus sub speciebus vini sanguis continetur. Verumtamen quia corpus Christi exsangue non est, sed vivum et animatum, et in Verbo subsistens, corporis præsentiam et sanguis, et anima rationalis, et persona Verbi, et ipsa divinitas naturali connexione concomitantur : quod de sanguine peræque certum est, cum a corpore, vel a Verbo divulsum non sit. Ergo quidquid in Christo est per concomitantiam in Eucharistia realiter adest, juxta illud in Ecclesia celebratum : « Caro cibus, sanguis potus; manet tamen Christus totus sub utraque specie. »

Hanc doctrinam definivit ex professo Tridentinum sess. 13. cap. 3. his verbis : « Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, animamque sub utraque contineri, vi naturalis illius connexionis, et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem; quapropter verissimum est tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri, et sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, et sub ejus partibus existit. » Quod et can. 3. necnon ses. 21. cap. 3. sancta Synodus inculcat. Idque antea definiverat concilium Constantiense sess. 17.

Irrident, scio, vel etiam hanc doctrinam conviciantur moderni hæretici, errorum tenebris et capitali quo in Ecclesiam feruntur odio occæcati. Lutherus quidem hac in parte varius, et parum sibi constans fuit : post-

quam enim in assertione articuli 16. et in responsione ad schedulam inhibitionis Episcopi Misnensis, necnon suo ad Waldenses libro dixit totum Christum sub utraque specie existere, et accipi, in informatione tamen ad quemdam amicum scribit, Christi corpus non sanguinem sub pane, et sanguinem non corpus sub vino contineri. E discipulis vero ejus Philippus Melancthon in *Apologia*, Kemnitius in *Examine decreti de communione sub utraque specie*, et Brentius in *Confessione Wittembergensi* Christum vivum, subindeque sub utraque specie totum et integrum adesse fatentur. Attamen Hilemanus libro *de sexcentis erroribus Pontific.*, et Illyricus, necnon Hermannus Hamelmanus lib. *de commun. sub utraque specie* totum Christum sub utraque specie contineri inficiantur, et concomitantiam a Catholicis assertam, diabolicum inventum esse blasphemant. Calvinus vero lib. 4. *Institutionis* cap. 17. § 4. doctrinam de concomitantia animi laxis habenis lascivientis, et ferocientis audacium vir post hominum memoriam impudentissimus appellat. Sed sacra Scriptura, ad quam solam provocant hæretici profligantur. Cum enim Christus Joan. VI. perspicue dicat, *Qui manducat me, vivet propter me*, totum se in Eucharistia manducari aptissime declarat. Neque enim aliter se Christus edendum porrigit, quam juxta conditionem et statum, quem nunc habet, subindeque corpus vivum, animatum, et Verbo hypostatice unitum tradit. Nec propterea duæ seorsim consecrationes fiunt, tum quia sic passio Christi melius repræsentatur, in qua sanguis e corpore Servatoris fuit sejunctus. Tum quia instructi divinitus convivii ratio apertius significatur, in quo anima Christo commensalis carne pascitur, sanguine potatur, si vere tamen, ut par est, justitiam esuriat, et sitiat.

Porro per corpus, quod per se directe, et vi verborum sub speciebus panis poni diximus, non est intelligenda materia affecta quantitate, vel forma corporeitatis, aliisque partialibus formis instructa; quia corpus juxta principia philosophiæ nostræ per illa non constituitur; sed intelligenda est materia informata anima, quatenus dat gradum corporeum, unde directe caro, ossa, et alia ad corporis organici integritatem pertinentia adsunt. Neque hinc inferre licet, animam vi verborum sub specie panis contineri: non, inquam, id inferas; quia anima prout dat esse vivum et animatum, vi verborum formaliter non adest. Cujus signum luculentum est, quod si in triduo mortis Christi fuisset hoc sacramentum celebratum, non fuisset sub speciebus panis anima sive vi verborum, sive naturali concomitantia præsens; et tamen ibi corpus adesset idem, non identitate formæ substantialis, sed identitate suppositi eamdem existentiam, et substantiam habentis. Cæterum quomodo corpus importet formam substantialem, quæ dat esse corporeum, dependet ex quæstione philosophica de forma corporeitatis; unde juxta suæ philosophiæ principia facile quisque respondere poterit.

Dices: Vi verborum ponitur corpus cum omnibus partibus ipsius integralibus. Ergo una cum corpore necessario et directe ponitur principium divisionis, et distinctionis partium, quod est quantitas, quæ subinde vi verborum sub speciebus panis invenitur.

Respondeo vi verborum non poni partes in ratione partium, sed secundum rationem substantiæ; unde et actio conversiva transubstantiatio dicitur. Quare non adest quantitas nisi concomitanter, quia est proprietas conjuncta corpori et coæva materiæ, quæ vi verborum adest. Ex quibus etiam Durandi opinio confutata manet, qui corpus Christi sua orbum quantitate in Eucharistia contineri arbitratus est, falso suo principio nixus de essentia quantitatis, quam in extensione locali et actuali impenetrabilitate sitam esse putavit. Sed præter ea, quæ contra ipsum philosophi urgent, stat ratio invicta a doctrina Ecclesiæ petita, quæ totum Christum, non mancum aut mutilatum, nec confusum aut indistinctum, Eucharistiæ realiter adesse confitetur.

Quæres 2. Utrum Pater et Filius per concomitantiam in Eucharistia præsentes speciali aliqua ratione sint?

Respondeo negative, contra Suarem et Vasquem: tum quia Tridentinum loco citato ea diligenter enumerans quæ in hoc sacramento vel formaliter, vel concomitanter habentur, nullam aliarum a Filio Trinitatis personarum mentionem facit, non prætermissurum si speciali aliquo titulo inessent. Tum quia quando hoc sacramentum sumimus vel offerimus sacrificium, Patrem, et Spiritum sanctum sacramentaliter sumere, vel immolare nequaquam dicimur. Tum quia ideo Tridentinum divinitatem concomi-

tanter adesse ait, quia corpori est hypostatice unita. Patet autem nec Patrem, nec Spiritum sanctum corpori esse personaliter unitum.

Nec obest personarum omnium cum divinitate unio et identitas, quia, sicut hæc identitas non facit Patrem, vel Spiritum sanctum esse etiam concomitanter incarnatos ; ita nec facit in Eucharistia concomitanter inveniri. Quia nimirum ut aliquid per concomitantiam in sacramento Eucharistiæ insit, opus est ut realiter unitum sit corpori vel sanguini, quæ verborum vi in Eucharistia continentur ; cum id solum concomitanter adesse censeatur, sine quo id quod verbis formæ exprimitur, integrum esse non potest.

Non est tamen inficiandum, totam Trinitatem speciali quadam ratione, tametsi non sacramentali, hocce in sacramento præsentem esse ; quia nimirum singularem specialissimæ erga nos charitatis effectum operatur. Præsertim quia cum hoc sacramentum divini sit centrum amoris, et ineffabilis clementiæ thronus, ibi adsit oportet Spiritus sanctus amor personalis, cui omnes amoris profusiones specialiter attribuuntur. Ibi etiam misericordiarum Pater et Deus totius consolationis adest, e cujus sinu pietatis et benignitatis fluenta Filius jugiter in nos derivaturus hauriat; quia, ut ait Bernardus serm. 53. *in Cant.*, « accubitus Regis sinus est Patris, quia semper in Patre Filius est. Nec dubites hunc Regem esse clementem, cui perennis accubitus est paternæ benignitatis diversorium. »

Quæres 3° Quomodo Christus sub speciebus existat?

Respondeo Christum esse in Eucharistia realiter præsentem per modum aliquem supernaturalem, et substantialem. Ratio est, quia certum est Christum in Eucharistia modum aliquem realem præsentiæ obtinere, qui eidem in cœlo existenti minime competit, quo in multis simul Altaribus realiter et indivisibiliter existit, quove alio modo se habet ; quod sine mutatione aliqua, sive novi modi receptione, quem antea non habebat, esse non potest. Atqui modus ille supernaturalis est et substantialis. Supernaturalis quidem, cum omnem naturæ exigentiam, omnes causarum naturalium facultates et vires excedat. Substantialis vero, cum beneficio illius Christus sit in Eucharistia ad modum substantiæ, juxta illud D. Thomæ q. 76. art. 5 : « Corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ, eo scilicet modo quo substantia continetur a dimensionibus : succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantiæ panis; unde, sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia corporis Christi. » Et hac de causa sicut tota ratio substantiæ in toto continuo, et in totis ejus partibus invenitur, ita corpus Christi totum in tota hostia, totum in singulis ejus partibus realiter existit. Atqui modus existendi substantiæ eximius substantialis est, non accidentalis, cum sit rei existenti consentaneus, et omnia accidentia saltem ordine naturæ antecedat. Ergo Christus est in Eucharistia realiter præsens ratione superadditi alicujus modi supernaturalis et substantialis, quo Christi corporis substantia afficitur, et modum existendi substantiæ imitatur. Ex quibus,

Sequitur 1° modum præsentiæ Christi in Eucharistia non esse meram relationem propinquitatis ejus ad species ; nec actionem Christi conservantis species sine subjecto, eo fere modo quo præsentia Angelorum ab ipsorum actione proficiscitur ; nec modum aliquem ubicationis, uti Suares et alii quidam existimarunt. Non est quidem relatio, quia hæc supponit fundamentum unde resultet, quod explicandum superest ; supponit enim relatio propinquitatis præsentiam, non facit. Non est etiam actio conservativa specierum, quæ species afficit, non Christum ; unde modum indivisibiliter existendi formaliter non confert. Non negaverim tamen Christum ad conservationem specierum sine subjecto existentium concurrere : tum quia miraculosi effectus omnes Christo specialiter afferuntur : tum quia cum Christus substantiæ succedat, ejus vices non passive sustentando (quod imperfectionem redoleret) sed effective accidentia verbo virtutis suæ portando supplet. Non est etiam ubicatio : tum quia modus ubicationis, si detur, supponit fundamentum cui innitatur, puta quantitatem in corporibus, operationem in spiritibus. Modus autem sacramentalis præsentiæ Christi et a quantitate, et ab actione conservativa specierum independens est.

Sequitur 2° Christum non esse in hoc Sacramento tanquam in loco, sive localiter, ut eodem art. 5. docet S. Thomas. Et ratio-

nem assignat, tum quia corpus Christi est in Eucharistia ad modum substantiæ totum in toto, et totum in qualibet parte : ergo legibus præsentiæ localis non subjicitur, nec dimensionibus commensuratur. Tum quia duplex est tantum modus existendi in loco, circumscriptivus unus, definitivus alter; at neutro modo Christus est in Eucharistia; non quidem circumscriptive, seu per commensurationem totius substantiæ, et quantitatis ad spatium, ita ut totum corpus toti spatio, et partes corporis parti spatii correspondeant; cum Christus sit totus in toto, totus in qualibet hostiæ consecratæ parte. Nec etiam definitive, eo modo, quo Angeli sunt in loco, et anima rationalis in corpore : quia esse definitive in loco est intra determinatam spatii sphæram concludi, licet in illa spiritus sit totus in toto, totus in qualibet parte; sicut Angelus non potest adæquatam loci connaturalis sphæram transilire, nec anima plura simul discreta corpora informare. At Christus in nulla hostia, nulloque altari arctatur, sed in innumeris a se mutuo remotissimis simul et semel invenitur. Ergo præsentia Christi in Eucharistia realis quidem est, at non localis tamen, sed illa superior, et eminentior, quæ sacramentalis appellatur. Quod si esse in loco penetralius accipiatur pro eo, quod est, esse realiter præsens illi loco, illique spatio in quo sunt species, tunc bono sensu admitti potest Christum esse localiter in Eucharistia; licet enim Christus solitum corporis spatium more corporum non impleat, qua de causa præsentiæ localis nomen S. Thomas aspernatus merito est; ferri tamen potest hæc loquendi formula, si nihil aliud ea intelligatur, quam vere sub speciebus contineri Christum, quæ cum in certo sint loco, consequens est eodem loci esse corpus Christi.

Ex quibus liquet quanta sit quorumdam recentiorum inscitia, qui carpendorum Catholicissimorum cujusdam in paucis celebris theologi de Eucharistia sensuum cacozelia acti scripserunt ad fidem catholicis verbis de Eucharistia efferendam et profitendam non satis esse his verbis uti : « Credo in Eucharistia corpus Christi esse realiter præsens, » nisi addatur « Christum esse præsentem præsentia locali. » Verum, ut dixi, inscitiam suam produnt, qui catholicam de Eucharistia fidem his verbis concipi oportere aiunt. Præsentiæ enim localis nusquam Patres, nusquam concilia, nusquam Tridentina synodus hac in parte accuratissima, atque ad Lutheri, Calvinique impia dogmata proscribenda congregata ista verba usurparunt. Ipse etiam Pius IV. qui juxta sacri Concilii dispositionem fidei professionis formam, et tenorem edidit, in qua articulus Eucharistiæ disertissime, et luculentissime exprimitur, voce illa usus non est. Et ipse divus Thomas clarissimus Eucharistiæ defensor, a Deoque ad exponenda Eucharistiæ arcana specialiter provisus, non solum vocem eam non adhibuit, sed eam etiam ex professo repudiavit 3. p. quæst. 76. art. 5 : « Nullo modo, » inquit, « corpus Christi est in hoc sacramento localiter. » Quæ autem tam perfrictæ frontis audacia concilia, Pontifices, Patres, doctores Eucharistiam ab hæreticis vindicantes suspectæ vel ambiguæ fidei insimulare præsumat? Sed in re planissima et ipsis theologiæ novitiis nota, et triviali immorari supervacaneum est, præsertim cum ex mox dicendis id amplius elucidaturi simus.

Quæres 4°, an corpus Christi per se, vel per accidens hoc in Sacramento moveri possit?

Respondeo ex D. Thoma art. 6. Christum in Eucharistia non moveri per se localiter, sed duntaxat per accidens, ratione specierum, sub quibus existit. Ratio sequitur ex dictis. Christus non est in sacramento sicut in loco seu modo, et præsentia locali proprie dicta : quod autem non est in loco, non movetur per se de loco in locum, sed ad ejus in quo est motum cietur.

Ex quibus sequitur 1° eorum recentiorum sententiam esse rejiciendam, qui posuere Christum non posse quidem motu progressivo, ad quem requiritur extentio, se movere; bene tamen motu simplici ei non absimili, quo gravia deorsum, levia sursum feruntur: puta si Christus e speciebus exiret, vel si cum illis ad rem dissitam se conferret : et ita in illis miraculosis casibus in sacris historiis recensitis contigisse volunt, in quibus hostiæ sacræ nullo eas deferente ad viros sanctos convolasse leguntur. Rejicienda est, inquam, hæc imaginatio. Non enim exit, vel quasi egreditur Christus de speciebus nisi cum istæ desinunt, ad quarum desitionem ipse desinit : quod enim de se habet esse indeficiens, non potest esse deficiendi principium, sed alio deficiente tunc desinit esse in eo : Christus autem habet esse in-

deficiens et incorruptibile, unde nonnisi ad desitionem specierum ipse desinit. Et, quamvis Christus in casibus miraculosis moveat motu progressivo hostiam (quod tamen incertum est) non tamen sequitur ipsum per se moveri localiter, sed tantum per accidens ad motum hostiæ a se efficienter motæ : sicut anima licet moveat corpus, non tamen per se, sed per accidens ad motum corporis localiter movetur ; et Angelus dum corpus assumptum movet, ad motum ejus per accidens movetur. Et ratio paulo ante tradita est, quia, sicut Christus non est in loco per se et ratione sui, sed duntaxat ratione specierum, quia, non est in loco ratione quantitatis molis, quæ unicum est in corporibus occupandi loci fundamentum, sicut in Angelis quantitas virtutis : ita nec per se localiter moveri potest; moveri enim localiter est mutare locum, quod fieri nisi ab occupante locum non potest.

Sequitur 2° rejiciendam esse Scoti, Durandique sententiam, qui omnem omnino motum etiam per accidens Christo in Eucharistia denegarunt. Oppositum enim certum est. Etenim cum juxta Tridentinum sess..... cap. 5. et 6. Christus in Sacramento Eucharistiæ per vias, et loca publica in solemnibus supplicationibus circumferatur, et circumgestetur, atque ad infirmos deferatur, moveri ipsum per accidens et cum speciebus mutare locum necesse est.

Porro hic motus per accidens dupliciter intelligi potest. Primum ita ut ad motum specierum corpus Christi motum, et ubi intrinsece recipiat : sic pars ad motum totius, nauta ad motum navis cietur. Secundo ita ut nullius motus vel ubi impressione afficiatur. Priori modo arbitratur Suares corpus Christi moveri ; posteriori Thomistæ et quidem probabilius : quia cum motus localis in speciebus receptus sit accidens corporeum et extensum, sicut et ubi circumscriptivum, quod est illius terminus, illud solum motum intrinsece recipit, quod accidens extensum recipere natum est : corpus autem Christi indivisibiliter in Eucharistia existens non est ad recipiendum extensum accidens idoneum : nihil ergo corpori Christi, sed unis duntaxat speciebus motu illo imprimitur.

Dices : Quomodo moveri potest quod nullum in se recipit motum, cum effectus formalis a forma proficiscatur, et esse motum a motu? Certe, sicut Christus neque frigefactis speciebus etiam per accidens friget, nec incalescit calefactis, quia neque frigus, neque calorem in se recipit ullum ita, moveri nequaquam dicetur, nullum si impressum motum recipiat.

Respondeo quod, sicut anima rationalis ad localem corporis motum moveri localiter per accidens dicitur, nec tamen calefacto corpore incalescit ; ita corpus ad motum specierum mutare locum dicitur, ad earum tamen alterationem vitiari, alterari, vel corrumpi non dicitur. Et ratio differentiæ est, quia alterari nihil potest, nisi alterum reipsa fiat ; alterum vero non fit, quod nihil recipit ad motum vero localem sufficit, ut aliquid in eo quadam ratione contineatur quod novum spatium occupat ; præsentia enim rei contentæ continentis præsentiam sequitur et imitatur.

Instabis : Non potest corpus Christi in Eucharistia realiter præsens ad motum specierum etiam per accidens moveri, nisi illis speciali quadam ratione unitum sit ; non enim movetur aliquid ad motum alterius, nisi illi conjunctum sit, ut ejus veluti ductum sequatur. At nulla inter corpus Christi et species remanentes unio interest, quæ enim? Neque enim est unio subjecti cum accidentibus, cum corpus Christi accidentibus illis non substernatur, nec ab eisdem informetur. Nec est unio continui ad continuum, cum corpus Christi sit in Eucharistia modo indivisibili et spiritali, ab omnibus proinde continui legibus absolutum. Nec est unio contigui ad contiguum, eo modo, quo liquor in vase concluditur, vel quo vestes corpori adhærent, quia hæc unio coextensioni locali innititur, cui corpus Christi eminet. Quonam ergo nexu, quo vinculo alligatur corpus Christi speciebus, ut istarum motum sequi teneatur ?

Respondeo præter vinculum amoris, quo se Deus speciebus addixit, ut omnibus etiam distantibus copiam faceret ; non enim amat, et deserit ; præter illum, inquam, caritatis indissolubilem nexum, est alia ratio, ob quam speciebus physice uniri merito dicatur. Cum enim corpus Christi substantiæ panis succedat, et in accidentia id efficienter influat quod illa passive præstabat, unitur Christus accidentibus sicut motor mobili, sicut Angelus sphæræ quam ciet, sicut columna et fulcrum (semota tamen omnis passivi concursus imagine, et labe) ædificio, quod sustentat; uno verbo effective accidentibus unitur, sicut substantia, cui sufficitur, cujusve vices

sine imperfectione gerit, accidentibus illis ante transelementationem passive copulabatur. Certe, sicut subsistentia Verbi humanitati sublatis imperfectionibus eo modo unitur, quo subsistentia creata naturæ fuisset copulata, quia ejus loco succedit et officia implet; ita cum corpus Christi substantiæ panis, cui substituitur, munera præstet, cum speciebus effective connectitur, sicut eisdem substantia panis sustentando uniebatur. Explicant id alii exemplo penetrationis, ut sicut corpus penetrans ibi est, et eo pergit, quo penetratum fertur, ita corpus Christi species pervadens earum motum sequitur. Verum hujusmodi unionis exemplum apte non quadrat, nec præsenti congruit instituto. Etsi enim corpus penetrans penetrato præsens sit, attamen ab istius loco, et motu independens est, nec ejus motum sequi obligatur, nisi unum alteri quodam vinculo naturali alligetur, quo unum aliud veluti trahat, et secum progredi faciat, nec exire sinat. Sola autem penetratio id non præstat, quia, sicut loco corporis penetrati non alligat corpus penetrans beatam spirituum subtilitatem assecutum, ita nec motum ejus sequi compellit, sed ipsum moveri sinet se immoto, nisi nexu illi aliquo devinciatur.

Quæres 5. utrum corpus Christi in hoc sacramento realiter existens ab oculo corporeo saltem glorioso et divinitus videri possit ?

Instituitur primo quæstio de oculo corporeo, non de intellectu ; quia, licet intellectus virtute naturali corpus Christi in Eucharistia existens videre non possit, cum intellectus nihil pro statu nisi per species a sensibus emendicatas, quas in Eucharistia corpus Christi non emittit, intelligere queat, attamen si intellectus lumine gloriæ perfusus ipsam divinam essentiam objectorum omnium cognoscibilium præcellentissimum intuitive videt, a fortiori corpus Christi in Eucharistia, tametsi supernaturaliter existens divinitus videre poterit.

Inquiritur secundo de oculo glorioso, id est supernaturali lumine divinitus adjuto ; quia exploratum est nullum oculum corporeum corpus Christi in Eucharistia existens ingenita naturalis virtutis facultate videre posse : tum quia corpus Christi medium diffusione specierum non immutat, ad hoc enim modo extenso et quantitativo ipsum existere oporteret. Tum quia corpus Christi est in Sacramento ad modum substantiæ, id est secundum modum, qui substantiæ ut præscindit ab accidentibus, per se convenit : sicut ergo substantia sic spectata ab oculo corporali naturaliter videri non potest, ita nec corpus Christi. Difficultas ergo superest de oculo supernaturali lumine divinitus roborato. Negant Capreolus, Suares, et Joannes a S. Thoma : nihilominus

Respondeo per absolutam Dei potentiam corpus Christi in Eucharistia existens ab oculo corporeo videri posse. Probatur ratione et auctoritate. Ratione quidem, quia, licet oculus non possit videre modum præsentiæ corporis Christi in Eucharistia, qui cum sit mere supernaturalis et invisibilis, sub sensum cadere non potest, sed a solo intellectu percipi valet; attamen corpus in hoc Sacramento existens continetur intra latitudinem objecti specificativi potentiæ visivæ, quod est coloratum et lucidum : sed nulla est repugnantia objectum potentiæ visivæ ab oculo videri, quia, licet in hoc statu sit objectum improportionatum, novo tamen supernaturalis luminis accessu aptabitur oculus, et objecti improportionem facile vincet. Sicut, etsi Deus clare visus sit objectum omnem intellectum creatum et creabilem excedens, beneficio tamen luminis gloriosi Deum qui cæteroquin intra objectum specificativum facultatis intelligentis continetur, intuitive videre potest, et reapse in cœlis videt. Nec dicas ad id non sufficere lumen, nisi habeatur objecti species, quam corpus Christi in Eucharistia in oculum emittere non potest. Non inquam, id dicas; quia nihil repugnantiæ est, vel Deum producere speciem corporis Christi in oculum videntis, vel ipsum corpus eam per operationem naturali superiorem divinitus emittere.

Favet etiam auctoritas S. Thomæ art. 7. ad 2. asserentis oculum Christi corporeum seipsum videre sub Sacramento existentem ; non tamen videre modum essendi quo est sub Sacramento, quod pertinet ad solum intellectum. Quod si Christi oculus corpus suum videt, quidni idem corpus alii oculi divinitus adjuti videre poterunt ? Dicere vero cum Capreolo textum esse mendosum et vitiatum, deceptio est, cum ita in omnibus codicibus, et in ipso Parisiensi S. Thomæ coævo legatur. Addere vero cum Suare et Joanne a S. Thoma ly « sub Sacramento », non esse conjungendum cum objecto visionis quod significatur per ly « seipsum », sed cum oculo

vidente, ut sensus sit, oculus corporalis Christi sub sacramento existens, videt seipsum absolute, non prout in sacramento, sed prout in propria specie existit, quia nimirum retinet visionem quam habet in cœlo, quæve seipsum in propria specie cernit : hoc, inquam, addere est manifestam vim plano S. Thomæ textui inferre ; non enim dixit divus Thomas, « oculus Christi videt seipsum sub sacramento existens » : quod utique dicere debuisset, si ly « sub sacramento », cum oculo vidente conjungi oporteret ; sed dixit, « oculus Christi videt seipsum sub sacramento existentem », id est fertur in corpus suum quod in Sacramento existit.

Sed inquies : Quid ergo causæ est, quod divus Thomas concedens oculum corporalem Christi videre seipsum sub Sacramento existentem, de aliis oculis gloriosis id inficiatur ; subjungit enim : « Nec tamen est simile de alio oculo glorioso, quia etiam oculus Christi est sub hoc Sacramento, in quo non conformatur ei oculus gloriosus ? »

Respondeo jure merito oculum Christi in Eucharistia existentem ab aliis etiam gloriosis oculis discernere S. Doctorem, quia alter oculus gloriosus non est capax recipiendi naturaliter species ab objecto illo ; quia quantumcumque gloriosus sit, objectum tamen suum nonnisi per species extensas videre naturaliter potest, quas corpus Christi in Eucharistia non diffundit. At vero oculus Christi corporeus ad modum sui corporis in Sacramento existit, id est modo indivisibili et inextenso, unde sui corporis speciem recipit ; et hoc est, quod voluit S. Thomas dum dixit : « Quia etiam oculus Christi est sub hoc Sacramento, in quo non conformatur ei oculus gloriosus. » Cæterum id esse absolute possibile aliis oculis gloriosis extra Sacramentum existentibus non negat divus Thomas, sed positive affirmat in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 4. q. 1. ad 1. dicens : « Oculus Christi extra species sacramentales existens non videt seipsum intra species sacramentales existentem, nisi miraculose : et similiter alii oculi gloriosi non vident ipsum hic nisi forte per miraculum. »

Dices : Implicat potentiam illam cognoscentem ferri in objectum, quod est extra sphæram suæ propriæ et adæquatæ specificationis. Atqui corpus Christi in Eucharistia existens est extra sphæram objecti specificativi, et adæquati potentiæ visivæ, quod debet esse sensibile : non est autem sensibile quod modo quantitativo et extenso non existit, quia tunc sui speciem in medium et potentiam immittere non potest : illa enim species nec indivisibilis esset, nec divisibilis; non indivisibilis, utpote in medio et in oculo extenso recepta ; non divisibilis, utpote ab objecto indivisibiliter existente emissa. Ergo corpus Christi in Eucharistia existens nulla etiam absoluta potentia ab oculo corporeo videri potest.

Respondeo corpus Christi in Eucharistia existens non amittere visibilitatem, cum lucidum et coloratum inibi perseveret : et, quamvis non sit in sacramento extensum in ordine ad locum, extensionem tamen et distinctionem in ordine ad se retinet ; unde in se visibilis et sensibilis permanet : non tamen naturaliter videtur, quia sui speciem non diffundit, sed eam Deus potest in oculum producere, et quidem extensam atque facultati videnti accommodatam. Non est etiam repugnantia ulla, quod corpus Christi per actionem naturali altiorem Deo supernaturaliter concurrente sui in oculum speciem emittat. Maxime quia modus ille spiritalis quem corpus Christi in Eucharistia habet, facit quidem corpus Christi invisibile, atque illud a conditionibus loci immune reddit ; sed dum illud a conditionibus spatii absolvit non tamen naturali vi agendi illud privat, ne privilegio illo aliquid ei depereat : unde posset Christus et se visibilem, et sensibus præbere tractabilem si vellet. Facit quidem absconditus ille Christi existendi modus, ut nullus corporeus oculus videre corpus Christi et specierum velum veluti perrumpere et pervadere possit ; non impedit tamen quominus Christus corpus suum specierum involucro voluntarie circumfusum in lucem aspectabiliter proferre queat, possitque erumpere corporis gloria, quam magno potestatis, et majore amoris miraculo suspendit, omnes ut ad se venire sinat, nullumque deterreat tantæ splendor majestatis : sicut in terris dum viveret, sponte redundaturum ex anima in corpus gloriæ effluxum retinebat, ut nobis similis apparens dulcius alliceret, vehementius stringeret, et inter tolerandos humilis vitæ labores nostræ redemptionis opus expleret.

Instabis : Non potest videri corpus Christi in sacramento existens, nisi videatur modus quo existit, cum modus ille sit ratio formalis existendi in sacramento : at modus ille, utpote insensibilis, a solo intellectu

videri potest : ergo nullus corporeus oculus corpus Christi in Eucharistia existens videre potest.

Respondeo visa re oportere simul videri modum quo existit, quando res existens et modus existendi sunt ejusdem ordinis, non diversi; tunc enim objectum specificative cernitur, sed non ut est existens, vel ut sub existentia reduplicative videtur. Sic beati illi oculi Christum in terris conversantem videntes, rem existentem quidem, existentiam tamen et subsistentiam divinam minime pervidebant. Nec propterea illa visio dicenda erit abstractiva, sed intuitiva; quia tunc solum abstractio contingit, quando unum percipitur non percepto alio ad eamdem potentiam pertinente, vel eodem modo proportionato ; nam experientia compertum est, oculum percipientem colorem, saporem non attingere, nec justam quantitatis mensuram, quando objectum est valde distans.

REFLEXIO.

Multa advertere potuit lector eruditus divinæ virtutis prodigia in modo quo Christus in Eucharistia existit : sed, ut verum fatear, unum est quod et suavius allicit, et arctius stringit, et attentum rapit, modus nimirum amoris qui sine modo est, et ultra omnem modum : quem sane dum mente recogito, verba desunt, intellectus hæret, judicium obruitur. Tanta profecto Christi caritas urget nos, hoc est non allicit modo et demulcet, sed vim etiam quodammodo cordibus nostris infert. Tam mirabilis, tam insolitæ, tam stupendæ existendi rationis modum invenit, ut nobis intimius unitus et ipse in nobis, et nos in ipso maneremus. « Magnum quidem fuit, » inquit sanctus Thomas opusculo *de sacramento Altaris* cap. 3. « Christum Dominum seipsum in peregrinationis nostræ socium dedisse : majus vero in pretium redemptionis. Hoc tamen donum adhuc est in aliqua separatione ab eo, cui datur : cum autem datur in cibum, datur non ad aliquam separationem, sed ad omnimodam unionem. Uniuntur enim in unitate corporis et cibus, et qui cibum sumit. »

Tria sunt quæ amorem sibi justissime vindicant, bonitas nimirum, amor, beneficentia : hoc triplici igne qui non incenditur, neque liquescit, ferrei cordis sit necesse est. At enim in hoc sacramento et essentiam bonitatis, et diffusionem caritatis, et beneficiorum, quorum non est numerus, largitatem possidemus. Ergo quid aliud in nobis faciat (ut Bernardus *de amore Dei* sermonem habens perpendit) considerata tanta et tam indebita miseratio, tam gratuita et sic probata dilectio, tam inopinata dignatio, tam invicta mansuetudo, tam stupenda dulcedo? Quid, inquam, hæc omnia faciant diligenter considerata, nisi ut considerantis animum ab omni penitus pravo vindicatum amore ad se mirabiliter rapiant, vehementer afficiant, faciantque præ se contemnere quidquid nisi terrenarum rerum contemptu appeti non potest? « Nimirum proinde in odorem unguentorum horum sponsa currit alacriter, amat ardenter, et parum sibi amare sic amata videtur, etiam cum se totam in amore perstrinxerit. Nec immerito. Quid magnum enim si tanto repensatur amor, si pulvis exiguus totum se ad redamandum collegerit, quam illa nimirum majestas in amore præveniens, tota in opus salutis ejus intenta conspicitur. »

Sed in tanta est, inquies, Christi in Ecclesiam, animasque dilectio, cur eum existendi modum elegit, quo faciem et se totum abscondit? Nonne potius erunt nobis lacrymæ panes die et nocte, dum dicitur nobis quotidie, Ubi est Deus vester? At quisquis hæc objicit, divini ignorat industrias amoris. Realiter Christus in Eucharistiæ adest sacramento, absens tamen videri vult, ut amorem probando acuat, acuendo inflammet : adest, ut auxilium præbeat et solatium; abesse videtur, ut ipsum animus Christianus quærat, ipsum appetat, ipsi inhiet, in quem desiderant Angeli prospicere. Denique adest, et non apparet; nisi enim adesset non præberet remedium; nisi lateret, non inescaret appetitum. Ergo, quia adest, sub umbra illius sedeamus, ut sit fructus ejus dulcis gutturi nostro ; quia latet, statque post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, in illum totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et geminatis desideriorum castorum igniculis feramur. Deficiamus in salutare ejus, hoc est, ut exponit Ambrosius *in Psal.* CXVIII, in Christum totis studiis migremus quem diligimus ; illum cogitemus, illi adhæreamus, illum personemus : in illum quadam animæ defectione transfun-

damur, præ desiderio tabescentes, et tanquam corporis viribus resoluti. « Sed quo magis lassatur affectus, eo magis amor crescit : et quo diutius abest qui desideratur, eo expectantis desideria majori quadam vi amoris ignescunt. »

DISSERTATIO III

De causis et effectibus Eucharistiæ.

Causas et effectus divinissimæ Eucharistiæ tractaturo ab illis Doctoris melliflui verbis exordiri libet : « Potestne æstimari quale et quantum sit hoc Sanctum sanctorum, Sacramentum sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum ? » Adeo enim eo in efficiendo totius pietatis sacramento certatim collucent divina attributa ; adeo patent ibi viscera misericordiæ, cogitationes pacis, mysteria salutis, adeo in Sanctos exinde profluunt copiosæ redemptionis rivi, ut in eo cœlesti convivio elaborando ac instruendo verius illud esse probetur quod de hominis formatione libro *de resurrectione carnis* Tertullianus scriptum reliquit : « Recogita totum Deum occupatum ac deditum manu, opere, consilio, providentia. »

Porro circa causam hujus sacramenti dubitare nemo potest, quin Deus sit mirabilis illius operæ pretii causa efficiens et finis ultimus ; Deus, inquam, auctor supernaturalis, a quo opus omnes naturæ vires immensum excedens procedat necesse est, et in cujus gloriam præcipuis radiis illustrandam cedit : sed inquirenda sunt primum motiva proxima, quibus permota misericordia tantæ molis opus merita excedens et vota edidit ; deinde quæ attributa in eo parando cibo splendidius eniteant, investigandum est ; demum de causa ministrante, seu de hujus sacramenti sive conficiendi, sive dispensandi Ministro prius agendum est, quam ejus effectus ordine recenseamus.

CAPUT I.

SPECULATIO I.

Specialia divinæ Eucharistiæ motiva expenduntur.

Primum est singularis et eximia præcipui amoris et excellentissimæ dilectionis, qua majorem nemo habet, nemo habere potest, demonstratio. Cum enim amoris sit amantium unio et bonorum communio, nihil ad demonstrandum amorem in nos suum hoc sacramento efficacius Christus habet, quo cor nostrum illud sibi copulaturus invadit, et omnia nobis bona sua sine exceptione largitus est, et jugiter nobiscum usque ad consummationem sæculi convivens largitur, illud implens quod alias Proverb. VIII. dixerat : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Unde pie cum Cardinali Turrecremata in opusculo de divinissimo Eucharistiæ sacramento, non ita pridem reperto, exclamare licet : O caritas Christi omni admiratione major ! Siliquis porcorum vix digni sumus, et Angelis commensales et convivæ facti sumus : panem enim cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo. Nec solum nobis panem omne delectamentum in se habentem porrigit, sed quod nos stupore defigat oportet, suas in hominum convictu delicias divinus Amor constituit. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Quid tibi, o anima mea, potuit de cœlorum vertice stillari suavius, vel porrigi delectabilius, quam quod universorum Dominus, totius boni fons et plenitudo delicias arbitretur suas esse cum filiis hominum ? O dura et obdurata corda filiorum Adam ! o gelida prorsus eorum pectora, quæ tanto amoris incendio non incenduntur et liquescunt ! Sed de his fusius speculatione sequenti, ubi de amoris divini in hoc sacramento sese effundentis largitate agemus.

Secundum instituendæ Eucharistiæ motivum fuit consolatio Ecclesiæ, quam sponso orbam manere suo Christi benignitas passa non est. Licet enim Christi conspectu sensibili Ecclesia non fruatur, ejus tamen reali præsentia jugiter potitur. Ibi invenit in mœroribus solamen, in laboribus requiem, in

fletibus gaudium, in tribulatione auxilium, in infirmitate robur, in persecutione azylum, in bello triumphum ; denique Dominus regit eam, et nihil illi deerit, in loco pascuæ ibi eam collocavit ; et si ambulaverit in medio umbræ mortis, non timebit, quoniam Christus secum est, parans in conspectu ipsius mensam adversus eos qui tribulant eam. Si Petri navis hæreseon, schismatum et criminum hominum impiorum fluctibus tunditur, si procellis jactatur, si tempestatum afflictatur sævitia, animum suum non despondet tamen, quia divinus non abest nauta, qui licet videatur in puppi dormiens, quia in Eucharistia modo mortuo existit, non dormitat tamen, neque dormit qui custodit Israel, sedans fluctus, pericula submovens, salutem morbis restituens desperatis : ejus jussu planantur undæ, tumidi fluctus sternuntur, venti diffugiunt, magnaque procella in traquillitatem maximam commutatur. Sane inter tot iniquitatis impetus Ecclesia deficeret, nisi adversariorum tela divinæ Eucharistiæ scuto repelleret. At in arenam intrepida descendit illius suavissimæ promissionis securitate recreata : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, Matth. ultimo. Hinc in primitiva Ecclesia Martyribus cum tyranno præliaturis Eucharistia porrigebatur. « Viventibus , » inquit Cyprianus epistol. 2, « Communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis Christi muniamus. Cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, et quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armamus. »

Tertium motivum fuit, ut Christus juge passionis suæ, quæ prima et fontalis est salutis humanæ causa, et præcipuum Christi in nos amoris argumentum, memoriale et monumentum Ecclesiæ relinqueret. Sicut enim Agnum paschalem Eucharistiæ figuram una cum lactucis amaris seu agrestibus Israelitæ comedebant, ita inter degustandas cœlestis epuli delicias acerbæ meminisse passionis Christus jussit, ut tanti beneficii memoriam nulla unquam deleret oblivio. Unde Christus hoc sacramentum instituens : *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem*. Et Paulus quod acceperat a Domino tradens : *Quotiescumque*, inquit I. Cor. II, *manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Quotidianum ergo hunc panem comedentes, passionis et mortis Christi immensum beneficium recolamus, ne ingratissimis ingratiores jure merito censeamur. Audiamus Jeremiam Threnorum III. monentem : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absinthii et fellis :* necnon Ecclesiasticum cap. XXIX, aientem : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam.*

Quartum motivum fuit vitæ spiritalis cœlesti alimonia pascendæ, fovendæ et augendæ necessitas. Sicut enim vita animalis quotidiano cibo indiget, quo caloris nativi humidum radicale continenter depascentis jacturas resarciat : ita suscepta in Baptismo gratia, et in Confirmatione aucta intestinis concupiscentiæ æstibus in justis etiam ad agonem manentibus cito deperiret, nisi frumento electorum et vino virgines germinante per lignum vitæ præsignato novæ creaturæ vita repararetur. Hinc Chrysostomus hom. 45. *in Joan.* : « Hic sanguis, » inquit, « facit ut imago in nobis regia floreat : hic sanguis pulchritudinem et nobilitatem animæ, quam semper irrogat et nutrit, languescere non sinit. » Qua in re suavissima clementissimi Domini providentia mire relucet, ut sicut vetiti fructus esu Protoparens ejusque propago in mortem et infinitas calamitates incurrit ; ita cœlestis cibi esu vitam habeamus, et abundantius habeamus ; ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret ; et medela ferretur inde hostis unde læserat. Nam, sicut de priori cibo dictum est Genes. II, *Quacumque die ex eo comederis, morte morieris* : ita de posteriori, Joan. VI : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Recte Basilius *in cap.* III. *Isaiæ* : « Quemadmodum corpora nostra convalescunt ac firmantur sub alterna sumptione congruentium alimentorum , ita quiddam est quod consentanee pascit animam, eique suggerit vegetas vires ad bonitatem consectandam. Quid illud tandem est ? Nimirum quod dixit Dominus, quia caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Quibus autem non suppetunt hæc, iis utique deficit robur panis et aquæ. »

Quintum motivum fuit, ut in Ecclesia juge sacrificium haberetur, sine quo nulla vera religio consistit. Fuit autem hæc oblationis perennitas necessaria, tum ut Deo supremo Domino divinos honores defferremus ; tum ut beneficio largitori dona sua perpetim

fundenti gratias perpetuas haberemus, et suæ bona nostra redderemus origini, ut iterum fluant; tum ut pro quotidianis offensis quarum non est numerus, Agnum immaculatum offerremus, ejusque sanguine melius clamante quam Abel divinæ iræ accensum peccatis nostris ignem sin extingueremus plane, certe temperaremus; tum demum ut miseriis animi, corporisque necessitatibus undequaque circumsepti et oppressi, hoc sacrificio Christi, qui semper pro sua reverentia exauditur, et temporalia auxilia, et spiritualia incrementa impetraremus. Sed de his uberius dum de sacrificio Missæ.

Denique, ut paucis multa complectar, nobiscum convivit Christus in Eucharistia, ut nobis fiat cognoscibilis, amabilis, accessibilis, favorabilis, imitabilis. Etenim cognoscendum se præbet manifestatione attributorum et prodigiorum stupendorum gloria; amandum bonorum omnium suorum diffusione; acessibilem aditus et congressus facilitate et copia, propitium et favorabilem jugi ipsius pro nobis immolatione; denique imitandum, virtutum omnium micantissimarum quas inibi exercet, puta humilitatis, obedientiæ, paupertatis, patientiæ, secessus et solitudinis, orationis, ac totius demum sanctitatis exemplo; quæ meditandi latissimum pio lectori campum aperient. Sed omnibus, ut dixi, supereminet caritas in Ecclesiam militantem quam redemit, non ferens ut quam sibi semel desponsavit, unquam deserat, vere illud Levit. XXVI. implens : *Ponam tabernaculum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea.*

REFLEXIO.

Motivorum omnium Christi incentivum potissimum, finium finis, causa causalissima fuit amor in finem diligens modo qui est ultra omnem modum; amor, inquam, dignatione dives, dignitatis nescius, suasu efficax, affectu potens, triumphans de Deo; amor, inquam, non necessitatibus tantummodo nostris providens, sed usque in delicias amans, sine intermissione benefaciens, dona donis cumulando effundens, claritatem quam dedit ei Pater dans nobis, ut « de opimitate dominici corporis » (phrasis est Tertulliani lib. *de Pudicit.* cap. 9.) Eucharistia scilicet vesceremur. Unde illud cernimus Isaiæ cap. LXVI. impletum vaticinium : *Ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus; ut mulgeatis, et deliciis affluatis ob omnimoda gloria ejus.*

Quid ergo causæ est, cur frigidum pectus nostrum nullam caritatis scintillam persentiat? Ignem venit Christus mittere in terram, et quotidianis communionibus mittit, nihil volens nisi ut accendatur; et in dies tepescimus, et refrigescimus, et induramur? « Quænam erit nobis excusatio, » inquit Chrysostomus homil. 83. *in Matth.*, « cum talibus pasti talia peccemus; cum lupi fiamus Agnum comedentes; cum tanquam oves pasti more leonum diripiamus? » Christus non tantum in salutem et utilitatem nostram, sed in delicias etiam nostras hoc in sacramento exinanitur : unde ergo est quod nos non divina delectant, nullamque capimus de Salvatore suavitatem? Salvatore, inquam, cui comparata omnis aliunde jucunditas, mœror est; omnis suavitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne postremo quodcumque delectare possit, molestum. Unde hoc igitur? Quia ex quo cordis palatum sensu carnis prævalente infecit virus peccati, cœpit anima non sapere bonum, et sapor noxius subintrare. Non perdit divinus cibus suavitatem, sed corruptus et vitiatus animalis hominis gustus non percipit quæ Dei sunt, sed mutans gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum, degenere nimis animo, menteque tota servili terrena sapit, coquorum afflatus, squalores culinæ, hesterno horrore fœtentia perquirit obsonia, cui jugiter regius deservit atque adjacet apparatus. Derelinquit homo fontem aquæ vitæ, foditque sibi cisternas dissipatas, quæ continere aquas, nisi forte turbidas, cœnosas, impuras non valent : quid ergo mirum si manna divinum, quod omnium exsuperat dulcedinum voluptates, palato non sano amarum sit, quod sano est suave, si oculis ægris odiosa lux sit, quæ puris est amabilis? Quid mirum, si non sapit bonum suum, quod est summum bonum, animus rationalis, qui quærit bonum pecorum, quod est implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, bibere, sanum esse; qui desiderat Ægyptiacas carnes, qui dicit cum Judæis carnalibus, bene nobis erat in Ægypto, cum manducabamus carnes in ollis, et alia, et cucumeres.

Vis igitur, lector optime, gustare quoniam suavis est Dominus? vis divini convivii immaculatas experiri delicias? os cordis amore aperi; illud dilectione dilata, ut im-

pleatur : quantum dilataveris, tantum accipies ; hoc uno et summo bono, et omnis boni bono exsaturatum et repletum in bonis desiderium tuum nihil subinde terrenum concupiscet, nihil esuriet, nihil sitiet, sed omni mundi suavitate abdicata, ejusque etiam concupiscentia clausa atque abdicata, uni huic vero bono in Eucharistia veluti fonte porrecto jugiter adhærebit. Unde præclare Cyprianus, sive quis alius auctor sermonis *de Cœna Domini :* « Qui manducat ex hoc pane, » inquit, « ultra non esurit ; qui bibit, ultra non sitit : quoniam mysterii hujus sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, ut cuicumque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis sine invento, Christi bajulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente. » Et iterum : « Esus igitur carnis hujus quædam aviditas est, et quoddam desiderium manendi in ipso ; per quod sic imprimimus et eliquamus in nobis dulcedinem caritatis, ut hæreat palato nostro et visceribus sapor dilectionis infusus, penetrans et imbuens omnes animæ corporisque recessus. » Ama, et divina dulcedine atque spiritus pinguedine reficiere ; quia, ut semel et iterum dixit Augustinus, verus amor non sentit amaritudines, sed dulcedines ; quia amoris soror dulcedo, sicut soror odii est amaritudo. Per dilectionem copulabit te sibi Deus, ut ei semper inhærendo, ipsum quo beatificandus es bonum ex ipso quodammodo per affectum sugas, et de ipso per desiderium bibas, et in ipso gaudium semper possideas, « Suge, » inquit, « o apicula, suge, suge, et bibe dulcoris tui inenarrabilem suavitatem : immergere, et repleare ; quia ille deficere nescit, si tu nescias fastidire. Adhære ergo, et inhære ; sume, et fruere ; si sempiternus gustus fuerit, sempiterna quoque beatitudo erit. » Hæc S. Pater lib. 13. *Confess.* et lib. *de Subst. dilect.*, vel quis alius apud Augustinum. Has cœlestis sponsi delicias, hanc suavitatem quam nemo scit nisi qui accipit, hos de fontibus Salvatoris egredientes castæ delectationis torrentes, has humilium nectareas lacrymas, hæc contemplantium beata suspiria, hunc rorem matutinum de cœlestibus stillantem, hoc superabundans gaudium, hanc pacem Domini quæ exsuperat omnem sensum, quam ve Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis largitur ipsum quærentibus in veritate, hanc denique unctionem spiritus mentem delinientem tibi aveo, lector, et mihi tuis precibus impetra ; spero enim fore, ut id nobis mutuis precibus, et Dei potissimum gratia contingat.

SPECULATIO II.

In Eucharistia efficienda adeo potentia, sapientia, et dilectio Dei eminent, ut dicere ausim, quod cum Deus sit omnipotens, plus dare non potuit ; cum sit sapientissimus, plus dare nescivit ; cum sit ditissimus, plus dare non habuit.

Solius Dei est magna facere, nec ulla est tam vilis et despicabilis creatura, in qua supremi artificis infinita virtus et industria præcipuis radiis non splendeat, verumque probetur illud propheticum : *Qui facit mirabilia magna solus.* Illud discriminis interest inter opera a solo Deo elaborata, et illa quæ una cum causis secundis coefficit, quod sicut priora numeris omnibus absoluta sunt ; vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona : ita posteriora sexcentis sæpe et fere semper nævis, mendis, et vitiis scatent : quia nimirum opera quæque sua Deus præclarissimis et indefectibilibus conformat ideis et exemplaribus, quorum similitudinem dum referunt creaturæ, non egregia esse non potest expressa earum ad tantum archetypum facies. At vero dum causis secundis, utique infirmis, e nihiloque productis sese attemperat ; dum earum se aptat et veluti servit imbecillitati, et in agendo languori, vitiatum exit opus debiliorem partem secutum : non secus ac a pictore quamlibet præcellenti impolita, rudisque imago adhibitis lentis dilutisque pigmentis, et inculto penicillo confingitur. Propriis ergo duntaxat operibus suæ virtutis characteres Deus imprimit.

At enim, etsi Deus nullis circumscriptus limitibus, eosque solum in agendo fines agnoscens quos sua sibi voluntas præfinivit, cœlum et terram, naturam et gratiam stupendis prodigiis adornarit, in conficienda tamen Eucharistia nedum hactenus edita miracula, sed seipsum etiam superare visus est. *Memoriam* enim *fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* In hoc enim mysterio potentiam suam, sapientiam, et amoris divitias quadantenus exhausit, ut hac speculatione clarebit ; neque enim hæc materies, tametsi moralis, et tota ad pietatem comparata, a

theologico instituto aliena censenda est; sed potius existimanda dignissima quæ tractetur, tum ut hujus divini operæ pretii causam efficientem et consilia dignoscamus; tum ut huic Sacramento divinos honores deferamus; tum ut quos largissime fundit gratiarum fructus uberes capiamus : quæ omnia minime consequi dabitur, ea nisi diligentissime exponamus, quæ sacrorum mysteriorum majestatem magis illustrare posse videantur.

Eucharistia divinæ omnipotentiæ non plus ultra, seu ultima meta.

« Cum Deus sit omnipotens, plus dare non potuit. » Etsi omnia Dei perfecta sint opera, non solet tamen supremus Artifex operibus singulis ultimam statim adhibere manum, sed sensim, et gradatim cujusque perfectionem profert, producit, et amplificat. Hac de causa opus creationis ab opere distinctionis, et utrumque ab opere ornatus Scriptura discernit. Postremum sex dierum opus homo fuit, cæterorum omnium epilogus et coronis. Quia beatitudo est ordinis supernaturalis finis, ideo status bonorum omnium aggregatione perfectus ab omnibus appelatur. Innumera Christus miracula toto vitæ curriculo patravit, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros, uti Joannes in Evangelii calce testatur; semper, et quaqua iter habebat, pertransibat benefaciendo, sed quanta-quanta fuerunt illa opera, præludia duntaxat fuerunt ad opus in finem dilatum et asservatum : *Nam cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Ultra progredi non potuit Christus, nisi aliquid quæramus post omnia.

Merito Salvator de Ecclesia sermonem habens, eam sæpe sæpius Regnum cœlorum appellat; Gregorio enim interprete, « Regnum cœlorum præsens Ecclesia nominatur. » Post institutam Eucharistiam id longe verissimum probatur, impleturque illud oraculum : *Ecce creo cœlos novos, et terram novam.* Unde Chrysostomus Ecclesiam in cœlum per Eucharistiam commutari toties affirmat. Etenim sicut cœlum est Dei auctoris naturalis operæ pretium, ita Eucharistia est operum supernaturalium consummatio. In cœlo divinæ virtutis gloria clarescit juxta illud, *Cœli enarrant gloriam Dei;* in Eucharistia non esse impossibile apud Deum omne verbum demonstratur. Cœlum in omnia inferiora virtutem diffundit suam, terram fœcundat, foris eam floribus, fructibus, plantis vestit, intus metallis ditat; Eucharistia divinorum est charismatum fons irriguus, in totum quam late patet Ecclesiæ campum profluus, ipsa etiam mundi viscera arcana virtute pervadit, patientis Ecclesiæ piaculares flammas temperatura. Cœlum innumerabilibus distinguitur stellis, quarum aliquot primæ magnitudinis, altera secundæ magnitudinis, alia tertiæ magnitudinis sydera astrologi vocant; Eucharistia tot miraculis fulget, quot stellis cœlum, illaque ad tres veluti classes similiter revocare est. Miraculorum enim genus aliud est « præter naturam », aliud « supra naturam », aliud « contra naturam ». Panem in corpus Christi converti naturæ haudquaquam repugnat, cum conversionum substantialium exempla quotidiana experientia suppeditet; sed totam substantiam in aliam nulla remanente materia transire et transsubstantiari, « præter naturam » est, et Eucharistiæ eximium. Idem corpus in multis simul inveniri locis, et totum in toto, totum in qualibet spatii parte realiter existere, non obsistit natura; quæ animam totam in capite, totam in pede protendit, quæve eamdem concionantis vocem in multiplices astantium aures diffundit : at idem corpus pluribus simul ades se locis nulla prorsus ratione continuis aut contiguis, « supra naturam » est. Accidentia sine subjecto subsistere, corpus extensione locali orbari, « contra naturam » esse cito crederemus, nisi privata rerum propensio generali, quæ potentia obedientialis dicitur, ultro concederet, dicente Augustino lib. 21. *de Civit.* cap. 8. lib. 26. *cont. Faustum*, cap. 2 : « Tanti utique Conditoris voluntas, rei cujusque natura est. Id cuilibet rei naturale est, quod ille fecerit, a quo est omnis modus, numerus, ordoque naturæ. »

Sed apertiori, sensibiliorique argumento utamur : Si per impossibile Dii plures existerent, et alter alterum convivio apparatu divino excipere peroptaret, an sodes lautiores apponere epulas, vel splendidiorem ea posset instruere mensam quam nobis Christus paravit, non vitulorum aut hircorum aliorumve opsoniorum delicias et cupedias atque nectareas potiones, sed ipsam divinitate unctam carnem in cibum, et infiniti pretii sanguinem proprium in potum por-

recturus, ipsomet attestante : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus?* Vel aliud possibile quidem, sed nunquam futurum supponamus : Si ipsa adorandæ Trinitatis prima persona humanam naturam assumens caro fieret, et tantum Patrem hominem factum tantus Filius Christus Dominus ea qua par est magnificentia excepturus, fercula non in orbe solum condito, sed in immensis omnipotentiæ thesauris sedulo pervestigaret, certe nihil illo cibo potuque pretiosius, exquisitius, et æterno Patre dignius inveniret, quo nos reficit et pascit. Qualis mensa, qualis cibus qui Deo ipsi sufficeret ! sed quid in supponendis quæ futura non sunt moror? Testatur ipse Filius se eo modo nos excipere peroptare, quo a Patre excipitur. *Et ego*, inquit, *dispono vobis sicut disposuit mihi Pater*, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Quasi diceret, eo vos loco habebo, quo Pater me et qua Deum et qua hominem habet : qua Deo naturam, perfectiones mihi omnes largitur, et sese largiendo exhaurit ; nihil dando excipit, nisi titulum Patris quem dare non potuit, ita ut sim alius, non aliud : qua homini non solum gratias et dotes omne genus profudit, sed omnem plenitudinem divinitatis corporaliter inhabitantem contulit, et quidquid habet, totum in me derivavit, qui nihil retinuit. En ex quo archetypo opus Eucharistiæ duxi ; meam enim mensam usurpantibus, et corpus, et animam, et personam, et divinitatem, denique me totum porrigo ; et cum sim omnipotens, plus dare non possum.

Eucharistia divina adinventionum sapientiæ ultimus conatus.

Cum sit sapientissimus, plus dare nescivit : nec quippiam melius vel opportunius excogitare in omni sapientia sua ille potuit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi. Miraculorum miraculum edidisse videtur potentia Dei, ita vincens scientiam nostram, ut fidem humana ratio detrectaret, nisi fide freta daret Deum posse aliquid facere, quod nequit ipsa comprehendere ; essetque in talibus rebus tota ratio facti potestas infinita facientis, secura non opus esse curiositate post Christum, nec inquisitione post Evangelium.

Verumtamen potentiæ divinæ micantem undique in hoc mysterio splendorem obscurare quandantenus videtur sapientiæ, quæ ibi sibi domum ædificavit, lux ineffabilis specierum licet sacramentalium velo, nec foret importabilis, involuta, præclarum illud cujusdam sapientis implens effatum : « Magni artificis est totum clausisse in exiguo. » Triplicem immensæ sapientiæ radium, aliis prætermissis, speculandum propono. Sane sapientiæ illius non esse numerum fateare necesse est, qua factum est, ut Christus ascensione in cœlum a nobis abscedens nobiscum permaneret, ut Agnus immaculatus jam immortalis, quotidie tamen hoc sacrificio mystice moreretur ; ut demum homines in hac lacrymarum et calamitatum valle anticipatis Paradisi felicitatibus bearentur. Singula expendamus.

Singularem celeberrimi judicii sapientiam totus orbis miratus est, quando Salomon contendentium de puero mulierum litem composuit ; cum enim utraque mater filium superstitem suum esse diceret mortuum vero et nocte oppressum altera alteri asseret, meretricum discordiam sapientissimus Rex compositurus dixit : *Afferte mihi gladium.* Cumque attulissent gladium coram Rege : *Dividite*, inquit, *infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri.* Facta est et inita Ecclesiam triumphantem inter et militantem pugna amoris, non discordia voluntatum, sed rerum : Jesum quia Deus est, revocabat cœlum ; Jesum, quia homo est, terra retinebat : alliciebat Filium unigenitum sinus æternus Patris ; distinebat Filium hominis sinus virgineus Matris : Angeli attolli et elevari portas æternales, ut introiret Rex gloriæ, instabant ; homines Christum sibi datum, sibi natum, a se divelli ægre patiebantur. Felix pugna, in qua de Christo possidendo certatur ! In tam suavi dilectionis conflictu hæret suspensum cor Domini Jesu omnibus omnia factum, utriusque Ecclesiæ desideriis prolectatum ; quia hinc sursum, hinc deorsum peræque trahitur, nutat, cunctatur, similis ferro inter duos magneticos lapides peræque librato. Quo se vertet multo magis quam Pauli coarctatum e duobus amantissimi cor Salvatoris? Fortassis Salomonis exemplo humanitatem a divinitate divisam, hanc cœlo, illam terræ restituet ? At enim, *Ecce plus quam Salomon hic*, ab humanis divina non sejunget ; quod assumpsit nunquam dimittet, nec cœlum expectationibus suis frustrabitur ; nec terras

suo jure depellet; quod suum est, unicuique tribuet, et Patri et Matri, et Angelis et Apostolis arte mirabili satisfacturus : nam et hic quidem cœlum suscipiet usque in tempora restitutionis omnium, et una nobiscum erit usque ad consummationem sæculi. *Vado*, inquiebat, *et venio ad vos;* ad cœlum Ascensione vado, ad vos Eucharistia venio; vado ad Patrem præmia percepturus; venio ad vos mœstitias vestras solaturus. Vere testante Isaia cap. v : *Deus noster* (Christus nimirum per Incarnationem noster factus) *multus est ad ignoscendum;* quia hoc infinitæ sapientiæ miraculo unus cum sit, quadantenus multiplicatur, dum cœlo simul et terræ realiter adest, nec pallium duntaxat suum sicut Elias Eliseo relinquit, sed totum se Angelis fruendum, totum se Fidelibus in Eucharistia edendum præbet. Ergo mira solertia et simul a nobis visibiliter abest, et invisibiliter, realiter tamen et jugiter adest, quia cum sit sapientissimus, plus dare nescivit.

Ingeniosa sane sapientia, quæ absentem nobis Christum præsentem effecit : sed ecce alterum industriæ suæ miraculum peræque stupendum, peræque nobis compendiosum. Infiniti pretii fuit copiosa et superabundans Christi morientis passio, sive rei oblatæ dignitas, sive offerentis personæ divinæ seipsam humiliantis exinanitio expendantur; omnes strictæ justitiæ leges de rigore accurate et ad amussim eo opere servatæ sunt, longeque plura offenso Deo Christus sese deprimendo restituit, quam homo superbiendo abstulerat. Attamen sapientia Christi, ingrati Christianorum tanto beneficio abusurorum animi præscia, quorum eo pravior futura erat iniquitas, quo Filium Dei conculcare, sanguinem Testamenti pollutum facere, Christum in semetipsis rursum crucifigere, et gratiarum fonti obicem ponere atrocius est; hæc, inquam, prænoscens Christus, sciensque ægerrime pacatum semel morte sua Deum novis deinde criminibus exasperatum post violata fœderis capita reconciliari, novum excogitat benignissimus Mediator remedium, quo possint homines passionis amplissimo pretio abusi in offensi Patris gratiam redire. Quid ergo faciet nunquam benefacere pertæsus Salvator? Forte caput suum iterum offeret, iterum vitam, fundendum iterum sanguinem devovebit? Non detrectaret iteratæ mortis agones immensus Redemptoris amor : at æterno immobilique decreto Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Forte præteritæ passionis immensum pretium Patri rursum exhibebit, et tantæ humilitatis memoriam revocabit? Ita plane; ideoque vulnera tanquam æternæ caritatis suæ monimenta Patri identidem ostensurus servavit : attamen tantæ Christi dilectionis memoria Christianorum est impietatis exaggeratio, eorumque ingrati animi amplificatio. Nova Christi morte opus esset, qua Christianis iterum mortuis vita restitueretur. Et hoc est divinæ sapientiæ arcanum, quo Christus in Eucharistia sin moritur, modo certe mortuo vivit, seipsum quotidie sacrificaturus, nunquam tamen moriturus. *Vidi Agnum tanquam occisum*, aiebat Joannes, *habentem oculos septem.* Tanquam occisus offertur, cujus corpus a sanguine mystice separatur : habet oculos septem, quia sapientiæ radii undique in hoc mysterio nitent, ut cum sit sapientissimus plus dare nesciverit.

Immensa fuit sapientia crucis, qua mortui vita, captivi libertate, inimici gratia, orbis pace donati sunt : sed si dicere liceat, Eucharistiæ sapientia illustrioribus nitet fulgoribus. Acceptissimum quidem erat Christi morientis sacrificium, sed tam præclare hostiæ gloriam Judæorum sævitia, Judicis iniquitas, tortorum rabies subobscurabant : ac tam novum infandi flagitii genus Sol ne videret, obscuratus est, contremuit horrore terra, et sceleris granditatem elementa senserunt; ipsi etiam Angeli pacis amare flebant. At in Eucharistiæ sacrificio nihil non amabile, nihil non acceptum Patri exhibetur, et juxta Malachiæ prophetiam a solis ortu usque ad occasum in omni loco sacrificatur, et offertur nomini Domini oblatio munda, hostia pura, hostia sancta, immaculata, panis sanctus, calix salutis perpetuæ. Hinc exclamat cap. IX. Zacharias : *Quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans Virgines?* Hinc Isaias cap. XXV. anticipato hujus sacrificii odore suavitatis illectus, illud *convivium vindemiæ defæcatæ* appellat, id est ab omnibus illis sceleribus mundæ, quæ operi Passionis impietate Judæorum permixta sunt. O sapientiæ miraculum vincens quodvis prodigium! Pro nobis quotidie Christus moritur, nec perdit vitam; fundit sanguinem, nec amittit; occiditur, nec qui occidunt sunt tortores, sed sacerdotes. Ergo, cum sit sapientissimus, plus dare nescivit.

Denique tertio sapientiæ miraculo terra cœlum efficitur, et mortales vitæ hujus miseriis immersi ante mortem beatitate donantur. Beatus est qui habet omnia quæ vult, et nihil mali vult : velle et quod volumus non habere, pœna damnati est ; habere, sed male velle, major est cordis de perversitate pœna. Verum et unum bonum nostrum Christus est desideratus cunctis gentibus. Ergo dum ipso in Eucharistia fruimur, beati in antecessum sumus.

Accedit divina Eucharistia caritatem pasci et saginari, qua in terris degentes quæ sursum sunt quærimus, quæ sursum sunt sapimus, et cœlos mentis conversione incolimus. Sapientiæ est finem intendere, et idonea ad ipsum obtinendum apparare ; attingit enim a fine ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter : finis Christinæ vitæ non consumens, sed consumans Deus est visione possidendus : ad illum caritate veluti unico medio possumus pervenire, qua a terrenis expediti cœlestibus inhiamus, magna magne desideramus ; tota enim vita Christiani boni, ut Augustinus docet bonum desiderium est, cujus amplitudini æternum respondet gloriæ pondus ; quia desiderium, inquit D. Thomas 1. p. quæst. 12. art. 6. quodammodo facit desiderantem aptum et paratum ad susceptionem desiderati. Quod sane desiderium Eucharistia accendit, urgente caritate quam inflammat.

Ad quorum profundiorem notitiam considerandum est, triplicem inesse rebus omnibus perfectionem ab auctore naturæ diffusam ; esse nimirum naturam constituens, finem naturam perficientem, et inclinationem ad finem convenientem ferentem et veluti manuducentem. Forma ignis, v. g., ejus naturam constituit ; locus sursum ignem tanquam centrum et finis allicit ; levitas sursum impellens propensio est, qua ignis veluti pondere fertur quocumque fertur, eaque actus obices perrumpit, montes concutit, ferrum et marmora diruit ignis inclusus. Animus rationalis hominem facit ; veritas nota hominem beat ; veri sciendi ardor hominibus omnibus inseminatus et altissime impressus inclinatio est, qua homo veritatem inquirit falsitatis impatiens. Hæc triplex dos a tribus Dei attributis proficiscitur. Potentia infundit esse ; effectus enim universalissimus, ut docet D. Thomas, respondet causæ universalissimæ : bonitas Dei finem præstituit ; bonum namque, auctore philosopho, et finis convertuntur : sapientia demum media ad finem assequendum disponit et designat, et ideo dicitur quod sapientiam suam Deus super omnia opera sua effuderit.

Quia gratiæ est naturam perficere, non interimere vel invertere, eamdem in ordine supernaturali œconomiam Deus observat. In hoc divino statu esse supernaturale gratia constituit, qua ex Deo nati divinæ sumus consortes naturæ : finis est Deus clara visione et æterna dilectione possidendus ; medium caritas est ignis ille divinus in cœlum unde descendit semper inclinans. Porro trinus hic ordinis supernaturalis effectus e tribus potissimis Religionis mysteriis defluit. Esse et vitam supernaturalem Christus moriens contulit, filiosque inter agonis dolores peperit : cœlum aperuit Christus ascendens : ad cœlum permovet infusa in Deum propensione Christus in Eucharistia nos pascens ; cor ipsum invadit, ut sit internum veluti pondus quo ad cœlestia rapiamur. Nam, ut ipse ait, *qui manducat me, vivet propter me*. Vitam autem in motu sitam esse nemo ignorat : propter Christum ergo vivit qui Christo pascitur, quia in divina jugiter cietur. Unde illud Apostolicum vere usurpare potest, qui necessaria cordis castimonia divinis epulis refectus est : *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus.*

Cæterum sicut nihil cibo illo divino præcellentius, ita nec medio illo permovendum in finem suum novum hominem aptius et opportunius excogitare potuit sapientia infinita. Etenim, ut recte S. Thomas argumentatur, homo nec solo corpore, nec una duntaxat anima constat, sed ex utroque coalescit : corpus cum animantibus commune plantis, fructibus, carnibus Deus alit ; animam immortalem veritate pascit : neque enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei : hominem vero integrum cibo hactenus orbum seipso pane vivo nutrit, corpori beatæ immortalitatis semina inserens, animo spiritus pinguedinem largiens, et novam creaturam in baptismate natam, in confirmatione auctam cœlesti pabulo fovens, ab intestinis cupiditatis æstibus incolumem servans, vires resarciens, et ineffabilium charismatum opimitate et beatissima copia saginans.

Eucharistia divini amoris effusionum coronis.

« Cum sit ditissimus divinus amor plus

dare non habuit. » Miretur quem libuerit splendentia in Eucharistia omnipotentiæ miracula : suscipiat sapientiæ cujus non est numerus consilia : sine tamen, Domine Jesu, ut totum me tui mecum in Eucharistia conviventis permittam amori. Nimis me alicit, arctius devincit, stringit vehementius amabilitas tua, ut alteri dare locum affectui vel possim illectus, vel debeam ne sim ingratus. Sileat mentis inquisitio scrutatrix majestatis opprimenda a gloria ; una loquatur dilectio : solus ex omnibus animi motibus, sensibus atque affectibus, amanti Jesu, totique desiderabili respondeat amor, quia dum dilectionem cerno Salvatoris effusam, nihil sine dubio aliud vult quam amari ; non ad aliud quippe amat nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos qui se amaverint. Splendet potentia, sed terret virtus, cui non possum resistere ; nitet sapientia, sed quid tam timendum, quam oculus cui non possum abscondi ; imperfectum enim meum viderunt oculi ejus ? At tantus et talis amor terrores temperat et pavores. Nam cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. *In finem*, seu ad finem usque vitæ suæ. *In finem*, id est ultra finem vitæ amore usque ad consummationem sæculi duraturo. *In finem*, id est ut exponit S. Thom., « usque ad ultimum finem amoris, » ibi metas figens, nec ultra progredi valens. *In finem*, id est modo qui est ultra omnem modum, quia, ut ait Chrysostomus *in cap.* XIII *Joannis* : « Nihil omisit quod vehementer amantem decet. » Et sacrum Tridentinum sess. 13. cap. 2 : « Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc instituit, in quo divitias sui erga homines amoris velut effudit, » ut ex sequentibus demonstrationibus palam erit.

Primo amantis est bona sua diffundere, quæ Christus nobis hocce mysterio sine exceptione largitur. Multifariam, multisque modis bona sua creaturis rationalibus benignissimus Dominus impertitus est : verum in eis dandis, vel aliquid dominium suum significaturus excepit, vel ea certe inæqualiter, speciali nonnulos prærogativa donaturus, distribuit. Adamo mox condito liberum Paradisi voluptatis omnigenorum fructuum usum permisit : at ei vitæ fructus esu interdixit tamen. Post diluvium animalium carnibus vesci indulsit ; quasdam tamen exercendæ causa obedientiæ prohibuit. Voluntates suas data per Moysem lege hominibus patefecit ; sed ejus luce unum angustæ Judeæ angulum illustravit. In cruce corpus terræ, at spiritum Patri commendavit. In Incarnatione omnem quidem inhabitantem Divinitatis plenitudinem sacrosanctæ humanitati communicavit, sed ad tantam sublimitatem unus Christus qui prædestinatus est Filius Dei provectus est. In cœlis totam gloriæ majestatem Beatis expandit ; at tanto beneficio pusillus electorum grex beatur, magnaque interest gradum felicitatis differentia, stella enim differt a stella in claritate. Verum in Eucharistia se totum omnibus, et singulis dat, se totum animæ, se totum corporis suscipientis largitur ; fit enim, ut aiunt Patres, « nobis consanguineus, concorporeus, nobisque permiscetur. » Alibi gratiarum rivos veluti per canales et aquæductus Deus in nos derivat : at hic fons ipse porrigitur. Haurietis in gaudio, inquit Propheta, de fontibus Salvatoris : et salutem habemus et Salvatorem, et lumen et Solem, et vitam et Auctorem vitæ, et meritum et principium meriti possidemus, ut jure illud cujusdam Patris usurpemus : Quantus Filius in Patre, tantus in utero Virginis ; quantus in utero Virginis, tantus in ore pectoreque fidelis.

Secundo amantis est cum re amata intimo dilectionis nexu copulari ; hinc languor et desiderium cum ista abest ; hinc gaudium dum adest : et quia exoptant amantium corda liquescere ac in se vicissim transfundi et corporis obice impediuntur, hinc et suspiria fundunt et in amplexus ruunt. Solus Christi in Eucharistia amor objectacula quæque intimæ unionis perrumpit, os ingreditur, pectus pervadit, cordi ipsi illabitur. Recte observavit S. Thomas in aliis divini amoris effectibus quamdam semper contingere separationem : nobis se dat Christus nascens, sed in socium ; dat se docens, sed in magistrum, dat se conversans, sed in exemplum ; dat se sanctificans, sed per diffusam in cordibus caritatem, dat se regnans, sed lumen gloriæ illius æternæ unionis nexus est. At in Eucharistia ipse unitur, et ipse unio ; ipse qui dat, et ipse donum ; quia dum se in edulium convescens præbet, in nos non mutatur quidem, sed in se mutat, totosque transformat : *Claritatem*, inquit, *quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus*. Plane factus est tanquam unus ex nobis, imo non tanquam, sed vere unus ex nobis, quin idem nobiscum.

Tertio amantis est non quæ sua sunt quærere, sed sepositis propriarum rationum studiis, unis amici utilitatibus inservire. Et hæc est characteristica Christi in hoc Sacramento amoris dos. Multa sane instituendæ Eucharistiæ intercedebant : videbatur tantam Christi familiaritatem divinam non decere Majestatem, neque enim bene conveniunt, nec in eadem sede morantur majestas et amor. Congruere videbatur non omnibus promiscue Sacerdotibus corporis Christi conficiendi dandam esse facultatem, multoque minus ubique, semper et omnibus etiam impiis et sceleratis permittendum, cœlestis cibi liberum esum : solis Summis Ecclesiæ Christianæ Hierarchis vel Episcopis, et quidem certis locis, definitisque temporibus celebrandæ Eucharistiæ facienda facultas videbatur, ne usu vilesceret mysteriorum augustissimum, et tanta frequentia contemptum esset paritura. Cur, Domine Jesu, substantiam tuam dissipas cum criminosis et meretricibus, facisque ex charitate quod prodigus a te memoratus ex libidine præstitit? Cur sanctum canibus, margaritas projicis ante porcos? Has aliasque ultro sese ingerentes repugnantias, inconvenientia, indecoras ingratorum hominum futuras rationes vicit amor dignatione dives, dignitatis nescius, suasu potens, affectu efficax, de Deoque triumphans : inferendas injurias, et hæreticorum blasphemias, infanda peccatorum sacrilegia præscit et fioccifacit purissima Christi dilectio ; nam aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam.

Hac de causa divinus Apostolus hoc de sacramento sermonem habens, temporis institutionis signanter meminit. *In qua nocte tradebatur*, inquit, hoc extremum ultimæ dilectionis pignus nobis reliquit. Itane panem vitæ mortem illaturis parat, et excogitantibus hominibus mille Christo nocendi artes beneficiorum summum, et summam meditatur? Quodnam est istud sacræ antiperistatis genus, quo ingravescente frigore iniquitatis, increbrescit Christi ardor dilectionis, ut eis porrigat cibum omne delectamentum in se habentem, qui mox acetum felle conditum sunt propinaturi? Ne mirare : purus est Christi amor, ipse qui amat, ipse unde amat ; nec nostris allicitur meritorum motivis, vel utilitatum suarum compendiis ; amat quia amat verus amicus ; nullum nisi ex inexausto pietatis suæ fonte eruit, quærit, invenitque illicium. Percussa petra fluxerunt aquæ : petra autem erat Christus, ex eoque illa ipsa nocte qua laboribus, doloribus, opprobriis, contumeliis percutiendus traditur, profluxit Sacramentum sacramentorum, jugisque bonorum omnium scaturigo, ut cum sit ditissimus, plus dare nequiverit.

Quarto amantium est quem experiuntur amorem peculiaribus significationibus testatum facere. Nonnullos variarum ætatum insignes viros singularibus prærogativis decorasse Deum nemo est qui ignoret : at totus ille favorum acervus uni Eucharistiæ privilegio concedit. Omnibus decessoribus suis gratia et dignitate Joannes Baptista præstitit ; et testante Veritate nullus eo major inter natos mulierum unquam surrexit. Verum post ejus celebrata encomia, post ipsumque cæteris omnibus antelatum, eumdem fidelium minimo Veritas ipsa postposuit : *Qui minor est in regno cœlorum* (id est Ecclesia, uti Patres interpretantur) *major est illo*, Matth. XI. Ipsum in utero inclusum visitavit Verbum caro factum ; in ipsum primus lucis suæ radios Sol justitiæ effudit. At *qui minor est in regno cœlorum*, minimus, inquam, novi testamenti fidelis, *major est illo*, quippe quem Christus non semel, sed quotidie nedum invisit, sed invadit, nec domum tantum ingreditur, sed cordi etiam ipsi illabitur. Incomparabilis fuit Joannis Evangelistæ gratia, qui supra pectus Domini in cœna recubuit. At *qui minor est in regno cœlorum*, postrema, inquam, Christianismi miracula, *major est illo*. Numquid familiarius et blandius est Christum in corde nostro quotidie quiescere et reclinari, quam momento super pectus recumbere Salvatoris? Beata fuit sancti senis Simeonis puerum Jesum in ulnas suas accipientis sors : dimitti se in pace professus est, quia viderant oculi sui salutare Dei. Verum *qui minor est in regno cœlorum, major est illo*, qui Christum non brachiis amplectitur, sed ore sumit, corde suscipit, et Dominum manducat pauper, servus et humilis. Quanti facienda sit beati Patriarchæ Joseph Deiparæ sponsi prærogativa, qui Deificæ Christi carnis nutricius et Creatoris sui altor fuit, nemo in dubium revocat. Cæterum *qui minor est in regno cœlorum, major est illo* : nam Christum cibis corruptibilibus pascere, ipsa Christi carne divinitate uncta pasci longe inferius est. Optimam partem elegerat Magdalena Christi contemplatione contenta ; beati erant disci-

pulorum oculi Christum videntes, beatæ aures verba vitæ æternæ audientes ; quia multi Prophetæ et justi cupierunt videre quæ viderunt, et audire quæ audierunt ; nec videre, neque audire datum est. Attamen « qui minor est in regno cœlorum, major est illis ; » quilibet namque fidelium, ut Chrysostomus ait, ipsum tangit, ipso vescitur, ipsi unitur. Ergo, cum sit ditissimus divinus amor, plus dare non habuit.

REFLEXIO.

Frumento et vino stabilivi te (frumento, inquam, electorum, et vino virgines germinante) : *ultra quid faciam*? Genesis XXVII. Quid enim potui facere, et non feci ? Nec minas, nec promissiones : nec verbera, nec blanditias : nec prospera, nec adversa ; nec prædicationem foris sonantem, nec inspirationem intus coruscantem ; nec Scripturas, nec miracula ; nec doctrinam, nec exempla ; nec vitam, nec mortem, denique quo te allicerem nihil omisi, intentatum quo tibi placerem nihil reliqui ; post dona mea dedi meipsum, dedi immeritis, dedi indignis, dedi ingratis, dedi in cibum ut gustarent quoniam suavis est Dominus ; deinde in potum, ut inebriarentur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis potarentur.

Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Eccles. XX. Immensum thesaurum possidemus, miraculorum miraculum tenemus : nihil ad salutem efficacius, nihil ad omnia salubrius excogitare potuit Deus ; et nudi sumus, et miseri, et miserabiles ? Unde hoc, quæso, unde hoc ? Forte pauci ad sacram mensam, iique raro accedunt ? Minime gentium. Altaria communicantibus circumfluunt ; nihil communione frequentius, et emendatione nihil rarius tamen : seminavimus multum, et intulimus parum : comedimus, et non sumus satiati ; merces congregavimus, sed misimus eas in sacculum pertusum ; in cor Christum immittimus levitati, vanitati obvium, peccato obnoxium : cœleste Eucharistiæ semen vel secus viam, seu in cogitationibus vanissimis pervium : vel in petrosa, sive in cor iniquitate obduratum ; vel in spinas, in cor nempe terrenorum cupiditate implicatum cadit : quid ergo mirum, si fructum neque trigesimum, neque sexagesimum, neque centesimum reportamus ? Hinc in illud incurrimus malum ab Ecclesiaste cap. V. et VI. prænuntiatum : *Est infirmitas pessima quam vidi sub sole, divitiæ conservatæ in malum Domini sui. Est aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines ; vir cui Deus dedit divitias, nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat.*

Si, teste Salviano, « intolerabile malum est acceptis bonis non uti » , quale mali portentum tanto bono abuti ? Væ cæcis ex sacramento tam feraci nihil compendii capientibus. Medius nostrum stat, et nos nescimus ; fons patens apertus est, et siti tabescimus ; Deum nostrum ignem consumentem possidemus, et algemus ; bonum autem Christi sanguinem habemus, qui, ut ait Ambrosius, « dives est ad pretium, profluus ad redimendum, » et debita nunquam solvimus, sed augemus. Denique Atheniensium more « ignoto Deo » litamus, tantum bonum nec corde recogitantes, et tenebras ipsas nostras amantes.

Quid ergo opus facto ? Tam inæstimabile beneficium fero cognitum, fero amatum mente revolvemus, tantæ sapientiæ curas credemus, tanto amori amorem utique rependemus, ne qui venit ad nos, et in nos, veniat ipse contra nos. Dicamus ergo qui redempti sumus a Domino : confiteantur Domino misericordiæ ejus, notas facite in populis adinventiones ejus, annuntiate hoc in universa terra : venite et videte quanta Deus fecit animæ nostræ. Ibi ergo cor nostrum sit, ubi est thesaurus noster. Si in reddendis pro beneficiis aliis gratiarum actionibus impar sum, « quid tibi retribuam Deus pro te, » inquit Bernard. lib. *de dilig. Deo ;* Quidni me illi totum dabo, qui totum se dedit, et secum omnia ? Ergo quia in finem dilexisti me, utique in finem diligam te, Domine fo titudo mea ; refugium et firmamentum meum *in finem* , quia nullum in te diligendo finem faciam, interdiu adorabo te in aula sancta tua, et iterum anima mea desiderabit te in nocte : quamdiu potero convivam tecum. Et quia deliciæ tuæ esse cum filiis hominum, quamdiu licebit lateri tuo adhærebo individuse comes solitudinis tuæ. *In finem* diligam, in te veluti cor pietatis, centrum religionis desideriorum metam negotiorum oraculum, vitæ meæ polum jugiter etiam dum abesse contigerit propensus. *In finem* diligam, in te diligendo finem ultimum meum et unam felicitatem meam constituturus, ut te donante te infinito amorem dignissimum per æterna sæcula sine fine diligere merear.

SPECULATIO III.

Minister Eucharistiæ conficiendæ solus est sacerdos proprie dictus, ad quem etiam eam dispensare jure divino pertinet, quamvis illam diaconi potestate delegata ministrare queant.

Quia, ut ex dictis patet, Eucharistia est sacramentum permanens, in eoque substantia ab usu distinguitur, merito prius de ministro conficiendæ Eucharistiæ agimus, quam ut ministrum ejusdem dispensandæ designemus.

Prior pars est articulus fidei definitus in Tridentino sess. 22. cap. 1 : Christus, inquit, « Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit. » Quod et canone 2. repetit, oppositum sentientibus anathemate perculsis. Idem definiverat magnum Lateranense concilium sub Innocentio III. et refertur cap. *Firmiter*, his verbis : « Hoc utique sacramentum nemo potest conficere nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas concessit Apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus. » Id ipsum docuerat concilium Nicænum can. 14, ubi correcturum abusum diaconorum, qui alicubi Eucharistiam sacerdotibus porrigebant, hanc rationem profert : « Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut si qui offerendi sacrificii non habent potestatem, his qui offerunt corpus Christi porrigant. » Favet etiam canon decimus quintus concilii Arelatensis primi, ubi sancta Sinodus compressura abusum diaconorum, qui sibi sacerdotum officium vindicabant : « De Diaconis, inquit, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere. »

Idem docent SS. Patres. Hieronymus enim præter loca alibi relata, quibus docet sacerdotes Eucharistiam sacro ore conficere, insuper dialogo *adversus Luciferianos* de Hilario schismatico ait, quod « Eucharistiam non poterat conficere, quia Diaconus tantum erat. » Eamdem etiam veritatem libris *de Sacerdotio* inculcat Chrysostomus. Denique id supponit universa Patrum traditio, inde sacerdotis dignitatem super Angelicam evehentium, et ad tantum statum eminentem sanctimoniam desiderantium, quod solis sacerdotibus divina per universas orbis Ecclesias celebrare mysteria concessum sit.

Ratio vero est, quia ille solus est Eucharistiæ conficiendæ minister, cujus est in nova lege sacrificare, seu sacrificium Religionis offerre : etenim Eucharistia sacrificando conficitur, et conficiendo sacrificatur, ut ex dicendis de sacrificio Missæ liquebit. Atqui non ad omnes promiscue fideles, sed ad unos sacerdotes ad id muneris specialiter assumptos totius Religionis sacrificium offerre pertinet : tum quia, ut docet Apostolus Hebr. v, 1 : *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ ad Deum sunt, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Tum quia sacerdos medius Deum inter et hominem constituitur; unde Chrysostomus lib. 2. *de Sacerdotio*, per sacerdotes, inquit, Christum induimus; per ipsos Dei Filio conjungimur; per ipsos membra beati ipsius Capitis efficimur. Unde infert quantæ sit dignitatis munus, quod tametsi agitur in terra, cœlestibus tamen negotiis connetur. « Non homo, » addit, « non Angelus, non Archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, sed ipse Spiritus sanctus hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne mysterio fungi præstitit Angelorum. Quomodo ergo nobis isti non solum reverendi magis quam Reges, aut Judices; sed etiam nobis magis erunt honorabiles quam parentes. » Ergo sacerdos ab aliis segregatur, unde ei soli in ordinatione dicitur : « Accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium tam pro vivis, quam pro defunctis. » Nec consequenter illi officio potest se quilibet de proprio arbitratu nefanda obtrusione ingerere; non enim sibi quisquam assumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Tum quia si conficiendæ Eucharistiæ ministerium non sit quibusdam hominibus ex aliis specialiter assumptis eximium, vix, ac ne vix quidem assignari poterit ratio, cur non omnes homines, etiam infideles, sicut baptizare, ita Eucharistiam conficere possint. Quod si celebrandæ Eucharistiæ facultatem suscepto dicas inniti Baptismati; præter quod voluntarium aliquid dicis, nihil ex Scripturis producens, quo non tuus continuo error juguletur; illud

etiam non effugies, mulieres saltem baptizatas idoneas esse ad Eucharistiam conficiendam administras, ipsisque pascendi munus turpiter asseres, quibus doctus a Domino Paulus docendi in Ecclesia officio interdixit. Adde Pepusianos et Collyridianos ab Epiphanio hæres. 40. et 79, et ab Augustino hæresi 27. hæreticis accenseri, quod offerendi sacrificii munus mulieribus tribuerint. Denique si Christiani omnes fuissent in primitiva Ecclesia sacerdotes, frustra fuissent fideles de asportanda in domos privatas Eucharistia solliciti, quam quilibet momento conficere potuisset : fuissent etiam conventus Eucharistici sine sacerdote celebrati, cujus tamen nullum in traditione non dico monumentum, sed nec apparens ullum vestigium apparet.

Ex his confutati manent varii hæreticorum errores, quorum aliqui, ut Lutherus lib. *de instituendis ministris*, contendunt Ecclesiæ officium consecrandi omnibus esse commune ; contra Patres, contra concilia, contra Ecclesiæ consuetudinem, quæ sibi objecta contemnit vir ab orbe condito audacissimus, contestans verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, omnibus Servatorem dixisse præsentibus et futuris, qui de pane illo ederent, et de calice biberent. Tali impietati subscripserunt Calvinistæ, qui sacrificium omne de medio tollentes, omnem que subinde religionem ad nihilum redigentes, absurdissima tamen consequutione fideles omnes sacerdotes natos affirmant, nec apud ipsos ministros alio fine eligi volunt, quam ut nomine Ecclesiæ suæ omnia peragant, ut apud Calvinum lib. 4. *Institutionis*, a cap. 17. videre est. Sed de his plura dum de sacrificio Missæ, et de sacramento ordinis suis locis agetur.

Alii contra sacerdotum conficiendæ Eucharistiæ potestatem plus æquo coarctantes, eam criminosis sacerdotibus denegarunt. Sic quidam apud Algerum in *Prologo*, gratiæ Dei derogantes dixerunt sacerdotum malis meritis ita invocationem divini nominis annullari, ut eorum indigna consecratione panis in corpus Christi non convertatur. Illos secuti Waldenses in oratione excusatoria dixerunt, quod ut fiat consecratio dignus debet esse sacerdos cum fido populo. Denique inter Wiclefi articulos iste recensetur : « Si sacerdos est in peccato mortali, non conficit, non consecrat. »

Verum hic posterior ex dictis, dum de Sacramentis in communi, satis superque confutatus manet. Cum enim nulla iniquitate, nulla infidelitate, nulla a fide desertorum defectione indelebilis character, quo uno conficiendæ Eucharistiæ potestas continetur, obliterari possit, semper valide a quocumque sacerdote sacramentum hoc ministratur, si cæteroquin quæ essentialia sunt, rite serventur. Neque enim tanti tamque divini operis confectio a Ministrorum meritis vel fide proficiscitur ; uni Christi innititur potestati, cujus gloriæ sicut bona, ita mala suo modo famulantur. Quare sacerdos in peccatum lethale, hæresim, schisma, vel excommunicationem prolapsus, in eoque statu degens, sacrilege quidem, at valide tamen sacra facit, bona potestate male usus. Nec sequitur ab hujusmodi nefariis ministris, si pervulgata præsertim fuerint vel flagitia, vel irretientis censuræ vincula, Sacramenta recipere licitum esse ; non, inquam, sequitur : quia nedum peccare malum est, sed alicui etiam peccandi locum et ansam præbere æterna lege vetatur : pœna enim digni sunt non solum qui faciunt, sed et qui consentiunt facientibus, quia nimirum alieni peccati contagione se contaminat, illiusque culpa obstringitur, qui in sacrilegii societatem aliquo tandem modo venit.

Nec propterea Sacramenta refugimus, ut recte ait S. Thomas quæst. 82. art. 9. ad 1, sed ea potius veneramur, dum nefandam indigne ministrantium culpam detestamur. Sacramentum ab ipsis impie licet confectum cernui veneramur, sed in sacrilegam porrigentis manum zelo justissimo indignamur, malumusque beatissimo cibo ad tempus orbari, quam communione præcipiti et intempestiva alium ad peccandum provocare. Ubi etiam observandum, quod quamvis impii, et etiam reapse suspensi sacerdotis Missam, quamdiu ab Ecclesia toleratur audire licitum sit (modo tamen illum ad celebrandum non provocemus) nihilominus ut refertur capite *Ad evitanda*, dist. 32. *de concubinariis Sacerdotibus* sic Ecclesia statuit : « Nullus Missam audiat sacerdotis, quem indubitanter concubinam novit habere. » Id autem Ecclesia de notoriis concubinariis decrevit, tum ut suum erga sacerdotum spurcitias horrorem significaret ; tum ut hujus criminis detestationem sacerdotibus inspiraret ; tum ne homines ad libidines proni ad luxuriæ inquinamenta sacerdotum exemplo allicerentur, vel certe ad divinissimorum

mysteriorum contemptum, quæ cernerent ab iis contrectari, quorum manus sordibus plenæ sunt.

Objiciunt hæretici aliquot auctoritates. Primo singuli Christiani dicuntur sacerdotes, I. Pet. II : *Genus electum, regale Sacerdotium;* Apocal. VI : *Fecit nos regnum et Sacerdotes.* Secundo toti Ecclesiæ per Apostolos repræsentatæ dictum est, *Hoc facite in meam commemorationem.* Tertio concilium Ancyranum can. 2. præcipit diaconos qui idolis immolaverant, resipiscentes tamen iterum cum hostibus fidei certaverant, gradu quidem suo non esse privandos, debere tamen « cessare ab omni sacro, ita ut non panem, nec calicem offerant, nec pronuncient, nisi forte aliqui Episcoporum conscii sint laboris eorum, et humilitatis, et mansuetudinis, et voluerint eis aliquid amplius tribuere, vel adimere. Penes ipsos ergo erit de his potestas. » Concilium etiam Laodicenum can. 25. : « Non oportet, » inquit, « diaconum panem dare, nec calicem benedicere. » Ergo alii a sacerdotibus Eucharistiam conficiebant.

Respondeo ad 1. eodem modo Christianos omnes dici sacerdotes, quo reges in illis testimoniis esse dicuntur; quia, sicut dum concupiscentiam frænamus, passionum æstus moderamur, illicitis principamur desideriis, reges sumus : ita orationibus ad Deum fusis, sanctis operibus Deo jugiter oblatis, pœnitentia facta carnis mortificante dum sacrificamus sacrificium justitiæ et sanctimoniæ sacerdotes in ampliori significatu dicimur, de quo plura diximus lib. 10. dissert. 1. cap. 1. specul. 3. per totam *reflexionem.* Sicut ergo illis locis commune Christianis omnibus regnum speciale Regum dominium non tollit; ita nec Ecclesiæ Hierarchiam confundit spiritale virtutum sacerdotium. At hæretici et regum monarchiam, et Ecclesiæ principatum infandis moliminibus subvertere peræque nituntur, utriusque potestatis, quam immani odio prosequuntur, hostes capitales.

Ad secundum dicendum, falsum omnino esse, Sacra faciendi facultatem verbis illis : *Hoc facite in meam commemorationem,* omnibus indiscriminatim esse concessam; conficiendi enim sacramenti, et offerendi sacrificii potestatem iis verbis Apostolis ut sacerdotibus fecit. Et certe valde sunt mirabiles nostrates hæretici, qui verba Christi Petro dicta, *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis ; quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlo,* ad solum Petrum pertinere volunt, nihil ad successores ejus : potestatem etiam clavium, et remittendorum, retinendorumque peccatorum auctoritatem Apostolis verbis nitentissimis datam Episcopis eorum successoribus repugnante tota traditione denegant; et verba illa, *Hoc facite,* seu Eucharistiam conficiendi potestatem accipite, ad omnes omnino Christianos dilatant. Quo jure verba Apostolis dicta modo ampliare immodice, modo restringere violenter de suo arbitratu hæretici præsumunt? Itane privatus eorum spiritus vitiis corruptus, schismate infuscatus, hæresi sauciatus amussis est ad quam ipsæ divinæ Litteræ ita exigendæ sunt, ut eorum interpretamentis fidem cæcam debeamus? Scilicet. Discant ergo ab Augustino, in illis Domini verbis atque præceptis quæ universe et indefinite omnibus facta videntur, habendam esse personarum rationem. « Erit, » inquit lib. 3. *de doctrina Christiana,* cap. 17, « etiam hoc in observationibus intelligendarum Scripturarum, ut sciamus alia omnibus communiter præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum. » Alia ergo dixit Christus Apostolis ut rectoribus Ecclesiæ, alia ut totam Ecclesiam repræsentantibus. Neque enim omnes pastores, vel doctores, vel sacrorum antistites.

Ad canones Ancyrarum et Laodicenum dicendum, priori canone vetari diaconis illis, ne sacerdoti sacrificaturo panem et calicem de more offerrent, nec Eucharistiam consecratam distribuerent, nec verbum Dei prædicatione annunciarent in præcedentis delicti et scandali satisfactionem, nisi forte laboriosa magnæ humilitatis pœnitentia ad prædicta ministeria restitui de consilio episcopi mererentur. Posteriori vero canone, scilicet Laodiceno vetatur diaconis, vel etiam subdiaconis (vox enim Græca utros amborum significet incertum est, placetque Zonaræ et Balsamoni subdiaconos significare) ne superiorum Ordinum munia, puta sacerdotis, si de diaconis sermonem habet; vel diaconi, si de subdiaconis loquitur, obire præsumant. Ex quo nihil contra nos.

Dices : Tertullianus lib. *de Exhortatione castitatis,* non minus laicos quam sacris ministeriis addictos a secundis nuptiis dehortaturus, eos ut deterreat sic scribit : « Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est : Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et

Patri suo fecit. Differentiam inter Ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per Ordinis consessum sanctificatus : adeo ubi Ecclesiastici Ordinis non est consessus, et offers, et tingis ; et sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici; unusquisque enim sua fide vivit. Igitur si habes jus sacerdotii in temetipso, ubi necesse est, habeas etiam oportet disciplinam sacerdotis. »

Respondeo in primis Tertullianum librum illum scripsisse jam Montani erroribus implicatum, et ab Ecclesia Catholica segregem : unde valet quod de eo dixit Hieronymus : « Homo Ecclesiæ non fuit. » Et Hilarius can. 5. *in Matth.* : « Sequenti errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem. » Et Vincentius Lirinensis : « Tertullianus Catholici dogmatis, id est universalis, ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multo quam felicior, mutata deinde sententia, fuit ipso quoque in Ecclesia magna tentatio. »

Deinde non loquitur Tertullianus de sacrificio proprie dicto, nec de sacerdotio consecrationis, sed de sacrificio orationis, pœnitentiæ, eleemosynarum, in quo unusquisque Christianus sacerdos est, ut supra diximus, et eleganter tradit Chrysologus serm 108 : « In odorem thymiama semper orationis accende, arripe gladium spiritus, altare cor tuum pone, et sic corpus tuum admove Dei secundus ad victimam. Deus fidem, non mortem quærit; votum, non sanguinem sitit; placatur voluntate, non nece. » Et serm. 108. expendens illud Apostoli : *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam*, sic habet : « Apostolus sic rogando omnes homines ad sacerdotale fastigium provexit. O inauditum Christiani pontificatus officium, quando homo sibi ipse est et hostia et sacerdos ! Quando hostia mactatur, et vivit ; sacerdos nescit occidere, qui litabit. Mirum sacrificium, ubi corpus sine corpore, ubi sine sanguine sanguis offertur ! In tali victima mors expenditur, hostia permanet ; vivit hostia, mors punitur. » Hunc autem fuisse Tertulliani animum patet, quia jus istius sacerdotii uni Baptismati inniti vult : quod fundamentum cum in mulieribus inveniatur, jure illæ sacerdotii potirentur. Quod a veritate abhorret, et Tertulliano ipsi repugnat ; libro enim *de velandis virginibus*, cap. 9 : « Non permittitur, » inquit, « mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare. » Christiani ergo dicuntur sacerdotes, et quia seipsos Deo immolant, fiuntque vitæ christianæ exercitationibus tanquam oves occisionis ; et quia Missæ sacrificium cui devote intersunt, cum sacerdote offerunt ; unde inter Missarum preces ait sacerdos : « Orate, fratres, ut meum ac vestrum pariter in conspectu Domini sit acceptum sacrificium. » Et in canone : « Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, tibique reddunt vota sua æterno Deo et vero. » Demum quia laici præsertim in primitiva Ecclesia quædam offerebant a sacerdote benedicenda, consecranda, Deoque offerenda, quæ absente sacerdote ipsi laici benedicere et offerre solebant : de quo variarum oblationum ritu videri potest tertius Canon Apostolorum.

Objicies demum quædam facta. In primis Frumentius apud Theodoretum lib. 1. *hist. Ecclesiast.* cap. 23. cum juvenis in India commoraretur, Christianos mercatores Romanos illuc appulsos ad celebranda divina mysteria seu Liturgias invitavit ; nec tamen ipse, nec advenæ sacerdotes erant. Ergo tunc a Laicis Eucharistia confecta est. 2° In actis S. Pelonillæ habetur ipsam celebratis Dominicæ oblationis mysteriis et Eucharistia refectam, morte obiisse. 3° In *Prato spirituali*, cap. 25. refertur monachum laicum super panes, quos secum habebat, verba consecrationis pronuntiasse, Angelumque astitisse qui panes consecratos esse declaravit. Ergo conficiendæ Eucharistiæ potestas non est sacerdotibus eximia.

Respondeo ad primum, Frumentium cum mercatoribus preces, Psalmos, aliaque pietatis officia una celebrasse : Nicephorus enim, Suzomenus, et ex quo tres illi historiam mutuati sunt, Ruffinus lib. 1. cap. 9. solius orationis meminerunt. Quam Theodoretus Liturgiam nominavit vel in latiori acceptione, vel quia preces illas, quas inter celebranda Missarum solemnia Romana Ecclesia fundere solebat, ipsi sine consecratione fuderunt : sicut apud nos qui orationes aliaque devote legit, quæ in Missali habentur, sola consecratione omissa, Missam sicam celebrare dicitur. Quod si de Liturgia stricte sumpta locutum fuisse contendas Theodoretum, dicendum nec constare utrum Frumentius ille fuerit sacerdos, cum postea fuerit a S. Athanasio in Indorum Episcopum

ordinatus ; nec utrum illi mercatores secum sacerdotem ullum adduxerint tantæ peregrinationis comitem, cum videamus in navibus et triremibus Catholicorum in longinquas præsertim regiones proficiscentibus aliquem semper advehi sacerdotem periclitantibus succursurum, quem Elecmosynarium vocant.

Ad 2. dico in actis S. Petronillæ non haberi ipsam divina celebrasse mysteria, sed celebratis utique ab aliquo sacerdote eam invisente mysteriis, spiritum emisisse. In primitiva namque Ecclesia sacerdotibus solenne erat ad Christianos in carcere, ergastulisque detentos convenire, quo afflictis solatium, angustiatis auxilia, certantibus verbi et Eucharistiæ potissimum robur conferrent, ut in Cypriani operibus passim legere est. Sufficiat hæc ex lib. 1. epist. 2 : « Quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis in illaturis sanguinem Domini denegamus ? Viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis Christi muniamus. Cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armamus. »

Ad tertium supposita veritate historiæ, quam falsam aliqui subodorantur, sicut librum in nonnullis vitiatum fuisse dicunt, dicendum totum id miraculose et de potentia extraordinaria contigisse ; unde ex facto insolito ordinariam Ministrorum potestatem dimetiri absurdissimum est. Ex rei porro gestæ narratione clarebit sola Dei absoluta potentia illud miraculi evenisse. « Frater quidam erat in Cœnobio Cuziba, qui sanctæ oblationis verba ritumque didicerat. Die ergo quadam ut benedictiones ferret, cum jam rediret ad monasterium, verba sanctæ oblationis, quasi versus aliquos caneret, dixit. Easdem vero benedictiones imposuerunt diaconi sancto Altari. Quas cum abbas Joannes Presbyter offerret, qui postea Cæsareæ Palestinæ episcopus fuit, non vidit, ut solitus erat, sancti Spiritus adventum. Contristatusque valde, et cogitans ne quid forte peccasset in mente, atque ideo se Spiritus sanctus avertisset, ingressus est sacrarium plorans, corruitque in faciem suam. Apparuit autem ei Angelus Domini dicens : Quoniam frater ille qui oblationes attulit, verba sanctæ oblationis in via dixit, sanctificatæ jam ac perfectæ sunt. Ex tunc igitur statuit senior, ut nullus deinceps addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neque passim ea quispiam diceret quocumque tempore absque loco consecrato. »

Ex quibus verbis manifestum est, consecrationem illam nequaquam modo ordinario contigisse. Cum enim certum sit ad consecrandum desiderari de via ordinaria Ministri intentionem, planum est, Fratrem illum tanquam ministrum ordinarium oblationes non consecrasse ; non enim intentionem necessariam habuit, qui quasi versus aliquos verba benedictionis, quæ didicerat, canebat. Neque enim diaconus, vel subdiaconus, qui inter Missarum solemnia verba consecrationis ex Evangelio vel Epistola Pauli canit, continuo oblatum panem consecrare intendit : nec qui verba illa in refectorio panibus instructo legit (ut in sacris Clericorum et Regularium conventibus fieri assolet) præsentes panes consecrat, ut suo loco latius exposuimus. Unde, si verba illa divinitus ad consecrandos panes assumerentur, non ordinarii ministerii, sed insoliti miraculi argumentum esset.

Voluit autem Deus eo singulari prodigio significare sacratissima conficiendæ Eucharistiæ verba, quibus quidquid in Religione augustius est conficitur, non nisi profunda veneratione, a solisque Ministris esse proferenda, neque esse puerilibus ludicris et jocis exponenda. Hac de causa in eodem *Prato spiritali* cap. 196. refertur miraculum quod pueris Appamiensibus contigit, qui joco verba consecrationis protulerant.

« Narravit nobis Gregorius Africanæ Pro-
« vinciæ præfectus, fidelis vir, et monacho-
« rum ac pauperum amator, bonisque sem-
« per congaudens. In provincia, inquit, mea
« (erat autem Appaminensis secundæ Syro-
« rum provinciæ, ex oppido quod dicitur
« Thorax) ager est ab urbe quasi quadra-
« ginta milliaribus distans, qui Gonasus dici-
« tur. In hoc, sive in ejus finibus pueri pa-
« scebant pecora, et ut solet pueris contin-
« gere, puerili consuetudine voluerunt lu-
« dere. Cumque luderent, dixerunt ad invi-
« cem : Venite celebremus Missam, et offe-
« ramus sacrificium, et communicemus, sic-
« uti semper in Ecclesia Presbyter facit.
« (*Vide quomodo sacra facere solius fuit sem-*

« *per sacerdotis.*) Quod cum placuisset omnibus, constituunt ex eis unum in ordine presbyteri, duosque alios pueros in ministrorum officio, veniuntque ad saxum quoddam (erant enim in planitie) ac supra saxum in morem Altaris apponunt panem et vas testeum cum vino, assistuntque, unus quidem coram altari, qui fungebatur officio presbyteri medius; duo vero alii hinc atque hinc veluti ministri : et ille quidem sanctæ oblationis verba dicebat, illi vero fasciolis quæ ferebantur pro flabellis utentes auram faciebant. Qui vero Presbyteri fungebatur officio ideo sanctæ oblationis verba sciebat, quia consuetudo fuit in Ecclesia, ut pueri in Missis ante sacrarium assisterent, primique post Clericos communicarent sanctis Christi Dei nostri, venerandisque mysteriis. Quoniam vero quibusdam in locis alta voce consueverunt presbyteri sancti sacrificii orationes pronuntiare, pueri, ut proprius astantes, sæpius ea audiendo didicerunt.

« Cum igitur omnia secundum Ecclesiasticam consuetudinem fecissent, priusquam panes frangerent ac communicarent, ignis cœlitus delapsus quæ proposita erant consumpsit omnia, saxumque totum combussit, ita ut nihil omnino neque saxi, neque eorum quæ fuerant superposita relinqueretur. Hoc repente factum cum pueri vidissent, in terram omnes præ timore corruerunt, ac diutius semivivi permanserunt, neque erumpere vocem, neque de terra surgere valentes.

« Cum vero non redirent domum hora qua consueverant reverti, sed pavidi in pavimento jacerent, exierunt e villa parentes eorum, ut viderent cujus rei gratia consueto legitimo tempore non revertissent. Egressi autem pueros omnes humi jacentes invenerunt, neque agnoscentes aliquos, neque loqui se alloquentibus valentes. Parentes itaque semivivos eos aspicientes, unusquisque filium suum assumentes domum retulerunt, videntesque pueros in hujusmodi excessu diutius durantes, mirabantur nimium, causam stuporis eorum omnino ignorantes, nec discernere valentes; sæpiusque illos per totum diem interrogantes, responsum nullum accipere ab eis potuerunt, et quæ illis acciderant scire omnino nequiverunt, donec dies illa et nox tota præteriit. Tum enim et pueri paulatim in ipsos reversi cuncta ipsis retulerunt quæ gesta fuerant, et quæ illis contigerant. Assumentes vero parentes suos et omnes loci ipsius habitatores egressi sunt, et locum eis ostenderunt in quo mirabiliter ista contigerant, vestigia quædam illapsi ignis indicantes.

« Audientes vero quæ facta fuerant, et ipsis indiciis rerum admoniti in civitatem cucurrerunt, cunctaque episcopo civitatis nuntiaverunt : qui percussus magnitudine et novitate miraculi, cum omni clero festinus accurrit : videnque pueros, et rursus ab eis quæ evenerant audiens, et cœlestis ignis vestigia intuens, pueros quidem omnes continuo in monasterium immisit, locum vero monasterium fecit latissimum ; supra locum autem ignis Ecclesiam construxit, et sanctum erexit Altare.

« Dicebat autem ipse dominus Gregorius fidelissimus vir, unum se istorum puerorum aspexisse, ejusque monasterii ubi miraculum acciderat, monachum ipsum cognovisse. Et istud quidem magnum revera ac divinum stupendumque miraculum Gregorius Venerabilis nobis ætate nostra contigisse enarravit. »

Vides quanta reverentia verba, quibus tremenda mysteria conficiuntur, habenda sint; unde prudentissime Catholica Ecclesia a Spiritu sancto gubernata verba illa a sacerdotibus rem divinam facientibus demissa voce pronuntianda præcepit. Quare ex hujusmodi historiis nihil aliud inferre possunt nostrates hæretici, nisi merito sibi timendam esse divinæ iræ indignationem, quia omnes mysteriorum divinorum ministros per summam totius ordinis et hierarchiæ perversionem esse contendunt.

Minister dispensandæ Eucharistiæ.

Secunda speculationis pars asserens sacerdotem esse jure divino dispensandæ Eucharistiæ ministrum, nullam patitur difficultatem. Quos enim Apostolus, I. Cor. IV, *Ministros Christi*, eosdem *dispensatores mysteriorum Dei* appellat; et Tridentinum sess. 13. cap. 8 : « Semper, » inquit, « in Ecclesia mos fuit ex Apostolica traditione descendens, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent. » Sane ille connaturalis est sacramenti dispensator, qui ejusdem est consecrator, cum non consecret nisi ut dispenset. Sacerdos etiam medius Deum inter et hominem constituitur : unde, sicut ad eum

populi dona Deo offerre spectat, ita ad eumdem sanctificata divinitus dona juxta sacras divini commercii leges reciproce tradere pertinet. Denique summi sacerdotis Christi exemplum tenemus, qui consecratum in ultima cœna corpus suum distribuit. At sacerdotes personam Christi sustinent, ejusque nomine adoranda mysteria conficiunt : eorum ergo est Christum nedum consecrantem, sed consecrata etiam dispensantem imitari.

Quin etiam adeo sacerdotibus eximium est dispensandæ Eucharistiæ ministerium, ut ad id muneris præter potestatem Ordinis ipsa etiam jurisdictionis potestas, qua Parochus in parœcia, Episcopus in diœcesi, summus Pontifex in tota Ecclesia gaudet, desideretur. Pastorum enim est spiritales Christiani gregis oves pascere : pascitur autem potissimum divinæ Eucharistiæ cibo Christianus. Id autem ne ita intelligas, quod jurisdictio ad valorem sacramenti et substantiam actus necessaria sit, sed quia sine illa consentaneus modus et ordo non servatur. Quam quidem jurisdictionem jure ordinario sibi propriam in alios sacerdotes curam animarum non habentes Parochus, Episcopus, et supremus Antistes possunt delegatione transfundere, quam ipsi a Christo receperunt, juxta illud Magni Leonis epistola *ad Theodorum Episcopum Forojuliensem :* « Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. »

Ultima denique pars, quæ ait Diaconos posse ex commissione Eucharistiam potestate delegata dispensare, ex usu primitivæ Ecclesiæ comprobatur, cujus locupletissimi testes sunt Justinus Martyr apologia 2. « Ii », inquit, « quid apud nos Diaconi appellantur, omnibus adstantibus panem et vinum et aquam consecrata porrigunt. » Testatur etiam S. Cyprianus serm. *de Lapsis*, Diaconum puellæ de sacramento Calicis infudisse. Commissam quoque sibi fuisse Dominici sanguinis dispensationem beato Pontifici Sixto S. Laurentius fundendi proprii sanguinis sitibundus regerebat. Denique concilium Carthaginiense IV. Gelasius Papa epist. 10. diaconos præsente episcopo et presbytero posse Eucharistiam corporis Christi populis, si necessitas cogat, jussos erogare clarissime tradunt.

Nec illud obstat, quod Tertullianus lib. *de Corona militis*, scripsit : « Eucharistiæ sacramentum nec de aliorum manu quam de Præsidentium suminus. » Non obstat, inquam : tum quia diaconus ex commissione præsidens esse potest. Tum quia, si per præsidentes soli pastores, presbyteri et episcopi intelligendi sunt, loquitur de ministris quibus id jure ordinario competit, a quibus et communiter Sacramenta recipimus. Tum demum, quia hoc inde tantum colligi potest, non eumdem semper dispensandæ Eucharistiæ morem in Ecclesia viguisse, sed variam fuisse consuetudinis illius pro ratione temporum, occasionum, et emergentium necessitatum disciplinam. Nam per solos presbyteros ordinarie, quandoque per diaconos sub utraque specie, et deinde per eosdem diaconos sub unius specie vini Eucharistia dispensata est.

Qui postremus usus fuit in Ecclesia frequentior et pervulgatior, quia, ut recte observat S. Thomas quæst. 82. art. 3. ad dispensandum sanguinem in Calice contentum non oportet Eucharistiam immediate tangi ; sicut tangitur species panis dum corpus Christi porrigitur ; tam sacra autem immediate nonnisi a manibus consecratis tangi, debita tremendis mysteriis reverentia postulat. Tum quia sanguis redemptionem a Christo in populum derivatam significat, unde et consecrando Calici aqua, quæ populi typus est, permiscetur. Et, quia diaconi sacerdotem inter et populum medii intersunt, convenientibus visum est, si eis sanguinis potius quam corporis dispensandi provincia demandaretur. Demum quia quando dispensatio sanguinis erat in usu, ipse ritus ministerium diaconi postulabat, ne Eucharistiæ dispensatio nimium esset celebranti sacerdoti onerosa.

Cæterum neque corpus, neque sanguinem diaconi nisi ex commissione dispensare queunt, seu, ut jura dicunt, nonnisi ab episcopo vel presbytero jussi. Nec obest quod sanctus Thomas doceat diacono « ex officio » competere Dominici sanguinis dispensationem. Non obest, inquam ; non enim eatenus id ex officio diaconis competit, quatenus eo jure ipsi gaudeant, sed quia ex officio habent, ut illud sibi muneris committi possit, quod subdiaconis vel clericis inferioribus, et

multo minus laicis committi nequaquam valet. Et, quamvis non soleat jam id diaconis committi, in necessitate tamen de consensu Pastorum Eucharistiam licite diaconus dispensaret, cum hæc dispensatio fuerit olim usurpata, et conciliis probata, nec ullo sit jure, urgente præsertim necessitate, prohibita.

An autem laici possint esse dispensandæ Eucharistiæ ministri? Certum est secundum præsentem Ecclesiæ disciplinam, nullum laicum Eucharistiam etiam extremum vitæ spiritum agentibus dispensare. Præceptum enim recipiendi sacri Viatici tunc solum ligat, cum Eucharistia ea qua par est, et quæ tantam decet majestatem, reverentia accipi potest. Exigit autem tremendorum mysteriorum dignitas, ut a solis ministris in Ecclesia designatis, servatisque servandis dispensetur.

Unum excipio persecutionis casum, in quo milites Christi ad pugnam munimento dominicæ saturitatis armandi sunt. Hinc Basilius in epistola ad Cæsariam Patritiam (quam Græce exstare vir doctissimus Gronerus testatus est, ne quis in Latinis, quæ exstant, eam deesse cavilletur), « Persecutionis, » inquit, « temporibus necessitate cogi quempiam, sacerdote aut diacono non præsente, Communionem propria manu sumere, nec difficile est, nec superfluum demonstratur, quod longa consuetudine hoc ipso rerum usu confirmatum est : in Alexandria et Ægypto laicorum quisque, seu quisquis de populo est, ut plurimum communionem in domo sua habet. » Narrat etiam Cyprianus fœminam quamdam arcam suam in qua Domini corpus ex Ecclesia asportatum, indignis manibus aperire tentantem, igne inde surgente deterritam fuisse, ne auderet attingere. Hac de causa inclytæ Mariæ Stuart Scotiæ reginæ sibimet communionem dandi facultatem Pius V. fecit, ut adversus impiæ Elizabetæ non tam mulieris quam furiæ tyrannidem muniretur. Sane cum persecutionis tempore sacri cœtus nec liberi, nec frequentes esse possint, sacris peractis Eucharistia petentibus justissime datur asportanda domum, ut paratam in conspectu suo habeant mensam adversus eos qui tribulant ipsos.

Scio etiam hunc morem dispensandæ a laicis Eucharistiæ unius persecutionis occasione cœptum, non statim reddita Ecclesiæ pace desiisse. Nam, teste Hieronymo, apologia in Jovinianum, Romani sua ætate Eucharistiam domi sumebant : quod licet nec reprehendat, nec probet, illud tamen ægerrime fert, quod eodem die post rem uxoriam quidam communicarent, qui tamen Ecclesias ingredi non audebant « An alius, » inquit, « in publico, alius in domo Christus? Quod in Ecclesia non licet » (nimirum circa corpus Christi, a quo potissimum habet Ecclesia quod sacra sit) « nec domi licet ». Nam cæteroquin multa fiunt domi, quæ in Ecclesia fieri nec liceret, nec deceret, nec expediret.

Quin tanta erat olim de hoc divinissimo Sacramento fides et devotio, tanta ejus cum utilitatis tum necessitatis persuasio, tamque alte fidelium animis cordibusque infixa, ut divinus ille cibus, in cujus usu sancto tota Christianæ vitæ felicitas sita est, ad monacorum desertos secessus deferretur, in eorumque usum quotidianum asservaretur. Testis enim est Paladius in vita Apollo Abbatis, cap. 52. Fratres qui cum ipso erant, non prius alimoniam accipere consuevisse, quam Eucharistiæ Christi hora diei nona communicassent, ne Deus procul ab eis recederet, qui se a divinis Sacramentis amovent; quia nimirum eximiæ et Angelicæ puritatis discipulos ab his alios ille regebat. Nam cæteroquin testatur qui eodem tempore floruit Chrysostomus hom. 17. *ad Hebr.* eos qui tum eremum incolebant monachos Eucharistiam semel in anno, fortassis etiam et post duos annos, fortassis quoque adhuc rarius (nimirum pro ratione culparum eremi pœnitentia expiandarum) participasse. Porro monachos etiam laicos sibimetipsis Eucharistiam dispensasse auctor est Basilius in epistola supra laudata ad Cæsariam Patritiam, cap. 18 : « Omnes, » inquit, « in eremo vitam agentes, ubi non est Sacerdos, communionem domi servantes a seipsis communicant. » Et hac de causa Eucharistiam in columbis aureis vel argenteis super altare pendentibus, ut inde identidem reficerentur, asservabant. Cujus ritus meminit tum prælaudatus Basilius, tum etiam V. synodus Constantinopolitana, actione 1. et 5.

Sed quid mirum si Eucharistia ad desertorum antra in Religiosorum hominum usum deportaretur, cum etiam a peregre profecturis terra marique delata sit. Etenim in martyrologio, 18. kalend. septembris legi-

mus sanctum Tharsitium Sacramenta corporis Domini deferentem Pagani cum reperissent, cœpisse eos disquirere quid gereret. Is vero indignum ratus margaritas porcis, hoc est discussoribus prodere, ab eis tamdiu fustibus et lapidibus mactatus est, donec spiritum exhalavit. Porro evoluto ejus corpore sacrilegi nihil Sacramentorum Domini in ejus manibus aut vestibus invenientes, eo relicto fugerunt cum terrore. Refert etiam S. Ambrosius oratione de fratris sui obitu, quod Satyrus frater in naufragio constitutus, cum qua vehebatur navis scopuloso illisa vado urgentibus hinc inde fluctibus solveretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterii e vita exiret, ab initiatis divinum illud fidelium poposcit sacramentum, non ut curiosos oculos arcanis inseret, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, et orarium involvit in collo atque ita se dejecit in mare, non requirens de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans inniteretur, quia fidei solius arma quæsierat. Quibus se munitum satis credens, alia non desideravit auxilia. Nec deseruit spes, nec fefellit opinio : primus servatus ex undis, et in portum terrenæ stationis evectus fuit. Magnus etiam Grego ius lib. 3. *Dialogorum*, cap. 37. narrat fideles in Adriatico mari naufragium prope facturos silimet pacem dedisse, et corpus atque sanguinem Redemptoris accepisse. Verum hic asportandæ domum, et a laicis ministrandæ Eucharistiæ usus innumeris propemodum offendiculis abusibus, scandalis cum esset obnoxius, cessante persecutione sublatus, et variis Conciliis, Toletano I. can. 14, Cæsaraugustano can. 3, Rothomagensi can. 2. abrogatus est, cessante enim causa desiit effectus. Testatur tamen Arcadius lib. 3. cap. 59. monachos Græcos iter agentes Eucharistiam secum deferre.

Nonnulla quæ circa Eucharistiæ consecrationem et dispensationem observentur scitu digna.

In calce hujus speculationis quædam de Eucharistiæ sive conficiendæ, sive dispensandæ ministris advertere operæ prætium duxi.

Primum nota, sacerdotem Eucharistiam consecrantem eamdem recipere oportere, ut illius fiat particeps quod Deo offert, aliisque dispensat. Tum quia id fert Ecclesiæ consuetudo ab Apostolica traditione profecta. Tum quia consuetudini illi suo Christus præivit exemplo, qui corpus suum et Patri obtulit, et discipulis porrexit, et ore proprio accepit. « Ipse conviva, ipse convivium, ipse comedens et quod comedebatur, » ut loquitur Hieronymus epist. 150. Id autem congruebat; tum quia id exigit ratio convivii, ut cibi et potus communionem et consociationem habeat ipse convivator; et decorum est invitantem excipientemque alios convictorem esse et non tantum conditorem, instructoremque convivii. Tum quia ne discipuli corpus et sanguinem Christi sumere horrerent, prior ipse Christus Sacramentum suum convenientissime degustavit. Denique sacerdos muneris suis omnibus absolutus non inchoatum duntaxat, sed integrum sacrificium obtulit : integritas autem sacrificii rei oblatæ consumptionem postulat. Nec fructu sacramenti Christus caruit, non quod intensior vel cumulatior evaserit gratia Salvatoris, cujus plenitudo nullum recipit incrementum; sed quia spiritus dulcedinem percepit, atque ingentem animi vigorem, quo infinitos proxime futuræ passionis labores toleraret.

Nota secundo, quod in casu quo plures sacerdotes simul celebrant, uti in ordinatione contingit, in qua novi sacerdotes una cum episcopo eamdem hostiam consecrant, et dum Cardinales cum summo Pontifice rem sacram faciunt; tunc novi sacerdotes cum episcopo simul conficiunt; unde non debent Antistitis verba anteverterre, ne præcipui celebrantis fraudetur intentio et forma, neve contingat episcopum non offerre sacrificium, imo nec tunc perfectum fieri sacrificium, siquidem solus Pontifex sub utraque specie sacramentum sacrificiumque consumit, quod tamen in ea suppositione non confecisset, si nimirum alii præveniendo consecrassent. Unde novorum sacerdotum ea debet esse intentio, ut non nisi cum Episcopo consecrent, caventes interim ne prius quam episcopus verba protulit formam ipsi absolvant. Scio Richart. et Cajetan. opinari novos sacerdotes verba sacra non nisi recitative in signum potestatis sibi concessæ, atque in memoriam convivii a Christo cum apostolis celebrati, partim instructionis, partim cæremoniæ causa proferre. Sed cum oppositum non solum S. Thomas, sed Innocentius etiam Papa lib. 4. *mysteriorum Missæ* cap. 25. verbis significantissimis doceant,

traditæ doctrinæ adhærendum et standum est.

Notandum tandem sacerdotes, tametsi curam animarum non habentes, ad conficiendam identidem Eucharistiam divina lege teneri tamen. Non enim frustra eis in persona Apostolorum dictum est : *Hoc facite in meam commemorationem.* Et sane, sicut inanis est potestas quæ in actus nunquam funditur, inordinatum etiam est concredita sibi divinitus potestate nunquam uti, nunquam pro populo, nunquam in honorem Dei, nunquam in commune religionis bonum offerre. Ergo ille sacerdos est servus malus, piger et inutilis, subindeque juxta veritatis oracula in tenebras exteriores ejiciendus, qui talentum abscondit in terra ; quia omni habenti dabitur, et abundabit : ei autem qui non habet, et quod videtur habere auferetur ab eo, Matth. xxv. Unde intolerabilis eorum incuria est, qui præcipuis anni festis diebus non celebrant, vel ne celebrent impedimenta ponunt. Nam et in cap. *Dolentes*, de cēlebr. Missar. reprehenduntur qui vix quater in anno celebrant, Deum quantum in ipsis est gloria, Ecclesiam militantem auxilio, patientem solatio, triumphantem gaudio, seipsos remedio privantes.

REFLEXIO.

« Imitamini quod tractatis, » inquit novis ministris ad sacros Ordines provectis episcopus. Audiant sacri ministri, timeant sacerdotes. Nihil eorum statu munereque divinius, quibus solis tam divina tractare datum est : at nihil illis miserabilius, qui quæ tractant non imitantur. Heu ! heu Domine Deus (lamentatio est Bernardi, Gregorii, et aliorum Patrum) facta est plaga nostra insanabilis, postquam ipsi medici vulnera fovent ; et qui se pro populi peccatis intercessores objicere tenentur, ipsi graviora committunt. Quomodo Deum placabimus, si dispensator mysteriorum, qui ante Dominum stat jugiter, et versatur inter altaria semper, inde sibi sumat crimen, unde aliis veniam debuerat reportare ?

Cui rei similes dixerimus ministros malos, nisi aquæ qua intingitur baptizatus, quæ baptizatorum peccata diluens illos ad regnum cœleste mittit, et in cloacas ipsa descendit ? Grandis sane dignitas divina tractantium, sed grandior ruina si peccant. Ne lætentur ad ascensum, sed timeant potius ad lapsum ; quia non est tanti gaudii excessa tenuisse, quam mœroris de sublimioribus corruisse. Considerate quale sit divinis sacramentis insistere, quid sit populo sancto præesse. Tales eos esse decet qualia sunt sacramenta quæ ministrant, ne vindictam adversum offerentem postulent, quæ ad impetrandam veniam obtulerant.

Eucharistiam conficere, confectam dispensare sublimitas est sine socio, « qua nec majus quidpiam, nec præstantius apud nos est, » ut orat. 1. Nazianzenus ait. Verum honor sublimis eminentem postulat sanctitatem. « Quo non oportet esse puriorem, » inquit Chrysost. hom. 60. *ad popul. Antioch.*, « tali fruentem sacrificio ? Quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem ? Linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit ? » Frustra altarium ministri a populo segregantur, qui divisam a populo vitam non agunt. Vilescit sacerdotii dignitas, quia in pluribus nihil nisi plebeium et commune, nihil separātum et eminens populi respiciunt. « Quomodo, » inquit Ambrosius epist. 10, « observari potest a populo, qui nihil secretum habet a populo ? Quid in te miretur, si tua in se cognoscat ? »

Ergo quod sumus officio, professione et moribus simus : congruat actioni nomen, et actio respondeat nomini : ne sit honor sublimis, et vita proclivis ; deifica professio, et illicita actio ; gradus excelsus, et mores abjecti. Hæc autem adversus malos ministros ita dicta sint, ut et sanctos fidelesque dispensatores, malorum etiam statum, dignitatem, auctoritatemque veneremur, statum enim Sacerdotalem revereor quantum non possum dicere ; tantum revereri me quantum debeo, non audeo dicere. Neminem lædit, qui in vitia generatim invehitur, maxime qui libros scribit : etsi enim concionator peccata universim reprobet, tamen ad definitos auditores oratio ejus non restringitur ; unde cum magna illi cautela loquendum est, non quod veritatem in injustitia detinere fas sit, sed ut adjuncta seu circumstantias serio perpendat, ne ponendo in cœlum os suum plus obsit quam prosit : nihil ergo temere, nihil nisi de consilio prudentum, nihil nisi de Episcoporum assensu et jussu, totum moderante christiana prudentia aggrediatur. At vero liber publici juris factus dum vitia generalia, abususque insectatur, a loco, tempore, personisque

privatis omnino abstrahit, nullum seorsim sugillat, nudam veritatem, adversus quam nihil potest, sed pro ea, exponit ægris quidem oculis invisam, sed puris amabilem. Quod hic obiter observare libuit, quia nonnullos ægre et indigne ferre audivi, quod variis natis passim occasionibus nonnulla ex Patribus adversum rectores animarum incuriosos, clericos vocationis suæ celsitudinem non satis attendentes, regulares etiam collapsæ disciplinæ, vel alios quosvis sanguinis Christi Sacramentorumque dispensationem non satis idoneis committentes, quibus temporalium rerum gerendarum provinciam non crederent, exaravi. Verum his offendi generalissimis monitis delicatissimi fastidii est. Sane si hujusmodi teneritudinis ratio habenda esset, expungenda forent integra Patrum volumina ; quid enim aliud resonant Salviani de providentia libri ; quid integri Gregorii Magni, Bernardi, aliorumve Sanctorum sermones adversus populi, Cleri, collapsorumque Monasteriorum excessus, vel abusus intorti ?

Nonne sancti Patres universi temporum suorum vitiis ingemuerunt, et disciplinæ Ecclesiasticæ labes et defectiones non ullo in personas ullas, et multo minus in hominum status odio (quod hæreticorum proprium est) sed misericordia et caritate, atque Ecclesiæ honoris amplificandi gratia adverterunt et deplorarunt, ut disciplinæ deformatæ profluvium, casus, et inclinationes ad pristinum, si fieri posset, decus splendoremque referrent ? Ne ergo morosi illi vitilitigatores veritatem in invidiam, caritatem in crimen vocent. Ne dolorem ex illatis Ecclesiæ incommodis conceptum ab uno in Ecclesiam Matrem amore filiali profectum pro vitio ducant. Quia, etsi vitiorum vulnera generatim tamen incessimus, non ad ludibrium ea vel dedecus ostentamus, sed ad conciliandam sanitatem aperimus.

Quid dixissent illi tam tenelli, tam ad punctionem ab omnibus singularibus personis præscindentem molles, tam quærentes qui loquantur placentia ; quid dixissent si cum Cypriano tract. *de Lapsis*, scripsissem : « Quod traditam divinitus disciplinam pax longa corruperat ; quod non in Sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina vigebat » ? Quas lites non movissent si ex Nazianzeno carmine de vita sua exscripsissem, « Christianam omnem evanuisse virtutem, nihil ex ea, vel parum admodum esse reliqui ; nec jam se nisi lacrymas Ecclesiæ quidquam largiri posse » ? Quantum queritati fuissent, si cum gemebundo Magno Gregorio lib. 1 epist. 4. deplorassem, « in Ecclesiæ navim undique intrare fluctus, ut jam quotidiana ac valida tempestate quassatæ putridæ naufragium tabulæ sonent ? » Sed ad istas Bernardi non tam voces quam fulmina quantum stomachati excanduissent, si nomine meo, suppressa tanti Doctoris mentione protulissem quæ serm. 34. *in Cant.* vibrat velut sagittas acutas et carbones desolatorios : « Serpit hodie putrida tabes per omne corpus Ecclesiæ, et quo latius, eo desperatius ; eoque periculosius, quo interius.... Ministri Christi sunt, et serviunt Antichristo. Non fugare, non fugere eos potest, ita invaluerunt et multiplicati sunt super numerum. Intestina et insanabilis est plaga Ecclesiæ, et ideo in pace amaritudo ejus amarissima ? »

Sed Regularibus pepercit Bernardus suavi illa sua et mellita pietate ? Minime gentium, et cum esset ipse religiosæ vitæ professor, instaurator et gloria, judicium nihilominus incipiebat a domo sua. In primis strictioris observantiæ professores, quorum magna in victu parcitas et asperitas, in vestitu notabilis vilitas, in opere manuum quotidiana desudatio, in jejuniis et vigiliis jugis exercitatio, totius denique vitæ austerior conversatio commendabiliores efficit ; superba tamen de aliis contemptio et detractio clamorem invectionis et susurrum detractionis emittit, sic apologia ad Guillelmum Abbatem perstringit. « Væ portantibus crucem, non sicut Salvator suam, sed sicut ille Cyrenæus alienam ! Væ citharædis citharizantibus, non ut illi de Apocalypsi in citharis suis, sed vero ut hypocritæ in alienis ? Væ semel, et væ iterum pauperibus superbis ! Væ, inquam, semel, et væ iterum portantibus crucem Christi, et non sequentibus Christum : quia nimirum cujus passionibus participant, humilitatem sectari negligunt. Duplici quippe contritione conteruntur qui hujusmodi sunt, quando et hic pro temporali gloria temporaliter se affligunt, et in futuro pro interna superbia ad æterna supplicia pertrahuntur. Laborant cum Christo, sed cum Christo non regnant. Sequuntur Christum in paupertate sua, sed in gloria non sequuntur. De torrente in via bibunt, sed non exaltabunt caput in patria. Lugent

nunc, sed tunc non consolabuntur. Et merito ; quid enim facit superbia sub pennis humilitatis Jesu ? Numquid non habet quo se palliet humana malitia, nisi unde involuta est infantia Salvatoris ? Et quomodo intra præsepium Domini simulatrix arrogantiæ se coarctat, pro vagitibus innocentiæ malum ibi detractionis immurmurat? An non illi superbissimi de Psalmo, quorum prodiit ex adipe iniquitas eorum, multo tutius operti sunt iniquitate et impietate sua, quam nos latemus sub sanctitate aliena ? Quis enim magis impius, an profitens impietatem, an mentiens sanctitatem ? ... Magna abusio. Magna cura est ut corpus regulariter induatur ; et contra regulam suis vestibus anima nuda deseratur. Cum tanto studio tunica et cuculla corpori procurentur, quatenus cui deerunt Monachus non putetur : cur similiter spiritui pietas et humilitas, quæ profecto spiritualia indumenta sunt, non providentur ? Tunicati et elati abhorremus pellicias ; tanquam non melior sit pellibus involuta humilitas, quam tunicata superbia ? Repleti deinde ventrem faba, mentem superbia, cibis damnamus saginatos ; quasi non melius sit exiguo sagimine ad usum vesci, quam ventoso legumine usque ad ructum exsaturari ? Et præcipue cum Esaü non de carne, sed de lente sit reprehensus ; et de ligno Adam, non de carne damnatus ; et Jonathas de gustu mellis, non de carnis morti adjudicatus : e contra Elias in curru carnem comederit ; Abraham gratissime carnibus Angelos paverit, et de ipsis sua fieri sacrificia Deus præceperit. Sed et satius est modico vino uti propter infirmitatem, quam multa aqua ingurgitari per aviditatem. » Quod variis imbi confirmat petitis e sacris Litteris exemplis.

Quantum vero monasteria a primitivæ observantiæ rigore deficientia non tam calamo quam ferro, et magis cauterio adurente quam stylo corripiente reprimat, ex eadem apologia claret. « Pauca, » inquit, « quæ et vobis displicere cognovi, et omnibus bonis vitanda esse non dubito, necessarium reor subjungere, quæ quidem etsi fieri videntur in Ordine, absit tamen ut sint de Ordine. Nullus quippe Ordo quippiam recipit inordinatum : quod vero inordinatum est, ordo non est.

« Dicitur, et veraciter creditur sanctos Patres illam vitam instituisse ; et ut in ea plures salvarentur, usque ad infirmos regulæ temperasse rigorem, non regulam destruxisse. Absit autem ut credam tantas eos, quantas vides in plerisque monasteriis, vanitates ac superfluitates præcipisse vel concessisse. Miror etenim unde inter monachos tanta intemperantia in comessationibus et potationibus, in vestimentis et lectisterniis, et equitaturis, et construendis ædificiis inolescere potuit : quatenus ubi hæc studiosius, voluptiosius, atque effusius fiunt, ibi Ordo melius teneri dicatur, ibi major putetur Religio.... Sub hac abusione jam fere ubique sic pro Ordine tenentur, fere jam ita ab omnibus sine querela atque irreprehensibiliter observantur, quamquam dissimiliter. Nonnulli quippe his omnibus tanquam non utentes utuntur, et ideo aut cum nulla offensa, aut cum minima. Aliquanti quippe hæc agunt ex simplicitate, aliquanti ex caritate, aliquanti ex necessitate. Quidem namque simpliciter ista tenent, quoniam sic eis præcipitur, parati aliter agere si aliter præciperetur : quidam autem ne discorditer vivant ab eis quibus habitant, sectantes in his non suam libidinem, sed aliorum pacem. Alii vero quia resistere non valent multitudini contradicentium, qui hæc utique tanquam pro Ordine libera voce defendunt ; et quoties isti aliqua, prout ratio dictat, restringere vel mutare incipiunt, illi mox tota eis auctoritate resistunt.

« Quis in principio cum Ordo cœpit monasticus ad tantam crederet monachos inertiam devenire ? O quantum distamus ab his, qui in diebus Antonii exstitere monachi ! Siquidem illi cum se invicem per tempus ex caritate reviserent, tanta ab invicem aviditate panem animarum percipiebant, ut corporis cibum penitus oblíti, diem plerumque totum jejuniis ventribus, sed non mentibus transigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti prius inserviebatur. Hæc summa discretio, cum amplius sumebat quæ major erat. Hæc denique vera caritas, ubi animæ, quarum caritate Deus mortuus est, tanta sollicitudine refocillabantur. Nobis autem convenientibus in unum (ut verbis Apostoli utar) jam non est Dominicam cœnam manducare. Panem quippe cœlestem nemo est qui requirat. Nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed nugæ et risus et verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum facies dapibus ; tantum aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus modum nescias in edendo. Interim

autem fercula ferculis apponuntur, et pro solis carnibus a quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. »

Hæc et alia omnino multa Bernardus, singularia quæque capita persequens. Etenim fusissime describit et quanta accuratione et arte coquorum cuncta appararent, quo varietas fastidium tolleret, et adulterinis saporibus gulam provocarent. Non omittit quanta apud eos sollicitudine ova versarentur et vexarentur ; quanto studio everterentur, subverterentur, liquarentur, durarentur, diminuerentur ; et nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mixtim, nunc sigillatim apponerentur, soli ut fastidio consuleretur ; unde dum oculi coloribus, palatum saporibus illiciebantur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapores demulcent, omnia suscipere coactus, oppressus magis obruebatur quam reficiebatur.

Potum vero eorum sic faceta gravitate carpit. « Jam vero de aquæ potu quid dicam, quando ne ullo quidem pacto vinum aquatum admittitur? Omnes nimirum ex quo monachi sumus infirmos stomachos habemus, et tam necessarium Apostoli de utendo vino consilium merito non negligimus ; modico tamen ; quod ille præm sit nescio cur prætermisso. Et utinam vel solo, cum etiam purum est, contenti essemus. Pudet dicere sed magis pudeat actitari : et si pudet audiri, non pudeat emendari. Videas uno prandio ter vel quater semiplenum calicem reportari, quatenus diversis vinis magis odoratis quam potatis, sed tam haustis quam attactis, sagaci probatione et celeri agnitione unum tandem e plurimis, quod fortius sit, eligatur. Quale autem est illud quod nonnulla Monasteria ex more observare dicuntur, in magnis videlicet festis, vina delibuta melle, pigmentorum respersa pulveribus in Conventu bibere ? Numquid et hoc fieri dicimus propter infirmitatem stomachi ? Hoc vero ad nihil aliud valere video, nisi ut vel amplius bibatur, vel delectabilius. »

Ad alia deinde magis singularia unius singularis Ordinis laxatæ disciplinæ capita descendit. Refert enim quosdam juvenes in domum infirmorum se recipere solitos fuisse regularis abstinentiæ speciosius violandæ causa, baculosque in manibus portasse : « Plane, » inquit, « necessarios, ut quam pallor in vultu maciesque non indicat baculus sustentans mentiatur invaletudinem. Ridendas, an lugendas dixerint hujusmodi ineptias ? » Ubi notandum non accusari a Bernardo monachos illos proprietatis, læsæ castitatis, vel voti obedientiæ violati ; non ebrietatem exprobat, vel crapulam ; non objicit sacramentorum profanationem, ministrorum inscitiam vel incuriam : solam curiositatem, superfluitatem, et conquisitas intra sphæram abstinentiæ a carnibus in communi refectorio jugiter servatæ delicias opponit. Et tamen zelo zelatus pro arctiori regulæ custodia sic totus ignitus erumpit : « Sic Macharius vixit ? Sic Basilius docuit ? Sic Antonius instituit ? Sic Patres in Ægypto conversati sunt ? Sic denique sancti Odo, Majolus, Odilo, Hujo, quos se sui utique Ordinis Principes et præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri censuerunt ? Heu me miserum, qualemcumque Monachum ? Cur adhuc vivo, videre ad id devenisse Ordinem nostrum ? » etc.

Sed fortassis, inquies iterum, libenter hæc audiebantur Bernardi tempestate, in hoc proinde sæculo omnis reprehensionis etiam levissimæ et generalissimæ impatiente minime usurpanda. Ne tu vehementer falleris qui hæc cogitas? Audi ipsummet Bernardum omnes illas delicatulorum nauseas prævidentem et occupantem : « Dicam, dicam ; præsumptuosus dicar, sed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata est ? Quomodo sal terræ infatuatum est ? Quorum nobis vita via vitæ debuit esse, dum exemplum in suis actibus ostendunt superbiæ, cæci facti sunt duces cæcorum. Utinam hæc pauca scripserim sine scandalo. Enimvero vitia carpens scio me offendere vitiosos. Potest tamen fieri volente Deo, aliquibus quos me timeo exasperasse, potius placiturum esse, sed si desinam esse vitiosi. »

Si hujusmodi apostolicarum divini viri vocum millesimam partem meo nomine usurpassem, si umbram mihi zeli illius imitandam proposuissem, numquid perturbator ; Clericorum et Religiosorum insectator, attentator a prudentia (sic enim obloquuntur viri, si Superis placet, prudentissimi, sed ea prudentia quæ vult omnibus omnia fieri ; non Pauli consilio, ut omnes lucrifaciant, sed ut omnibus placeant, omnes et palpent) desertus diris omnibus devovendus audirem.

Testis es mihi, Domine Jesu, qui abscondita non sunt occulta tenebrarum, cui nuda et aperta sunt cordis arcana : testem, inquam, te appello, quem judicem pronus adoro, quia non mentior. Nosti ipse, et ita est,

quanta et quam sincera dilectione, quam profunda et cordis medullis impressa veneratione et sacerdotes et religiosos quosvis prosequar. Testes sunt quotquot me (norunt autem multi, quantum in hac caligine homo homini innotescere potest) me statum sacerdotalem pene adorare, regularem oculis habere cariorem. Dixi, et dico : nihil sacerdotio sanctius vel sublimius ; nihil monasterio ad regulam suam composito ad salvandas animas securius. Egone vel despicio, vel damno quos sic prædico, sic quamdiu vixero Deo dante prædicabo ? Quis unquam me adversus divinos illos status vel coram audivit disputantem, vel clam susurrantem, et non potius in laudes omne genus effusum ? Quos utriusque status professores, nisi cum gaudio magno valde vidi, nisi cum honore excepi, nisi cum reverentia alloquutus, nisi cum humilitate scribendo memoravi, et pro virili magnificavi ?

Enim vero scio, et certus sum bonos Religiosos (ut de illis speciatim loquar quos reflexionibus meis offendisse me quidam pueriliter garriunt) plebem esse illam perfectam Deo juxta Angelicum vaticinium Luc. 1. memoratum parandam : nam præstantissimum Deoque gratissimum illud vivendi genus merito existimandum est, quo homines totos se Deo consecrantes, in ejusque possessionem seipsos transferentes divinis obsequiis perpetuo mancipantur ; illud in terris æmulantes quo apud Deum in cœlo Angeli absque ulla intermissione funguntur. « Quod faciunt Angeli in cœlis, » inquit Hieronymus *in Psal.* CXV. « hoc monachi faciunt in terris. » Quibus certissime persuasus libenter illud usurpaverim quod Bernardus apologia laudata de se testatur : « Non adversum ordinem, sed pro Ordine disputare putandus ero, si non Ordinem in hominibus, sed hominum vitia reprehendo. Et quidem diligentibus Ordinem in hac re molestum me fore non timeo, quinimo gratum procul dubio accepturi sunt, si persequimur quod et ipsi oderunt. Si quibus vero displicuerit, ipsi se manifestant, quia Ordinem non diligunt, cujus utique corruptionem, id est vitia, damnari nolunt. Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo : Melius est ut scandalum oriatur quam ut veritas relinquatur. » In hoc tamen a Bernardo fere immensum differo, quod de nullo unquam speciatim Ordine locutus sim, qui omnes et singulos tota voluntate complector.

CAPUT II.

EUCHARISTIÆ UTILITATES ET FRUCTUS IMMENSI PERSTRINGUNTUR.

« Præstringuntur, » inquam, infinita enim divinissimi hujus Sacramenti compendia, quibus non dicam exornandis, sed enarrandis impares sunt linguæ hominum et Angelorum ; intra capitis unius angustias concludi nequaquam possunt. Facile enim veritate ipsa coactus immensos Eucharistiæ effectus nulla posse oratione repræsentari quisque fatebitur, qui serio perpenderit Christum gratiarum omnium fontem plenissimum eo fine vere et realiter in Eucharistia contineri ut ex scaturigine inexhausta divinæ gratiæ amplissima munera hauriamus. Et certe, si Christus tot beneficentiæ significationes iis contulit, in quorum tecta mortalis receptus est, vel qui unius vestis aut fimbriæ tactu distillantem medicinam percepere; quanto magis animas nostras, in quas immortali gloria jam præditus ingredi non dedignatur, paratas quidem illas, et rite compositas amplissimis charismatis ornaturum esse sine dubitatione credamus? « O quam, » inquit Chrysologus serm. 34, « docuit mulier quantum sit corpus Christi, quæ in Christi fimbria tantum esse monstravit ! Audiant Christiani, qui quotidie corpus Christi attingunt, quantam de ipso corpore sumere possunt medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem. » Sugamus ergo divini sponsi ubera, non typho turgentia, sed lacte manantia ; ubera meliora vino, fragrantia unguentis optimis, et præclaris opima virtutibus.

SPECULATIO I.

Varii Eucharistiæ effectus ordine recensentur.

Divinum hoc et salutare sacramentum effectus suos nedum in animam, sed in corpus etiam digne recipientis diffundit. Singulos paucis referemus.

Primus Eucharistiæ effectus : Gratiæ et vitæ spiritualis augmentum.

« Aliter tamen quam per sacramentum Confirmationis » augetur per Eucharistiam gratia, ut docet S. Thomas quæst. 79. art. 1. ad 1. Confirmatio enim gratiam illam lar-

gitur, qua exterioribus inimicorum Christi impugnationibus repugnemus, eorumque hostiles conatus irritos efficiamus. Eucharistia vero gratiam auget, ut homo Christianus interius perfectior, spiritalior, Deoque conjunctior evadat. Cujus differentiæ signum etiam est, quod confirmatus in fronte perungitur : at Eucharistia ad modum cibi suscepta cor usque pervadit. « Principium fortitudinis est in corde, » inquit S. Doctor q. 72. art. 9. ad. 2, « sed signum apparet in fronte : unde dicitur Ezech. III : *Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Et ideo sacramentum Eucharistiæ quo homo in seipso confirmatur, pertinet ad cor secundum illud Psalmi CIII : *Panis cor hominis confirmet.* Sed ad sacramentum Confirmationis requiritur signum fortitudinis ad alios, et ideo exhibetur in fronte. » Hoc præmisso,

Facile probatu est gratiæ et vitæ spiritalis augmentum ab hoc sacramento proficisci. Et quidem per hoc sacramentum conferri gratiam sanctificantem perspicuum est. Cum enim hunc effectum communem habeant omnia novæ legis sacramenta, a fortiori id de præstantissimo sacramento dicendum est, cum in eo auctor Sacramentorum, fonsque omnium gratiarum contineatur, a quo velut a capite, et concha ad alia sacramenta velut tanquam ad rivulos et canales quidquid sanctitatis producere possunt derivatur. Quod vero gratiæ et sanctitatis augmentum sit proprius hujus sacramenti effectus, suadetur ; quia in hoc sacramento datur nobis Christus sub speciebus panis et vini in memoriam passionis ejus : Christus autem non venit ad nos nisi ut thesauros gratiæ effundat, sicut in mundum, testante Joanne, non venit nisi ut gratia et veritas per ipsum fieret. Christus etiam per modum cibi et potus hoc in sacramento venit, eos ut nobis conferat effectus, quos terrestris cibus et potus corporibus præstat, quæ sustentat, auget, reparat, et delectat. Denique memoriale passionis et mortis Christi illud facit in homine quod passio Christi fecit in mundo : passio autem Christi est universale gratiarum omnium principium. Igitur Eucharistia donorum cœlestium aquis scatet, quibus accedentium sanctitas perficitur, augescit, cumulatur.

Signum porro hujusmodi incrementi spiritalis ex Christianarum virtutum praxi et animi in via Dei firmitate dignoscitur. Sicut enim animantium vita in motu sita est, sic nova vita virtutum operatione clarescit, quibus diligenter et strenue incumbit qui pie ac reverenter hoc sacramentum frequentat. Nam non solum in peccata lethalia continuis prolapsionibus non recidit, sed etiam, ut alicubi Bernardus docet ; « fit homo mansuetior ad correctionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam pronior, ad gratiarum actionem devotior. » Interior animi profectus cognitu difficillimus est, si de illo ex sensibilibus duntaxat cordis affectibus judicium ferendum sit. Etenim nonnulli solide pii tædio et languore interdum deprimuntur, Deo pietatis ardorem et sensum illis, quo humiliores sint et cautiores, eripiente. Quare profectus ex vitæ castimonia, ex indefessa bonorum operum praxi, ex fideli divinorum mandatorum et consiliorum observantia verius, securiusque discernitur. Sicut enim, ut olim apud Granatensem me legisse memini, arborem adolescere oculi non vident, etiamsi in eam defixi hæreant; adultam vident tamen, nimirum diffusam in ramos, vestitam floribus, fructibus opulentam ; non absimili modo spiritalis vitæ incrementa sæpe non sentimus, quæ ex fructibus eorum, ut non semel Veritas dixit, cognoscuntur. Juxta quam regulam ab ipso Domino constitutam inferre est, inanes, et utinam non sacrilegas eorum esse Communiones, qui semper peccati, mortisque nunquam pœnitentiæ et pietatis fructus edunt. Si panis, et maxime iste divinus cor hominis confirmat, signum est in illis sacrum calorem coquendo cœlesti cibo necessarium extinctum esse in quibus idem languor, infirmitas eadem perseverat, eadem concupiscentiæ infausta radix de integro pullulat, et vulnera sanie et tabo etiamnum manant. Itaque sola vitæ integritas, morum innocentia, peccati horror, bonorum operum cultus corruptarum mundi næniarum sincera et effectiva abjectio, arctior cum Deo conjunctio, firmum et constans Evangelicarum maximarum observandarum propositum exhibitione operis comprobatum lapis lydius est, quo profectus gratiæ in Eucharistia perceptæ spectari, dijudicarique potest. Quod si post accuratam, et ab Apostolo imperatam probationem pateat te christiane pieque non vivere, nec mores fidei respondere, nec suscepta in Baptismate pacta sancte servare, nec Christi Sanctorumque vestigiis insistere

profecto non augmentum, sed decrementum, sed extinctionem gratiæ tuæ timeo.

Secundus Eucharistiæ effectus : Specialior cum Christo unio. Tertius : Unio Fidelium inter se.

Ita post Patres docet concilium Florentinum sæpe memoratum, dum ait, « adunationem hominis ad Christum esse effectum hujus sacramenti. » « Sicut, » inquit Cyrillus lib. 4. *in Joan.* cap. 17, « si quis ceræ liquefactæ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totam commisceat necesse est : sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniatur. « Etenim ut in matrimonio inter virum et uxorem tanta initur unio, ut duo esse in carne una dicantur, quia nimirum mutua est alterius conjugis in alterius corpus potestas : sic etiam quia Christus se in hoc Sacramento suscipienti dat, et Christo se vicissim recipiens tradit, magna inter utrumque intercedat unio necesse est.

Id tamen non ita intelligas velim, quasi physicam cum Christo unionem fideles consequantur ; solus enim intervenit moralis cordium nexus et veluti transfusio, juxta illud auctoris sermonis *de cœna Domini*, inter Cypriani opera : « Nostra et ipsius conjunctio nec miscet personas, neque unit substantias, sed affectus consociat et confœderat voluntates. »

Nec obest si dicas hanc unionem ab eodem Cyrillo, necnon a Chrysostomo homyl. 88. *in Matth.* et 45 *in Joannem*, dici « substantialem, naturalem, corporalem. » Non obest, inquam, hujusmodi enim expressionibus impium Calvinistarum dogma præfocare in antecessum voluerunt, et fideles omnes docere Christum naturale et substantiale corpus nobis in Eucharistia porrigere. Itaque unionem illam vocant substantialem, corporalem, naturalem ex parte rei datæ, nimirum corporis Christi, quod substantialiter, corporaliter, et naturaliter datur ; non vero eam sic appellant habita ratione modi unionis qua Christus cordibus nostris connectitur, qui non physicus, sed moralis est.

Ex unione fidelium cum Christo nexus eorum inter se liquido consequitur. Etenim quæ sunt eadem uni tertio, unum etiam inter se omnino efficiuntur. Quare Christus in Eucharistia est veluti centrum in quod omnes boni Christiani veluti lineæ confluunt : cæmentum est ac divinum signum, quo fidelium inter se corda stringuntur : lapis est angularis, qui facit utraque unum. Unde illud tritum Apostoli : *Unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane, et de uno calice participamus.* Sed de his plura agentes de unitate Sacramenti Eucharistiæ speciali reflexione egimus.

In hoc ergo cognoscent omnes num Christo in Eucharistia uniamur, si dilectionem habuerimus ad invicem. Illis claritatem illam suam in mirabili Sacramento dat Christus, quam ipsi dedit Pater, qui unum caritate sunt, sicut Pater et Filius naturæ identitate. Hæc mutua dilectio christianitatis tessera est, et Christianorum fortitudo. « Domum Dei fideles non faciunt, » inquit August. serm. 9. *in Annivers. Ecclesiæ*, tom. 10, « nisi quando caritate compaginantur. Ligna ista, et lapides si non sibi certo ordine cohærerent, nemo huc intraret. Quando vides in aliqua fabrica lapides et ligna bene sibi cohærere, securus intras, ruinam non times. » Præclare Magnus Gregorius exponens illud Cantic. VI : *Terribilis ut castrorum acies ordinata*, sic habet : « Scimus et constat, quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur ; quando ita fuerit constipata atque densata, ut in nullo loco interrupta videatur. Nam, si ita disponitur, ut locus vacuus, per quem hostis possit ingredi, dimittatur, profecto jam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est ut per caritatem semper uniti atque constricti, nunquam interrupti per discordiam inveniamur ; quia, etsi quælibet bona in nobis opera fuerint, si caritas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, unde ad feriendum hostis valeat intrare. »

Veram et realem corporis et sanguinis Christi præsentiam magis quam sexcenta miracula confirmat et persuadet Eucharistiam frequentantium sacra concordia. Nam, ut divine scripsit Chrysostomus hom. 33. *in I. Cor.*, « etsi sexcenta miracula edant, dum dissident inter se, ridiculi cæteris erunt. Quemadmodum etiamsi nullum signum edant, diligunt autem sese vere, suspiciendi invictique omnibus mortalibus permanebunt. Nam et Paulum eam ob rem miramur, magis autem quam ob mortuos suscitatos, leprasve mundatas. Stupenda vox est : *Quis infirma-*

tur, et ego non infirmor? Quis offenditur, et ego non uror? Sexcenta narra mihi miracula; nullum huic æquiparandum adduces. » Nihil tam Eucharistiæ adversum hæreticorum blasphemias detrahit, quam malorum Catholicorum eo cibo pastorum discordia intestina. »

Quartus Eucharistiæ effectus : Pinguedo spiritus, seu victrix gratiæ delectatio.

Ita docet D. Thomas quæst. 79. art. 1. ad 2 : « Ex virtute hujus sacramenti, » inquit, « anima spiritualiter reficitur per hoc quod anima spiritualiter delectatur, et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ, secundum illud Cant. v : *Comedite amici, et bibite, et inebriamini, carissimi.* » Hujus divini cibi suavitatis figura manna fuit, ex quo omnis saporis dulcedo percipiebatur. Hinc etiam Isaias cap. xxv. in hujus cœlestis convivii commendationem prædixit: *Faciet Dominus exercituum in monte hoc* (scilicet Ecclesiæ) *convivium pinguium, et convivium vindemiæ; convivium pinguium medullatorum, et vindemiæ defæcatæ.* Quia nimirum castæ nobis hic exhibentur voluptates, quæ nihil nedum impuritatis, sed nec amaritudinis etiam admixtum habent, utpote quæ ex intima Christi inhabitantis præsentia, et tenerrimo amabilissimi hospitis amplexu proficiscuntur. Hujus convivii sacras delicias, quibus spiritus saginatur, hancque spiritalem ebrietatem sic pie exponit auctor sermonis *de cœna Domini*, apud Cyprianum : « Quam præclarus est calix iste ! Quam religiosa hujus potus ebrietas ! per quam excedimus Deo, et quæ retro sunt obliti, ad anteriora extendimur; non habentes sensum hujus mundi, cruci hæremus, sanguinem sugimus, et intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam; quo interius exteriusque rubricati, a sapientibus hujus sæculi judicamur amentes. Ut manna, sic et hic panis omne delectamentum in se habet : virtute mirifica omnibus qui digne et devote sumunt secundum suum desiderium sapit, implet, satiat edentium appetitus, et omnium exsuperat dulcedinum voluptates. Esus igitur carnis hujus quædam aviditas est, et quoddam desiderium manendi in Christo, per quod sic imprimimus et eliquamus in nobis dulcedinem caritatis, ut hæreat palato nostro et visceribus sapor dilectionis infusus penetrans et imbuens omnes animæ corporisque recessus. »

Illud porro deplorandum, tam paucos, et fere nullos hujus suavissimi convivii super mel dulces consolationes experiri. Ne mirare; noxius humor subintravit, infecitque palatum cordis delectatio terrenorum. Mutavit homo gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum, desideravit Ægyptias carnes, allia, et cucumeres : qui ergo fieri potest, ut corde sensum carnalium habente, sæcularibusque nugis et quisquiliis repleto, cœlestem saporem percipiat? « Errat omnino, » inquit Bernardus serm. 6. *de Ascensione*, « si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata ista spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur. » Non nisi post ablactationem esus panis datur infanti : non ergo homo delectabitur in divinis qui se prius a sæculi voluptatibus velut a maternis uberibus infans non alienaverit. Ergo huic ut nos castæ delectationi, quæ in Eucharistia veluti in fonte potatur, pro nostro exiguitatis modo præparemus, exinanire per omnia nosmetipsos, et a delectationibus miseris et caducis consolationibus evacuare studeamus. Ut cum Propheta gustemus et videamus quoniam suavis est Dominus, eodem monente vacemus et videamus, quoniam ipse est Deus : nimirum rebus divinis, negotio salutis, pœnitentiæ exercitationibus seriam operam navemus, anxias curas remittamus, superfluis sollicitudinibus medeamur, sumamus a mundanis occupationibus quas maledictas Bernardus appellat, otium, illas decidere, effluere, et obire sinamus : et si illis cogente necessitate ad horam destinemur lenius ac remissius circa illas agamus, ut illis præclara animi libertate expeditis, totis in Deum studiis transeamus. Alioquin corde sicci, mente aridi, viribusque languidi sacris intererimus mysteriis : lambemus quidem petram, sed inde nec mel sugemus, nec oleum, qui nec aliqua caritatis dulcedine; nec Spiritus sancti pinguedine vegetabimur.

Itaque cum Augustino lib. 2. *Confess.* cap. 1. colligamus nos a dispersione, in qua frustatim discissi sumus, dum ab uno summo bono aversi in multa evanuimus, ut recolentibus vias nostras nequissimas in amaritudine animæ nostræ dulceat dulcedo non fallax, dulcedo felix et secura. Et tum unus-

quisque nostrum illud ejusdem Augustini lib. 9. *Confess.* cap. 1. Deo donante personabit : « Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum ! Ejiciebas eas a me vera Tu et summa suavitas ; ejiciebas, et intrabas pro eis omni voluptate dulcior. » Ita comparatus manducans Eucharistiæ cibum, ultra non esuriet; sic bibens præclarum calicem, ultra non sitiet : « Quoniam, » inquit Auctor sermonis *de cœna Domini*, inter opera Cypriani, « mysterii hujus sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, ut cuicumque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine invento, Christi bajulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, et omni tempore habitatori suo laudes resonet, et gratiarum actiones decantet. »

Illud tamen circa spiritales Eucharistiæ delectationes observandum merito est, has sacras delicias a viris etiam justis, interdum non percipi ; tum in pœnam alicujus peccati venialis fervorem, caritatis remorantis, et internæ unctionis lucem nonnihil obscurantis : tum sine peccato, ex ordinatione divinæ providentiæ, ad majorem Sanctorum humilitatem et probationem teneriorem pietatis sensum subducentis. Quæ quidem gratia devotionis cum deest, insistendum est orationi inquit Thomas a Kempis aureo suo *de Imitatione Christi* opere, lib. 4. cap. 12. ingemiscendum, et pulsandum, nec desinendum « donec mereamur micam, aut guttam gratiæ salutaris accipere ». Attamen animum interim despondere suum non debet Christianus, sed, ut S. Franciscus Salesius ait *Philotheæ* suæ 4. part. c. 14, in Dei nutu et providentia prorsus conquiescendum est, ut nos in istis internis desolationibus quandiu libuerit, benignissimus Pater quos amat castigaturus, exerceat. Interea bonis operibus constans opera navanda est, quæ licet sapida forte nobis non sint, Deo tamen, cui sola sinceri cordis voluntas placet, jucundissima sunt. Et Thomas a Kempis libro laudato, cap. 15 : « Oportet te devotionis gratiam instanter quærere, desideranter petere patienter et fiducialiter expectare, gratanter recipere, humiliter conservare, studiose cum ea operari, ac Deo terminum et modum supernæ visitationis, donec veniat, committere. Humiliare præcipue te debes, cum parum aut nihil devotionis interius sentis ; sed non nimium dejici, nec inordinate contristari. Dat sæpe Deus in uno brevi momento, quod longo negavit tempore. Dat quandoque in fine, quod in principio orationis distulit dare. Si semper cito gratia daretur, et pro voto adesset, non esset infirmo homini bene portabilis. Propterea in bona spe et humili patientia expectanda est devotionis gratia. Quisquis ergo intentionem suam simplici corde sursum ad Deum levaverit, seque ab omni inordinato amore, seu displicentia cujuslibet rei creatæ evacuaverit, aptissimus gratiæ percipiendæ, ac dignus devotionis munere erit. Dat enim Dominus ibi benedictionem suam, ubi vasa vacua invenerit : et quanto perfectius infimis quis renuntiat, et magis sibimetipsi per contemptum sui moritur, tanto gratia celerius venit, copiosius intrat, et altius liberum cor elevat. »

Quintus Eucharistiæ effectus : Spiritalis vigor, quo tentationibus obsistimus, et a peccati mortiferi veneno præservamur.

Ita docet D. Thomas art. 6. et sacra etiam Tridentina synodus sess. 13. cap. 2, ubi hoc Sacramentum appellat « Antidotum quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis præservamur. » Et ideo animi in bono perseverantis firmitas ab hoc potissimum Sacramento derivatur. Hac de causa ægrotantibus in fortitudine cibi illius iter æternitatis confecturis per modum viatici ministratur. Ob eamdem etiam rationem S. Capriano auctore lib. 1. epist. 2, Fidelibus ad tormenta et cædem raptis, ne in certamine deficerent, Eucharistia porrigebatur, ut munimento dominicæ saturitatis armati, foris pugnas, intus timores superarent. De quibus non longe ante multa diximus.

Porro a peccatis futuris præservat divini hujus cibi perceptio, tum interiorum virium per gratiam et virtutes infusas incremento, tum auxiliorum actualium pro necessitate habendorum jure collato, tum exterioris cacodæmonis impetus cohibitione : non enim tanta vi et audacia ad eum humani generis hostis accedit, quem videt tantæ Majestatis præsentia fultum, et memoriali Dominicæ Passionis, qua devicta sunt tartara, communitum. Unde Chrysostomus hom. 35. *in Joan.* Fideles digne hocce Sacramentum usurpantes leonibus flammam spirantibus comparat, eosque diabolo terribiles effectos esse pronuntiat.

Quæ cum ita sint, absque negotio inferet pius lector, suspectas omnino esse eorum

Communiones, qui in peccata mortalia creberrime prolabentes, sanctissimis, tamen tremendisque Altaribus sine ulla formidine sese inferunt, in eadem mox flagitia recisuri. Si vigor a peccatis præservans sit Eucharistiæ effectus, nec absint effectus nisi obex interponatur, quid de illis censere licet, qui eo animi languore debilitateque laborant, ut ne octo quidem dies ab iisdem peccatis sibi temperare valeant? Grandis dubio procul, et longe periculosissima illa ægritudo est, quam talis tantusque cibus tam sæpe perceptus non persanat, et nec collapsas vires restituit tantæ virtutis alimonia ori tuo frequenter ingesta.

Scio equidem hominis viatoris statum et conditionem mutabilem illam atque in bonum malumque liberi arbitrii infirmitate flexibilem, nunquam eam immobilitatem, quæ paucis in gratia confirmatis eximia est, obtinere : attamen homines hoc cibo sortium pastos easdem semper et interdum graviores ægritudines experiri, nunquam convalescere, nunquam laqueos infirmitatis evadere, cum hujus Sacramenti effectu a Sanctis omnibus tradito quam belle consentiat, non video, non capio, non reor. Sacramenta sunt causæ physicæ, naturaliter subinde, nisi objectaculum intercedat, operantes : ergo si mens tua vanis formis imaginibusque corporeis vitiorum et cupiditatum consuetudine inculcatis ita obducitur atque obruitur, ut nihil jam in ipsa loci divinarum rerum cogitationi relinquatur; si pectus tuum in terrenis usqueadeo demersum atque defixum sit, ut paululum modo in cœlum animum attollere, et in Deum cœli erigere non valeas; si tanta denique sit inertia tua, ut nec calamitatis sensum experiare, nec remedium illis aliquod adhibere sollicitus sis, nonne argumento est satis claro, te tot fœdis cupiditatibus miserandum in modum irretitum, in iisdemque semper delictorum sordibus hærentem, nondum hujus Sacramenti effectu frui, nondum te in Christo, Christum in te manere, sed mundi, carnis, dæmonisque mancipium permanere. Ad ignem accedere, et semper algere, cœlestem fontem potare, et carnalia semper sitire; in Christi (qui vera lux mundi est, ignisque consumens Deus noster, nec est qui se abscondat a calore ejus, nisi voluntarii frigoris glaciem opponat) in Christi, inquam, complexus irruere, et a pietatis sensu, fervore caritatis, Dei studio, rerum cœlestium cura et cogitatione alienissimum se sentire, cum Sanctorum doctrina de animo expurgando atque ad Eucharistiam excolendo, necnon de robore panis cœlestis quomodo convenire possit, nullus, nisi meus me fallit animus, bonus Christianus intelliget.

Sextus Eucharistiæ effectus : Venialium remissio peccatorum.

Ita docet S. Thomas art. 4, ubi tradit peccata venialia dupliciter hoc Sacramento remitti. Primo quio hoc Sacramentum per modum cibi nutrientis accipitur, juxta illud Joan. VI : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus :* illud etiam Tridentini sess. 13. cap. 2. Salvator noster sumi voluit hoc Sacramentum, « tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* » Unde, sicut quod innati caloris vi quotidie detrahitur ac deperit, paulatim alimento reficitur et sarcitur; ita quidquid anima cupiditatis ardore quotidie per leves offensas amittit, totum pius Eucharistiæ usus restaurat. Secundo, quia peccatis venialibus fervor caritatis imminuitur, qui cum hoc vitali cibo mirum in modum excitetur et flammescat, eo remitti delerique peccata venialia non est quod dubitari debeat. Unde merito a Beato Ambrosio lib. 5. *de Sacram.* cap. 4. dictum est : « Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis. »

Nec valet si dicas hanc duplicem rationem in eamdem tandem coincidere : cum enim peccatum veniale privet fervore caritatis, sicut privatio non nisi per formam quam removet tollitur, ita peccata venialia uno caritatis fervore remittuntur; ac proinde non ex opere operato, sed ex opere duntaxat operantis peccata venialia condonabuntur.

Non valet, inquam : tum quia cum divina Eucharistia jus habendorum auxiliorum, quibus inflammetur caritas, subindeque peccata leviora deleantur, ex opere operato impertiat, consequenter peccata venialia ex opere operato sufficienter abstergere censenda est. Tum quia gratia sacramentalis qua talis modum aliquem specialem importat, ut in materia de Sacramentis in communi probabilius esse monstravimus, quo ma-

culas veniales remanentes abstergi non est inconveniens. Etenim peccatum habituale venial. præter privationem fervoris actus caritatis quam includit, quamdam etiam immunditiem et maculam invehit, quam gratia Eucharistica deleri congruum est, nisi affectum hominis circa illa venialia inveniat occupatum.

Tum denique, quia duplex est venialium noxarum genus; aliæ enim ex deliberatæ proposito voluntatis proficiscuntur, nec nisi ob materiæ parvitatem leves sunt, sicut mendacium mere officiosum, et furtum unius pomi : aliæ non de industria et animo deliberato, sed per incogitantiam irrepunt; ideo enim multis latentis concupiscentiæ laqueis et insidiis irretimur, ut sæpe nobis plus justo indulgentes peccemus, nec peccare nos advertamus tamen : quin etiam (quæ magna infirmitas nostra est, et Sanctis flendi copiosa seges) dum bona agere opinamur, in occulta interdum delicta incidimus; dumque nihil aliud nisi pietatem nobis videmur habere propositam, tunc vel ignorantia vincibili, vel nimio irrepentis amoris proprii studio peccamus. « Sæpe enim, « ut ex Magno Gregorio sæpe in hoc Opere diximus, nec iterari tam præclarum documentum piget, « sibi de se mens ipsa mentitur, et fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat. Fit-ut aliud in imis intentio supprimat, et aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. » Ita 1. part. *Past.* cap. 9. Quod et aliis variis locis alibi memoratis Pontifex sanctissimus repetit. Primi ordinis peccata sine actualis pœnitentiæ a fervore dilectionis profectæ motu nunquam remittuntur, quia privatio actus non nisi per actum quem removet, unquam removetur. At posterioris generis delicta beneficio gratiæ Eucharisticæ ex opere mere operato remitti probabilissime remur, ut sacro illo cibo quod cupiditatis occultis insidiis perdimus restauremus. Unde advertenter, et juxta sapienter Catechismus Romanus part. 2. tit. *de Eucharist.* n. 53. postquam dixit, Eucharistiæ devoto usu restitui quidquid ardore cupiditatis ad leves offensas pertrahentis amisimus, subdit : « Verum hæc de iis peccatis intelligenda sunt, quorum sensu et delectatione animus non permovetur. »

Ex his liquere puto, parum illos ex Eucharistia proficere, qui peccata venelia pro nihilo ducunt, nihilque ab illis metuentes, nihilque ab iis cavendis laborantes, ea non minori quam laudatissima quæque opera, facilitate et confidentia suscipiunt. Etenim peccata illa simul voluntarie congregata, velut scabies animæ decus exterminantia, a cœlestis Sponsi castissimis amplexibus cum separent, divinæ Eucharistiæ fluentis intercedunt, dum in ea non incauti tantum et imprudentes, sed volentes etiam et scientes incurrimus. In aliquot venialia peccata incidere humanum est et quotidianum : at affectum erga illa retinere, illaque piis operibus redimere non curare, magno est Eucharistiæ fructibus impedimento. « Vere dico vobis, Fratres carissimi, » ait S. August. serm. 244, « quia non hoc de nobis Deus meretur, ut in nobis imago ipsius per malas concupiscentias injuriam patiatur. Et cum nullus homo velit cum tunica sordibus plena ad Ecclesiam convenire, nescio qua conscientia, cum anima per luxuriam sit inquinata, præsumit ad altare accedere. » Non loquitur autem August. de luxuria lethali, sed veniali, in quam incidunt qui matrimonio intemperanter ac extra liberorum procreandorum fines utuntur; sic enim habet : « Sed dicis, peccatum quidem est, sed tamen parvum est. Nec nos dicimus, quia capitale peccatum est. Sed tamen si frequentius exerceatur, et jejuniis vel eleemosynis non redimatur, nimis immundam facit animam. Noli despicere peccata tua, quia parva sunt. Nam et pluviarum guttæ sunt, sed flumina implent, et moles trahunt, et arbores cum suis radicibus tollunt. Tu qui dicis, quia parvum peccatum est, velim scire quoties tale peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corpore, et tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis ? Cum ergo in corpore tuo plagas, nec in veste tua scissuras vel maculas fieri acquiescis, qua conscientia tot facere in anima tua non metuis ? Ac sic quicumque hoc fecerit, plus amat vestem ac carnem suam, quam animam. » Sed de his copiosius dissertatione sequenti.

Septimus Eucharistiæ effectus : Remissio pœnæ vel penitus, vel partim, pro modo et ratione fervoris suscipientis condonatæ.

Explicatur et probatur doctrina S. Thomæ art. 5. quæst. 79. Eucharistia considerari potest vel prout sacrificium est, vel tanquam

sacramentum : utroque autem modo ad remissionem pœnæ conferre potest. Qua sacrificium quidem, nam, si propitiatoriis veteris legis hostiis homo remissionem pœnæ olim impetrabat, multo magis hoc unigeniti Filii Dei infiniti pretii sacrificio veniam culparum et pœnarum eis debitarum indulgentiam consequi valemus : sed de his, ne omnia susdeque misceamus, dissertatione quinta operosior sermo habendus est. Eucharistia etiam qua sacramentum est ad pœnæ remissionem conducit. Etenim licet Sacramentum hoc ad animam spiritualiter nutriendam directe sit institutum, quia, ut recte D. Thomas, et Pontifex in Clementina unica de reliquiis et veneratione Sanctorum dixerunt, in Eucharistia anima spiritualiter delectatur, et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis Dei : in quo ipsa Dei dulcedo in ipso fonte degustatur : « Hic est cibus, qui plene reficit, vere nutrit, simulque impinguat, non corpus, sed cor; non carnem, sed animam; non ventrem, sed mentem. » Attamen quia proprius et charateristicus hujus Sacramenti effectus est augmentum caritatis, « ex cujus fervore, » inquit D. Thomas laudatus, « aliquis consequitur remissionem non solum culpæ, sed etiam pœnæ; inde est quod ex consequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ devotionis et fervoris. »

Accedit, nunquam reatum culpæ tolli, nisi reatus pœnæ sin ex toto, certe ex parte tollatur. At per Eucharistiam peccata venialia quoad culpam remittuntur, et aliquando, per accidens tamen, mortalia, ut postea dicemus. Ergo reatus pœnæ per Eucharistiam deletur. Denique eatenus Eucharistia pœnam remittere dici merito potest, quia omnes omnium pœnitentiæ laborum, omniumque virtutum fructus et effectus cumulare et absolvere, solius Eucharistiæ est.

Sed advertere hic operæ pretium est, beneficio Eucharistiæ qua sacrificii et qua sacramenti pœnas peccato debitas remittentis non propterea pœnitentiæ necessitatem excludi. Nulla est enim indulgentia sive a Christo, sive ab Ecclesia vice Christi collata, quæ agendæ pœnitentiæ omnibus peccatoribus indictum præceptum evacuet. Verum non est vero contrarium, sed facillime a veritatis amantibus conciliantur. Culpas et pœnas delent Sacramenta, delent Ecclesiæ Pastores traditis sibi divinitus clavibus Regni cœlorum. Verumtatem ille ipse qui dixit, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis;* et iterum, *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis :* non minori veritate dixit, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Magna est, et juxta salutaris Sacramentorum, magna Indulgentiarum vis : sed peræque magna est pœnitendi necessitas iis qui Baptismi sanctitate violata, sanguinem Christi conculcare, et Spiritum sanctum contristare non formidaverunt. Exigit enim divinæ justitiæ ratio, inquit Patrum omnium et Veritatis ipsius vestigiis inhærens sacrosancta Tridentina synodus sess. 14 cap. 2. et 8, ut ad vitæ novitatem et integritatem « sine magnis nostris fletibus et laboribus nequaquam pervenire possimus, ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a sanctis Patribus dicta fuerit. »

Novatorum Sacramenta augustissima, et Ecclesiæ claves efficacissimas impie irridentium audaciam anathematis infinitis justissime percellit omnis Catholicus; sed eorumdem perversissimam facilitatem non minus coarguit, qua peccata post Baptismum commissa absque operosiore et laboriosiore pœnitentia deleri, certissima Scripturarum et sacratæ Traditionis oracula evertentes affirmant. Sed de his uti oportunius, ita fusius tractatu sequenti *de Pœnitentia*, Deo bene vertente, disseremus.

Octavus Eucharistiæ effectus : Cordis castimonia in appetitum diffusa.

Non sistunt intra animam uberes Eucharistiæ utilitates; in appetitum etiam, corpusque dimanant. In appetitum quidem redundat passionum moderatio : Christo namque obumbrante, et castitatis rorem instillante, « spiritale refrigerium percipit » vir Christianus, inquit Angelicus Doctor opuscul. 58. cap. 21. illud usurpans Ozeæ XIV : *Ego quasi ros, et Israel germinabit quasi lilium*, quod est hieroglyphicum castitatis. Et in præsenti, art. 6. ad 3 : « Licet hoc sacramentum non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget caritatem; quia, sicut Augustinus dicit in libro 88. *Quæstionum*, augmentum caritatis est diminutio cupiditatis. »

Ferunt Naturalistæ, in herba quam vocant Agnum castum recumbentes castos

evadere et pudicos. Agnus vere Castus Christus est : quidni ergo dum super nos recumbit, sævientem membrorum nostrorum legem sedabit, vitiorum incentiva reprimet, animi æstus refrænatos extinguet? Dominabitur plane in medio inimicorum suorum ; et hoc erit præsentis Christi virtutis insigne, hoc trophæum singularis triumphi, ut prædæ suæ prædo ipse, ipsis captivis suis ipse captivus, vinctis quondam suis vinctus ipse Diabolus nunc tradatur. Si tentationis procella urget, ingruitque tempestas, adest beneficio Eucharistiæ in mœrore solatium, in periculo remedium; adest intrinsecus debellans, victorque passionum, quæ tametsi pulsent, tentent, provocent, concident tamen ad nostram gloriam triumphorum. Nobis enim cupit vincere in Eucharistia nobiscum convivens Christus, qui in terris dum viveret pro nobis dignatus est militare. Hinc pax illa quæ exsuperat omnem sensum proficiscitur, quia appetitus rationi, ratio Deo mira ordinis tranquillitate jugiter famulantur. Quantum ergo desiderabile est nomen pacis, tantum amabile est Altaris Dominici cœleste convivium. Et quid dignum possumus de pace proloqui? Pax nomen est ipsius Christi ; sicut enim Apostolus Ephes. II. dixit : *Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum.* Quia, et præclare dixit Chrysologus serm. 53, « Plantare pacem radicitus est Dei, evellere penitus inimici. » Neque enim æstus corporis voluntarie sentit, quem divinæ protegit umbra virtutis ; nec fallaces libidinum voluptates inquirit, qui se septum superni splendoris circumspicit velamento. Et quomodo regnaret in corpore nostro mortale peccatum, quod sibi in reclinatorium et thronum Rex noster elegit?

Itaque divinæ Eucharistiæ umbraculo et ancili tecti et protecti, internarum impetus conflictusque passionum ne timeamus. Sane, sicut majorem mundum non inficit, sed decorat elementorum inter se pugnantium concors discordia ; ita minorem mundum hominem, rerum omnium compendium et epilogum non deprimit, sed beneficio cibi vitalis attollit quotidiana passionum lucta, quæ intrepidi magnitudinem animi dum exercet, opportunitatem victoriæ , locum suppeditat triumpho.

Ethicam appellarunt nonnulli animi agriculturam; eam alii officinæ ferrariæ comparârunt, appositissime illi quidem. Quemadmodum enim agros sponte sua spinarum et tribulorum feraces non ornat modo et mundat, sed fructibus ditat et beat agricultura ; sic virtus gratia cœlesti adjuta, et Eucharistiæ robore munita hominem natura rudem, concupiscentia brutescentem, vitiis non paucis squallidum et horrentem informat, polit, instruit, adornat, et solidorum bonorum beatissima copia cumulat. Rursus, sicut inter maleorum ictus, flammarum crepitus et fumos, follium flatus importunos, et repetitas incudis tunsiones et pressuras elaborantur artefacta ad speciem pulchra, ad miraculum concinna, ad humanos usus perutilia ; sic eximium virtutis operæ prætium ex passionum conflictu enascitur, non secus ac ex nimborum, pluviarum, grandinum, nivium, fulminum, fulgurumve strepitu fructus et plantæ pullulant, adolescunt, maturescunt. Affligitur, fateor, in hoc certamine appetitus : sed, sicut arbor frugifera luxuriantium ramorum amputatione castigatur, ut ornatius vestiatur, nihilque illi nisi in salutem deperit, abscissis palmitibus redeuntibus cum usura ; ita impetus illi animi, quos passiones nominamus, quive opprobria hominis sunt, fiunt instrumenta salutis, quibus dum homo pœnaliter læditur, salubriter exercetur, atque utiliter eruditur. « Nisi præcesserit pugna, » inquit Cyprianus *de mortalit.*, « non potest esse victoria. Delicata jactatio est cum periculum non est. »

Principia entis naturalis contraria esse philosophi omnes veritate coacti posuerunt, ut ex continua rerum lite perpetuus generationum reditus, et perennis rerum genitarum circulatio non deficerent. Hinc, teste quodam antiquo , mundus est sibi ipsi morbus et medela ; infirmus una et medicus ; sibi simul sepulcrum et incunabulum ; quia cum corruptio unius sit generatio alterius, ex ruinis et cineribus suis, succedente per varios status transitu, quæ perierant rediviva restaurantur. Unde Tertulliano observante, natura fit « de fraudatrice servatrix, » intercipiens ut reddat, perdens ut custodiat, vitians, ut integret, uberiora et cultiora restituens quam exterminavit. Ita non absimili modo ex multiplici cupiditatum prælio, studiorumque conflictu dum quatitur animus, virtutum radices penitius defiguntur.

Verum non tam labori tuo quam Christi virtuti et Eucharistiæ influxibus asserenda victoria est. Solo frumento electorum et vino Virgines germinante (sic a Zacharia cap. IX. appellatur Eucharistia) conciliatur

interiori homini pax, appetitus quamlibet indomitus ad obsequium voluntatis adigitur, concupiscentia contumax ad officium nedum compellitur, sed effusis cœlestium charismatum suavitatibus mollita et victa ad subeundas Dei et principantis rationis leges sponte sua concedit, quibus ante fuerat refractaria. Quam felix sub Christo duce pugna, tam fortunatæ victoriæ parens! « Si quis vestrum, » inquit Bernardus serm. *in cœna Domini*, « non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo. » Victoriam tibi si ascribas, eo jam ipso prosterneris victus, factus mancipium superbiæ, dum tibi crassiorum vitiorum vindicas laudem. « Si vis vincere, » ait Augustinus, « illi assigna victoriæ gloriam, qui tibi donat ut victoriæ referas palmam. »

Collige ex his quam suspectæ eorum Communiones sint, in quibus passiones semper indomitæ, semper effrenatæ vigent. Cœlestis epuli delicias quomodo saperet corruptus eorum appetitus, qui voluptatibus corporis male dulcibus inhians, et porcorum manducat siliquas, et dæmones pascit, qui semper corporum vitiis saginantur, et sordibus. Christi corpus immaculatum ore realiter suscipientes, illud in cor putridum et conscientiam ingerunt cauteriatam. Laxant frena corpori, ut per indulgentiam caro laxata in Dæmonis incurrat servitutem. Quia qui in Christum realiter præsentem caritate debuerant transformari, in Diabolum immunditia convertuntur. Nam, ut veridice Chrysologus serm. 5. scripsit, « Sicut Domino qui se jungit, unus spiritus est, ita qui se jungit Diabolo, est Dæmon unus. » O rem lacrymis dignam inenarrabilibus! « Mulier » olim « de vulnere medicinam tulit: nobis medicina retorquetur in vulnus, » inquit idem Pater serm. 34. « Hinc est quod Apostolus ait, *Dormiunt multi*. Dormientes mortuos dicit, quos luget in corpore jam sepultos. » Sepultos plane, qui ingluvie ventris, otii, soporisque resolutione jacent et languescunt. Hujusmodi non tam hominibus quam pecudibus in eadem semper luxuriæ flagitia recurrentibus nihil prodest panis Angelicus; cum in ventrem adversis humoribus occupatum ingestus corporeus cibus plus lædat quam juvet, magisque noceat quam proficiat. Sol lipientibus oculis non lucem tribuit, sed tenebras. Vinum vires febrientium non reparat, sed enervat: sic criminosis pernitiosum est sine fide, caritate, et castitate, fidei, caritatis, et castimoniæ Sacramentum.

Nonus Eucharistiæ effectus: Semen immortalitatis et beatæ resurrectionis in corpus derivatum,

Operatur in corpus nostrum divina Eucharistia duobus modis. Primo quidem per quamdam veluti refusionem et redundantiam voluntatis, et moderati appetitus in ipsum. Sicut enim æternus corporis habitus bonorum usu ciborum pulchrescit atque florescit; sic auctis voluntatis per Eucharistiam virtutibus, domitisque passionibus appetitus, externa hominis cœlesti cibo pasti conversatio fit magis composita, suavior, et bono virtutum odore fragrantissima. Quia per Eucharistiam, Patribus auctoribus, Christus fit nobis « concorporeus et consanguineus », impleturque illud Apostoli votum: *Filioli, quos iterum parturio donec formetur in vobis Christus*. Hinc in externis Christiani actibus Christi modestia et gestuum compositio relucet, et veluti in speculo visendam se præbet. Hinc in incessu gravitas, in vestitu simplicitas, in vultu verecundia, in verbis castimonia, in operibus gratia, in manibus misericordia, in agendis prudentia, in toto denique homine forma virtutis certatim collucent, ut corporis species simulacrum sit mentis, figuraque probitatis.

Secundo, sed occultiori modo diffundit in corpus nostrum cœlestis hic cibus arcanam vim longe divinissimam, semen nimirum gloriosæ resurrectionis. Hunc Eucharistiæ effectum significat Salvator Joan. VI: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Quæ verba ponderans Cyrillus Alexandrinus lib. 4. *in Joan.* cap. 2. in versum 55. sic habet: « Fieri prorsus nequit, ut qui secundum naturam vita est, corruptionem non superet ac vincat mortem. Proinde licet mors, quæ per prævaricationem nos invasit, humanum corpus corruptionis necessitati subjiciat; tamen quia Christus per suam ipsius carnem in nobis est, omnino resurgemus. Incredibile enim est, imo vero impossibile » (de potentia saltem ordinaria solito divinæ sapientiæ et bonitatis agendi modo consentanea) « ut vita eos in quibus fuerit non vivificet. Quem-

admodum enim scintillam multis paleis inserimus, ut semen ignis servemus : sic etiam Dominus noster Jesus Christus per carnem suam in nobis vitam integit, ac veluti quoddam semen in mortalitatis inserit, quod totam quæ in nobis est corruptionem abolet.» Quibus verbis nihil planius vel expressius.

Idem docet sanctus Petrus Chrysologus. Postquam enim sermone 59. dixit ex corpore Christi semen immortalitatis et resurrectionis proficisci, his verbis : « Crucifixus est, ut quia per lignum mors venerat, rediret vita per lignum : et sepultus, ut officia tota mortis impleret, ut mors morte moreretur, ut ex illius semine corporis omnis humanorum corporum satio vitalem surgeret et levaretur in messem. » Deinde serm. 95. divinæ Eucharistiæ beatæ effectum immortalitatis ascribit, dicens : « Rogavit Dominum quidam Pharisæus ut manducaret cum illo. Pharisæus, fratres, Catholicus dicitur Judæorum ; nam et resurrectionem credit, et a Saducæo resurrectionem negante discedit. Hinc est quod rogat Christum, id est resurrectionis auctorem, ut manducet cum illo ; quia qui convivit Christo, mori nescit, utique vivit semper. Rogas, Pharisæe, ut manduces cum illo. Crede, esto Christianus, et manducas ex illo. *Ego sum*, inquit, *panis qui de cœlo descendi.* Semper Deus majora tribuit quam rogatur : nam se manducandum dedit, qui rogabatur ut manducandi secum fiduciam largiretur : et tamen sic hoc dedit, ut illud quod postulatus est non negaret. » Immortalitas ergo in eum qui convivit Christo per Eucharistiam porrecto derivatur.

Dices : Non impedit Eucharistiæ usus, quo minus eo cibo pasti moriantur. Ergo immortalitas non est Eucharistiæ effectus.

Respondeo hanc objectionem a Beato fuisse Cyrillo loco laudato occupatam. « Discant, » inquit capite 2. ab initio, « si velint corruptionis immunes esse, et ipsam ex prævaricatione ingruentem mortem exuere, necessario accedendum esse ad participationem ejus qui vivificare potest, et qui corruptionem delet, et mortem destruit. Proprium enim istud revera et convenientissimum vitæ secundum naturam opus est..... Qui panem in se vitæ suscipiunt, præmium immortalitatis habebunt, et corruptionis cæterorumque malorum expertes ad perpetuum et æternum illud Christianæ vitæ spatium ascendent. Nec obstat quod iis qui facti sunt Christi participes, necessario mors degustanda sit ; nam licet humanitus eis mors accidat, tamen ut Paulus (Rom. VI.) ait, vivunt Deo victuri. » Moriuntur ergo etiam Eucharistiam usurpantes in pœnam peccati originalis a vetere Adam propagati, sed virtute secundi et cœlestis Adam in corpora nostra per Eucharistiam inseminata resurgent.

Instabis : Etiam infideles Eucharistiæ sacro cibo nunquam pasti, et mali Christiani corpus Christi indigne sumentes, judiciumque sibi manducantes aliquando rerum resurgent. Ergo resurrectio non est specialis Eucharistiæ, ejusdemque boni usus effectus.

Respondeo hanc ipsam etiam instantiam S. Cyrillum lib. 3. cap. 6. præoccupasse : « Cum Christus, inquit, ex vivo Patre genitus sit, ipse quoque natura sua vita est. Et quoniam vitæ secundum naturam suam officium est vivificare, Christus omnia vivificat. Ut enim panis terrenus imbecillitatem carnis nostræ sustentans, eam corrumpi non sinit, ita et ipse per Spiritus sancti operationem spiritum nostrum vivificat : neque hoc tantum, sed et ipsum corpus incorruptionem conservat. Sed dicet forsan aliquis, » addit lib. 4. cap. 2, « resurrectionem mortuorum mentis oculo attente considerans : Enim vero qui fidem in Christum non susceperunt, nec facti sunt ejus participes, resurrectionis tempore non reviviscent? Quid ergo? Nonne omnis creatura quæcumque in mortem lapsa est, revocabitur ad vitam? Ita sane, resurget omnis caro. Suscitatum enim iri mortuos Propheta prænuntiat. Ad omnem quippe humanitatem illud per resurrectionem Christi mysterium pertinere statuimus, et in ipso ac primo nostram omnem naturam corruptione liberatam esse credimus. Omnes enim resurgent juxta similitudinem ejus qui propter nos excitatus est, et qui omnes sicuti erat homo in seipso continet. Et quemadmodum in primo Adamo inclusi sumus in mortem ; sic in eo rursum, qui primogenitus est propter nos, a mortuis cuncti resurgent. Sed qui bona quidem egerint, in resurrectionem vitæ, ut scriptum est (Joan. V.) qui vero mala egerint, in resurrectionem judicii. Resurgere vero ad pœnam, et ad sola supplicia excitari, morte ipsa longe acerbius esse judico. » Non ergo qualiscumque resurrectio, sed sola beata et gloriosa divinæ Eucharistiæ fructus est salutaris. Quod et alii plerique Patres docent, qui idcirco Eu-

charistiam « Pharmacum immortalitatis, præservativum corruptionis æternitatis alimoniam » appellant. Resurrectio autem damnatorum ad pœnam eorum instituta, et ad æternam mortem subeundam divinitus constituta, ab hoc Sacramento aliena est.

Urgebis : Arcana illa vis in corpora Sanctorum ab Eucharistia derivata, vel est moralis duntaxat, vel physica etiam et realis : si moralis, nihil eximium asserimus Eucharistiæ ; omnia enim novæ legis Sacramenta cum sint causæ gratiæ, et consequenter gloriæ, jus morale recte ea suscipientibus conferunt ad resurrectionem suo tempore et beatitudinem animæ secuturam. Non potest vero dici, quod sit physica ; quomodo enim in tam multis corporum in fine sæculi glorificandorum transmutationibus quotidie contingentibus subsistere potest virtus illa divinitus impressa, quæ de subjecto in subjectum transire nequaquam potest ? Ergo resurrectio corporum non potest speciali titulo participationi corporis Christi ascribi.

Respondeo sanctorum Patrum testimonia recitata causalitate morali aliquid amplius indicare. Cum enim vivificæ Christi carni hoc ipso quod divinitate uncta est, et vitæ per essentiam unita, aliquid speciale asserant, ab eaque semen et germen vitæ immortalis in corpora Sanctorum indi, inseri, et veluti integi attestentur, idque illustrent exemplis scintillæ ignis post incendium remanentis, quæ sub paleis cineribusque fovetur ; seminis agris commissi, panis vigorem corpori impertientis ; probabilius, et Patrum dictis conformius, et dignitati tanti Sacramenti consonantius videtur, ex carne Christi nobis per Eucharistiam unita vim quamdam et supernaturalem qualitatem in corpora nostra manare, quæ ad beatam et gloriosam corporis resurrectionem efficiendam evehetur, vel in ipsa resurrectione quadantenus explicabitur, sicut granum frumenti in terra aliquandiu latens erigitur deinde, atque in uberiores fructus assurgit. Sane si ab Angeli vice Dei loquentis conspectu tantam lucem Moyses derivavit, ut, Apostolo testante II. Cor. III, *non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus ;* quidni a divina Eucharistia, quam *fontem lucis, et arcam luminum*, duo clarissimi ejusdem Civitatis archiepiscopi Chrysostomus et Germanus appellarunt, splendoris radii effluent, qui in hac quidem mortali vita latent, sed in futura aperientur, hiabunt, dehiscent, diffundentur ? Valet enim argumentatio Apostoli : *Si ministratio mentis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria propter gloriam vultus ejus quæ evacuatur ; quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria ? Si enim quod evacuatur, per gloriam est ; multo magis quod manet, in gloria est.*

Ratio vero hujus nostræ sententiæ ex dictis de Sacramentis in communi liquido consequitur. Si enim sacramenta novæ legis, et potissime Sacramentorum præstantissimum Eucharistia gratiam aliosque supernaturales effectus physice ad modum instrumenti producunt ; et cæteroquin Patrum unanimi consensione constet corporum immortalitatem, et beatam resurrectionem vivificæ Christi carnis in Eucharistia porrectæ effectum esse ; plana satis, apertaque consecutione colligitur, Sacramentum hoc corporum resurrectionem et gloriam physice et realiter operari, non quidem per suam entitatem, quæ in resurrectione amplius non erit ; Sacramenta autem quæ non sunt, physice agere nequaquam possunt : sed per diffusam a se vim vel qualitatem, quæ sit vitæ immortalis germen, et futuræ resurrectionis divinitus inditum semen, suo tempore, postquam miseræ hujusce vitæ hyems transierit, fructus honoris et honestatis editurum. Ut enim in seminibus virtus inest earum rerum quæ ex eis progignuntur ; ita in virtute illa a vivifica Christi carne in Sanctorum corpora derivata omnis resurrectorum corporum vita et gloria virtualiter continetur.

Nec obest corporum tot vicibus transmutatorum corruptio et generatio, in qua juxta Aristotelis et S. Thomæ sententiam, omnia corrupti corporis accidentia penitus subruuntur, facta usque ad materiam primam, quæ sola remanet, resolutione. Non obest, inquam ; quia cum hæc virtus seminalis gloriæ sit supernaturalis, non de potentia subjecti naturali, sed obedientiali educitur : quæ potentia obedientiæ cum semper in materia permanente ut subdita Deo permaneat, per naturalium agentium actiones et reactiones minime obliteratur. Nec propterea materia sola est illius virtutis subjectum, quia, cum materia nunquam sit sine forma, toti semper composito inhæret, ratione tamen materiæ, maxime quia hæc virtus ad materiam restaurandam exaltandamque est instituta.

Urgebis demum : Parvuli post Baptismum

mox decedentes, nec vitali Eucharistiæ cibo unquam pasti, gloriosi in fine sæculorum resurgent tamen. Atqui ea infantium corporum gloria non potest esse Eucharistiæ effectus, quam nunquam receperunt : ergo corporum beatorum resurrectio et immortalitas ab Eucharistiæ Sacramento physice et realiter non proficiscitur.

Respondeo difficultatem hanc adversariis esse peræque communem? eatenus enim juxta illos Eucharistia est gloriosæ resurrectionis causa, quatenus Eucharistia suscepta est futuræ corporum resurgentium gloriæ pignus, cujus intuitu promissam Christus resurrectionem implebit. At pueri mox a Baptismo mortem oppetentes pignus illud nequaquam receperunt : quomodo ergo Eucharistia est eorum beatæ immortalitatis causa moralis? Dicendum ergo, quod, sicut alias inter explicandam Sacramentorum efficientiam exposuimus, Sacramenta novæ Legis effectus suos physice quidem quando sunt emittunt; ita præterita vel futura, subindeque in voto duntaxat vel proprio vel alieno suscepta effectus suos non nisi in genere causæ moralis operantur. Sane Christi agendi modum Christi instrumenta imitantur; unde, sicut Christus jam existens bonorum omnium supernaturalium fons est et causa realis, ejusque humanitas est potissimum miraculorum organum; a Christo vero nondum existente et nato omnes veteris Testamenti gratiæ tanquam a causa finali et morali proficiscebantur, quatenus intuitu prævisorum meritorum Redemptoris quidquid fidei, virtutis, et gratiæ in sanctis Patribus refulsit, totum a Deo collatum est : ita pariter Sacramenta existentia physice, non existentia moraliter duntaxat operantur. Et hoc modo Eucharistia puerorum resurrectionem efficit, quam quidem pueri baptizati non propria voluntate, sed matris Ecclesiæ votis concupiscunt, ut alibi satis diximus.

Itaque per Eucharistiæ usum Christus, quem B. Jacobus *insitum Verbum* appellat, plantatur quadantenus in cordibus nostris, quæ si caritate viventia invenerit, vitam immortalem in corpus ipsum mira difusione dilatat; si mortua peccato, mortis venenum in corpus ipsum protendit : nam « mors est malis, vita bonis ». Et, ut præclare Chrysologus serm. 77. scripsit, « sicut illud cor cœlum est, in quo vivit et regnat Christus; ita illud pectus sepulcrum, in quo Christus adhuc habetur mortuus, et sepultus. »

Hæc cum ita sint, ad Eucharistiam nemo nisi mundo, nisi peccato, nisi sibi mortuus accedat, ut ex fonte vitæ vitam jugiter hauriamus. Petamus ut Christus per Eucharistiam porrectus dominetur in medio inimicorum suorum, atque in nos adveniat regnum ejus; quia, si ille regnaverit in nobis, in illo nos ipsi regnabimus. Regnavit hactenus diabolus, regnavit mors : rogemus ergo ut Christo regnante pereat diaboli tyrannis, deficiat peccatum, abjiciantur opera tenebrarum, ne amplius diabolus arcem, mors imperium, infernus gerat ac teneat potestatem. Iterum, atque iterum oremus, ut Christus semper suis regnet in militibus, ut milites suo semper triumphent in Rege. Regnabit porro, si ejus semper voluntatibus obsequamur. « Hoc est regnum Dei, » inquit Chrysologus serm. 67, « quando in cœlo, et in terra Dei voluntas est sola. » Tunc evadit terra nostra cœlum, vita nostra Deus, tempus nostrum imago æternitatis, census noster innocentia, honor noster immortalitas, spes nostra felicitas animi, et corporis gloriosa resurrectio.

Decimus Eucharistiæ religiose frequentatæ effetus : Perseverantia finalis, cui æterna felicitas succedit.

Hæc est Eucharistiæ effectuum beatissima coronis, votorum nostrorum meta, et tota ratio spei nostræ. Perseverantiam porro cum gloria conjungimus, quia duo licet effectus sint, adeo tamen indivulsi sunt, ut pro eodem merito computentur.

Perspicue autem hunc nobis effectum Veritas significavit et spopondit, Joan. VI : *Si quis*, inquiens, *manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Vita autem æterna hominis felicitas est, ad quam una perseverantia pervenimus. Ergo gloria æterna est effectus Eucharistiæ, atque etiam perseverantia, de qua specialiter intelligi potest illud ejusdem Salvatoris : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Hoc autem mansionis nomen permanentiam continentem significat, juxta illud : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Nihil aliud autem est perseverare, quam in Christo manere, et ab ejus nunquam gratia decidere. Sed de perseverantia

primum, deinde de corona pauca ordine dicamus.

Perseverantia ergo est divini Sacramenti fructus præcipuus, et certe hac forte de causa permanens illud esse voluit Christus, ut beatam mentis in sanctitate firmitatem impertiret. Porro perseverantiam nobis conciliat, tum quia a peccatis mortalibus cœleste hoc antidotum præservat, quibus solis noster ad Deum cursus impeditur. Tum quia quemadmodum corpus cibo naturali conservatur incolume, ex eoque quotidie vires, quotidie suavitatem percipit sanitati fovendæ salutarem; ita etiam divinæ Eucharistiæ cibus salutem animæ sustentat, vires addit, efficitque ut spiritus divinarum rerum saluberrima delectatione magis magisque commoveatur, atque in dies saginetur. Certe panem ordinarium Dei optimi maximi et amantissimi provisoris beneficio sustentandi corporis, cordisque virium confirmandarum gratia nobis indultum Scriptura sacra testatur : *Ut*, inquit Psalm. CIII, *educas panem de terra, et vinum lætificet cor hominis, et panis cor hominis confirmet.* Unde per Prophetas non semel minatur Deus populum vitiis inquinatum panis robore ac præsidio se spoliaturum. *Auferet dominator Dominus*, inquit Isaias cap. III, *a Jerusalem omne robur panis. Conteram baculum panis*, ut additur Ezech. v. Quanto potius panis ille cœlestis datus est, ut fatiscentem animam fulciat, ut confirmatam tueatur, ut gratiam dilabi ac diffluere vetet, ut quotidianas a concupiscentia importatas jacturas sarciat, ut Christum sequentes, ejusque crucem jugiter portantes, atque in via perfectionis, pœnitentiæ, ac mortificationis fatigatos reficiat, non secus ac quinque panes, quibus Eucharistia tam graphice adumbrata est, piis turbis Salvatorem in deserto sequentibus, ne deficerent in via, stupenda multiplicatione porrecti fuere, ut castarum animarum Christum qui justitia est esurientium, in illiusque unionem anhelantium famem ab ipsa Veritate Matth. v. et ab ejus Matre Luc. I. beatificatam exsatiet; denique ut Christianos cœlestium uno amore incensos, et eorum desiderio contabescentes soletur interim, extollat, sustentet, et bonis impleat omne genus. Denique omnes hactenus enumerati effectus ad perseverantiam nobis accersendam concurrunt, ut consideranti patebit; et quidquid in tota speculatione operose satis protulimus, ad hunc effectum suadendum conspirat.

Hac de causa Eucharistia *Viaticum* peregrinationis nostræ a Patribus merito dicitur, atque ab Ecclesia infirmis ægritudine oppressis, atque communis hostis insidiis et tentationibus circumseptis « per modum viatici », quo iter æternitatis alacrius in fortitudine cibi illius decurrant, securius ministratur. « Ejus virtute recreati, » inquit Catechismus Tridentini 2. p. titulo *de Eucharist.* num. 56, « non secus atque Elias, qui in subcineritii panis fortitudine ambulavit usque ad montem Dei Horeb » (ut habetur III. Reg. XIX) « cum ex vita emigrandi tempus advenit, ad æternam gloriam et beatitudinem ascendant. » Mille enim clypei pendent ex eo, et omnis armatura fortium; atque dum bella premunt hostilia, dat robur, fert auxilium, cœlique pandit ostium hæc salutaris hostia.

Videant ergo quam suspecta sit ipsorum communio, qui in peccata lethalia continuo et ferme majori pronitate post hujus panis usum prolabuntur; nullum ex hoc pane fortium infirmitatis levamen, nullum debilitatis robur reportantes. Durat profecto, durat morbus, quin et recrudescit infirmitas, quam tam salutaris cibus non persanat. Sane quemadmodum medici infirmis graviori et febrili morbo a viscerum corruptione vitaliumque tabe profecto laborantibus pane sapienter interdicunt, cibosque solidos sedulo subducunt, quoad vitiosis, morbidisque humoribus remediorum ope atque ipsa abstinentia depulsis allevatum corpus melius habeat, ne infusus cibus, ingestusque panis quidquid virium reliquum est absumat, opprimat, extinguat : ita non absimili modo studiosus animarum Rector, et plagarum animi longe gravissimarum medicus accuratus non quibuslibet indiscriminatim infirmis, infirmitatis eorum nec genere, nec periculis, nec causis, nec adjunctis exploratis, divini panis esum statim consulit, quoad evacuatis perversi cordis in eodem semper luto hærentis affectionibus, unde omnis animæ temperatio dissoluta est, præmissisque pœnitentiæ exercitationibus, quæ una et propria sunt malorum illorum remedia, convalescens paulatim animus eam Deo juvante, et infirmo cooperante sanitatem consequatur, quæ ad escam adeo solidam sacro charitatis igne concoquenda accommodata sit.

Alioquin non perseverantiam, sed majorem ruinam tanto abusu eo ex vitali cibo percepturi sunt, qui in cœlestem mensam invadunt antequam pœnitentiæ remediis fortiores effecti sint. Quis enim sibi persuadeat omnes infirmos nullo delectu, nulla ægritudinis gravitatis habita ratione, iisdem, eodemque modo et mensura reficiendos esse alimentis? Laudanda potius, suscipienda, veneranda atque etiam amanda illius sapientissima benignitas, et benignissima sapientia est, quæ suum cuique demensum, et cujusque viribus attemperatum constituit. « Ne, » inquit Ambrosius lib. 6. *in Lucam*, cap. 9, « aut infirmum validior cibus opprimat, aut validum exilia alimenta non satient. » Compellendi ergo ad sacram mensam justi, et fervidi præ humilitate secedentes, ut sint in fide et pietate stabiles; sed una arcendi sunt ab altaribus qui non se arcent a criminibus.

Perseverantiam finalem corona sequitur sempiterna; nam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Hic est ultimus et præcipuus cœlestis cibi fructus : neque enim alios effectus nisi in ordine ad istum operatur. Si enim gratiam auget, si animam divinis charismatibus reficit, si Christo nos unit, si peccatorum malesuadas voluptates infusa cœlesti delectatione extinguit, si tentationes et hostium impetus frangit, si adversum peccata mortalia communit, si ipsa peccata venialia abstergit, si pœnam condonat, si cordis castimoniam in appetitum diffundit, si perseverantiam donat, profecto his saluberrimis mediis viam nobis ad beatam æternitatem et Dei visionem sternit et munit. Ut enim fons per tenues venarum primitus erumpit meatus, atque angustis sensim serpit in rivulis, donec digno successu in totam se fluviorum latitudinem prorumpat, et valenter infundat; ita fons vitæ Christus, qui sitientes ad se venire jussit, electum gratis præparat, carnem suam deinde commutat in escam per veram panis in corpus suum transsubstantiationem, torpentes interim animi meatus ad usum tanti tamque solidi cibi lactea sacrarum consolationum infusione componit, sic compositum carne sua pascit, pastum in se transformat, transformatum fulcit et servat, servatum abscondit in abscondito faciei suæ, et mori mundo facit; absconditum et mortuum tandem revelabit, tandem suscitabit. *Mortui estis*, inquit Apostolus Coloss. III, *et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem apparuerit Christus vita vestra, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria.*

Macte interim animo, pie lector, et sacræ Eucharistiæ digne sæpius frequentatæ cibo roboratus, ne dubites quin mortuus resurgas æternum in regno Dei beate victurus, quando Christus tibi resurrexit, tibi vivit, tibi regnat occisus. Ne te turbet fides, spes te longior ne fatiget; quia certa tibi, nisi peccaveris, res est, quæ in ipso tibi rerum servatur auctore. Æternæ gloriæ pignus habes, ipsum ne projicias, et res tibi oppignorata succedet. « Laborans messor quod in semine non videt, » inquit Chrysolog. serm. 40, « videbit in messe; et quod in sulco deflet, gaudebit in fructu. » Interea spe ad futura tende, fide crede, meditatione revolve: cum res venerint, advenerint et promissa, spes desinet, fides cessabit. Dulcis est epistola, sed usquedum veniat ipse qui misit; necessarium chirographum et pignus, sed usque ad debiti vel promissi redditionem; grati flores, sed usquedum veniatur ad poma; suave Sacramentum Eucharistiæ, sed usquedum qui in eo latet videatur. Verum epistolam Christi delebit præsentia; rumpet cautionem, implebit solutio pignus; succedent floribus pomorum fructus, Sacramentorum velamina dispellet evidentia Salvatoris. Quod ipse nobis concedat qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.

Ignoscat, detque veniam lector eruditus, si materiæ suavissimæ illiciis in reflexionis flammas orationis impetu abripiamur. Illo, quæso, revertamur, unde tantisper, nec fortassis frustra digressi sumus.

Operatur denique sacra Eucharistia vitam æternam, non solum ob adductas superius rationes ex omni genere gratiarum quas Eucharistia profundit petitas, sed specialiter etiam quia in hoc admirabili Sacramento testamentum habemus æternum, quo ad hæreditatem filiorum jus obtinemus. *Hic calix*, aiebat Salvator, *novum testamentum est in meo sanguine.* Quale testamentum, et quam securum, quod sanguine Christi scriptum est! Plane *habemus fiduciam in introitu sanctorum, in sanguine Christi*, ut dicitur Hebr. X. Quia cap. IX. dixerat idem Apostolus, *Novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis.* Bonum aurum aiebat S. Am-

brosius, sanguis Christi, dives ad pretium, profluus ad redimendum. Melius profecto clamat sanguis iste quam Abel ; non vindictam ut iste, sed misericordiam, eamque sempiternam exorat.

Pulchre observat B. Chrysologus post postulatum in oratione Dominica regnum cœlorum, orare nos Deum, ut panem perrigat quotidianum. Quis est ille panis ? Num temporalis ? Num triticeus e terra natus, in molendino contritus, in pistrino subactus et fermentatus, in fornace decoctus, et dentibus tandem commolitus ? Illum quidem pro modo necessitatis, sed alium potissime : illum præcipue petere non jussit, quem prohibuit cogitare, dum dixit : *Nolite solliciti esse quid manducetis, aut quid bibatis.* Cœlestis Pater cœlestem panem cœlestes filii ut postulemus hortatur ; unde voluit ut nobis Eucharistiæ mensa lactesceret, quo Filius suus cibus sempiternus ad parvulos perveniret. *Ego,* inquit ipse Salvator Joan. VI, *sum panis vivus qui de cœlo descendi.* Panis inquam, qui gratiæ mola et Spiritus sancti virtute aptatus est in farinam ; qui satus est in Virgine, fermentatus in carne, confectus in passione, in fornace coctus sepulcri, qui ut divinitatis suæ calore coqueretur, ipse clibanum decoxit inferni ; qui in Ecclesiis conditus, illatus altaribus cœlestem cibum quotidie fidelibus subministrat ; qui in remissionem frangitur peccatorum ; qui edentes se perpetuam pascit, et enutrit ad vitam. « Post cœleste regnum, » inquit os Petri Ravennatis aureum serm. 68, « panem quis postulet temporalem ? Sed quotidianum et in diem vult nos in Sacramento sui corporis panis viaticum postulare, ut per hoc ad perpetuum diem, et ipsam Christi perveniamus ad mensam ; ut unde hic gustum sumpsimus, inde ibi plenitudinem, totasque satietates capiamus. »

Dices : Ut Eucharistia esset speciali ratione causa futuræ et æternæ Beatorum vitæ, deberet etiam physice instrumentaliter concurrere ad productionem luminis gloriæ, et beatæ visionis, in qua futura nostra felicitas essentialiter sita est : propterea enim Eucharistia gratiæ augmenti, aliorumque enumeratorum effectuum causa dicitur, quia beatissimam illam suppellectilem physice operatur. At Eucharistia nec gloriosum beatorum numen, nec visionem habeo derivatam physice efficit ; cum in beatitudine nulla Sacramenta permaneant, nullus Sacramentorum velaminibus locus detur. Ut enim alias diximus, nec iterari piget, Christum Beati possident nullis figuris, nullis velaminibus obtectum. Judæi contra non Christum habuerunt, sed Christi tantum figuras, atque velamina ; Christiani inter utrosque interjecti Christum vere quidem, realiter, et substantialiter possident, sed sub accidentibus panis occultatum. Cum autem apparuerit quod perfectum est, id est Christus in gloria ; tunc evacuabitur quod ex parte est, id est Sacramenta, quibus cœlestia participamus, desinent quando nuda sine ullis umbris veritas conspicuam se præbebit. Ergo Eucharistia non est æternæ vitæ causa specialis.

Respondeo Eucharistiam esse causam gloriæ et vitæ æternæ, quatenus ad eam adipiscendam speciali ratione opitulatur, juxta illud Augustini tract. 26. *in Joan.* : « Cum cibo et potu id appetant homines, ut non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur, immortales et incorruptibiles facit in societate Sanctorum, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta. » An autem Eucharistia ad gloriosum lumen et beatam visionem physice per modum instrumenti sicut ad alios effectus concurrat ? Probabilius et dictis de Sacramentis in communi consonantius affirmanter respondendum videtur. Licet enim sacramentum Eucharistiæ non nisi ad consummationem sæculorum in Ecclesia duraturum sit, effectus tamen ab ea relictus, gratia nimirum sacramentalis æternum permanebit, quæ ad lumen gloriæ, atque subinde ad visionem inde manantem efficiendum divinitus elevabitur. Quod sane sufficit ut Sacramentum etiam non existens gloriam proprie, per se, et physice operetur causæ enim etiam præteritæ effectus asseritur, si virtus ab eo decisa intentum effectum producat ; sicut pater filii post mortem ipsius nati amor merito dicitur, quia ejus efformandi virtutem antea quam moreretur sui vicariam reliquerat.

REFLEXIO.

Moralissima totius hujusce speculationis materies variis identidem in decursu pietatis monitis veluti parenthesibus interstincta et quasi interrupta, non tam novam reflexionem quæ mentem a dictis avocet postulat, quam novum cordis tui, lector optime, affectum qui enumeratos effectus sapiat, atque quæ audivit penitius defixa retineat, atten-

tius agitet, et veluti revocatum, e mentis stomacho pabulum conficiat et ruminet. Desideriis opus est, non iteratis post tot considerationes considerationibus. Attende ergo tibi et doctrinæ traditæ, ratus vitam in te æternam cibum istum non operaturum, nisi æternæ vitæ desiderio sincero ardeas, et veluti consenescas. Ea amas quæ desideras; cœlestia autem æternum possidebis ea si amaveris. At quomodo futura desiderare censendus es bona, qui terrenis præsentibus tam indivulse adhæres? Profecto sola illa virum suum amare uxor dicitur et creditur, quæ absentis desiderio tabescit. Ille etiam viator patriam diligere existimatur, qui redeundi cupiditate angitur. Hæc si post acceptum cœlestem cibum sentis, si propter illum, et in illum vivas quem manducas, ipso donante vives in æternum. Sin autem eumdem ad divinas res cogitandas, desiderandasque languorem et inertiam experiare cum D. Bonaventura tom. 1. part. 6. cap. 9. timeo tanto Sacramento contumeliam ne facias, « judiciumque tibi manduces et bibas, qui tepide, indevote, et inconsiderate accedis. »

Hæc cum ita sint, supersubstantiali cibo pastus, supra teipsum, supra creaturas, supra substantiam mundi attollaris necesse est. Pignus habes æternæ vitæ : ne te ergo mortalitas terrena delectet. Grandis dementia est futuram felicitatem hominem credere quam sibi non desiderat evenire. Ede interim æternæ vitæ cibaria, et perpetuæ retributionis escam avidis quantum potest et castis faustibus occupa; quia semen vitæ vivifica caro Christi, et sanguis ejus ros æternæ salutis. Si Domini Jesu sputum vacuas cæcorum oculorum replevit lacunas ; si divino ore luciferam Christus dedit salivam, nemo dubitet Eucharistiæ divino imbre vitam nobis conciliari posse immortalem, cum videat parva dominici sputi gutta arentes cæcitate oculos sic subito suscitatos in lucem : quia quod est pluvia plantis, hoc resurrecturis Dominici sanguinis in Eucharistia propinati vitalis imber, et ros divinus.

O infelicitas generis humani ! Pignus sempiternæ hæreditatis in Eucharistia tenemus et felicitatem in hac lacrymarum valle inquirimus. Quis de plebeio censu et hospitioli vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus ? Quis mentis compos lapillos colligit, qui arcas habet gemmis plenas et margaritis. Quid ergo tibi cum terra, qui in Eucharistia possides Regem cœlorum regnum ipsum brevi daturum ? quid tibi cum humanis quisquilis, cui datum est adipisci divina ? Nisi forte placent siliquæ, delectant stercora, amantur pericula, et illata mala bonis sunt gratiora collatis et majoribus conferendis? O homo, bene tibi invides, qui elevatus ad summa, ipse te ad vilia dejicis, ad egena deponis. Expergiscere ergo, jacta in Domino curam tuam; æterna bona te aliquando rerum possessurum confide. Nam quod mereri te posse dubitas, habere te, et in Eucharistia possidere jam cogeris confiteri. Qui se tibi totum dedit, regnum suum non denegabit : qui se in escam porrexit, a convivio æterno non arcebit. Quin Sanctos nedum torrente voluptatis potabit, sed o bonitatem effusam ! o pietatem inauditam et plane incredibilem ! nisi credere ipsa Veritas præciperet, illis serviet in cœlo, qui sibi in terra servierint. *Beati*, inquit Luc. XII, *servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quia præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.* Hæret hic, stupet, miratur Chrysologus serm. 24. et exclamat : « En mutatio inaudita rerum ! En terribilis correptio dominationis ! quia parumper servus assistit in domini sui expectatione succinctus et sustinendi fidem brevi expectatione portavit, cui ut talionem redderet, dissimulat se in ipsa divinitate divinitas. Discumbenti homini Deus astat, et astat in cœlestibus : epulanti servo servit Dominus, et servit accinctus : pueris suis, ministris suis ministerium facit Christus, et facit in Patris gloria constitutus ? »

Quod si gloria te dilata affligit, interim ne superere tædio, ne lassescas tarditate, ne longæ expectationis fatigatione succumbas ; crede creditori tuo, qui tibi credidit debitori : expecta parumper ut veniat, qui te diu sustinuit ut venires ; da illi inducias de promisso, cujus pignus pretiosissimum accepisti. Dabit, dabit utique quod promisit, qui corpus et sanguinem suum supra merita tua et vota donavit. Quare tu fatigaris spe Dei, cum genus omne hominum subsistat spe, fide vivat ? Agricola nunquam sereret anhelus, si fructum laboris sui de tempore non speraret. Viator laborem prolixi itineris non subiret nisi se ad destinata crederet pervenire. Nauta mare non intraret incertus, si se lucris sequentibus compensaturum viarum discrimina non speraret. Miles tota juventutis

tempora non ageret in periculis, si senectutis honores copiosissimos non speraret. Filius paternæ dominationis tempora non duraret, si se substantiæ paternæ non speraret hæredem. « Et tu, » concludit Chrysologus serm. 71, « si te jam filium Dei credis, juxta Prophetam expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, ut hæreditatem Dei de expectationis fide, et de virtute patientiæ consequaris. Fratres, beati sunt filii Dei, quia et hæreditatem rerum omnium possidebunt, et de excessu patris luctus temporum non videbunt. »

SPECULATIO II.

Variæ circa Eucharistiæ dubitationes appendices resolvuntur.

Nec orationis filum, nec materiei in superiori speculatione expositæ suavitatem interpositis subtilioribus, atque intricatioribus difficultatibus, quæ e theologia non minus quam e terra spinæ et tribuli fruticant, abrumpere visum est, sed in hanc speculationem rejicere in unum veluti fasciculum colligandas.

Quæres 1° Utrum Eucharistiæ Sacramento prima interdum gratia producatur, qua peccata mortalia deleantur ?

Respondeo Sacramentum Eucharistiæ gratiam sanctificantem in suis susceptoribus per se supponere, ac proinde ad remittenda peccata lethalia primo et per se institutum non esse. Indicat hanc veritatem sacrum Tridentinum concilium sess. 13. can. 15 : « Si quis dixerit, » inquit, « vel præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, anathema sit. » Si autem ad primam gratiam producendam per se esset institutum, præcipuus ejus fructus esset remissio peccatorum, sine qua cæteri minime conferuntur.

Ratio est, quia Eucharistia est cibus animæ, ut ex dictis perspicuum est, nec eos latet qui communissimas hujus sacramenti notiones habent. At cibus non ad suscitandos mortuos, sed ad vivos alendos, fovendosque per se institutus est. Ergo Eucharistia iis tantum effectus suos per se confert, qui vita spiritali vivunt. Unde, qui peccato lethali mortuus est, nutrimentum spiritale suscipere, quod unius viventis est, nequaquam potest. Propterea enim panis ac vini speciem hoc sacramentum habet, ut significetur non ad revocandam animi vitam, sed ad eam conservandam divinitus institutum esse. Unde, sicut mortuis corporibus alimentum nihil prodest, ita animæ spiritu Christi non viventi sacramenta Christi nihil prodesse, sed plurimum obesse certissimum est. *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.*

Dices : Unumquodque novæ legis Sacramentum medicina est et pharmacum salutis. At medicina non bene habentibus, sed male habitentibus necessaria est. Ergo Eucharistia est peccatorum medicina, ad ea proinde delenda instituta. Unde Eucharistia appellatur testamentum, juxta illud : *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine;* qui etiam effundi dicitur in remissionem peccatorum. Et ipsa Ecclesia in Postcommunione sic orat : « Hæc nos communio, Domine, purget a crimine. Purificent nos, quæsumus, Domine, Sacramenta quæ sumpsimus : et præsta, ut hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam ; sit ablutio scelerum, sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum. » Quæ omnia argumento sunt Eucharistiam ad remittenda peccata esse institutam.

Respondeo Eucharistiam esse medicinam non solum venialium remissivam, sed etiam præservativam a mortalibus ; quod duplex medicinæ genus agnoscunt artis corporum curandorum periti. Accedit quod ut decimus dubitatione sequenti, Eucharistia peccata mortalia per accidens interdum remittit, quæ vel quis sine peccato ignorat, vel de quibus, citra suam tamen culpam, non est perfecte contritus vel confessus.

Ad ea quæ in objectione subjiciuntur additamenta ex verbis formæ calicis, atque ex orationibus Ecclesiæ petita dilucide respondebis, si præ oculis habeas Eucharistiam sacrificium simul et sacramentum esse : qua sacramentum suscipientem pascit, gratiam ejus fovet, et auget, quam subinde supponit; unde et seriam conscientiæ probationem, et cordis castimoniam, et eximiam animi compositionem doctus a Domino Paulus, docta a Paulo Ecclesia postulat, ne cibus ille vitalis mors sit malis, qui solis bonis vita est. At vero qua sacrificium et pro peccatis et pro peccatoribus quotidie offertur, nam et ad gratias quibus convertantur impii obtinendas, et ad indulgentiam

pœnitentibus conciliandam, et ad occulta etiam crimina, quæ sancti ipsi tantopere opera sua verentes formidant, condonanda, et ad futura præcavenda, et ad pœnam peccatis debitam misericorditer relaxandam quotidie funditur, quotidie litatur; nec pro iis tantum qui sacrosanctæ alimoniæ communione dignati sunt, sed pro omnibus qui ad Ecclesiam quocumque tandem modo pertinent, Deo in altari offertur. Nec te moveat quod Ecclesia Eucharistiam « sacramentum » nominet, cum illi remittendarum peccatorum tribuit potestatem. Non, inquam, te moveat verbi hujus scrupulus, quem cito evelles, si consideres augustum Eucharistiæ sacrificium etiam qua sacrificium est, sacramentum seu mysterium a veteribus, iisque longe gravissimis non semel appellari : « Notum est, » inquit Augustinus lib. *de sancta Virginitate*, cap. 45, « quo loco Martyres, et quo defunctæ Sanctimoniales ad altaris Sacramenta » (id est sacrificium in altari offerri solitum) « recitentur. Sacramenta altaris » (inquit concilium Carthaginiense III. can. 19. loquens de Missarum solenniis) « non nisi a jejunis hominibus celebrentur. Cum sacramenta offerret B. Martinus » (ut in ejus vita de ipso tremendum sacrificium immolante legimus) « globus igneus apparuit. » Apud veteres etiam libri Missarum et Liturgiarum ritus et formulas describentes, *Sacramentarii* inscribebantur, quo titulo ipsum B. Gregorii Sacramentarium usque in hodiernum diem insignitur. Denique S. Thomas theologorum accuratissimus 3. p. quæst. 83. non semel celebrationem Sacramenti pro sacrificio, veterum mores et loquendi modum æmulatus appellat.

Quæres 2° Utrum saltem per accidens primam gratiam peccati lethalis remissivam Eucharistia interdum operetur.

Respondeo affirmanter contra Vasquem aliosque quos ipse disp. 105. cap. 4. recenset. Docet diserte nostram sententiam S. Thomas quæst. 79. art. 3. his verbis : « Potest hoc sacramentum operari remissionem peccati dupliciter : uno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis primo justificatur a peccato. » (Et in hoc sensu primam gratiam Eucharistia semper producit, cum nulli sive baptizato, sive pœnitenti gratia unquam conferatur, nisi ex aliquo voto Eucharistiæ, quæ omnium est Sacramentorum finis, ad quam uti media referuntur.) « Alio modo etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet : forte enim primo non fuit sufficienter contritus; tamen devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam caritatis, quæ contritionem perficiet, et remissionem peccati. » Censet ergo S. Doctor in casu oblivionis peccati, cujus tamen peccator affectum nullum retinet; vel in defectu contritionis perfectæ Eucharistiam infusione gratiæ et caritatis peccata lethalia delere, licet non ad ea remittenda, sed ad gratiam cibantem infundendam, et in Christo natum pascendum, fovendumque ex natura sua referatur.

Ratio est, quia Sacramentum Eucharistiæ est cæterorum omnium perfectissimum, cum fontem ipsum gratiarum realiter contineat, plenum sibi, superplenum nobis; unde de illo recte verba illa Cant. IV. usurpantur : *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Ergo Eucharistia cæterorum omnium Sacramentorum vim et efficaciam eminentissime præcontinet. Atqui Pœnitentia et Baptismus primam gratiam producunt : ergo illam producere potest, eamque producit Eucharistia; non ordinarie, quia ad hoc cibus divinus non est institutus; sed interdum, et veluti in supplementum aliorum Sacramentorum, quorum potestates altiori modo præhabet. Puta si quis præmisso examine conscientiæ accurato et moraliter diligenti, peccati alicujus mortalis non recordetur, quo tamen reapse coram Deo inficitur, sicque bona fide ad Eucharistiam suscipiendam ratus se non esse in peccato mortali accedit, tunc istum divinissimi Sacramenti usu justificatum iri longe probabilius est, si modo actum sincere doloris vel amoris (talis tamen qui extra sacramentum Pœnitentiæ re susceptum ad justificandum non sufficiat) elicuerit. Et tunc impletur illud Salvatoris. Joan. VI : *I anis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Vitam enim impertit, cum peccatorem justificat, qui peccato mortuus erat.

Atque hanc nostram resolutionem illa ipsa Scripturæ testimonia, illæ Ecclesiæ orantis voces demonstrant, quas superiori difficultate inter objiciendum retulimus. Quæ cum convincant Eucharistiæ vim inesse remittendi peccata, illa etiam quandoque remittere, quando nimirum sacrilegii temeritas abest, congruentissimum est. Qua de

causa Eucharistiam Justinus Martyr *in responsione 4. quæstionis Gentium*, carboni comparat, quem Isaias vidit immundis suis labiis adhærentem, ad iniquitatum peccatorumque expiationem. « Carbo, » inquit, « figuram habebat dominicæ carnis, quæ conscientiam eorum qui ipsam edunt, ab omni scelere expiat. » Chrysostomus etiam homil. 83. *in Matth.* sacramentum hoc « emissionem peccatorum facere » attestatur. « Spurcitiam » ipsum « omnem abstergere, et morbos omnes depellere, » Cyrillus lib. 4. *in Joan.* cap. 17. et Damascenus lib. 4. *de fide*, cap. 14, tradiderunt. Quod cum de peccatis eorum qui sacrilega et indigna temeritate cum conscientia et affectu peccati mortalis, minime seipsos probantes, nec corpus Domini dijudicantes in sacram mensam irruunt, intelligi non possit, cum Apostolus et tota Patrum traditio reclament, relinquitur verba illa de illis peccatoribus intelligi oportere, qui peccata latentiora sine culpa ignorant (quædam enim non sine crimine ignorant quorum etiam ipsa ignorantia crimen est, ut alibi dictum est, et dissertatione sequenti magis observabitur) vel non satis perfecta contritione detestantur.

Dices : Alimentum materiale vitam corporis necessario præsupponit, ut calore naturali concoctum, in substantiamque aliti conversum ipsum pascat et saginet. Ergo pariter divinus Eucharistiæ cibus spiritalem animæ vitam præexigit, quam servet, augeat, et communiat. Et confirmatur ratione a priori. Nulla causa potest etiam per accidens suam rationem formalem operandi transilire. Atqui ratio formalis operandi Eucharistiæ est per modum cibi et potus Fidelium, conferendo nimirum gratiam nutrientem, qua spiritalis homo sustentetur, crescat, reparetur, delectetur. Ergo ad primam gratiam operandam Sacramentum Eucharistiæ extendi nequaquam potest, cum prima gratia non per modum cibi, sed per modum regenerationis, vel certe resurrectionis conferatur.

Respondeo magnum interesse discrimen cibum spiritalem inter et corporeum. Corporeus namque eatenus prodest, quatenus vi caloris nativi animalis in substantiam viventis quod alitur transit : alitum autem cibum in se, nisi vivat, per intus susceptionem non transfert. At vero divinus Christi cibus non in comedentem transmutatur, sed illum potius in se transmutat, juxta illud quod ab Augustino lib. 7. *Confess.* cap. 10. dictum est : « Nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. » Unde, licet Christus in se mutare nisi jam viventes vita supernaturali non soleat, absolute tamen potest, et reipsa facit, cum non invenit cognitum et volitum gratiæ suæ objectaculum positum.

Accedit aliud non minoris momenti discrimen ex eo petitum, quod cibus corporeus non est in se vivus, nec vitæ productivus ; unde ejus duntaxat est præsuppositam sustentare vitam, non eam quam in se non habet mortuis impertire. At Christus est panis vivus qui de cœlo descendit, unde Christiani Punici, ut refert Augustinus lib. *de peccatorum Meritis et Remissione*, cap. 24. Eucharistiam simpliciter et veluti antonomastice *Vitam* appellabant. Quare non solum vitam augere potest, qui est proprius ejus effectus, sed eam etiam primo largiri in casu et circumstantiis memoratis, quia venit et ut vitam habeamus, et abundantius habeamus. Ex quibus rationi subjunctæ, et in confirmationem productæ fere responsum manet. Etsi enim ratio formalis hujus Sacramenti sit conferre gratiam per modum cibi et potus, vitalis tamen iste cibus vivificare potest, et omnes aliorum Sacramentorum effectus eminentissime supplere, quando quis bona fide se primam habere gratiam arbitratur, et cæteroqui per verum dolorem et dilectionem initialem fontem justitiæ licet imperfecte, vere tamen diligere incipit.

Ex quibus tertium discrimen inter peccatorem Christum manducantem, et mortuum animal cui cibus ingeretur proficiscitur. Animal enim mortuum omni prorsus vitæ motu et sensu caret; unde nullum illi adjumentum panis conferre valet. Peccator vero noster jam pœnitens et recogitans annos suos in amaritudine animæ suæ, et ad Patrem in se reversus redire avens, etsi nondum vita gratiæ vivat, quia perfecte contritum non esse supponimus, motus tamen vitales ab auxilio actuali prodeuntes in se experitur, viam vitæ ingreditur, mortem suam horret, fontem vitæ sitit, quam in Christo potabit. Sicut enim Sacramenta mortuorum vivis prosunt, cum inveniunt perfectam in suscipientibus contritionem; ita mortuis per accidens prosunt sacramenta vivorum, cum sincerum vitæ desiderium in illis inveniunt.

Quæres 3. Quonam tempore vel momento Sacramentum Eucharistiæ recte, digneque susceptum ordinarios suos effectus largiatur?

Respondeo certum quidem esse gratiam digne Eucharistiam suscipientibus conferri; quo autem manducationis instanti, solum illum scire qui efficit Deus. Varias auctorum sententias referam, non ut instantium minutias subtilius, curiosiusque discutiam; religionis enim esset inanibus argutiis chartas implere; sed ut inde elicias, in expendendo pretiosissimo Communionis tempore totum te conferre, omnemque tuam adhibere curam oportere.

Primo existimant aliqui cum Becano tunc gratiam sacramenti conferri, cum hostia primum sumpta est, antequam in stomachum trajiciatur, vel per guttur diffluat. Quia in ore vere incipit manducatio cibi corporei, cujus ibi sapor et suavitas degustatur. Similiter ergo dum Eucharistia ore sumitur, mens divina gratia saginatur. Ex qua doctrina sequitur gratiæ sacramentalis fructu illum minime cariturum, qui ante perlatas ad stomachum species sacramentales moreretur. Verba enim Scripturæ, Joan. VI. quæ ad fructus Eucharistiæ percipiendos manducationem præscribunt, peræque de manducatione inchoata quam completa intelligi possunt. Cum enim ad manducationem perfectam quatuor ordine desiderentur, sumptio oralis, transitus per guttur, receptio in stomacho, et digestio vi caloris naturalis elaborata; sicut non caret fructu Eucharistiæ qui species præ infirmitate evomit nec digerit, ita qui eas morte occupatus deglutire nequit; quia, licet ille qui cibum in ore habet aut atterit ut illum exspuat, non manducare, sed mandere dicatur; ille tamen qui ore sumit ut sorbeat si possit, manducare in humana societate et communi opinione censetur. Hæc sunt hujus sententiæ momenta probabilia: sed unum ex ea certum compendium collige. Enitere ut quod ore sumis pura mente capias; dum sacramento os corporis aperis, ore animi (qui intellectus est, juxta illud, *Os justi meditabitur sapientiam*) præsentem Christum fide respice, religione adora, spe te illi committe, charitate amplexare, mente continge, cordis manu suscipe, haustu interiori assume, denique dilata os tuum, et implebit illud.

Secundo alii cum Suare existimant gratiam Eucharistiæ tum in mentem infundi, cum species deglutiuntur, et per guttur diffluunt; quia, inquiunt, qui cibum in ore tenent, nec sorbent, comedere nequaquam creduntur. Quomodo ad hoc respondere possit prima opinio, jam tetigimus. Sed utut sit, ex hac sententia colligito, non sufficere ad uberes Eucharistiæ fructus percipiendos cœlestia celeriter, breviter, leviter, et perfunctorie meditando perstringere, et veluti superficie cogitationis attingere: spatium ergo nobis ad cœleste epulum mandendum, ruminandum, gustandum, deglutiendumque sumere oportet. O morem præclarum eorum, si quidem illum teneremus! qui post perceptum cœlestem cibum sedent solitarii, et levantes se supra se, a terrenis omnibus segregati, quæ sursum sunt quærunt, quæ sursum sunt sapiunt, et in ipsum pietatis auctorem et Deum majestatis in pectora sua inclinatum toti aligeri pervolant, et requiescunt. Et, sicut margaritiferum conchilium ut unionem pariat, salsis et amaris Oceani undis supernatat, sinumque suum uni de cœlo lapso blandissimo rori aperit, moxque testam stringit, ut ne cœlestis imber marinæ aquæ contagione inficiatur: sicut etiam utres pellium ab omni squallore purgantur, pigmentisque liniuntur odoratis, ut saporem vini possint inviolabilem custodire: ita anima sancta ab omni carnalium cogitationum et curarum concretione attollitur, quo fiat uter divinis torcularibus aptus, atque de prælo crucis, de latere pendentis, de calice altaris accipiat vinum novum germinans virgines, et incorruptam novitatem divino Christi rore impressam conservet.

Tertio Sotus, cui plures assentiuntur eruditi; contendit illo in instanti sacramentum Eucharistiæ in idoneum suscipientem gratiam operari, in quo primo primum verum est dicere: Nunc est sacramentum assumptum et in stomachum vitaliter transfusum; quia tunc quoque verum est manducasse illum cibum porrectum. Et certe cum gratia hujus Sacramenti producatur in instanti, non videtur momentum aliud eo aptius et opportunius posse assignari, in quo vere Sacramentum susceptum est, et per modum cibi applicatum. Quæ sententia probabilitate non caret. Quid autem ex illa ad pietatem inferendum sit, postea clarebit.

Quarto alii censent tum Sacramentum intus in animam operari, cum species sacramentales in substantiam aliti convertuntur, ut simul corpus nutriatur, et anima de Deo

saginetur. Sed rigorosior videtur aliis ea sententia, quia in infirmis præsertim contingere sæpe potest, species præ debilitate ægroti non concoqui, et in aliti substantiam transmutari, qui tunc fructu sacramenti orbabitur, tametsi sacramentum manducaverit. Quod non parum durum apparet. Nec est simile de cibo corporali et sacramentali ; ille enim non nisi media digestione suum sortitur effectum : at cibus sacramentalis non concoctione, sed sensibili sumptione operatur.

Quinto Cajetanus censet Eucharistiam toto eo tempore gratiam in animam affundere, quo species sacramentales in stomacho perseverant. Quæ opinio absolute et nullo interpretamento prolata aliis displicet : tum quia, etsi Christus gratiam promiserit manducantibus Eucharistiam, non eam tamen pro toto manducationis tempore spopondit. Tum quia, licet Eucharistia sit Sacramentum permanens, actio tamen sacramentalis uno instanti perficitur, quia agit in virtute Dei, quæ nullis temporis morulis eget. Tum potissime, quia sequeretur melioris eum futurum esse conditionis, qui majorem specierum quantitatem sumeret, vel qui præ caloris nativi debilitate in digerendis speciebus diutius laboraret ; ac proinde in aliquid mere naturale Eucharistiæ gratiarum diversitatem, quod absit, refusam iri.

Quare Cajetani sententiam moderabimur, et probabilem efficiemus, si dicamus Eucharistiam toto tempore, quo in stomacho subsistunt haustæ species, gratias effundere, modo tamen interioris dispositionis fervor accrescat. Si enim Christus sit Sol justitiæ, quidni recte dispositos jugiter illustrabit, et quamdiu præsto ac præsens est, longe plura animæ sanctæ conferet bona, quam soleat lux aspectabilis mundo largiri, ipsomet dicente, Joan. IX : *Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi ?* Si Christus sit fons, quidni ab eo continuo manabunt et scaturient fluenta gratiarum in omnes animæ facultates veluti alveos redundantia ? Si ignis sit consumens peccata, consummans virtutes, quidni implebit illud a se prolatum : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat ?* Si est panis vivus et cibus animarum, quidni cibi corporei virtutem æquabit, qui toto tempore quo in stomacho permanet corporaliter prodest ? Ergo dum Christus suæ nobis præsentiæ copiam facit, omnium nos cœlestium charismatum, quam veluti exstillat ubertate beat ; modo, ut dixi, divinum hospitem virtutum actibus demereatur, ejusque gratiam auspicetur : quia nihil cœlestis sponsi diuturna præsentia conferet, nisi thalamum ornet aurum dilectionis, argentum sapientiæ ; viror spei, virtutum actuum gemmæ, sanctitatis vela, verecundiæ rosæ, violæ humilitatis, lilia castitatis.

Denique alii affirmant, quod cum actio comestionis magnam habeat latitudinem, multum temporis et plura instantia consumat, non est præcise determinandum ullum instans, sed potest esse quodvis a principio sumptionis specierum usque ad earumdem consumptionem et in substantiam hominis conversionem. Ex quo inferunt, quod si homo in primo manducationis instanti cum sufficienti dispositione recte compositus accedit, sine mora in illomet instanti Eucharistiæ effectus percipiet ; si secus, et tamen durantibus speciebus animum instruat, purget, elimet, inflammet, gratiam Sacramentum infundet cum mentem invenerit sic paratam. Et ratio esse potest, quia Eucharistia est sacramentum permanens, non in usu et actione consistens ; unde per omnia et singula instantia quibus in homine perseverat, gratiam producere potest, quam non solius ratione manducationis, sed præcipue ratione cibi manducati Christum realiter continentis operatur. Quandiu ergo Christus adest (adest vero quandiu permanent in stomacho species) tandiu gratiam sacramentalem Eucharistia producere poterit, et reapse producet statim atque aptam invenerit interioris hominis compositionem.

In hac sententiarum varietate si incertus animi et sententiæ sis, illud pro certo habeto tamen quod Patres spirituales inculcant, pretiotissimum nimirum sacræ Communionis tempus sedulo impendendum esse, ut nimirum tantum quantum quisque potest nitatur, quo præclara ex eo cibo vitæ spiritalis compendia reportet. Intende ergo animum, lector, et in omnes pretiosi temporis moras tota mente, toto animo et studio omni incumbe. Effuso sinu Christum venientem excipe, præsentem fide adora, caritate amplexare, et totum te in ipsum profunde, ut Spiritus sancti calorem divino illi cibo concoquendo necessarium Deo opitulante accendas.

Quæri duo hic solent : primo utrum per peccata venialia Eucharistiæ effectus impe-

diatur, secundo utrum plus gratiæ duplex quam una Eucharistiæ species suscipientibus peræque dispositis ex opere operato conferat. Sed de utroque dissertatione sequenti, ubi de usu Eucharistiæ agendum est, fuse dicemus.

REFLEXIO.

Quæres demum cur e tot Eucharistiam frequentantibus tam pauci præclaros Eucharistiæ fructus ex eo bonorum omnium thesauro capiunt? Non argumentis, sed gemitibus huic difficultati, quam propterea in hanc usque reflexionem protulimus, satisfaciendum reor. Lugeamus, mi lector, lugeamus tot quæ in Eucharistiæ usu nefanda admittuntur piacula. Lugeamus impietatem, injuriam, sacrilegia, quibus tremenda Christi realiter præsentis majestas quotidie et pluries violatur. Sed uberibus etiam lacrymis prosequamur novam Christianorum his extremis temporibus fiduciam, qui defluentibus e mensa Domini micis cum indigni sint, tum maxime se ipsi sua sponte filiorum pane dignantur. Quis in religionis rebus, in Patrum decretis, in Sanctorum exemplis adeo hospes est et peregrinus, cui praxis illa probari potest, qua manna cum aliis, cepis et pomis Ægypti, panem filiorum cum siliquis porcorum, pietatem cum sæculi voluptate, Evangelii maximas cum axiomatibus mundi, usum Sacramentorum cum fruitione profanorum placida versutia belle et solerter componentes, Patrem adorare posse se putant in spiritu et carne, veritate simul et vanitate? Hinc post innumeris vicibus frequentatam Eucharistiam homines cernimus amore mundi plenos, concupiscentiæ et cupiditatibus semper morem gerentes, et doctrinarum illarum amantes, quæ licentiæ et intemperantiæ lenocinantur. Hinc tantam passim vigere cernimus usurarum et vindictarum credulitatem, tam profusum ubique etiam in extremis hujus sæculi paupertatis angustiis luxum, tam effrænatam maledicentiam, postremo tam perennem in vitiis contumaciam. In tam sæva morum disciplinæ persecutione, quo latiori eo desperatiori, eoque periculosiori quo interiori, non a paganis, non ab hæreticis, sed a filiis illata, tantoque infestiori, quanto a minime suspectis manibus intentata, nonne hæc idoneam tuis magis lacrymis et voluntariis afflictationibus quam speculationibus materiam ministrant? Quis crederet, nisi cerneret, Eucharistiam non a tyrannis jam, non ab hæreticis aut apostatis tantum, non a Lutheranis modo et Calvinistis, cæterisque apertis perduellibus, sed a Catholicis, sed a tuis, lector, sed a meis moribus vexari? Quis sibi persuaderet intus et in sinu suo hostes suos fovere Ecclesiam; hostes, inquam, et filios; unam fidem, unam religionem profitentes; e cœlo delapsam fidem inferno, natis moribus deturpantes. « Olim prædictum est, » inquit Bernardus spicula cum solito melle fundens serm. 34. *in Cantica*, « et nunc tempus impletionis advenit : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Amara prius in nece Martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest, ita invaluerunt et multiplicati sunt super numerum. »

Post obortas lacrymas fusas hæc moralis hujus quæstionis rationum momenta accipe. Si ignitum eloquium, teste Bernardo, non capit frigidum pectus, vitalis cibi fructus mortuum cor quomodo recipiet? Ad ejusdem solis accedentis radios duratur lapis, cera liquescit : quid mirum igitur si ex usu Solis justitiæ, qui justus est justificetur adhuc, et qui in sordibus est sordescat adhuc? Cibi saporem non percipit obductum vitiato humore palatum, illique non sano pœna est panis qui sano est suavis, et oculis ægris odiosa lux quæ puris est amabilis. Qui ergo castissimas purissimi Sponsi delicias et panis Angelorum utilitates percipiet, cujus mentem veluti tetræ nubes cœlum obscurant fæces vitiorum; cujus cor sicut ventorum turbines elementa, sic confundunt æstus passionum; cujus pios affectus velut navem fluctus, sic demergit terrenarum solicitudo nugarum.

Non pascit nos Christus, ut alibi ex Patribus observavimus, nisi pascatur a nobis. At enim Christus non sordibus delectatur et cœno; non fœtore criminum, non squallore pascitur vitiorum. Væ nobis qui eamdem ad Christum recipiendum mentis compositionem afferimus, quæ magis esset ad recipiendum diabolum, si nobis porrigeretur, idonea. Nonne peccatorum ille corda peteret in hospitium, qui mitti se in porcorum gregem postulavit? « De monumentis, » inquit Chrysologus serm. 16, « mitti se precatur in porcos; quia fœtores amittere nescit, sed mutare. Cœnum petunt ruentes cœlo; post

æthereas habitationes ambiunt volutabra porcorum. » Diabolum ergo, non Christum pascit, cujus cauteriata conscientia fœtores semper fundit et putores. Hinc post acceptum indigne a Juda sacrum epulum, confestim diabolus in cor ejus intravit, quia auctore Ambrosio *in Psal.* XXXVII : « Sicut Sancti corpus et membra sunt Christi, ita peccatores qui peccatum non deserunt, sed peccato inhærent, corpus draconis et membra sunt. Ideo nos Christi corpus epulamur, illi autem epulantur corpus draconis. » Ita plane ab eo quem pascunt ipsi et pascuntur. Pascitur autem malis nostris dialobus, qui semper nostris saturatur ex culpis. « Ille, » inquit Chrysologus serm. 12, « capit satietatem, quando nos luxus solvit, lucra capiunt, usuræ vinciunt, chirographa ligant, premunt sacculi, elidit aurum. » Sed quod deplorandum et juxta horrendum est, cum diabolo placide vivunt peccatores ; ejus tartareum fœtorem lubenter ferunt, quem nec porcorum natura valuit sustinere, maluitque demergi in mare et fluctibus deperire, quam ejus immunditiam pati, et putredinem tolerare.

SPECULATIO III.

Aliis a suscipiente Sacramentum Eucharistiæ directe non prodest quidem, at indirecte tamen. Piissimus communionis pro mortuis ritus, et sacræ de ea Congregationis judicium explicatur et defenditur.

Antequam hanc assertionem suadeamus, ex eaque Eucharistiæ Sacramenti fructus uberrimos in alios etiam diffusos demonstremus, præ oculis habenda est hujus divinissimi Sacramenti dignitas singularis, quæ etsi ex dictis satis superque constet, paucis tamen de ea in hujus speculationis limine præfabimur, ut patescat quantum se ad hominum utilitates hujus Sacramenti virtus porrigat et explicet. Eminentia autem hujus Sacramenti, si diligenter attendimus, ex rebus quas eximias continet omnino petenda est. Etenim sub vilium specierum integumentis Christum, perfectum Deum, perfectum hominem, quo proinde omnis increata et creata nobilitas continetur, Eucharistia includit. Omnia habemus in hoc Sacramento : summum et per essentiam bonum divinitatis, animam omnibus gratiarum ornamentis cumulatam, corpus numeris omnibus absolutum, e purissimo Virginis immaculatæ sanguine Spiritus sancti arte elaboratum. Hinc sacramenti hujus sanctitas immensa deducitur, cum in ipso omnis plenitudo divinitatis, omnis gratia humanitatis, omnis virtus passionis et mortis Redemptoris inhabitet. Ex quibus patet Eucharistiam esse Sacramentorum finem, religionis centrum, sacrorum rituum consummationem, bonorum abyssum, thesaurum Ecclesiæ, animarum sanctarum in hac valle ploration is solatium et beatitatem. Patet etiam nihil Eucharistia Deo gratius offerri posse vel acceptius, cum æternum paternæ dilectionis objectum paterno cordi in altari Ecclesia sistat infinitis bonitatis et amabilitatis illiciis vestitum.

Præmoneo rursus, quod cum bonum sit sui diffusivum, quo nobilior est res, eo in alia virtutem suam profundere nata est. Sacramentorum ergo nobilissimum totum est in aliorum utilitates comparatum. Prodest quippe militantibus in Ecclesia, quos pascit, et roborat; languentibus in purgatorio, quos solatur, eorumque piaculares ignes veluti sanguinis sui quotidie oblati rore temperat? Beatis etiam in cœlo regnantibus, quos gaudiis accidentalibus auget. Quæ omnia de hoc Sacramento ut simul sacrificium est, facile intelligi et commode explicari possunt. Eucharistia enim in ratione sacrificii considerata sumentibus et non sumentibus prodest, quatenus pro omnium salute offertur. Sed de sacrificio deinceps ; impræsentiarum de uno Sacramento sermonem instituimus. His prælibatis,

Prior speculationis pars affirmans Sacramentum Eucharistiæ unis suscipientibus directe prodesse, sic ostenditur. Ea est Sacramentorum omnium conditio, ut in illos suos effectus effundant, quos sanctificant, in quos agunt, et quibus applicantur. Unde, sicut cibus unis manducantibus per se et directe prodest, medicina solis eam sorbentibus opitulatur : ita cœlestis divinæ Eucharistiæ cibus unis sumentibus ex opere operato opem fert, quos ad modum alimenti nutrit, et sanat ad modum medicinæ.

Posterior pars contendit Sacramentum hoc aliis sumentibus indirecte prodesse, quatenus nimirum dum pio Eucharistiæ usu suscipientium fervor accrescit, « per quamdam concomitantiam ad principalem effectum, » ut quæst. 79. art. 5. loquitur S. Thomas, « homo consequitur remissionem

pœnæ, » non solum sibi, sed etiam aliis, cum remissionem pœnæ possit aliis communicare. Hoc enim postulat Sanctorum communio, quam in Symbolo profitemur, et in qua Regius Propheta exultabat dicens : *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua*. Postulat sacrum indulgentiarum commercium, quas per modum suffragii mortuis impertimur. Cum enim remissio pœnæ extrinseca sit, eam quisque potest pro aliis Deo offerre ; et quod sibi proprium est per laborem, in alios diffundere per amorem, absque ulla internæ sanctitatis jactura, vel gratiæ ullo detrimento. Ergo, sicut pœnæ temporariæ remissionem pœnitentiæ exercitationibus partam atque per Indulgentias obtentam, ita et illam e tanti Sacramenti usu haustam in Ecclesiam patientem caritate derivare potest, qui ad Eucharistiam accedit.

Accedit 1. quod, cum per Sacramentum Eucharistiæ spiritalis hominis vires in nobis fiant ampliores, iis roborati pro animabus languentibus et fervidius oramus, et Deum facilius exoramus. Ergo prodest pie frequentata communio mortuis, dum vivorum preces efficit valentiores. Etenim anima sancta pane vivo pasta, et in ipsum mutata ita ab humanis defæcatur, ut tota liquescat in Deum. Tunc sicut speculum pellucidum totam solis exprimit gloriam, sic illa etiam in isto humani corporis obscuro tota fulget Christi claritate. Gloriam ergo Domini præsentis speculans, et transformata a claritate in claritatem tanquam a Domini spiritu, non tam ipsa, quam Christus in illa orat et postulat gemitibus inenarrabilibus, ut eos Deus illuminet, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes eorum in viam æternæ pacis. Quid animæ sic per Christum quo plena est petenti, vel ut melius dicam, in qua Christus (cui qui adhæret unus spiritus est cum illo) ipse rogat, denegabitur ? Sic petens, nonne accipiet ; sic quærens, nonne inveniet ; sic pulsanti nunquid non aperietur? Exaudietur profecto Christus pro reverentia sua, nec in respondendo faciet moram, dum vota supplicum ipse format qui repulsam pati nequit Filius dilectus, in quo tam sibi complacet Pater. Magnam nobis fiduciam Salvator indidit, et veluti instillavit, quando quibus oraremus preces ipse dictavit, et orandi thema, materiam petendi, supplicandi normam et formulam paucissimis in verbis ille ipse qui a nobis exorandus est indulsit ; at fiduciam auxit, perfecit, convicit, implevit, cumulavit, quando in corde nostro ipse orat pro nobis in nobis, et de judice factus est advocatus. Itaque dum fidelis Christo plenus, et in Christum mutatus (formatur enim Paulo auctore Christus in nobis) pro animabus in Purgatorio ad æternam requiem suspirantibus Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis supplicat, cunctationem merito credit ablatam impetrandi, imo collatam fiduciam promerendi, quando illum in se sentit orantem quem Pater semper audit. Quomodo metus ibi locum haberet, ubi a Patre Filius pietate interprete desiderat quæ sancta sunt impetrare ? Non amovebit orationem nostram et misericordiam suam a nobis Pater, dum per Agnum immaculatum quo pascimur, non impia, sed pia; non terrena, sed cœlestia; non illecebris, sed virtuti congrua; non digna odiis, sed apta concordiæ, denique digna se a se viderit postulari.

Accedit rursum, quod cum omne opus bonum a viventibus elicitum per meritorum communionem utile possit esse defunctis, dubitandum non est quin pie suscepta communio, quæ est eximium christianæ pietatis operæ pretium, religionis professio, pœnitentiæ laborum fructus, et virtutum omnium coronis, animabus Purgatorii per dilatatam extensæ caritatis abundantiam possit esse proficua. Maxime quia in sacra Communione non sola attenditur Sacramenti applicatio, quæ in cibi cœlestis et specierum glutitione sita est ; sed sanctæ præparationis labor et difficultas pensatur, qui et probationem, et confessionem sacramentalem, et scelerum per satisfactionis exercitationes purgationem a peccati mortalis consciis, et virtutum internarum apparatum ab omnibus exigit. Qua sane susceptione totius corruptæ naturæ vires excedente nihil laboriosius, nihil difficilius, nihil proinde ad satisfaciendum etiam pro aliis aptius esse potest. Ergo sacræ communioni sic consideratæ conveniunt duæ illæ dotes, quibus instructum opus aliis potest esse salutare, vis nimirum merendi ex bonitate fluens, et satisfaciendi pro alienis pœnis potestas ab opere bono laborioso indivulsa.

Merito ergo sacra Congregatio auctoritate Apostolica sibi commissa librum P. Theophili Raynaudi, quo communionem pro mortuis tanquam errorem popularem refel-

lit, post accuratum examen proscripsit. Noverant quippe Eminentissimi Patres orationes post Communionem, et in ipso Communionis usu ad Deum fusas, et Christi præsentis sacro igne succensas fervidiores esse solere, subindeque aliis ex consequenti prodesse Communionem, unde tota quanta orationis efficacia proficiscitur. Et certe, si altaribus, rosariis, et sanctorum sacris iconibus indulgentias ad augendam Fidelium pietatem, et in divina reverentiam liberalitas Apostolica adjungit, quæ possunt in animas defunctorum effusione caritatis per modum suffragii transferri, quidni sacræ Communionis digno usui indulgentiarum beneficentia annecti poterit, quæ in mortuos pia extensione derivabitur ?

Sed inter cæteras Raynaudi opusculi exerrationes, illa nisi mea me fallat opinio, Purpuratorum animos et pietatem commovit, et justissime exacerbavit, qua scribere non dubitavit : « Consensus connubiales mortuis magis Eucharistia prodesse : Eucharistiam nihil habere peculiare præter Matrimonium : et mirari se adversarios non invitare fideles ad illud pro mortuis ineundum. » Vah spurcissimam comparationem, quam inter scribendum timebam ne atramentum ipsum rubesceret ! Non placet in iis sordibus diutius versari ; nec multis in ea comparatione confutanda morabor, qua audita, pie lector, mox cohorruisti, et tacita execratione omni argumento validiore prosecutus est. Non enim ita te, mi theologe, communissimas christianæ pietatis notiones ignorare reor, ut censere possis Sacramentum præstantissimum nihil habere eximium et singulare. Non ita te præjudiciis occupatum vel abreptum arbitror, ut multis tibi persuadere opus sit inæstimabilem Christi realiter præsentis felicitatem amplexus maritales per se sordidos, et a nobis non nominandos non adæquare. Neque unquam, ut opinor, miratus es, cur non æque ad frequentiam matrimonii atque ad frequentem Communionem rectores animarum hortati sint. Non arbitror te nescire quod omnes norunt ; Eucharistiam Ecclesiasticæ unitatis sacramentum, Christumque quo tota Ecclesia consolidatur realiter continens, speciali jure aliis Sacramentis minime communi posse in alios sese diffundere, dum caritatem accendit quæ omnibus omnia fit, et orationem inflammat quæ in omnes potissimum miseriores dilatatur.

Et tamen his levissimis argumentis Theophilus ductus scribere non erubuit, Communionem pro mortuis a summis Ecclesiæ Capitibus apertis Indulgentiarum thesauris confirmatam et promotam, « esse sordem non ferendam, piam fraudem, escam falsi fructus, stropham prætextu pietatis tectoriam falsitatis. » Libenter hic cum Augustino scripserim : « Valeat ad seipsam persuadendam ipsa evidentia. » Valeat ad lectores et Christianos omnes ab iis avertendis ipsa verborum improbitas, et non occulta, sed ultro oculis se ingerens fœditas spurciloquii. Post illa verba ne expecta ut alia ejusdem opusculi errata producam, quo Romanæ censuræ æquitas patescat.

REFLEXIO.

« Languentibus in Purgatorio subveniat tua compassio. » Subveniat jejuniis, precibus, eleemosynis, sed potissime divinissimi Sacrificii hostia, et orationibus post sacram Communionem fusis. Si enim, teste Augustino in *Enchiridio* cap. 107. nonnulla religio est mortuos iis sepelire locis qui sunt Martyrum reliquiis venerabiles, quatenus dum recolimus eorum quos diligimus corpora ubi sunt posita, eorum animas sanctis Martyribus commendamus : magna sine dubio religio erit pro iisdem vel Missæ sacrificium, vel fervidas, Christoque per sacram communionem præsenti conjunctas orationes Deo sistere et offerre.

Justum est sane, ut in alios tum caritas nostra fundatur, cum caritas Dei tanto nos Christi corporis beneficio dignata est. Hæc enim est divinæ providentiæ constituta lex, ut non semel Augustinus nos docuit, ut qui a potentiori se vult adjuvari, adjuvet et inferiorem, si est ipse potentior : *Beati* enim *misericordes*, *quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Matthæi v. Et sicut « nihil : tam secundum naturam est » , uti lib. *de Officiis* scripsit Ambrosius, « quam juvare consortem naturæ » : ita nihil tam secundum gratiam et caritatem est quam calamitosis, iisque Dei amicis opem et suppetias afferre. Ne timeas meritorum et satisfactionum tuarum jacturam vel imminutionem, ea si in eos miseros pia liberalitate profuderis, a quibus referendæ gratiæ vicem sperare merito potes. Oleum quippe pietatis et miserationis unguentum quanto copiosius in fraternas necessitates effunditur, tanto donis po-

tioribus augmentatur. Quam gratum tibi quod aliis porrigis debet esse subsidium, quod danti magis crescit in commodum quam suscipienti proficiat in augmentum : ut sic in una mercatione, quod raro solet emergere, uterque videatur desiderata commoda percepisse. Esto itaque dives in misericordia, si semper esse vis dives in gratia.

Ergo inter sacras cœlestis convivii delicias ne ita divinæ torrente voluptatis capiaris, quin piam compassionis tristitiam suscipias, et si dici potest, bonam miseriam, quæ novit flere cum flentibus, et imbre lacrymarum ignem tribulationis attemperat. Mi lector, sanctarum animarum in piaculari Purgatorii carcere degentium multum et molestum languorem animo intuere : nec clam te est quantus in illis dolor insit; quantum eas gloriæ et beatitudinis spes dilata affligat. Adeone te ignavum putem, adeone porro durum, aut inhumanum, aut ferum, ut neque te calamitas, neque christiana caritas, neque misericordia commoveat, neque commoneat, ut miseris auxilium tuum præstolantibus feras opem ? Unum hoc scio, nec te latere reor, has meritas esse ut memor esses earum, par pari aliquando rerum relaturarum. Per pietatem ergo tuam, per fidem tuam, perque earum solitudinem oro et obtestor te, eas ne in miseria deseras, neque derelinquas. Si te alienæ calamitatis sensus percellit, si te communis et catholica urget caritas, si te parentum, fratrum, familiarium amor sollicitat, esto illarum apud Christum orator, et sacræ Communionis occasionem tibi ostentatam, tam brevem, tam utilem, tam salutarem ne amitte, sed precibus insta, ut Christo refectus Christi adjutor sis, et quæ, ut loquitur Apostolus, desunt passioni Christi, ipsi adimpleas. Hoc modo Deum tibi totum devincies, qui una flectitur, una cogitur, una nobis caritate comparatur. Præclare alicubi Marsilius Ficinus : « Venalis est Deus : at quo nummo ? Qua te emit, caritate. »

In fine hujus capitis et recensionis effectuum qui ab Eucharistia proficiscuntur, ad ipsam recurramus originem, suo beneficia reddamus fonti ut iterum fluant. Cito enim gratiarum cessabit decursus, ubi recursus non fuerit ; nec modo nihil novum derivabitur in ingratum, sed quod accepit, in perniciem ei vertatur necesse est, quia ingratitudo est beneficiorum perditio, ventus urens, siccans fontem pietatis, rorem misecordiæ, fluenta gratiæ. Ergo ut censeamur digni muneribus amplioribus, simus in acceptis fideles.

Immensa sunt, Domine Jesu, quæ in Eucharistia profundis divinæ largitatis tuæ beneficia ; sed hæc quantaquanta sint, quid tandem sunt tibi nobis dato comparata ? Sacra Sponsa Cant. v. post enumeratas desiderabilis sponsi dotes, post enarrata beneficia et fluenta plenissima ex omnibus ejus membris jugiter manantia, in ipsum demum beatissimum sponsum tota rapta sic concludit : *Talis est dilectus meus*, id est sic beneficus, sic liberalis, sic effusus ; sed quod me stupore una et amore defigit, *ipse est amicus meus.* Ipse, ipse in quem desiderant Angeli prospicere ; ipse paterni cordis deliciæ, ipse paradisi beatitudo, ipse totus desiderabilis, majestate immensus, potentia infinitus, perfectione incircumscriptus ; *ipse est amicus meus.* Quas gratias raras contulit, quæ beneficia profudit innumera, pluris ut par est facio : sed hoc unum cogitationes obruit, hæc me tanta, tam insperata dignatio confundit, *ipse est amicus meus.* Hoc super omnia mihi ipsum reddit amabilem ; hoc omnino amorem meum facile vendicat totum sibi ; hoc, inquam, est quod meam devotionem et blande allicit, et juxte exigit, et arcte stringit, et suaviter liquefacit, et afficit vehementer. Multa sunt quæ pro me Christus dixit, magna quæ fecit, majora quæ pertulit, maxima quæ promisit, inter illas tamen omnes infiniti amoris significationes, non tam placent dona, quam placeat qui donavit. Sed enim licet ubique placeat, in Eucharistiæ tamen umbra dum latet, magis adhuc placet, quia non principatum ibi affectat, sed consortium, sed familiaritatem ; ibi unus amor splendet qui dominum sin nescit, certe abscondit. « Vides amori cedere etiam majestatem, » inquit Doctor Mellifluus serm. 59. *in Cant.* « Proprietatem abnuit, societatem non respuit. » Vere in Eucharistia tanquam, imo omnino unus ex nobis, vere Emmanuel, id est nobiscum Deus ; quid inquam, nobiscum ? Unum cum ipso, sicut ipse rogavit, efficimur. Suscipiant alii fructus, ego arborem mirer; alii fluminis impetus civitatem Dei lætificantes, ego flumen et fluminis fontem ; alii radios, ego Solem ; alii opera, ego opificem : alii effectus, ego factorem ; cujus eo in opere potentiam, in modo sapientiam, in

causa caritatem nunquam satis commendabilem, nullis unquam gratiarum actionibus æquandam iterum atque iterum, et utinam æternum benedicamus in sæcula sempiterna.

DISSERTATIO IV

De usu Sacramenti Eucharistiæ : ubi de frequenti Communione.

Etsi Sacramentum Eucharistiæ in aliquo permanenti situm sit, et in consecratione materiæ perficiatur, non prodest tamen nisi sumatur. Hac de causa scripsit S. Thomas q. 79. art. 5. in corpore, et art. 7. ad 3. Eucharistiam « habere rationem Sacramenti in quantum sumitur, et sumptionem pertinere ad rationem sacramenti. » Quibus verbis non intendit S. Doctor usum et sumptionem esse de ratione essentiali Sacramenti, cum innumeris locis tradat hoc Sacramentum non in usu, sed in unius consecratione materiæ essentialiter perfici, ut videre est q. 73. art. 1. ad 3, q. 74. art. 2. ad 3, quæst. 80. art. 1. ad 1, ubi etiam addit, quod « usus est quid consequens hoc sacramentum ». Vult ergo solum Eucharistiam habere rationem Sacramenti producentis suos effectus, et in tantum in ratione Sacramenti unicuique valere et prodesse, in quantum sumitur. Ad eum plane modum quo approximatio ignis ad lignum de ratione calefactionis dici bono sensu potest, quia conditio est sine qua non calefacit ignis. Sed de his pluribus egimus, quando de hujus essentia Sacramenti in superioribus disputatum est.

Sed antea quam ulterius progrediamur, observandum est triplicem esse sumendæ Eucharistiæ modum : alius est mere sacramentalis, peccatoribus ipsis communis, quia, licet premant dentibus Sacramentum corporis et sanguinis Domini, non propterea fructum capiunt sacramenti, sed impuro ore et corde tam pura mysteria tractantes, judicium sibi manducant et bibunt.

Secundus modus est mere spiritalis, quando viri justi fide viva, caritate non ficta incensi cœlestem panem esuriunt, ut Christo cujus amore tenentur, arctissime copulentur. Qui modus viris spiritalibus pretioso maxime Missæ tempore familiaris, sin omnes, maximos certe utilitatis fructus ex Eucharistia consequitur.

Tertius modus est sacramentalis simul et spiritalis, quando fidelis non solum spiritu, sed etiam sacramento Eucharistiam percipit, qui nimirum ex præcepto Apostoli prius se probavit, et veste nuptiali ornatus nedum a peccati mortalis labe mundus est, sed etiam venialium affectum abjecit, interiorem domum lacrymis rigavit, omni denique virtutum ornatu instruxit, ut floridum venienti sponso thalamum pararet : unde mixta reverentia Centurionis cum ardore Magdalenæ, et Christi majestatem tremebundus adorat, et tantam dignationem multa dilectione prosequitur.

Assimilatur hæc triplex Eucharistiæ susceptio triplici Verbi divini conceptioni, quæ vel mente duntaxat, vel corpore solum, vel utroque junctim modo contingere potest. Si has conceptionis partes et modos conferas, inanis est conceptio corporis si absit conceptio mentis : nec enim ubera quæ Christus suxit, nec qui ipsum portavit venter beatificarentur, nisi sacra Parens corde Verbum Dei audivisset, et illud custodivisset. Porro secunda conceptio mentis utilissima est, et Christianis omnibus necessaria ; ad hoc enim Christiani sumus, ut spiritu renovati et regenerati Christum induamus ; ad hoc Apostolus parturiebat, ut formaretur in nobis Christus. Denique tertia conceptio character est Dei matris, quæ corpore Filium Dei genuit quem mente conceperat ; et hic modus cæteris omnibus longissime antecellit. Ita de usu communionis dicere licet : longe præstat communio spiritalis mere sacramentali ; sed si sacramentali adjicias spiritalem, id est purum caritatis, religiosæ humilitatis,

cæterarumque christianarum virtutum affectum, uberrimos capies fructus, et Deiparæ maternitatis felicitatem quadantenus æmulabere.

Hanc distinctionem Catholici omnes post sacrum concilium Tridentinum sess. 13. *de Eucharistia*, cap. 8. amplectuntur, quam negarunt olim quidam hæretici, quorum meminit Guitmundus lib. 1, opinantes panem et vinum ex toto quidem mutari ; sed indignis ad communicandum accedentibus, carnem Domini et sanguinem iterum in panem et vinum reverti. Quod idem testatur Algerus in Prologo. Quin usque adeo ab indignis non posse recipi corpus Christi nonnulli arbitrabantur, ut referente eodem Guitmundo sub finem libri 5. mallent dicere partem panis consecrari in corpus Christi propter dignos suscepturos, partem vero propter indignos immutabilem retineri.

Eamdem distinctionem negavit etiam hæresiarcha Calvinus lib. 4. *Instit.* cap. 17. §. 33. contendens impios et sceleratos a Christo alienos corpus Christi non edere, quia nimis indigne, inquit, laceraretur Christus, si prostitueretur incredulis. Addit porro eo sensu corpus suum dare Christum indignis, istosque subinde reos esse corporis et sanguinis Domini, quia id indignis præstare paratus est quod rejiciunt. Unde conatur inferre non labescere fidem promissionum Dei, quia non desinit e cœlo pluere, quamvis pluviæ liquorem saxa et rupes non concipiant.

Verum hæc hæresis Scripturis et toti traditioni contradicit. Etenim constat omnes Apostolos corpus Christi comedisse ; nam illud comederunt, de quo Veritas dixit, *Hoc est corpus meum ;* et de eo calice biberunt, de quo dixit, *Hic est calix sanguinis mei ;* referente enim Evangelista : *Biberunt ex eo omnes.* Si omnes : ergo et indignus Judas, quem Christus « sivit accipere inter innocentes discipulos pretium nostrum », ut ait August. epist. 162, quod et clarissime repetit tract. 26. *in Joan.* Et lib. 1. *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 8. inquit : « Sicut Judas, cui bucellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo locum in se Diabolo præbuit ; sic indigne quisque sumens dominicum sacramentum non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit ; aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, et sanguinis Domini nihilominus erat etiam illis quibus dicebat Apostolus : *Qui manducat indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Et lib. 1. *contra Cresconium*, cap. 25. prosequitur : « Quid? de istò corpore et sanguine Domini unico sacrificio pro salute nostra, quamvis ipse Dominus dicat : *Nisi quis manducaverit*, etc. Nonne idem Apostolus docet etiam hoc perniciosum male utentibus fieri ; ait enim : *Quicumque manducaverit panem, et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* » Videatur serm. 11. *de verbis Domini*, cap. 11, ubi duplicem accipiendi corporis Christi in Eucharistia modum sacramentalem, merum et spiritualem sacramentali adjunctum luculentissime distinguit. Quæ testimonia quia ad veritatem corporis Christi et sacrificii altaris constabiliendam inserviunt, non potui facere, quin illa producerem. Ex quibus etiam omnes Calvini pueriles fallaciæ sponte desiliunt, et in fumum abeunt.

Locus etiam Apostoli I. Cor. xi. quem Augustinus memoratis locis urget, Calvinianam hæresim conficit, et in pulverem conterit : *Qui manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Atqui homo nequit esse reus indigne accepti et male habiti corporis et sanguinis Christi, nisi accipiat. *Qui enim manducat, et bibit indigne*, subdit Doctor Gentium, *judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quomodo autem jure ille damnatur, qui Eucharistiam sumens corpus Domini non dijudicat, discernitque ab aliis cibis, si corpus Domini non est ipsum quod accipit? Sed locum illum argumentosum satis supra dum de præsentia reali, ponderavimus.

Pro intellectu quorumdam testimoniorum Augustini aliorumve Patrum, quibus sectarii abutuntur, præ oculis habe, supponere Patres Eucharistiam non solum sacramentaliter, sed etiam spiritaliter, id est fide viva per dilectionem operante, et sacris desideriis æstuante sumi oportere, ac proinde sacramentum integrum, et corpus Christi, et species sacramentales, et virtutem, seu effectus sacramenti importare. Quando ergo interdum subindicant impios in sacram mensam irruentes non manducare, neque bibere Eucharistiam vel corpus et sanguinem Domini, loquuntur de manducatione spiritali, sine qua integre manducare non censetur, qui inutiliter, imo et innoxie manducat.

Difficilior videtur esse Hilarii locus can.

30. *in Matth.*, ubi probat Judam non manducasse corpus Domini. Sed ex ipsa textus lectione liquet locum illum non esse ad propositum, sed plane abs re. Non enim docet Hilarius Judam sacramentaliter communicasse, et tamen verum Christi corpus non percepisse, quod unum ad rem faceret, quærimus enim utrum indigni sacramentum suscipientes, ipsum Christi corpus et sanguinem realiter peræque ac justi recipiant. Sed ibi singularem suam opinionem profert ab aliorum Patrum sensu alienam, juxta quam opinatus est Judam ne quidem sacramentaliter communicasse. Verba Hilarii sunt hæc: « Post quæ Judas proditor indicatur, sine quo Pascha accepto calice, et fracto pane conficitur; dignus enim æternorum sacramentorum communione non fuerat; nam discesisse statim hinc intelligitur, quod cum turbis reversus ostenditur. Neque sane cum Domino bibere poterat, qui non erat bibiturus in regno; cum universos tum bibentes ex vitis istius fructu, bibituros secum postea polliceretur. » Quibus verbis probare conatur Hilarius Judam Eucharistiæ sacramentali usu non fuisse dignatum. At inefficaciter tamen : quid enim vetat eum post acceptam Communionem recessisse, diabolo ut morem gereret, qui in ipsum post sorptam dominicam bucellam ingressus est? Bibiturus etiam fuisset Judas in regno cœlorum, nisi per ipsum stetisset, et pignus regni gloriæ nefanda proditione abdicasset. Sicut etiam Joan. VI. veridice promittitur : *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Quem tamen innumeri manducantes æternum pereunt; quia nihil prodest, quin obest plurimis sumptio sacramentalis, eam nisi spiritalis comitetur, qua in Christo caritate manemus, et Christus in nobis. Et vero singularem Hilarii sententiam Evangelistarum concordia refellit. Matthæus enim Christum cum duodecim discumbentem corpus suum singulis porrexisse significat. Marcus ex calice bibisse omnes testatur. Lucas demum post calicis distributionem subnectit : *Verum manus tradentis me mecum est in mensa.*

His prælibatis, circa usum communionis tria inquirenda potissime occurrunt; necessitas nimirum, apparatus, et frequentia. Prius enim videndum est, an et quando ad usum hujus Sacramenti teneamur. Deinde utrum huic suscipiendæ Eucharistiæ obligationi unius speciei usu laici satisfaciant. Postea quænam animi, quænamque corporis compositio ad dignam communionem cum ex natura rei, tum ex Ecclesiæ sanctionibus desideretur. Denique utrum præstet sacra communione uti frequentius, an rarius; expediatque omnes prorsus homines indiscriminatim ad sacram Eucharistiam frequentius adhibendam propellere.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONE USURPANDÆ EUCHARISTIÆ, ET DE IDONEA ANIMI AC CORPORIS AD EUCHARISTIAM ADEUNDAM COMPOSITIONE.

Opus grande, opus grande, inquiebat Propheta Regius I. Paral. XXIX. Quodnam est tandem opus illud grande, et eximium operæ pretium, de quo sermonem habiturus es, o homo secundum cor Dei? Forte mirabile creationis, distinctionis, et ornatus opificium narraturus es nobis, et obstupefactus exclamaturus : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine. Omnia in sapientia fecisti.* Magna illa quidem, sed de his nihil impræsentiarum. Forte miracula gratiæ et gloriæ, et quam *mirabilis in Sanctis suis*, quam *magnificus in sanctitate, faciens prodigia*, quæ alibi recenses expositurus es? Nihil minus; rem aliam mecum verso, et mente agito. Forte quot gratiarum muneribus et beneficiis auctus divinitus sis obnuntiaturus es nobis, et verbum illud bonum eructaturus : *Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ.* Sed nec illud, etiam modo. *Opus grande*, ecce illud, *opus grande; neque enim homini, sed Deo præparatur habitatio.* David habitationem Deo præparare apud se constituit, sed fallente morte occupatus fidem suam liberare, et vota implere non potuit. Opus illud grande animo fideli agendum est, habitationem quippe Domino parat cum se ad sacram Communionem accingit; hospitio vero excipit, dum hoc sacramentum usurpat. Ut autem pateat quandonam ad illam mensam accedere teneatur, quamve paratus accedere, et accurate instructus Christum recipere, id sequentibus speculationibus exponendum est.

SPECULATIO. I.

Christianis omnibus adultis non solum Ecclesiæ mandato, sed Christi etiam præcepto impositum est, ut Eucharistiam identidem usurpent.

Ex his quæ supra de necessitate Eucharistiæ disputavimus, clarissimum est ad usum Eucharistiæ Christianos omnes ratione utentes jure divino obligari. Et sane id convincit aperta veritatis declaratio, quæ Joan. VI. habetur : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Lucæ etiam XXII. Apostolis eorumque successoribus sacrorum Antistitibus Dominus imperavit : *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis non solum sacrificium offerre Apostolis et Præsbyteris imperavit, sed quæ ipse fecit facere, id est se aliosque Fideles hoc divino cibo pascere præcepit, quamvis hujus exequendi præcepti tempora non præfiniverit, sed Sponsæ suæ a Spiritu sancto continenter gubernatæ judicio reliquerit.

Et rationem optimam affert D. Thomas quæst. 80. art. 11. Quia omnes tenentur Eucharistiæ sacramentum spiritaliter manducare Christo ut incorporentur. Spiritalis autem manducatio percipiendæ Eucharistiæ votum sincerum, seu desiderium non fictum includit; unde sine aliquo hujus Sacramenti voto nulli patere viam regni cœlorum alibi demonstravimus. Atqui frustra esset suscipiendæ votum, quin nec verum esset, sed fallax Eucharistiam adeundi desiderium, nisi data opportunitate impleretur : hoc ipso convinceretur, non sinceram recipiendæ Eucharistiæ voluntatem, sed inanem et sterilem velleitatem concepisse, qui nunquam reapse oblatam suscipiendæ Eucharistiæ occasionem nancisceretur, cujus desiderio se teneri sibi mentiens iniquitas affirmaret. Recole dicta de necessitate Eucharistiæ, ubi rem hanc suis momentis ponderavimus.

Hinc sequitur 1. adultos in periculo mortis constitutos ad recipiendam Eucharistiam jure divino teneri. Docet enim Tridentinum sess. 13. cap. 8. Eucharistiam institutam esse in viaticum salutis, cujus vigore confortati ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam mortales valeant pervenire. Nec obest quod paucis ante diebus fortassis ad sacram mensam accesserit qui in repentinæ mortis discrimen vocatur; quia imminente novo mortis periculo, nova urget necessitas, novo robore in mortis agone opus est. Nec propterea sequitur ad Eucharistiam singulis etiam reis ad mortem damnatis ministrandam obligari. Quia, licet singuli eam optare, eamque si occasio tulerit oblatam recipere teneantur, ejusdem tamen dispensandæ modum et rationem Ecclesiæ prudentiæ, et Pastorum judicio Christus permisit. Hanc enim potestatem in Ecclesia perpetuo fuisse idem sacrum Concilium sess. 21. cap. 2. declarat, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate magis in Domino expedire judicaret. Qua potestate antiquitus usam fuisse Ecclesiam ex epistola I. Syricii Papæ, ex epistola III. Innocentii I. atque ex conciliis Elyberitano et Arelatensi I. docemur.

Sequitur 2°, quod, etiamsi nullum exstaret Ecclesiæ præceptum determinata accipiendæ Eucharistiæ tempora præfiniens, ad eam etiam extra articulum impendentis mortis usurpandam adulti ratione præditi jure divino nihilominus obligarentur. Quia sacramentum hoc ad modum cibi pascentis et roborantis animos institutum est. Veritate non semel inculcante, *Caro mea vere est cibus : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Absurdum vero est dicere in solo mortis imminentis periculo alimentum sumi oportere, illudque non esse sæpius in vita usurpandum, quo et depascentis concupiscentiæ jacturas sarciamus, et occurrentes graves tentationes conteramus. Ergo mensam in conspectu nostro paratam adversus eos qui tribulant nos, aliquando extra vitæ discrimen adire tenemur.

Ad præceptum autem Ecclesiasticum quod attinet ut explicemus, sciendum fideles in Ecclesiæ nascentis exordiis hoc sacro cibo singulis diebus ali solitos esse, ut ex Actis Apostolorum colligere est. Adeo enim qui tunc Christianam legem profitebantur vera et sincera caritate ardebant, inquit Catechismus Romanus part. titulo *de Eucharistia*, num. 63, ut cum sine intermissione orationibus et aliis pietatis officiis vacarent, quotidie ad sacra dominici corporis mysteria sumenda parati invenirentur. Quare beatis illis temporibus fervescentes Christianorum animi, et Christi adhuc ebulliente sanguine aspersi, plenitudine etiam Spiritus sancti accensi, et æstuantes novis præceptorum

calcaribus ad sacram Communionem urgeri non egebant. Verumtamen morem illum intermissum sanctissimus Pontifex et Martyr Anacletus, ut *de Consecrat.* dist. 2. cap. 10. refertur, aliqua ex parte renovavit, quatenus ministros qui Missæ sacrificio interessent communicare voluit. Diu etiam in Ecclesia viguisse consuetudinem idem catechismus commemorat, ut sacerdos peracto sacrificio cum Eucharistiam sumpsisset, ad populum qui aderat conversus, his verbis ad sacram mensam Fideles invitaret : « Venite fratres ad communionem. » Tunc qui parati erant summa cum religione sacrosancta Mysteria sumebant. Videatur B. Hieronymi epistola 28. et 50.

Verum caritate deinde et pietatis studio in ipsa Ecclesiæ pace, ut moris est, adeo refrigescente, ut raro admodum fideles communionem usurparent, a sancto Fabiano Papa, cujus decretum habes *de Consecrat.* dist. 2. cap. 16. sancitum est, ut ter quotannis, Natali nimirum Domini, et Resurrectione, et Pentecoste omnes Eucharistiam sumerent. Id quod a multis postea Conciliis, præsertim vero ab Agathensi cap. 38. his verbis confirmatum est : « Cives qui Paschæ, ac Natalis Domini, vel Pentecostes solemnitatibus cum Episcopis interesse neglexerint, cum in civitatibus Communionis vel benedictionis accipiendæ causa positos se nosse debeant, triennio communione priventur Ecclesiæ. »

Ad extremum cum eo languoris et tædii pietas Christiana adducta esset, ut non modo sancta illa et salutaris præceptio non servaretur, sed in plures etiam annos sacræ Eucharistiæ communio differretur, in Magno Lateranensi concilio, capite illo celebri *Omnis utriusque sexus*, decretum est, ut semel ad minus singulis annis in Pascha omnes sacrum Domini corpus acciperent ; qui vero id facere neglexissent, Ecclesiæ aditu prohiberentur. Quam legem sacra Tridentina synodus confirmavit sess. 13. can. 9. his verbis : « Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit. » Quod præceptum transgrediuntur non solum qui a sacra communione mera incuria in Paschate abstinent, sed illi etiam qui ad sacram communionem indigne accedunt. Tum quia præceptum Ecclesiæ est tantum divini interpretatio, præfiniens tempus adimplendi divini mandati. Atqui præcepto divino per sacrilegium non satisfacimus. Ergo per indignam communionem præcepto Ecclesiæ de sacro cibo in Paschate usurpando non obtemperamus. Tum quia concilium Lateranense memorato capite *Omnis utriusque sexus*, Eucharistiam ad minus in Pascha « reverenter suscipi » constituit. At sacramentum nequaquam reverenter ille suscipit qui in horrendum sacrilegium incurrit, sed Christum in seipso crucifigit, Filium Dei conculcat, et sanguinem testamenti pollutum ducit.

Neque dicas Ecclesiam non posse præcipere actus internos, sed ejus potestatis sphæram intra actuum externorum ambitum contineri. Non, inquam, id dicas ; quia quidquid sit de potestate Ecclesiæ in actus mere internos, de qua theologorum moralium disserere est, id tamen constans, et apud omnes incorruptæ disciplinæ moralis defensores in confesso est, Ecclesiam actus internos ut conjunctos cum exterioribus jure posse præcipere vel prohibere. Nam in Clementina I. *de hæreticis*, et cap. *Multorum*, circa finem, excommunicantur Inquisitores hæreticæ pravitatis, si odii, gratiæ, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu contra justitiam et conscientiam suam omiserint contra quemquam procedere, ubi fuerit super pravitate hæretica procedendum ; vel eodem obtentu quemquam præsumpserint quoquo modo vexare. In capite etiam *Dolentes*, de celebratione Missarum, clericis præcipitur, ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote. Patet autem amoris et odii obtentum, devotionem etiam celebrando officio adhibendam esse actus internos. Denique utut sit, cum Ecclesiasticum paschalis communionis præceptum sit divini determinatio, nunquam legi illi satisfaciet qui ore sacrilego divinum epulum acceperit.

Ejusdem etiam præcepti violatores sunt, tum qui prænoscentes se paschali tempore negotiis, occupationibusque implicatum iri, vel peregrinatione aut navigatione, aliisque impeditum iri quominus sacram mensam adeant, communionis tamen tempus prævenire et anticipare negligunt ; tum qui omissa vel impedita communione paschali, prima data opportunitate communicare prætermittunt. Ratio est, quia intentio con-

cilii verbis illis, « ad minus in Pascha, » expressa significat communionem non esse ultra paschale tempus differendam : qui autem impedimenta negotiorum, peregrinationis, navigationis, belli gerendi, aliaque prævidens paschale tempus non anticipat, communionem ultra Pascha prudens et volens differt : igitur præcepto illi morem non gerit. Secundo etiam, quia qui impeditus in Paschate non communicavit, præcepto de non differenda ultra Pascha communione obstringitur donec satisfecerit ; non enim desinit obligari qui præscripto tempore quod debet non solvit ; sed potius solvendi dies cum exierit, ad solvendum arctius obligatur, ut patet in contractibus diem solutionis præfinientibus. Quare communio paschalis non est onus illi duntaxat tempori alligatum, sicut recitatio breviarii, vel jejunium vigiliæ certæ diei addicitur ; sed est determinatio temporis, in quo debitum communionis jure divino solvendum est ; quo tempore sine solutione exeunte solvendi debiti obligatio magis urget. Porro per tempus Paschatis juxta declarationem Eugenii IV, et totius Ecclesiæ usum, quindena illa intelligitur, quæ a Dominica in Ramis palmarum ad dominicam in Albis inclusive protrahitur. Locum autem communionis paschalis esse Ecclesiam parochialem insinuatur in capite præfato Lateranensis concilii, et sacra congregatio Cardinalium constitutionibus Apostolicæ Sedis, et praxi Ecclesiarum innixa declaravit. Quin dies ipse Paschatis seu Resurrectionis Dominicæ ita est ex Decreto Leonis X. Ecclesiis Parochialibus reservatus, ut illi etiam qui intra quindenam in Ecclesia Parochiali communicassent, non possent tamen eo die alibi citra proprii sacerdotis licentiam sacræ communionis fieri participes. Justum enim est ut Christianus ibi suscipiat alimenta vitæ, ubi in Christo primum vivere cœpit : nec Pastorem videretur agnoscere, qui ab eo pane vitæ pasci abnueret.

Ex his omnibus apparet intolerandam esse Lutheri temeritatem, qua serm. *de Confess. et Sacramento Eucharistiæ*, aliisque suis libris scribere non erubuit, errare illos, graviterque peccare, qui cogunt homines sub peccato mortali in Paschatis festo Sacramento uti. Sed nulla fuit unquam, nulla (opinor) erit, nec possibilis videtur impudentia Calvinianæ par, qua lib. 4. *Institut.* cap. 17. §. 46, in Matrem Ecclesiam sic furiosus insurgit : « Hæc consuetudo, quæ semel quotannis communicare jubet, certissimum est diaboli inventum, cujuscumque tandem ministerio invectum fuerit. » In his confutandis impietatis portentis immorandum non est, cum ejus præcepti utilitas et honestas tum per se satis, tum ex dictis clareat luculenter. Ad illa vero gemini hæresiarchæ convitia aliquid reponere nihil attinet ; quia, ut cum Hieronymo epist. *ad Ctesiph.* loquar, « sententias istas prodidisse, superasse est. Patet prima fronte blasphemia. Non necesse habet convinci quod prima statim professione blasphemum est. »

REFLEXIO.

Sacramenti Eucharistiæ usus tunc demum utilis est, si Deo fruamur. Nam qui in Christo non manet, et in quo non manet Christus, cœlesti cibo non utitur ad vitam, sed abutitur in perniciem. Tunc solum ut oportet Eucharistia usurpatur, atque cum utilitate manducatur, si, ut ait August. tract. 27. *in Joannem*, « manet, et manetur ; si habitat, et inhabitatur ; si hæret ut non deseratur. » Et serm. 2. *de verbis Apostoli*, cap. 1 : « Manducent ergo qui manducant, et bibant qui bibunt : esuriant et sitiant, vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare, refici est ; sed si reficeris, ut non deficias unde reficeris. Illud bibere, quid est nisi vivere ? Manduca vitam, bibe vitam : habebis vitam, et integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est vita unicuique erit corpus et sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate specialiter manducetur. »

Quam multos Altaria frequentantes cernimus, cibum vitæ usurpantes, nomen etiam quod vivunt habentes, et reapse mortui sunt. Non usus illæ Eucharistiæ, sed abusus jure merito dicendus est. Ad Eucharistiam intrepide illi quidem accedunt, et accedendo pios se dictitant et devotos ; et tamen semper se tepidos, semper a divinarum rerum studio et gustu in dies remotiores, semper gratiæ divinæ inaniores, sui ipsius amore semper pleniores, sæculo semper et humanis voluptatibus addictiores, ac terrenorum cupiditate captiores præsentiunt. Dubio procul mortem ex fonte vitæ ille haurit, in quem nullam unquam emendationis vitæ frugem fluere experimur. Cum enim constantes et certi in hominibus bene affectis efficacissimi Sacramenti fructus abundent, profecto ubi

nulla eorum fructuum et vitalium motuum vestigia, sed alienissima potius et adversa cernuntur, argumento est insolubili, pravam vitiosamque animi peccato mortui habitudinem divinum illum, patentemque fontem obstruere, et gratiarum fluenta, ne in sic affectos redundent, prohibere.

Unde, quæso, post tot tanti antidoti usus nullum in nobis adversus peccata læthifera extinguenda robur, nullæ adversus hostiles impetus vires ? Cur ad eadem vitia eadem proclivitate revolvimur, post cibum Angelorum marcescimus, tabescimus potato sanguine Redemptoris ? Apud piissimum, et juxta doctissimum Cardinalem Turrecrematam, nisi mea me fallat memoria, abhinc annis aliquot legisse me memini, quatuor ad laudabilem et proficuum cibi alioquin nocituri usum desiderari, masticationem seu commolitionem, delectationem ex legitima decoctione proficiscentem, assimilationem, et incorporationem. Mandere cibum et ore conficere oportet, ut trajectus in stomachum haud ægre concoquatur ; unde juxta tritum adagium, « prima digestio in ore elaboratur : » gravatur enim stomachus et cruditatem patitur post ingestas integras et non attritas dapes quamlibet exquisitas. Parum etiam prodest cibus ni delectet, neque enim naturam recreat aut levat cibus, quem respuit gustus vitiosis humoribus occupatus ; et desperata eorum sanitas est, quibus nihil jam cibi nisi consuetudinis causa præbetur. Concoctus vi caloris nativi cibus viventis qualitates paulatim induit ; unde in massam liquidam albicantem, quæ chylus dicitur, primum resolvitur, et alimenti partibus purioribus et defæcatioribus selectis, fæces per longos intestinorum meandros foras protrudruntur. Deinde chylus in sanguinem actione jecoris vel cordis, vel utriusque juxta diversa philosophorum placita variis hinc inde rationum et experimentorum momentis innixa convertitur ; et tandem post varios dispositionum apparatus in carnem mutatur. Sic mutatus in alitum transformatur, ipsique incorporatus eadem totius compositi forma perficitur, et idem totum ingreditur, cujus initio fuerat adjumentum. Non absimili ratione divinus Eucharistiæ cibus illis duntaxat merito creditur esse proficuus, qui ore animi, id est intellectus (juxta illud, *Os juxti meditabitur sapientiam*) corpus Domini dijudicant, et tremendi mysterii majestatem, et quomodo ad illud adeundum comparati sint, attente recogitant. « Quoniam capacitas nostra ad Christum efficaciter suscipiendum non est in carne, sed in spiritu ; non in ventre, sed in mente : et mens Christum non attingit nisi per cognitionem et amorem, per fidem et caritatem : ita quod fides illuminat ad recognitionem vel recordationem, et caritas inflammat ad devotionem. Ideo ad hoc quod aliquis digne accedat, oportet quod spiritualiter comedat, ut sic Christum per recordationem fidei masticet, » inquit B. Bonaventura p. 6. cap. 9. in *Brevil.* tom. 1. Spiritalem illam animi divinorum cogitatione perfusi, et veluti penetrati masticationem sequitur mentis refectio ; et cœlestis delectatio torporem, tædium, et languorem eliminans, emicantes pietatis scintillas excitans : et quia anima sancta Spiritus divini calorem cœlesti pani concoquendo necessarium sentit, et spiritalis digestio laudabiliter fit ; ideo tunc Eucharistia alimenti simul et medicamenti loco est, curationem valetudinis explens, morbique reliquias infuso membris omnibus vigore conficiens. Denique quia anima casta virtutum omnium exercitationibus divinam in se exprimit imaginem, sequitur assimilatio, et tanta Christiani cum Christo conformitas, ut in Christum transformetur, et, ut loquitur Paulus, formetur in illo Christus. « Oportet, » subjungit idem Bonaventura, « ut Christum per devotionis amorem suscipiat, per quem non in se transformet Christum, sed ipse potius trajiciatur in ejus mysticum corpus. »

SPECULATIO II.

Nullo divino præcepto Laici et Clerici non conficientes ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum obligantur ; sed alterius speciei communio ad salutem sufficit. Justissimis gravissimisque de causis Ecclesia divinitus inspirata usu Calicis laicis interdixit, speciei solius Panis communione permissa.

Fere totidem verbis e sacro Tridentino concilio sess. 21. cap. 1. et 2. necnon can. 1. et 2. hæc propositio quoad omnes ejus partes deprompta est. Quæ antea quam stabiliatur, præmittere hæreticorum errores, quos proscribere sancta Synodus voluit, operæ pretium est.

In primis Waldenses in professione fidei ad Vlasdisaum, geminam speciem indispen-

sabili Christi lege præscriptam, ad salutem omnibus et singulis necessariam esse contendunt. Eumdem errorem Bohemi ducibus Petro Dresdensi, et Jacobo Misnensi, aliique hæretici eo libentius, ut historiæ Bohemicæ capite 35. Æneas Sylvius observat, secuti sunt, quo arbitrati sunt articulum se invenisse in Evangelio fundatum, per quem Ecclesiam Romanam erroris, ignorantiæ, vel nequitiæ insimularent. Cujus sententiæ assertores fuisse Joannem Hus et Hieronymum de Praga contendit Calvinista Plesseus lib. 1. *Instit.* c. 7. Quod haud satis compertum est, cum inter eorum articulos in concilio Constantiensi recensitos dogma illud minime numeretur. Utut sit, erroris illius auctores et sequaces sic proscribit idem Constantiense concilium sess. 13. his verbis : « Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie asserere præsumant, populum Christianum debere sacramentum Eucharistiæ sub utraque panis et vini specie suscipere, et non solum sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum passim communicent, et post cœnam, vel alias non jejunos communicandos esse pertinaciter asserant contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam. Hinc est quod hoc generale concilium declarat, decernit, et definit contra hunc errorem, quod, licet Christus post cœnam instituerit, et suis discipulis administraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum Canonum auctoritas et approbata consuetudo Ecclesiæ servavit et servat, quod hujusmodi Sacramentum nec conficiatur post cœnam, nec sumatur a non jejunis nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia admisso vel concesso. Et similiter, quod, licet in primitiva Ecclesia hujusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula et scandala est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur ; cum firmissime credendum sit, et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Quapropter dicere quod hanc consuetudinem et legem observare sit sacrilegium aut illicitum, censeri debet erroneam ; et pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcendi sunt et graviter puniendi per diœcesanos locorum, aut Inquisitores hæreticæ pravitatis. Item præcepimus sub pœna excommunicationis, quod nullus præsbyter communicet populum sub utraque specie panis et vini. »

Extinctis illis erroribus, ex eorum cineribus enatus est Martinus Lutherus, qui licet initio in quodam sermone de sacramento Eucharistiæ alteram speciem sufficere affirmarit, in confusissimo tamen suo *de captivitate Babylonica* libro, vel potius tenebrione, scribere non erubuit, « omnes esse impios, qui utriusque speciei Communionem laicis denegant. » Additque se provocatum et per vim in arenam raptum libere asserere, quod dicunt Papistæ, Ecclesiæ arbitrio relictum esse distribuere unam speciem, sine ratione dici, sine auctoritate produci, et eadem facilitate contemni qua probatur. Et tandem effrons hæresiarcha concludit, negare utramque speciem laicis esse impium et tyrannicum, nec in manu ullius Angeli, necdum Papæ et Concilii cujuscumque.

Sed omnibus suis decessoribus hæreticis impudentiæ palmam præripuit post hominum memoriam audacissimus Joannes Calvinus, qui lib. 4. *Institut.* cap. 17. §. 47. effutiit ex officina diaboli prodiisse constitutionem illam, quæ dimidiam Cœnæ partem meliori populi Dei numero vel furata est, vel eripuit, nempe symbolum Sanguinis, quod laicis et profanis interdictum, paucis rasis et unctis (his scilicet titulis episcopos et sacerdotes, quos duplici honore dignos Apostolus pronunciavit, quibus etiam improbis maledicere vetuit, excitatus ab erebo apostata insignit) in peculium cessit.

Communio sub utraque specie non est præcepto divino omnibus imperata et necessaria.

His prælibatis probanda est prima pars, quæ affirmat nullo fideles omnes et singulos divino præcepto ad communionem utriusque speciei astringi. Probatur autem tum exponendo loca illa, quibus duplicis speciei usus omnibus necessarius edici et præscribi videtur ; tum ex variis Ecclesiæ primitivæ ritibus, quibus Legislatoris nostri Christi intentio, interprete sacra traditione, dignosci potest.

In primis non habetur utriusque speciei mandatum ex verbis illi Joan. VI : *Nisi man-*

ducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Tum quia Calvinistæ non consentiunt verba Salvatoris, quæ Joan. v. leguntur, de Eucharistia intelligi oportere : formidant enim, et merito illi quidem, ne micantissima verborum illorum luce præsentiæ figurativæ aut virtualis corporis Christi, quam solam, repudiata præsentia reali, comminiscuntur, tenebræ dispellantur. Tum quia juxta consuetudinem Scripturarum particula *Et*, non semper copulative, sed sæpe disjunctive usurpatur. Exodi XXI : *Qui percusserit patrem et matrem, moriatur ;* I. Corinth. XI : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Id est, qui manducat aut bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit ; ille enim sibi condemnationem judicis accerset, qui alteram speciem indigne præsumit accipere, tametsi utramque speciem non sumat. Unde satis clarus ejus testimonii sensus esse potest, si particula *Et*, pro particula *Vel*, accipiatur; et particula *Nisi*, seu ut habetur in Græco, *Si non*, cadat supra particulam *Et*, seu *Vel*, in hunc modum : *Si neque manducaveritis carnem Filii hominis, vel neque biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quo sensu dicitur Actor. III : *Argentum et aurum non est mihi*, id est neque argentum est mihi, neque aurum. Quod et aliis Scripturæ locis illustrari confirmarique in promptu esset. Hanc fuisse Salvatoris intentionem recte colligit ex ipso Joannis capitis VI. contextu concilium Tridentinum sess. 21. cap. 1. his verbis : « Sed neque ex sermone illo, apud Joannem sexto, recte colligitur utriusque speciei communionem a Domino præceptam esse, utcumque juxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, dixit quoque : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et qui dixit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, dixit etiam : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Is denique qui dixit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*, dixit nihilominus : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* » Ergo ex mente Servatoris vis præcepti non tam ad sumendi modum, quam ad rem ipsam sumendam collimat. Quod ex eo amplius confirmatur, quod Christus verba illa protulerit adversum litigantes Capharnaitas, et inter se dicentes : *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?* At Judæi non de modo sumendi sub una specie vel duabus, sed de re sumenda, scilicet carne Christi litigabant. Ergo non modum sumendi, sed rei sumendæ necessitatem verbis illis inculcare sibi Veritas proposuit.

Secundo non continetur utriusque speciei ab omnibus et singulis sumendæ præceptum in ipsa Christi institutione, quæ sub utraque specie facta est. Tum quia Christus non solum Sacramentum instituit, sed et sacrificium obtulit. Unde illi morem Catholica gerit Ecclesia, dum sacrificantes ad utriusque speciei usum indispensabiliter astringit. Tum quia satis est id quod Christus fecit, in Ecclesia regulariter fieri, tametsi non ab omnibus et singulis fiat : factum autem Christi Ecclesia in Sacerdotibus suis, et in singulis Missis religiosissime observat. Tum quia non omnia quæ Christus fecit, omnibus facienda præcepit. Neque enim ad Eucharistiam post cœnam conficiendam, vel ad eam duodecim tantum viris, nullisque mulieribus dispensandam, vel ad eam in cœnaculo, non in templo celebrandam, vel ad eam etiam in azymo duntaxat ubique terrarum, et nullibi in fermentato peragendam, propterea quod Christus ritus illos omnes observarit, obligamur. Ergo neque ex præcisa Christi Domini institutione, neque ex simplici ejus facto utriusque speciei usus intelligitur imperatus.

Tertio utriusque speciei a laicis etiam necessario usurpandæ præceptum nequaquam colligitur ex verbis illis Matth. v, 26 : *Bibite ex hoc omnes.* Quia verba illa ad Apostolos præsentes Christus direxit. Unde Marcus cap. XIV. dixit : *Et biberunt ex illo omnes ;* significans præceptum Christi ad Apostolos pro eo tempore spectans, eodem etiam tempore fuisse impletum. Et sane mira est hæreticorum solertia, et in Scripturis exponendis sibi arrogata licentia. Cum Christus Apostolis remittendorum, retinendorumque peccatorum facultatem fecit, cum eisdem ligandi et solvendi auctoritatem contulit, cum Petri singulariter arbitrio claves æterni aditus tradidit, ut ejus terrestre judicium præjudicata sit auctoritas in cœlo, et quæ in terris ab eo aut ligata sint aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in

cœlo : illa omnia ita ad solos Apostolos dicta intelligi oportere volunt, ut nec ad Presbyteros eorum sacerdotii successores, nec ad Episcopos eorumdem jurisdictionis hæredes, nec ad Romanum Antistitem Petri sedem continenti serie occupantem pertinere contendant. Cum vero Apostolis præsentibus ex calice bibere imperavit, edictum illud non ad solos Ministros sacra facientes, sed ad omnes et singulos utriusque sexus Christianos de suo arbitratu dilatant. Scio equidem multa Apostolis dixisse Christum, quæ omnibus dicta intelligi voluit, ea potissimum quæ ad Christianæ vitæ castimoniam, et Evangelicæ legis observantiam, attingunt, ad omnes attinere fideles edixit Marci XIII : *Quod vobis dico, omnibus dico : Vigilate.* Ubi Christianæ legis professores omnes vigilare ; seu in negotium salutis mente et animo insistere, et in omnes declinandi a malo, et faciendi boni occasiones intendere præcepit. Attamen quæ Christus dixit Apostolis, omnia singulis Christianis dicta intelligi oportere, absurdissimum, et juxta falsissimum est. Neque enim prædicandi in mundo universo Evangelii, fundandi Ecclesias, Sacramenta conficiendi dispensandique, pascendi oves, aliaque id genus exercendi potestas omnibus indiscriminatim fidelibus facta est ; alioquin nullo ordine, sed perpetuo horrore omnia in Ecclesia turbarentur, et susdeque miscerentur. Sed hæretici nostrates vel Ecclesiæ hierarchiam divinitus constitutam perire malint, quam Ecclesiæ cedere potestati. Neque veritatem illi in proferendis interpretandisque Scripturis tantopere cupiunt, quantopere quam adversantur Catholicam Ecclesiam infamare.

Quarto ad utriusque speciei communionem omnes et singulos non astringunt verba illa Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ apud Lucam c. XXII. et apud Paulum I. Cor. XI. habentur. Observandum enim est, verba illa Lucam semel duntaxat referre post consecrationem panis, et ante consecrationem calicis ; Apostolum vero ea referre absolute post consecratum panem : *Accipite*, inquit, *et manducate : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : Hoc facite in meam commemorationem.* Eadem vero verba repetere Paulum post consecratum calicem, non absolute, sed hypothetice, his verbis : *Similiter et calicem postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* Quare præceptum bibendi calicis ex illis verbis colligi nequit ut prolatis ante consecratum calicem, cum una tunc esset tantum species ; neque ex eisdem post consecratum calicem prolatis, cum tunc non usus calicis absolute præcipiatur, sed mandetur, ut bibens calicem, quotiescumque id facere contigerit, in Christi memoriam faciat, et mortem Domini annuntiet. Ergo ex verbis illis haberi quidem potest usum Calicis in Ecclesia perpetuo retinendum esse, ut memoria passionis Dominicæ jugiter repræsentetur ; sed ab omnibus et singulis calicem usurpandum esse minime colligitur. Sane, sicut præcepto illi Geneseos cap. I. denunciato, *Crescite, et multiplicamini, et replete terram*, satisfacit Respublica, tametsi non omnes et singuli matrimonium ineant, nec procreandis liberis operam dent : ita præcepto bibendi in memoriam Passionis Christi calicis morem gerit Ecclesia, quamvis non omnes, sed soli sacerdotes de sacro calice bibant. Adde omnia quæ tunc præsentibus Apostolis Christus præcepit, omnes et singulos, fatente ipso hæresiarcha Calvino lib. 4. *Instit.* cap. 17. §. 43. minime obstringere. « In manu, » inquit, « accipiant fideles, necne ; inter se dividant » (quod tamen Christus expresse verbis istis Apostolis imperavit : *Accipite, et dividite inter vos*) « an singuli quod sibi datum fuerit edant ; calicem in manu Diaconi reponant, an proximo tradant ; panis sit fermentatus, an azymus ; vinum num rubrum, an album, nihil refert. Hæc indifferentia sunt, et in Ecclesiæ libertate posita. » Quasi ex Calvini cerebro, et non ex Ecclesiæ judicio, quæ indifferentia, quæve necessaria judicanda sint pendeat.

Ex quibus etiam planus habetur aliorum ejusdem Apostoli in eodem capite verborum sensus : *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* Non enim inibi omnibus et singulis de calice bibere absolute jubet, sed modum et animi apparatum præscribit, quo illum oportet esse instructum, qui de pane illo edendo, vel de calice bibendo cogitaverit ; et tum demum sive cœlestem panem, sive sacrum calicem esse sumendum, cum seipsum accurate probaverit.

Eadem veritas ex variis primitivæ Ecclesiæ ritibus comprobatur.

Usum etiam alterius, vel utriusque spe-

ciei fuisse priscis temporibus indifferentem, et Ecclesiæ arbitrio permissum, argumento sunt varii Ecclesiæ antiquitus probati ritus, ex quibus unam duntaxat speciem fuisse usurpatam liquido constat.

Primum antiquissimo ritu sacra Eucharistia domum a fidelibus deferebatur : cujus praxis testes sunt Tertullianus lib. 2. *ad Uxorem*, cap. 5, Cyprianus, Basilius, et alii testes locupletes supra dum de Ministro Eucharistiæ memorati ; ex quibus etiam constat Eucharistiam et a Monachis in deserto et solitudine diu servandam, et ab itinerantibus ad loca remotissima proficiscentibus fuisse deportatam. Atqui incredibile est duplicem speciem semper fuisse domum, in monasteriorum secessus, in navem pelago committendam, atque in longinquas et remotissimas regiones deportatam ; tum quia nunquam dicitur sanguinem Christi, sed semper corpus fuisse delatum ; quo loquendi modo una species panis, qui vi verborum in corpus Christi convertitur, significatur. Tum quia Eucharistia sic delata aliquando per annum integrum, ut habetur in *Prato spirituali*, cap. 49. in solitudine, sæviente præsertim persecutione servabatur. Quod tamen a natura liquidorum, vini præcipue, quod facile acescit et corrumpitur, abhorret. Tum quia sacratus Calix nunquam in manus laicorum dari, et multo minus aliorum deferri solitus erat, sed per manus diaconorum ministrabatur. Tum demum quia loco citato Tertullianus loquens de muliere quæ gentili nupta sit : « Non sciet, » inquit, « maritus, quid secreti ante omnem cibum gustes ; et si sciverit, panem non illum esse credit qui dicitur. » Ubi et unius panis speciei mentionem facit, et illam fuisse tantum adhibitam, clare significat, alioquin ex odore vini quid mulier gustasset, facile vir scire potuisset. Ergo unius tunc temporis speciei usus frequentabatur.

Nec valet responsio Kemnitii aientis non esse quæstionem de communione domestica, sed de ea quæ in Ecclesia sub duplici semper specie dispensabatur ; et ideo privata illa communio quæ sensim irrepserat, antiquata, et abrogata fuit, atque etiam severius prohibita in conciliis Toletano et Cæsaraugustano. Nihil, inquam, valet hujusmodi effugium. Tum quia, si quid probant quæ nobis hæretici objiciunt Scripturæ testimonia, suadent etiam nunquam unicam speciem sive in templo, sive domi, in qua Eucharistiam Christus ipse consecravit, esse usurpandam. Quæ proferunt etiam ad utriusque speciei necessitatem stabiliendam rationum momenta adversarii, peræque adversus unicam speciem domi atque in Ecclesia perceptam militant. Ergo nihil probant hoc ipso quod nimis probant quæcumque motiva producunt. Tum quia Eucharistiam in deserta loca prisci deferebant Christiani, ut divino demumenda Eucharistia præcepto satisfacerent. Ergo per unius speciei usum illi morem se gerere præcepto arbitrabantur. Falsum porro est quod Kemnitius de abrogandæ domesticæ communionis motivo subjicit. Non enim idcirco interdicta est, quod ejus usu divinum præceptum non impleretur, sed quia cessante persecutionis procella, et necessitate sublata, judicarunt Ecclesiæ Proceres rem tam sacram non in prophano, sed in sacro duntaxat loco esse frequentandam, et in domesticis communionibus populi incuria, ignorantia, vel etiam malitia plura tum indecora, cum etiam scandalosa facile irrepere proclive esse.

Confirmari autem hæc omnia valide possunt, quia, ut docet S. Augustinus lib. 2. *cont. litter. Petiliani*, cap. 23. et serm. 152. *de Tempore*, viris Eucharistia in manus, mulieribus vero in linteaminibus nitidissimis dabatur, corpus ut Domini acciperent. Ad quem morem alludit canon. 36. concilii Antisiodorensis : « Non liceat mulieri nuda manu Eucharistiam sumere, nec manum suam ad pallas dominicas mittere. » Et can. 39 : « Unaquæque mulier, quando communicat, dominicalem suum » (id est mundissimum linteum ad excipiendum Domini corpus idoneum) « habeat. Quod si non habuerit, usque in alium dicem Dominicum non communicet. » Cum ergo aliunde constet sacrum calicem non nisi per manus Diaconorum fuisse dispensatum, relinquitur unam tantum speciem cum viris, tum mulieribus domum deferendam, ibique percipiendam fuisse traditam.

Secundo infantibus olim Eucharistia sub unica specie porrigebatur ; et cum non possent cibum aliquem solidum sumere, aliquid sanguinis Domini in os eorum per presbyterum, aut diaconum instillabatur. Hujus moris meminit Hugo a S. Victore lib. 1. *de Sacram.* cap. 20. eumque vocat « primariam Ecclesiæ institutionem ». Narrat etiam S. Cyprianus tract. *de Lapsis*, quod cum puella nutrici relicta, inscia matre quæ ob perse-

cutionem fugerat, de idolothytis gustasset, et in Ecclesiam tempore sacrificii a matre allata fuisset; ubi, inquit, solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, et accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit autem diaconus, et reluctanti licet, de Sacramento sanguinis infudit : tunc sequitur singultus et vomitus in corpore, « atque in ore violato permanere non potuit Eucharistia, » utique sub una vini specie porrecta : si enim sub specie panis Eucharistiam absque difficultate puella suscepisset, in ore violato permansisset Eucharistia, illeque vomitus non tam miraculo, quam vini horrori vel alteri causæ naturali absque negotio ascriberetur. Si autem sub unius speciæ vini Eucharistia etiam in Ecclesia priscis temporibus, iisque erroris labisque puris ministrata fuit, profecto docti ab Apostolis Patres existimarunt, unius speciei usu divino de sumenda Eucharistia præcepto fideles satisfacere.

Tertio Eucharistia, sicut modo in Ecclesia Catholica solet, ita priscis temporibus servabatur pro infirmis sacro Viatico muniendis. « De his qui recedunt ex corpore, » inquit concilium Nicænum I. can. 12, « antiquæ legis regula observabitur etiam nunc; ita ut si forte quis recedat ex corpore, necessario vitæ suæ viatico non defraudetur. » Quod et antea concilium Ancyranum can. 6, decreverat. Quam gratiam non esse hominibus in pœnitentia positis imminente extremo vitæ discrimine denegandam sancivit concilium Arelatense II. can. 12 : « De his, » inquit, « qui in pœnitentia positi vitam excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti, sed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio recipiatur. » Narrat etiam Eusebius lib. 6. *Histor. Ecclesiast.* cap. 44. ex epistola Dionysii Alexandrini, Presbyterum dedisse puero particulam Eucharistiæ deferendam cuidam seni nomine Serapioni ægroto, atque jussisse ut eam prius madefactam seni porrigeret; quia nimirum species illæ panis diu asservatæ duruerunt, nec poterant nisi madefactæ a sene eoque infirmo deglutiri. Quem ritum usque in hodiernum diem Græcos observare testatur oculatus testis Arcudius lib. 4. c. 53. et 55. Solent enim feria quinta majoris Hebdomadæ Eucharistiam in memoriam cœnæ Domini consecrare, quam per annum integrum in usum et gratiam infirmorum in sacrarium reponunt et reservant. Atqui ex eo ritu unius speciei usus manifeste convincitur : tum quia vini species non deferebatur tandiu servanda ob certum corruptionis periculum ; tum quia species vini non nisi per presbyteros et diaconos dispensabatur ; tum quia speciem vini ad Serapionem presbyterum misisse non legitur, imo præcipiendo ut puer eam madefaceret quo facilius deglutiretur, supponebat solam illam speciem percipi, alioquin eam ipse sanguine Domini intinxisset et madefecisset; non enim contrectant Dominici sanguinis facultas omnibus indiscriminatim fiebat. Vidit hujus argumenti efficaciam hæreticus ipse Calvinus, et veritate coactus lib. 4. *Instit.* cap 17. §. 39. scripsit : « Sed enim qui sic faciunt » (id est Eucharistiam pro infirmis sub specie panis asservant) « habent veteris Ecclesiæ exemplum, fateor : verum in re tanta, et in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius est quam ipsam veritatem sequi. » Quasi veritas Ecclesiæ veteri ejusque sequaci novæ ignota, uni se Calvino conspicuam ostenderit? Quasi in re tanta Ecclesia columna et firmamentum veritatis veritate despecta amplexata fuerit falsitatem? Quasi periculum sit veteris Ecclesiæ vestigiis insistere, et periculum potius non sit diverticula flexionesque persequi, huc se et illuc, atque in omnem doctrinæ ventum versare, denique vetustatem novitate incessere non desinere. Semper quidem cavendum, et maxime cum periculum imminet : sed incautus ille vehementer est, animique impotens, qui trepidat timore ubi non est timor; facit næ ille periculum timendo, ut in certum erroris barathrum incurrat? Sed hæreticis Ecclesiæ securitas pro periculo; novitatis periculum pro securitate ; et infamandæ Matris Ecclesiæ non data, sed accepta occasio pro deliciis est.

Quarto ex omni christianæ ætatis memoria servatur ritus communicandi ex præsanctificatis, qui tam antiquæ originis est, ut principium ignoretur. Neque enim sola Ecclesia Latina in Parasceve majoris Hebdomadæ solam speciem panis die antecedenti consecratam usurpat, sed ipsa etiam Ecclesia Orientalis morem illum ab antiquo retinet et servat per totam quadragesimam, solis Sabbatis, Dominicis, et festi Annuntiationis diebus exceptis, quibus integrum sacrificium facit et conficit. Qua de re sic olim

constituerunt Trullani Patres can. 52 : « In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato et Dominica, et Annuntiationis die fiat sacrum præsanctificatorum sacrificium. » Dicitur autem sacrificium non stricte acceptum quod in consecratione situm est, vel eam certe omnino exigit; sed quia est oblatio sacrificii jam peracti et perfecti, et mysteriorum consumptio. Ex hoc autem ritu unius speciei usus quam probatus, quamve antiquus sit manifestissimum est.

Nec refert si respondeas, Græcos Eucharistiam sive pro infirmis asservatam, sive in Missa Præsanctificatorum perceptam sanguine Domini intingere solere, ac proinde etiam tunc utramque speciem et distribuere morientibus, et in Præsanctificatorum liturgiis usurpare. Non refert, inquam : tum quia hæc intinctio alicubi usurpata nunquam fuit universim probata, sed potius in concilio Bracarensi III. can. 1. reprobata. Tum quia, ut supra vidimus, mulieres Eucharistiam in nitidissimo linteolo excipiebant, quæ si fuisset sanguine madens, sacrum liquorem linteolum exsuxisset, vel non paucæ guttæ in terram defluxissent ; quod sine grandi irreverentia non contigisset; quod periculum quantum præcavere Patres solliciti fuerint, patet ex homilia 13. Origenis *in Exodum*, sic aientis : « Nostis qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, et recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. » Quod et observat Augustinus, et ad mores pie reflectit libro *Quinquaginta homiliarum*, homil. 26 : « Quanta, inquit, sollicitudine observamus, quando nobis corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat : tanta sollicitudine observemus, ne verbum Dei quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus aut loquimur, de corde nostro pereat. » Tum quia idem apparet ex historia quam Sozomenus lib. 8. *Histor.* cap. 5, et Nicephorus lib. 13. cap. 7. referunt de muliere hæresis Macedonianæ veneno infecta, quæ suam cum vellet hæresim occultare, seque Catholicam simulare in gratiam mariti concionibus Chrysostomi ad fidem catholicam conversi, qui vitæ communionem uxori negare minatus fuerat, nisi sacrorum mysteriorum consors fieret, panem Eucharisticum a Chrysostomo sacra faciente tanquam paulo post manducatura accepit, quem tamen fidæ ancillæ clam dedit, ab eaque panem prophanum domo delatum Eucharistiæ loco propalam comedendum sumpsit, qui continuo in lapidem justi Judicis potentia conversus est. Quem lapidem suo tempore, id est circa annum 440. in thesauro Ecclesiæ Constantinopolitanæ asservatum haberi Sozomenus testatur. Ex quo facto liquet arbitrarium fuisse alterius speciei etiam in Ecclesia Christiana usum ; si enim indispensabiliter ad sumendum sacrum Sanguinem omnes adacti fuissent, non potuisset impia illa fœmina errorem tegere et dissimulare suum, nec vinum profanum loco sacri bibere et supponere potuisset, quia species vini non in manus alicujus sumenda porrigebatur, sed ab uno diacono distribuebatur, tempore præsertim Chrysostomi, qui diacono suo præceperat, ut vel ipsum Imperatorem coerceret, si indigne accedere præsumpsisset. Unde in modernos Græcos mos ille manavit ambas species commixtas populo, fraus ulla ut ne accidat, cochleari dispensandi. Idem etiam ex simulatione Manichæorum tempore S. Leonis magni postea referenda perspicuum est. Tum demum quia illa intinctio ad rem nostram nihil prorsus facit : ideo enim sectarii volunt utramque speciem necessariam esse, quia bibere sanguinem præcipimur : at panis in pyxide per annum retentus, et olim in deserto diutissime servatus omnino exsiccatur : unde qui illum edit, bibere nequaquam dici potest, cum nullum liquorem sorbeat.

Quinto sacra Eucharistia abstemiis olim sumenda porrigebatur; cujus moris meminit S. Hieronymus epist. 22. *ad Eustoch.*, ubi quarumdam Catholicarum virginum abstemiarum meminit, quæ Romæ in sacris mysteriis præ nativo vini horrore a specie vini abstinebant; ibidemque increpat et redarguit lascivas quasdam mulieres, quæ adversus usum illum obloquentes, sacras illas Virgines miseras et Manichæas dictitabant. Et certe abstemios non solum Catholica Ecclesia, sed nec vel ipsi etiam Lutherani et Calviniani ad usum calicis unquam astrinxerunt. Ergo utriusque speciei usus non est omnibus et singulis ad salutem necessarius.

Sexto solemnis erat per universas Galliæ Ecclesias decimo sæculo ritus, quo episco-

pus presbytero recens ordinato Eucharistiam in una specie panis per quadraginta dies in memoriam quadraginta dierum quibus Christus cum Apostolis conversatus est, sumendam porrigebat, quem refert Fulbertus Carnotensis epist. *ad Picardum*, ubi et asserit, suos « provinciales episcopos in hujusmodi ritum omnes consentire ; ut dum ordinati sacerdotes quotidie cœlestis panis alimonia reficiuntur, tempus illud in mentem habeant, quo per quadraginta dies Dominus discipulis apparens et convescens desiderata visionis societate refecit. » Ergo unius speciei usus nedum toleratus, sed commendatus etiam priscis temporibus fuit.

Denique idem convincitur ex ritu illo quo aliquando usus calicis ad internoscendos Manichæos, vinum absque sacrilegio bibi non posse effutientes præceptus est a S. Leone et Gelasio Pontificibus. Sic enim habet Magnus Leo sermone 4. *de Quadragesima :* « Cum » (Manichæi) « ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant : ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ omnino haurire declinant. Quod ideo vestram voluimus scire Sanctitatem, ut vobis ejusmodi homines et his manifestentur indiciis; et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati et proditi a Sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur. » Cum autem Manichæorum error tempore Gelasii nondum esset extinctus, præceptum Pontifex renovavit, cujus decreti verba referuntur canone *Comperimus*, de Consecrat. dist. 2 : « Comperimus quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione a calice sacrati cruoris abstineant, qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur astringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. » Ubi vides occasione superstitionis eorum, qui vinum tanquam fel principis tenebrarum repudiabant, utramque speciem percipi Gelasium imperasse, quam integrum Sacramentum appellat, non quod unaquæque species quoad rem contentam non sit integrum Sacramentum, sed quia tota sacramentalis significatio non nisi in utraque specie invenitur. Ex hoc autem ritu claret usum unius speciei fuisse olim licitum, et a Catholicis indifferenter frequentatum. Si enim Catholici utramque semper speciem usurpassent, latere tuto Manichæi sub una specie communicantes minime potuissent, sed insolito participandi sacris mysteriis ritu retecti cito deprehensique fuissent ; tantumque abest ut se Catholicos simulare potuissent, ut potius seipsos apertissime prodidissent.

Sicut ergo in Manichæorum impietatis execrationem unius speciei usu per se licito, et suo tempore frequentato fidelibus Magnus Leo prudenter interdixit, ambas species imperavit : ita posteriores Pontifices et sacra concilia extincta Manichæorum perfidia unius speciei liberum usum permiserunt, quin propter hæreticos realem corporis Christi præsentiam, et omnium quæ in Christo sunt concomitantiam in Eucharistia inficiantes, accedentibus etiam aliis rationum et utilitatum momentis longe gravissimis, utriusque speciei usum laicis prohibuerunt. Solet enim a Deo gubernata Ecclesia non solum hæreticorum errores, sed et quos sibi asciscunt mores proprios, tametsi in speciem innoxios aversari ; ne si vel ad latum unguem eis cesserit, amplius illi insolescant. Sic si referentibus nonnullis credimus, emergente de necessitate indispensabili panis azymi ad materiam Eucharistiæ usurpandi hæresi, abdicatis azymis fermentatum Latina Ecclesia adhibuit, azymum panem, deinde extincta hæresi, revocavit. Sic Beatus Gregorius trinam baptizatorum mersionem per se irreprehensibilem, ob hæreticos divisionem Divinitatis hac cæremonia significare volentes, Magnus Gregorius lib. 1. *Regist.* cap. 41. improbavit : « Reprehensibile, inquit, esse nullatenus potest, infantem in Baptismo vel ter, vel semel immergere, quando et in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest Divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc hucusque ab hæreticis infans in Baptismate tertio mergebatur, faciendum apud nos non censet, ne dum mersiones numerant, Divinitatem dividant ; dumque quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur. »

Alia pro una specie probatio ex Scripturis, accedente Patrum interpretamento, depromitur.

Eamdem de unica specie licite usurpanda Catholicam veritatem confirmare aggredimur, sin evidenter et invicte, certe probabi-

liter ex quibusdam Scripturæ testimoniis, quæ de sacra Eucharistia Patres intelligenda tradiderunt.

In primis Lucæ XXIV dicitur, quod postquam Dominus intravit cum discipulis in castellum quo ibant, eisdem panem Eucharisticum præbuit, in cujus fractione Salvatorem agnoverunt. Verba enim illa, *Cognoverunt eum in fractione panis*, de Eucharistia intellexerunt Hieronymus, auctor *Operis imperfecti*, *in Matth.* Venerabilis Beda, et Theophilactus in illum locum, atque etiam Augustinus lib. 3. *de Consensu Evangelist.* cap. 25. Atqui tunc Christus unicam speciem dispensavit; sacer namque textus ita benedictionem, et fractionem, et porrectionem cum Christi recessu conjungit, ut aliquam moram, in qua calicem illis dederit, minime intercessisse videatur : « Dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis : et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum : et ipse evanuit ex oculis eorum. » Qui locus magis urget nostrates Calvinianos qui Puritanos audire ab omnibus volunt, quia purum putum sacrarum Litterarum abdicata traditione textum recognoscunt. At enim quod Christus illis calicem præbuerit propinandum nunquam probabunt. Ergo sola fracti panis communio ab ipsis discipulis Christo ipsomet ministrante adhibita est. Nunquam enim ex Scripturis probabunt verba illa per synecdochen esse intelligenda, fracti panis appellatione utramque speciem comprehendi.

Nec dicant Calvinistæ, non constare fractionem illam panis fuisse Eucharisticam, cum de hoc quidam etiam magni nominis theologi dubitent. Non itaque id dicant, quia, etsi varia sit loci illius intelligentia, id tamen nobis sufficit, quamplures utriusque Ecclesiæ Patres fractionem illam panis de communione Eucharistica exposuisse, in qua tamen sola discipuli Dominum absque usu calicis cognoverunt. Ergo Patres illi unam duntaxat speciem tunc distributam esse, ac proinde distribui licite exemplo Christi posse crediderunt. Unde signanter in titulo monui Ecclesiæ Catholicæ ritus traditionem ex Scripturis, accedente Patrum expositione erui.

Nec dicant rursum sectarii, sequi unam duntaxat speciem fuisse a Christo Domino consecratam ; quem tamen usum nunquam ipsa Catholica sequitur Ecclesia. Frustra enim id dicent; quidquid enim tandem illud sit quod Christus tunc consecravit, de quo in superioribus egimus, id nobis constat tamen, Christum solum panem porrexisse, in soliusque fractione panis ipsum Apostolos cognovisse. Cur ergo in Ecclesia damnant, quod in Christo revereri tenentur.

Secundus locus habetur Actorum II, ubi de primis fidelibus legitur : *Erant autem perseverantes unanimiter in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* Quæ communicatio fractionis panis non solum a Patribus et sacris interpretibus, sed ab ipsis etiam sectariis de communione Eucharistica intelligitur, cum in commendationem pietatis et fervoris primorum Christianorum id S. Lucas referat. Quæ verba de unius speciei usu intelligenda esse colligitur : tum quia solius fractionis panis meminit sacer textus, qui quidquam de nostro etiam ex traditione depromptum addere, juxta Puritanorum principia, piaculum est. Tum quia fractionem panis a consecratione et dispensatione calicis accurate, ubi opus est, Scriptura distinguit, ut patet tum ex institutione a tribus Evangelistis, atque a Paulo memorata ; tum ex illo I. Cor. X : *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Ubi non sine causa doctus a Domino et Ecclesiam docens Doctor gentium in veritate benedictionem calicis a fractione panis distinguit, innuens calicem quidem in omni consecratione benedici, sed non omnibus semper distribui, quia omnes et singuli sicuti panem, non ita calicem participabant tamen : panis vero semper in omni sacrificio, pro illorum temporum fervore, astantibus frangebatur. Tum demum quia inter illos nascentis Ecclesiæ fideles in oratione et fractione panis perseverantes nonnulli erant Nazaræi ad fidem conversi, qui permittentibus Apostolis ad tempus legalia servabant. Nazaræi porro ex præscripto legis Mosaicæ a vino, ab eoque omni quod inebriare potest ita abstinebant, ut nec uvas etiam passas comedere sibi indulgerent. Ergo unius speciei usus tunc temporis, approbantibus ipsis Apostolis, fractio nimirum solius panis frequentabatur.

Neque dicas id per synecdochen a S. Luca utramque speciem sub unius nomine complectente scriptum esse. Cujus funda-

mentum esse potest, quia quemadmodum ibi dicitur fideles in fractionis panis communicatione perseverasse ; ita Act. xx. dicitur : *Una sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem.* Cum autem inter illas moras adolescens Eutychus cadens a tertio cœnaculo mortuus esset, et a Paulo resuscitatus, subdit sacer textus : *Ascendens autem* (Paulus) *frangensque panem et gustans*, etc. Quæ verba de Eucharistia sacri interpretes communiter exponunt post Augustinum epist. 86. Porro illa per synecdochen intelligi oportere, ut consecratio calicis subintelligatur, hinc colligitur, quia alioquin in unica specie Eucharistiam Apostoli consecrassent : quod et absurdum per se videtur, et ab ipso Catholicæ Ecclesiæ sensu alienum.

Non, inquam, id dicas. Priora enim verba optime exponi possunt ut sonant. *Cum convenissemus ad frangendum panem*, significat eo die fuisse communionem non domesticam et privatam his temporibus ob persecutiones frequentatam, sed generalem et Ecclesiasticam. Communio porro usitata appellatione et ad occultandum infidelibus tanti Sacramenti arcanum peridonea dicebatur fractio panis, quia solius species panis ordinarie sumebatur, juxta illud Actor. II : *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domum panem ;* nimirum Eucharisticum, quem et in itinere, et in solitudinem secessus, et in loca remotissima deferebant, ne a quotidiano cœlestis cibi usu abstinerent qui vitam cœlestem ducebant. Ingentem autem vini copiam tunc, et deinde quandiu quotidianæ, vel saltem creberrimæ communionis usu viguit consecratam fuisse, ut posset absentibus omnibus provideri et tanto fervori satisfieri, incredibile est : ægre enim sacri liquoris abundantiam ad sacerdotes consecrandam detulissent, ægrius diu eam asservassent, ægerrime in dissitas regiones asportassent. Quare ordinarie sola sacrati panis species usurpabatur ; unde communio Eucharistica usuali nomenclatura fractio panis appellabatur. Quæ tamen fractio panis peractum sub utraque specie sacrificium supponebat : multæ enim in uno sacrificio particulæ, ut etiam apud Catholicos moris est, dispensandæ consecrabantur.

Patet ergo, ex priori testimonio non sequi Apostolos unam duntaxat speciem consecrasse ; non enim eo loci dicitur quid Apostoli facerent, sed quid plebs Christiana facere in illa tanta concordia et morum castimonia soleret. Nihil inibi de consecratione, sed de uno duntaxat Eucharistiæ usu sermo instituitur. Unde ex illa S. Lucæ historia non quid necessario consecrandum sit, sed quid a fidelibus usurpandum confirmamus.

Majorem præ se fert difficultatem alter ex Act. xx. depromptus locus. Ea enim die quæ Dominica erat, celebrata fuisse tremenda incruenti sacrificii mysteria innuit Augustinus epistola citata. « Una etiam sabbati, » inquit, « tunc apellabatur dies qui nunc Dominicus appellatur, quod in Evangeliis apertius invenitur. Nam dies Resurrectionis Domini prima sabbati a Matthæo, a cæteris autem tribus una sabbati dicitur : quem constat eum esse qui Dominicus postea appellatus est.... Et ita eadem nocte fracturus panem, sicut frangitur in Sacramento corporis Christi, produxit sermonem usque ad medium noctis, ut post Sacramenta celebrata, rursus usque ad diluculum alloqueretur congregatos, quoniam multum festinabat, ut lucescente proficisceretur Dominico die. » Ex quibus obiter advertes, quam antiqua et ab Apostolis derivata sit Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, qua fideles ad augusta mysteria singulis diebus Dominicis accedant, quo et diem illum religiosius sanctificent, et in illud religionis centrum coeuntes magis magisque mutua caritate colligentur. Advertes etiam in illo Christianorum sacro conventu Ecclesiasticas cæremonias sectariis nostratibus tantopere exosas non defuisse. Nam, sicut etiamnum cereis et lampadibus inter celebranda mysteria altaria nostra collucent : ita etiam tunc, ut versu 8. narratur : *Erant lampades copiosæ in cœnaculo ubi eramus congregrati ;* non solum ad pellendas tenebras, ad quod copiosis lampadibus opus non erat, sed ad celebratæ Eucharistiæ mysteria decoranda.

Atque hinc difficultas instauratur : Paulus enim consecrans Eucharistiam utramque speciem adhibuit : et tamen fregisse panem, eumque gustasse tantummodo dicitur. Ergo in fractione panis accipitur pars pro toto, et sub illo nomine utraque species comprehenditur. Attamen nunquam mihi persuaserim Lucam tribus aut quatuor locis usum Eucharistiæ commemorantem semper improprie, semper metaphorice et synec-

dochice fuisse in re tanti momenti locutum. Certe, si conjecturis indulgere liceat, et sub fracto pane semper vinum intelligere oporteat, eadem facilitate dicemus Christum in deserto, ubi panem fregit, cados etiam vini multiplicasse.

Litteræ ergo quidam theologi, quos sequitur Becamus libro *de Communione* sub utraque specie, cap. 4. insistentes censent Apostolum sub una tantum specie consecrasse, exemplum Christi in castello Emaüs secuti : unde inferunt utriusque speciei consecrationem non jure divino, sed Ecclesiastico duntaxat imperari ; quod et quibusdam factis confirmare nituntur. Sed quidquid ea supponat, responsio, cum supra a nobis confutatum est, aliter argumento faciendum est satis.

Verisimilior ergo responsio apparet, si dicamus ea quidem die sacrificium fuisse celebratum, at non a Paulo tamen. Cum enim Paulus in prædicandum totus incumberet, sermonemque in mediam noctem protraxisset, quem usque in lucem erat protracturus, ut patet ex versu 11. non poterat ille ingenti multitudini Eucharistiam dispensare. Alius ergo sacerdos Paulo jugiter prædicante Eucharistiam dispensabat, et ille solus consecraverat, atque utramque speciem acceperat : alii vero astantes, quin et ipse Paulus sola panis fractione pasti sunt. Quare ne a littera recedamus, dicendum Paulum prædicationem non interrupisse nisi ad excitandum mortuum e tertio cœnaculo lapsum, et ad frangendum panem, id est, ad sacram Eucharistiam ab alio consecratam percipiendam. Nec est inconveniens Paulum cito discessurum toto tempore distributæ populo Eucharistiæ prædicasse ; sicut enim sermone Christi corda fidelium in castellum Emaus proficiscentium caritate, quæ optima et una est ad cibum cœlestem sumendum et concoquendum dispositio, inflammabantur ; ita ignitis Pauli eloquiis fideles ad frangendum digne panem Eucharisticum accendebantur. Unde, ut ait Chrysostomus, mira erat astantium devotio, qui convenerant, « ut audirent tubam illam, et amabilem vultum intuerentur. »

Ratione theologica idem Ecclesiæ Catholicæ usus confirmatur.

Ille usus legitimus est atque probandus, quo et Sacramenti salvatur integritas, nec fideles fructu Eucharistiæ fraudantur, et ad quem inducendum gravissimis et in reverentiam tanti Sacramenti credentibus rationibus Ecclesia Catholica permota est. Atqui hæc omnia in ritu Communionis sub una specie a fidelibus populis, et a Sacerdotibus non celebrantibus frequentatæ inveniuntur et concurrunt : ergo ritus unius speciei licitus, honestus, et probandus est. Major propositio est manifesta ; supposito enim quod Deus ritum illum non prohibuerit, ut a principio hujus speculationis ostendimus, nihil aliud ad ejus securitatem et honestatem desiderari potest, ut consideranti patebit. Minoris ergo singulæ partes ordine suadendæ sunt.

In primis in unicæ speciei usu salvari substantiam integram Sacramenti ostendo ; quia in una specie totum Sacramentum, et quantum ad necessariam rationem signi, et quantum ad totum sub eo signo contentum reperitur. Etenim unica species significat Christum præsentem : significat etiam passionem et mortem Christi, cum repræsentet carnem veluti separatam a sanguine : significat etiam refectionem spiritalem animarum sanctarum, quæ per cibum peræque atque per potum repræsentatur : nam Ecclesiastici XV. sapientia modo pani, modo aquæ comparatur. Et Matth. v. justitia dicitur a Christo cibus et potus : *Beati*, inquit, *qui esuriunt et sitiunt justitiam*. Et Joan. VI : *Qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me non sitiet unquam*. Apostolus etiam suam prædicationem nunc cibum, nunc potum appellat. Unde, quia in refectione spirituali non differunt cibus et potus, per alterutrum illa sufficienter significatur. Denique unica species spiritalem fidelium unionem significat : nam per panem ex multis granis confectum unitatem fidelium intelligi Patres docuerunt, et significat Apostolus dum ait : *Unus panis, unum corpus multi sumus*. Nihil aliud autem assignari potest quod sacramentum Eucharistiæ significet. Ergo in unica specie tota sacramenti significatio subsistit. Quamvis enim per duplicem hæc expressius et diffusius significentur, satis expresse tamen per unam : sicut per totius corporis immersionem expressius et plenius animæ ablutio designatur ; sufficienter tamen per aspersionem, qua pars corporis intingitur, repræsentatur.

Rem etiam sub Sacramento contentam totam sub utraque specie contineri clarissi-

mum est. Cum enim res illa contenta sit Christus Dominus, perfectus Deus, perfectus homo, qui integer sub utraque specie sin formaliter et vi verborum, certe concomitanter invenitur, ut ex dictis supra perspicuum est. Ergo in unica specie totum sub sacramento contentum reperitur, ac proinde integra sacramenti substantia in illa salvatur.

Per usum etiam unius speciei non fraudari fideles fructu Eucharistiæ, quæ est secunda minoris principalis pars, sic monstratur. Fructus specialis Eucharistiæ est augmentum et conservatio vitæ spiritalis; ad hoc enim carne Christi vescimur, ut spiritus de Deo saginetur. Atqui fructum illum æque nobis parit una atque gemina species, quia fructum illum edit Eucharistia quatenus Christum continet, qui æque integre sub unaquaque habetur. Unde ipse Salvator unius speciei mentionem faciens, ait: *Qui manducat hunc panem, et qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quare, licet expressior et explicatior sit utriusque speciei significatio, majorem tamen gratiam non significat, nec eam proinde ex opere operante producit: sicut, licet expressius animæ ablutionem immersio totius corporis quam unius partis aspersio repræsentet, et, licet Christi cum Ecclesia unionem explicatius significent nubentium verba quam nutus; majorem tamen et copiosiorem gratiam non significant. Ergo laici unica specie refecti nullo Sacramenti fructu fraudantur, nulla illis proinde injuria irrogatur. Sane cum species vini gratiam ratione sanguinis Christi, quem continet, producat; non carebit illa gratia qui sanguine Christi reficietur. At laicus unica panis specie refectus ipsum etiam Christi sanguinem sumit, qui sanguis sive vi verborum, sive per concomitantiam in sacramento acceptus, ejusdem virtutis et efficacitatis est, cum totam quantam habet, a divinitate hypostatice sibi unita derivet. Ergo « fatendum est, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt, » inquit Tridentinum sess. 21. cap. 3.

Denique justissimæ, gravissimæ et juxta piissimæ rationes sunt, quibus permota sancta Mater Ecclesia utens potestate sibi a Christo tradita Sacramentorum salva eorum substantia dispensandorum, ad majorem tanto Sacramento venerationem conciliandam, Fideliumque pietati consulendum, laicis atque ipsis sacerdotibus non celebrantibus usu Calicis interdixit. Quæ multæ cum proferri in medium possint, selectiores producemus.

Primum enim postulat tam augusti mysterii reverentia, ut caveamus, ne sanguis Domini in terram fundatur: quamvis enim periculum effusionis floccifaciant Calviniani, qui nihil in Calice præter vinum recognoscunt, illud tamen non formidare non possunt catholicæ sanguinis Christi præsentiæ adoratores, perpetuæque illius fidei professores: unde tot et tantæ in casu effusionis sanguinis Christi sacerdotibus etiam citra malitiam contingentis pœnæ a sacris Canonibus leguntur impositæ. Atqui illa effusio difficillime vitari posse videtur, si sacrum calicem ingenti populi multitudini ministrare, et senibus tremulis, juvenibus inconsideratis et indiscretis porrigere, et ad infirmos omnes deferre oporteret. Ergo ingenitæ Catholicis erga Eucharistiam religionis observantia usum illum laicis prohiberi postulat.

Secundo eadem Eucharistiæ reverentia exigit, ut quoad fieri potest in hujus venerabilis Sacramenti usu quidpiam non incidat, quod munditiei et decori adversetur: patet autem, quod cum Eucharistia ægrotis præstuo esse debeat, manifestum periculum est, ne species diu asservatæ coacescant, quod indecorum esset; neve hyeme in regionibus præsertim frigidis congelentur, quod valde incommodum foret.

Tertio uniformitas in Sacramento unitatis maxime observanda videtur, ut idipsum omnes non solum dicant, sed et faciant, qui unum corpus multi sunt omnes de uno pane participantes. At enim magna esset varietas, si usus Calicis laicis permitteretur tum propter abstemios qui vini saporem ac ne odotem quidem perferre ullo modo possunt; tum propter infirmos quosdam, quibus vini usus et horrendus et noxius est: quamvis enim modica vini quantitas nocere per se non possit, imaginatio tamen infirmi vini horrore occupata non parvum detrimentum parere nata est: judicavit vero prudens Mater Ecclesia, sumendam ab omnibus non esse illam speciem, quæ corporis valetudini nocumentum esset aliquod allatura. Tum denique propter vini penuriam, qua in pluribus provinciis laboratur; in quas etiam

aliunde non nisi maximis impensis, difficillimisque itinerum longissimorum tractibus convehi potest. Ergo et uniformitatis Ecclesiasticæ decor, et fidelium utilitas unius speciei usum justissime postularunt.

Quarto in hoc Sacramento pietatis et devotionis centro devotioni fidelium ac frequenti eorum communione consulendum fuit. At si ab omnibus et singulis sumendus esset calix, multi a Communionis frequentia, a qua non mediocres fructus capiunt, retardarentur; tum aliquando ob vini in quibusdam locis penuriam et caritatem; tum propter vini conservandi difficultatem, hyeme ne gelu rigeret, æstate ne acesceret; tum etiam propter vini horrorem; tum propter pateræ communionem, de qua cum sordibus, graveolentibus, et nauseabundis bibere oporteret. Ergo tantum abest ut fructu aliquo fideles populi in unius speciei usu fraudentur, quemadmodum hæretici garriunt, ut potius eorum eo ritu majoribus utilitatibus provideatur.

Quinto expedit ut in Sacramento, quod fidelibus familiare et quotidianum esse oportet, nullus error incidat, sed veritas Catholica patescat, et ante omnium oculos ponatur necessum est: proclive autem est rudem populum credere solum sine sanguine corpus sub specie panis existere, si utriusque sibi speciei usus esset necessario adhibendus; præsertim cum quidam hæretici totum Christum sub utraque specie esse inficientur, corpus exsangue sub specie panis, sanguinem purum et separatum sub specie vini comminiscentes. Ergo tum ad convellendas hæreses, tum ad populorum præcavendos errores unius speciei usus salubri consilio institutus est.

Sexto hoc Ecclesiæ præcepto, et hæreticorum temeritati, et Catholicorum scrupulis provisum est. Cum enim ex una parte hæretici utriusque speciei usum indispensabiliter necessarium esse contendant, nullamque indifferentiam in specierum delectu contra totius Ecclesiæ sensum et praxim ab initio frequentatam agnoscere velint, non solum verbis. sed etiam factis eorum hæresi resistendum fuit. Ex alia vero parte, cum ex varia Ecclesiæ pro temporum circumstantiis servata consuetudine dubitare possent Catholici, quisnam esset ad salutem ritus præferendus, æquum fuit consuetudinem sub unica specie communicandi dudum invectam stabili lege firmari, ut ne essemus sicut parvuli fluctuantes, omni doctrinæ vento agitati, omnisque schismatis et falsæ æmulationis occasio præcluderetur.

Solutis sectariorum objectis, quid sit Communio laica explicatur.

Quæ ab Scripturis argumenta desumunt Novatores, supra positive confutavimus: ut iis quæ aliunde urgent occuramus, quædam scitu digna præmonenda sunt.

Sciendum ergo et fatendum est, Christum sub utraque panis et vini specie sacrosanctam Eucharistiam instituisse: sed illud præ oculis habendum est, Christum nedum Sacramentum, sed etiam sacrificium instituisse; ad cujus integritatem ita utramque speciem consecrari et consumi censet Ecclesia, ut nullum sacerdotem conficientem a sumptione calicis dispensare posse se credat, præcipiatque in casu repentinæ ante consumptum sacrificium mortis alteram speciem ab alio sacerdote, imo et a laico accipi, si nullus adsit, vel expectari ob imminens corruptionis periculum possit, qui consumere queat sacerdos.

Sciendum rursus utriusque speciei usum fuisse per plura sæcula indifferentem, ut ex variis Ecclesiæ receptissimis ritibus probavimus: imo, ut vidimus, aliquando ecclesiastico Magni Leonis et Gelasii Pontificum præcepto uterque fuit usus imperatus, occasione nimirum Manichæorum, qui cum magno errore sentirent, non posse absque sacrilegio vinum gustari, communionem sub specie vini tanquam nefariam execrabantur.

Sciendum tertio Ecclesiam Catholicam posterioribus sæculis supra recensitis rationum momentis aliisque experimentis permotam usu Calicis tum laicis, tum Sacerdotibus non consecrantibus interdixisse, ut ex conciliis Constantiensi, Basileensi et Tridentino notissimum est. Verumtamen statim atque legem illam tulit Ecclesia, nonnullis permisit aut permitti posse pronuntiavit, quod tunc justis de causis prohibebat. Fertur enim Martinum V. e concilio Constantiensi Romam ingressum laicis sub utraque specie Communionem dedisse. Ubi obiter notare te velim, Catholice lector, quam injusta, quam a ratione aliena sit Lutheranorum et Calvinianorum adversus Romanos Pontifices, in quorum odio suum ultimum finem posuisse videntur, maledicentia; qua

illos tyrannidis et violentiæ insimulant, quod laicos Calicis usu privarint : hinc ad concilia appellandum esse protestantur. At enim si evacuare sua præjudicia, et capitale in Romanum Antistitem odium tantisper seponere passionis æstus siverit, cito advertent non a Romanis primum Pontificibus, sed a concilio Constantiensi usum Calicis fuisse laicis vetitum. Nec causari possunt ibi auctoritatem Pontificiam fuisse dominatam, et Patres concilii ad hoc decretum adegisse : nemo enim nescit concilium illud tempore et occasione funesti schismatis tres summos Pontifices invehentis fuisse coactum, qui omnes eo in concilio exauctorati sunt et ineligibiles declarati sess. 12. et Cardinalem Odonem de Columna die 11. novembris fuisse in Romanum Pontificem electum, qui Martinus V. appellari voluit ; quæ electio sessione 41. contigit. Manifestum est autem præceptum unius speciei a laicis usurpandæ fuisse sessione 13. editum, in qua nullus Pontifex, nullus summi Pontificis Legatus aderat, sed plena et sola erat Patrum Concilii libertas et potestas : ergo mendacissime Romanis Pontificibus, ut illis populorum invidiam et odium accersant, prohibiti Calicis legem asserunt, cum tamen ante concilium Constantiense Romani Antistites et usum Calicis Ecclesiarum optioni semper permiserint, et aliquando præceperint, et ipse Martinus V. etiam post concilium Constantiense, ut quorumdam postulationi satisfaceret (quæ summa et innata est sanctæ et primæ Sedis clementia tota ad humanitatem et indulgentiam comparata) laicis utramque speciem dispensaverit. Justis quidem de causis decretum illud Constantiense Concilium edidit, quod et Romana, et aliæ Catholicæ Ecclesiæ receperunt : sed ad id notandum et scribendum animum meum impulit modernorum iniquitas hæreticorum, qui quiescere, et a maledicendo Romano Pontifice desinere non possunt. Illis in præsentia respondere volui ; lacessere non studui. At, quomodo possem de illis finem facere dicendi mihi, peccandi adversus Ecclesiam Romanam cum ipsi finem non faciant, et rapere in pejorem partem quidquid sacræ Ecclesiæ hierarchæ agunt affectent ? Enitendum ergo nobis est, ne plus iniquorum malevolentia possit, quam æquorum hominum sincera existimatio. In animo nunquam fuit nostrates hæreticos inclementius lædere, quibus salva veritate placere peroptarem. Illos caritate complector, a quibus communione sejungor ; et eosdem, ut recte alicubi Salvianus, quos amor facit amare, amor interdum cogit offendere : hoc interdum ejusdem est animi ejusdemque pietatis ; et cum specie dissentiat, ratione concordat : utrumque unum est, cum tamen aliud amoris habeat gratiam, aliud odii patiatur offensam. Nunquam laboribus et studiis meis pretium statui alios contemnere, sed hunc esse quæstum in animum induxi maximum, quam maxime servire commodis veritatis. Denique, ut cum Terentio loquar, « sic existiment adversarii : sciant responsum, non dictum esse, quia ipsi læserunt prius. » Sed enim eo unde digressa est revertatur oratio.

Sciendum 4° ipsum concilium Basileense post interdictam laicis Calicis sumptionem, attamen sess. 30. pro bono pacis et unitatis concessisse Bohemis et Moravis sub utraque specie Eucharistiam usurpare : Concilium etiam Florentinum morem Græcorum sub utraque specie communicantium minime improbasse. Denique concilium Tridentinum sess. 22. in fine decretum super concessione calicis ita expressit : « Insuper cum eadem sacrosancta Synodus superiori sessione » (immediate post canonem quartum) « duos articulos alias propositos » (scilicet sess. 13. in decreto prorogationis) « et tum nondum discussos, videlicet : An rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione Calicis usus cuiquam sit permittendus, et : An si honestis et Christianæ caritatis consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quænam illæ sint, in aliud tempus oblata sibi occasione, examinandos atque definiendos reservaverit : nunc eorum pro quibus petitur saluti optime consultum volens, decrevit integrum negotium ad sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, prout præsenti decreto refert ; qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Christianæ, et salutare petentibus usum Calicis fore judicaverit. »

Ex quibus apparet Ecclesiam Catholicam in administratione et usu Eucharistiæ Christianorum paci et utilitati consulere studuisse, nec illam a permittenda sumptione

Calicis ita esse alienam, ut de illo præcepto aliquid in gratiam et consolationem nationum et regnorum remittere parata non sit, si quoad dogmata veram fidem et sinceram obedientiam in petentibus inveniret. Sed cum videat Lutheranos et Calvinistas esse pertinaces, nec tam velle utriusque speciei usum ad consolationem spiritalem et majorem devotionem frequentare, quam Ecclesiam Catholicam, quod omnes ad utramque speciem non adigat infamare, et altare contra altare erigere, nullum de permittenda quibusdam nationibus utraque specie consilium Christi Vicarii susceperunt, nullam in illis postulantibus humilitatem, nullam hæreseon suarum abjurationem advertentes. Pro sua illa singulari prudentia a concilio Tridentino laudata cernunt non futuros Bohemis Lutheranos, Calvinianosque in promissis implendis fideliores, quibus cum Ecclesia unitatis amans et cogitans cogitationes pacis usum Calicis ea spe ut ad Matrem suam redirent concessisset, eventus docuit remedium illud minime profuisse, sed in errore de indispensabili utriusque speciei necessitate pertinacius remansisse.

Ut autem magis clareat, quantum Romanum Pontificem pulset et urgeat hæreticorum reducendorum zelus et amor paternus, pauca hic referre visum est huic materiei opportuna, et lectori, nisi me mea fallat sententia, non injucunda. Postquam in colloquio Pisciaco rogatus esset rex christianissimus Carolus IX. ut a summo Pontifice postularet fieri Prælatis Galliæ facultatem super usum Calicis pro re præsenti, seu, ut loquuntur, provisionaliter dispensandi; expectata interim super hoc concilii Tridentini determinatione; ad Oratorem suum dominum de Lisse Carolus scripsit, eamque ei provinciam demandavit anno 1561. Negotium summo Pontifici Orator proposuit : Pontifex porro (ut in litteris ad Regem ab eodem scriptis præfatus dominus de Lisse testatur) exorari se sinebat, et ab ea facultate concedenda, reclamantibus licet quibusdam Prælatis, aversum animum non habebat, qui ut omnibus omnia fieret, rem totam ad concilium generale Tridentinum remisit.

Ex quibus patet, eum esse Sedis Apostolicæ characterem eximium, calamitosis præsertim temporibus, unitatis et pacis amore ad multa connivere, nonnulla dissimulare, et quædam de summo jure ita remittere, ut modo juris divini integritas, Ecclesiæ Catholicæ unitas, et Sedis Apostolicæ dignitas et auctoritas salva consistat, nonnihil tamen hominum infirmitati et imbecillitati condonet. Quare, si ea concessione abalienatas hæreticorum voluntates conciliare, excitatos de religione tumultus pacare, nostros ne laberentur retinere, exteros qui a nobis desciverant revocare verisimiliter credidisset certissime tenendum est Apostolicam Sedem facultatem illam dudum impertivisse.

Sed cum recentes hæretici cum duplici specie cæteros errores suos retinere obfirmate velint, nolintque tres conditiones a Paulo III. in Bulla facultatum trium Legatorum, quos in Germaniam ad Carolum V. miserat, subire; videlicet iis posse usum Calicis concedi, qui sincere profiterentur tantum sub una quantum sub utraque specie contineri; non minus recipere una specie pastum quam duabus, et in cæteris omnibus Ecclesiæ Catholicæ unitatem se retinere, et Sedi Apostolicæ filiale obsequium præstare velle : cum, inquam, hæc ita sint, et unius vel duplicis speciei usus sit tantum schismatis prætextus ab hæreticis conquisitus; manifestum est concessionem utriusque speciei inutile esse ad revocandos nostros hæreticos remedium; manifestum est sedere eos in cathedra pestilentiæ, ut sub specie fidei, fidei scindant, rumpant, distrahant unitatem : manifestum est eloquia eos divina contra Ecclesiæ sensum orthodoxum humana interpretatione corrumpere; et inde concipere suorum suffragia criminum, unde assumere debuerant documenta virtutum; manifestum est utriusque speciei postulationem non ab humilitate profectam, quæ quidquid facit, totum Deo assignat auctori; totum Ecclesiæ supponit arbitrio; sed ab inflato hypocrisis et superbiæ fermento prodire, in quo non est moles magnitudinis, sed tumoris, et conspersio tali specie inflata est, non ditata. Denique manifestum est, hanc Novatorum petitionem fuisse speciosum prætextum, subtilem speciem, subtilitatem arte compositam aliud re agentem, aliud promentem in vultu; quin etiam secretum virus venenum latens, virtutis fucum, tineam reformationis Novatores occultare voluisse : a fructibus enim eorum cognoscimus eos, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Induant, quæso, tandem filialem animum Lutherani et Calviniani; errores exuant inveteratos, et a Patre Patrum Romano Anti-

stite non solam vini speciem, sed quod caput est, ipsius Christi sanguinis obtinebunt veritatem. Perdiderunt illi quod est filii, ille quod Patris est non amisit. Credite mihi ; et si non creditis, probate, tentate, experimini, periculum facite : plus vos ille diligit, o adversarii, quam vos illum odio prosequamini. Pro vobis etiam maledicentibus Deum supplicat, sicut Christus cujus vices gerit pro crucifigentibus orabat. In vobis etiam, quia Christiani estis, ipse qui Pater est Christianorum, præ caritate patitur : nam, sicut honor capitis ad membra protendit ; ita, membrorum, vel quæ membra esse debent, pœna ad dolorem capitis, ad capitis redundat injuriam. Si auditis Christum, audite Ecclesiam, ne sitis nobis sicut Ethnici et Publicani. Si amatis Christum, amatote pacem, quia pax nomen Christi ; ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum. Perditis gratiæ largitatem, caritatis fraudamini bonis, unitatis vos benedictio non manebit, si præter Ecclesiam vitam quæritis, quam in ipsa tantum esse Propheta testatur : *Quoniam illic*, inquit, *mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in sæculum.* Si Christus non uni, sed omnibus legem suam dedit ; si non pro uno, nec ad unum, sed pro omnibus et ad omnes venit, ut redintegraret omnes in unum ; profecto male corpus Christi dissipatis, male membra disperditis, male ad decorem unitatis suæ non patimini formam dominici habitus pervenire. Nunquam pervenietis ad vocabulum filii Dei, nisi per nomen Pacifici : *Beati* enim *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Vere filii Dei sunt homines pacifici, utpote Deo pacis similes : nam « plantare pacem radicitus est Dei », inquit Chrysologus serm. 53, « evellere penitus inimici, » id est diaboli.

Ex his sectariorum querimoniis et objectionibus fere infinitis satisfactum manet. Nostram enim assertionem non solum consuetudine Ecclesiæ per orbem frequentata, contra quam disputare « insolentissimæ insaniæ esse » docet Augustinus epist. 118, sed et iis eam rationum momentis munivimus, quibus nihil Ecclesiam contra Christi mandata agere, nihil primitivæ praxi adversari, nihil illam injuriæ vel incommodi fidelibus inferre, sed potius speciei unius subtractionem quamplurimis emolumentorum compendiis compensare demonstravimus. Nec nobis adversantur aliqui Patres, qui usus utriusque speciei laicis porrectæ interdum meminerunt ; tum quia usum suo tempore familiarem, etsi non indispensabilem referunt, quem per se licitum esse non semel confessi sumus. Tum quia Patres illi de sumptione pretiosi sanguinis Christi loquuntur, quem sub specie etiam panis nos sumere certissime credimus ; de modo autem sumptionis nunquam illi fuere solliciti, sed salva Sacramenti substantia sumendæ Eucharistiæ ritum et disciplinam Ecclesiæ judicio reliquerunt, atque etiam pro diversis enatis occasionibus et periculis varia ipsi circa hoc scripserunt, ut ex ritibus supra memoratis liquidum est.

Sed dices : Licet Christum calicis usum omnibus non præcepisse concedatur, eo tamen ipso quod illum instituit, jus fidelibus petendi illius dedit : ergo Ecclesia jure illo privare fideles nequaquam potest. Sicut, licet Confirmationis sacramentum non sit absolute tanquam medium indispensabiliter necessarium a Christo Domino imperatum, et multo minus sacramentum Matrimonii ; neutro tamen fidelibus interdicere Ecclesia potest, sed modo nullum intercedat canonicum impedimentum, utrumque adire fideles possunt, hoc ipso quod pro ipsis institutum est.

Respondeo ex institutione sacramenti Eucharistiæ sequi duntaxat Fideles omnes alioquin debita animi compositione instructos obtinere jus percipiendæ Eucharistiæ, et cœlesti cibo vescendi, quo eos spoliare jure Ecclesia nec potest, nec voluit unquam, quæ ad Communionem nedum hortatur, sed ad illam etiam variis pœnis, gravibusque censuris obligat. Utramque quoque speciem, quia ad sacrificium integrum necessarium esse voluit, Sacerdos Ecclesia nedum monet, sed serio astringit, ut ipsi inter celebrandum et consecrent et consumant. At vero utriusque speciei usum non ita pro populo fideli Christus instituit, ut petendi illius jus habeat, sed arbitrio et prudentiæ Ecclesiæ a se continenter gubernatæ permisit, ut ea statueret vel mutaret quæ suscipientium utilitati, atque ipsius tremendi Sacramenti venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate magis in Domino expedire judicaret. Quod Apostolus, inquit Tridentinum sess. 21. cap. 1. non obscure visus est innuisse, cum ait : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Atque ipsum quidem Apostolum hac potestate usum esse satis constat, cum in multis aliis,

tum in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa usum hujus Sacramenti : *cætera*, inquit I. Cor. XI, *cum venero disponam.*

Nec est simile, sed toto cœlo discrepat, quod de Confirmatione et Matrimonio dicitur : quia si Fidelibus institutæ Confirmationis, institutique Matrimonii usu Ecclesia interdiceret, orbarentur illi fructu et gratia Sacramenti, cujus non est duplex partialis materia, in cujus unius susceptione gratia sacramentali fruerentur. At vero dum fidelibus alterius speciei usus gravissimis de causis interdicitur, nec sacramento Eucharistiæ, nec gratia Sacramenti fideles defraudantur, uti superius multis demonstratum est.

Instabis : Atqui non possunt usu Calicis privari Fideles sine sacramenti et gratiæ sacramentalis jactura. Ergo responsio nulla. Probatur subsumptum. Species vini est speciale sacramentum ab specie panis independens, constansque speciali materia et forma, significans, subindeque producens specialem gratiam. Unde Clemens VI. dicitur regi Angliæ concessisse, ut « ad gratia augmentum » quoties vellet, sub utraque specie communicaret. Et certe, cum species vini non sit superflua, aliquam specialem gratiam significare, subindeque efficere censenda est. Ergo non potest populus usu Calicis privari, quin sacramento et speciali gratia orbetur. Maxime quia Tridentinum ses. 21. cap. 3. pronuntiando communicantem sub altera tantum specie nulla gratia ad salutem necessaria fraudari, satis significat aliis gratiarum additamentis privari.

Respondeo in una specie totum, etsi non omni modo, Eucharistiæ Sacramentum contineri, totam etiam Eucharistiæ sacramenti gratiam, quæ animarum refectio est, percipi ; cum in illa totus Christus omnis gratiæ origo integer contineatur, ut supra satis superque expendimus. Itaque cum utraque species ad unam animæ refectionem referatur, eamque ratione Christi, qui est præcipua res significata, efficiat, sub distinctis illis materiebus et formis unum est sacramentum. Unde nec sacramentum, nec gratia sacramenti populos frustratur Ecclesia, nec jure illos ullo vel beneficio depellit.

Scio Vasquem aliosque magni nominis theologos contendere speciei vini specialem respondere gratiam, nec propterea populis Ecclesiam esse injuriam ; tum quia nulla eos necessaria ad salutem gratia privat, sed solum additamento et auctario non necessario ; tum quia subductionem illam facilitate frequentandi Eucharistiam sub una specie commodiorem compensat ; tum quia bonum commune et veneratio Sacramenti populorum utilitatibus minime necessariis præponderat : unde parvulis nulla creatur injuria, dum propter easdem rationes a bono communi, quod divinius est, et a veneratione Sacramenti petitas ; eis ante discretionis annos Eucharistiam non dispensat Ecclesia, nec adultis bis aut pluries in die Eucharistiam distribuit, ampliorem utique gratiam geminatis usibus parituram. Sed decor disciplinæ communis, et veneratio Sacramenti, quod forte iteratis sumptionibus vilesceret, his emolumentis anteponenda. Sed oppositum nobis et aliis probabilius videtur, quia utraque species, ut sæpe dictum est, et eumdem gratiæ fontem Christum integre continet, et ad eamdem animi refectionem spiritusque pinguedinem refertur. Bis quidem Christum sumit qui utramque speciem usurpat, sed in ordine ad eamdem cordis refectionem sumit : sicut qui unam post aliam panis particulam ederet, vel calicem discretis haustibus biberet, eamdem operis operati gratiam participaret. Dico « operis operati, » quia, si majus opus operantis, id est ferventior dispositio accedat, tunc major gratia conferetur : sed illam majorem dispositionem habere etiam potest qui unica specie reficitur, vel qui duas panis particulas successive glutit.

Nec obest Clementis VI. indultum, indultique illius ratio. Tum quia valde dubia videtur hujusmodi Bulla, quæ ut Sylvius refert, data dicitur anno 1341, et tamen anno duntaxat sequenti ad summum Pontificatum Clemens evectus est. Tum quia multi, quos Sylvius, aliique sequuntur, contendunt Bullam illam in favorem regis Galliæ fuisse concessam : quod tamen incertum est. Constat autem ex historia concilii Tridentini, post lectos quatuor canones sessionis 21. de Communione sub utraque specie, anno 1552. mense Julio, probatis per omnia canonibus, Legatos regis Christianissimi in hunc modum perorasse : Si in illis nonnulla mutentur, quemadmodum nonnullis visum est, postulamus id fieri absque eo quod præjudicium ullum fiat auctoritati et prærogativæ regis Christianissimi. Retinuerunt enim Galliæ reges, et post mille et amplius annos quasi per manus acceperunt, ut quo die re-

gis insignibus ornantur et consecrantur, sanctissimi Eucharistiæ sacramenti communionem sub utraque specie accipiant. Ubi et usum utriusque speciei non quoties voluerit, sed in die coronationis regi Christianissimo vindicant; et usum illum Clemente VI. longe antiquiorem esse testantur; et concessionem illam Clementis, utique non prætermittendam si vera foret, missam faciunt.

Sed utut sit, dicendum usum illum Clementem ad majoris gratiæ ex opere operantis obtinendæ augmentum concessisse; in usu enim calicis passionem Christi expressius significantis si accenditur caritatis affectus, augescit et gratia. Sapienter autem Pontifex ille præsumebat opus illud operantis regem habiturum, qui ex singulari devotionis sensu gratiam illam postularet. Denique cum Clemens nihil ibi definiat, nec quid credendum sit determinet, nec totam Ecclesiam doceat, privatam ad summum sententiam producit Pontifex, quem cæteroquin eruditissimum fuisse narrant.

Nec propterea inutilis vel supervacanea est vini species, si nihil novi per se producat. Tum quia utilissima est hæc expressior significatio, sicut trina Baptismatis mersio frustra olim non usurpabatur, etsi deinde arbitraria fuerit; quia per eam effectus Baptismi significantius exprimebatur. Tum quia vini species est ad integrum sacrificium necessaria. Tum quia utraque species pro temporum circumstantiis utilis fuit, jam commodis populorum opportuna est species panis, olim dum pueri Eucharistia reficiebantur, species vini illi ætati erat accommodatissima. Tum demum, quia, etsi probabilius sit gratiam Sacramenti in sumptione prioris speciei infundi, cum subjecto disposito non est cur differatur effectus, Sacramentumque, quod causa necessaria est, cum primum potest operetur; non otiose tamen sumitur secunda species, cum ad perfectionem sacrificii desideretur, et accedente majori dispositione plus gratiæ conferatur.

Denique ad Tridentini testimonium respondeo sanctam synodum nostræ sententiæ eo loci apertissime favere. Cum enim concilium non loquatur de gratia simpliciter necessaria ad salutem, quæ per pœnitentiam sine Eucharistia re suscepta haberi potest, intelligitur concilium de gratia necessaria ad melius esse: ea ergo non fraudantur laici, quæ necessaria sit ad melius faciliusque obtinendam vitam æternam. At nullus est gratiæ gradus, qui non si eo modo necessarius, quique non conferat ad melius faciliusque ambulandum in via Dei. Ergo laici nullo Sacramenti gratiæ gradu privantur. Veritas tamen est Tridentinum unius speciei sufficientiam adversus hæreticos stabilire voluisse, relicta libertate theologis, ut de quantitate gratiæ disputarent, modo gratiam necessariam ad salutem alteram speciem digne usurpantibus dari omnes docerent.

Quæres, quid sit communio laica, de qua fit mentio in vetustissimis Patribus et conciliis, Syricio Papa epist. 1. cap. 11, Cypriano lib. 4, epist. 2, concilio Eliberino can. 76, Sardicensi can. 1. et 2, Agathensi can. 33, Toletano I. cap. 4, Bracarensi I. cap. 31. aliisque.

Respondeo varias esse sententias. Aliqui Communionem laicam illam esse contendunt, qua Eucharistia laicis sub una panis specie distribuebatur, in hoc distinctam a clericali, in qua utraque species usurpabatur. Cui communioni etiam clerici in pœnam delictorum subjiciebantur. Hincque argumentum pro ritu unius speciei depromunt.

Verum hæc sententia videtur a veritate aliena, subindeque superstructum et innixum illi opinioni pro unicæ speciei usu argumentum infirmum est et inefficax. Etenim temporibus illis laicis utramque speciem frequentare concessum erat; eamque de facto sæpe usurpabant. Contra vero clerici nulli pœnæ obnoxii sub una specie extra sacrificium a se celebratum communicabant, ut ex ritibus citatis claret. Ergo communio laica ea esse non potuit, qua unius speciei panis usus concedebatur.

Secundo alii cum Bellarmino affirmant communionem laicam esse usum Eucharistiæ sub una specie panis, quæ ideo dicebatur laica, non quod laicis interdictus esset calicis usus, vel e calice sibi a diacono propinato sæpius non biberent; sed quia in domum solam speciem panis deferri licitum erat.

Difficilis est etiam illa interpretatio. Tum quia non solum laici, sed Sacerdotes etiam recens consecrati Eucharistiam sub unius specie panis domum deferebant, ut Fulbertus supra laudatus nos docuit. Tum quia canone 66. concilii Eliberini statuitur ut communio laica clerico detur post quinquen-

nium peractæ pœnitentiæ, quæ communio eis in Ecclesia more laicorum dabatur. At laicis in Ecclesia utraque species porrigebatur : ergo et clericis, tametsi ad communionem laicam damnatis utraque species dispensabatur. Accedit quod si clerici ad communionem laicam fuissent ob delicta damnati, id est ad unius speciei usum, secundum illius sententiæ interpretationem potuissent, et sane debuissent laici ad illam communionem, id est ad unam speciem ob crimina damnari, ut facinorosi et pœnitentes ab innocentibus discernerentur. At non leguntur laici ad illam damnati : ergo per communionem laicam difficile unius speciei usus intelligitur.

Tertio alii cum Jacobo Pamelio in epist. 52, Cypriani, nota 37. eam fuisse communionem laicam censent, quæ extra cancellos et septa Altaris laicis in Ecclesia dabatur. Nam juxta dispositionem concilii Toletani IV. can. 17, « Sacerdotes et Levitæ ante altare communicare, in choro clerus, extra chorum populus » tenebantur. Et in Bracarensi can. 31. sic statuitur : « Ingredi Sacrarium ad communicandum non liceat laicis, sed tantum clericis. » Idem etiam perspicuum est ex facto S. Ambrosii, quo Theodosium imperatorem intra cancellos hærentem per diaconum suum monuit, habere in templo Dei sacerdotes, habere et laicos locum suum. Quare juxta hanc sententiam clerici ad laicam communionem redacti extra chorum in ordine laicorum communicare cogebantur.

Patitur etiam difficultatem hæc expositio. Nam Felix III. loco citato vult clericos rebaptizatos in pœnam delicti ab omni communione usque ad diem obitus privari, et in ipsa morte non nisi laica eos communione donari. Quin concilium Sardicense c. 2. in flagitiorum quorumdam detestationem et pœnam vult clericos nec vel in fine vitæ laicam communionem accipere. Atqui in communione laica privatim data, vel privatim etiam in morte denegata locum habere non potest distinctio communis in choro et extra chorum, cum illa in lecto decumbentibus et animam agentibus vel daretur, vel denegaretur. Ergo per communionem laicam sola illa intelligi commode non potest, quæ extra Altaris cancellos et septa chori populo porrigebatur.

Quarto alii censent communionem laicam esse jus communandi cum cæteris fidelibus more laicorum qui sunt in societate Christiana. Unde clericum ad communionem laicam redigi, est in omnibus quæ ad societatem Christianam spectant, puta perceptione Eucharistiæ, orationibus, aliisque muniis non pro Clerico amplius, sed pro laico haberi. Communio ergo laica opponitur functionibus Ecclesiasticis et privilegiis clericalibus. Favere videtur canon 15. inter Apostolicos, ubi sic statuitur : « Si quis presbyter aut diaconus, aut quilibet de numero clericorum relinquens propriam parochiam pergat ad alienam, et omnino demigrans præter Episcopi sui conscientiam in aliena parochia commoretur, hunc ulterius ministrare non patimur ; præcipue si vocatus ab Episcopo redire contempserit, in sua inquietudine perseverans. Verumtamen tanquam laicus ibi communicet. » Id est, ut videtur, jus solummodo cum cæteris communicandi more laicorum, qui talis est, obtineat. Cyprianus etiam epist. 68. de Basilide sic scribit : « Episcopatum pro suæ conscientiæ vulnere ultro deponens ad agendam pœnitentiam conversus est, Deum deprecans et satis gratulans, si sibi vel laico communicare contingeret. » Ubi per communionem laicam intelligere videtur jus quod habent laici ad communicandum. Et epist. 72. *ad Stephanum Papam :* « Addimus plane et adjungimus consensu et auctoritate communi, ut etiamsi qui Presbyteri aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica prius ordinati fuerint, et postmodum perfidi ac rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos a Pseudoepiscopis et Antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, et contra altare unum atque divinum sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hac conditione suscipi, ut communicent laici ; et satis habeant quod admittuntur ad pacem, qui hostes pacis exteterint : nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis et honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint. » Et paucis interjectis : « Et idcirco satis talibus reverentibus veniam dari ; non tamen debet in domo Dei perfidia promoveri. Nam quid bonis et innocentibus, atque ab Ecclesia non recedentibus reservamus, si eos quia nobis recesserint, et contra Ecclesiam steterint, honoramus? » Ubi per clericos ad communionem laicam damnatos eos intelligit, qui clericalibus muniis et honoribus ob peccata privati, ad communem

laicorum statum dejecti sunt. Quod et epistola 52. prius significaverat his verbis : « Susceptus est Trophimus pro quo satisfaciebat fratrum reditus, et restituta multorum salus. Sic tamen admissus est Trophimus, ut laicus communicet ; non secundum quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet... Si qui enim infirmitatibus occupantur, illis in periculo subvenitur. Posteaquam tamen subventum est, et periclitantibus pax data est, suffocari a nobis non possunt, aut opprimi, aut vi et manu nostra in exitum mortis urgeri : ut quoniam morientibus pax datur, necesse sit mori eos qui acceperint pacem ; cum magis in hoc judicium divinæ pietatis et paternæ lenitatis appareat, quod qui pignus vitæ in data pace percipiunt, hi quoque ad vitam percepta pace teneantur. » Ubi communionem laicam dare idem videtur ac pacem impertire, cujus pacis pignus et coronamentum divina Eucharistia est pœnitentibus in periculo mortis concessa. Denique in variis vetustissimorum summorum Pontificum litteris significari videtur, communionem laicam functionibus Ecclesiasticis opponi. Videsis Innocentii I. epistolam *ad Episcopos Macedoniæ*, necnon Syricii ad Episcopum Tarraconensem.

Verum nonnullum etiam patitur hæc interpretatio difficultatem. Quamvis enim communis nomen non raro ejusdem societatis consortium, eorumdem Sacramentorum participationem, cum eodem Ecclesiæ corpore membrorum colligationem significet, quæ in Symbolo Apostolorum « Sanctorum communio » nominatur, de qua fortassis in materia de indulgentiis plura dicemus ; attamen, ut recte notavit Catechismus Romanus part. 1. in expositione illius articuli, nomen illud magis proprium est Eucharistiæ, quæ hanc efficit communionem ; atque usui Eucharistiæ non solum multa superius allata testimonia, sed et traditio, et Ecclesiæ consuetudo eximium illud nomen attribuunt, ut ex dicendis capite sequenti evidenter clarebit. Accedit canones velle clericos lapsos post peractam magnæ humilitatis pœnitentiam communione laica donari, et Eucharistia more laicorum vel post præfinitum aliquod tempus, vel certe in articulo mortis refici. Explicandum ergo restat illi sententiæ illud singulare discrimen, quod utramque inter communionem, clericalem et sacerdotalem in ipso communionis Eucharisticæ usu intercedebat ; quod conspicuum erat et aspectabile, cum per eam pœnitentes ab innocentibus discernerentur.

Quare verisimilius dicendum videtur, communionem laicam in usu Eucharistiæ a sacerdotibus lapsis frequentatam, ampliorem habere significatum, et multas in sua latitudine includere cæremonias, quibus a communione sacerdotali extra sacrificium adhibita internoscebatur, sive quoad locum, sive quoad tempus, sive quoad modum recipiendæ Eucharistiæ. Quoad locum quidem communio laica non nisi in determinato templi loco extra sacrarium et cancellos Altaris sæcularibus, presbyterisque ac clericis lapsis porrigebatur. Quoad tempus communio laica statis tantum diebus et horis, præsertim pœnititentibus ministrabatur : tempus autem communicandi nunquam sacerdotibus præfixus est, quia quotidie celebrare ; ministri vero Altaris, qui sacrificio Altaris intereraut, quotidie juxta S. Anacleti decretum communicare solebant. Quoad modum tandem, quia credibile est aliis cæremoniis laicos, aliis sacerdotes Eucharistiam accipere solitos fuisse etiam in articulo mortis : sicut etiam in præsentis Ecclesiæ more positum est, sacerdotes feria quinta in Cœna Domini Eucharistiam cum stola adire, quæ innocentiam et singularem prærogativam significat. Ex quibus communionem laicam in articulo mortis lapsis et pœnitentibus datam facilius explicabis. Quamvis, ut verum fatear, magnus sit in præsenti conjecturis locus. Quas si meliores inveneris, non me repugnantem, sed pro libertate theologica consentientem habebis.

REFLEXIO.

Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. Colligat ex eo unusquisque quantum sufficit ad vescendum. Et collegerunt alius plus, alius minus : nec qui plus collegerat, habuit amplius ; nec qui minus paraverat, habuit minus, Exod. XVI. Verba illa ad litteram de Manna Israelitis cœlo divinitus pluente concessa intelliguntur. Existimant multi verbis illis significari omnibus sive viris, sive fœminis, sive senibus, sive parvulis eamdem mensuram edendi præstitutam, et æqualiter omnes comedisse, vel certe inæqualiter comedentibus æqualiter profuisse, Deo manna singulorum viribus nutritivis attemperante. Quibus sacrosancta

Eucharistia adumbratur, in cujus unica specie, et minori ejusdem speciei particula æqualis a Fidelibus fructus percipitur : nihil minus habent singuli quam universi : totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione participant : quia sacramentum Christo realiter præsenti plenum distribui potest ; majori distributione consumi, minori restringi non potest. « Ubi pars est corporis, » inquit B. Papa Hilarius in suis decretis quæ habentur 3. part. Conciliorum, « est et totum. Eadem ratio est in corpore Domini quæ in manna, quod in ejus figura præcessit ; de quo dicitur, qui plus collegerat, non habuit amplius ; neque qui minus paraverat, habuit minus. » Et Guitmundus lib. *de Verit. Eucharistiæ :* « Possumus dicere, inquit, tantumdem esse in una quasi portiuncula, quantum erat in hostia tota : sicut de manna legitur, quia nec qui plus collegerat, habuit amplius ; nec qui minus collegerat, habuit minus. Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est ; nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis.

Plura hominum millia paucis panibus, paucisque pisciculis satiavit olim Christus miserens super turbam triduo abstinentem, et sublata sunt quæ superfuerunt fragmenta ipso penu majora : quidni ergo sufficiet populis omnibus et nationibus unum Christi corpus divinitate unctum, et inhabitante deitatis plenitudine inexhaustum? Ipse dixit : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Cœlum et terra transibunt, verba autem illa non præteribunt. Ergo unam dum sumis speciem noli timere, absit fides dubia, et stans in verbis illis spes firma non mutet : vives, et æternum beate vives si panem illum vitæ etiam sine specie vini viva caritate degustes. Æterni Dei verba referunt æternitatem nulla temporis instabilitate mutabilem.

Æqualis est in una vel utraque specie refectis gratia ex opere operato, ut loquuntur ; at pro opere operantis inæqualis est tamen. Plus retulit mulier illa Evangelica, quæ fimbriam vestimenti tetigit, premente illa turba quæ in totum irruit corpus. Plus saginatur mulierculæ fervidæ animus octiduana communione roboratus, sacerdotibus illis tepidis qui dum Christum devotionis inanes quotidie edunt, ab ipso Christo tepiditatis eorum impatiente, sicut Scriptura loquitur, evomuntur. « Idcirco, » ut recte monet abbas Paschasius lib. *de corpore et sanguine Domini*, cap. 17, « cogitandum a vobis est non quantum dente prematur, sed quantum fide et dilectione accipitur. Ideo, fili, hoc mysterium dum communicas, dilata sinum mentis tuæ, emunda conscientiam, et percipe non quantum mica exhibet, sed quantum fides capit : quia in Christo plenitudo divinitatis manet, in te autem de plenitudine, non quanta est, sed quantum idoneus fueris præstatur. »

Sicut ergo diviso Sacramento nulla rei, sed solius signi fit scissura, ita nec gratiæ ullius jactura. « Hæc quatuor, » inquit S. Thomas opusc. 58. cap. 29, « corpus, sanguis, anima, et Deitas jam ultra non possunt separari : unde, sicut sumit Sacerdos sanguinem Christi sacramentaliter de calice, sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso corpore Christi : et est eis tam utilis, et tam dulcis, ut Sacerdotibus qui sumunt eum sub specie vini de calice. Canticorum 1 : *Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Duo sumo in botro : uvam, scilicet corpus Domini in cibum, et ex uva sugo dulcem sanguinem in potum. » Nequaquam defraudabere unica specie, et unicæ speciei particula pastus : solet Deus in minimis magnus esse, nec minus potens est dum totum clausit in exiguo. In rebus sacris sanctitatis habetur ratio, non quantitatis. Atqui hoc Sacramentum non corporis satietati, sed animi sanctimoniæ institutum est. Si gemmæ, auctore Chrysostomo hom. 1. *ad Popul. Antioch.*, « non in corporis mole, sed naturæ pulchritudine pretium habent ; » si res quævis non ab extima mole, sed ab intima virtute æstimanda est ; multo magis Eucharistia non ab specierum pluralitate vel quantitate, sed ab eximiis quæ sub ea latent rebus pensanda est. « Idem est virtute, » inquit S. Basilius epist. *ad Cæsarium Patricium*, « sive unam particulam accipiet quisquam a Sacerdote, sive plures particulas simul. » Quia nimirum tantus est Christus in exiguo fragmento, quantum esse constat in toto. Cum in Ecclesia Fidelium sumitur, sicut plenus in universis, ita integer esse probatur in singulis. Unica sub specie Christus et explebit famem, et extinguet sitim, si castis te desideriis æstuantem, si viva caritate succensum, animam denique tuam si invenerit præparatam. Sed de his speculatione sequenti.

SPECULATIO III.

Necessarius ad Eucharistiam percipiendam mentis, cordis, et corporis apparatus exponitur.

Quia non homini præparanda habitatio est, sed Deo, nihil mirum si multiplicem dispositionum apparatum Catholica requirat Ecclesia. Quia enim sponsum suum Christum Jesum non verbo solum, sed opere etiam et veritate diligit, ideo filiis suis in concilio Tridentino præcepit diligentem ad sacrum epulum dispositionem adhiberi oportere. « Si non decet, » inquit sacra Synodus sess. 13. cap. 7, « ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte ; certe quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat ; præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* » Et cap. 8. ait, illos spiritualiter et sacramentaliter divinum hoc Sacramentum recipere, « qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti, ad divinam hanc mensam accedant. » Et can. 11 : « Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, anathema sit. »

At vero nostrates hæretici postquam plura sacramenta Christi ad nihilum redigere conati sunt, sacros ritus in honorem Sacramentorum, ad instillandamque Fidelibus in eorum usu reverentiam institutos de medio sustulerunt, quæ retinuerunt Sacramenta non honorificentius habuerunt. Etenim Lutherus serm. *de Præparatione ad Eucharistiam*, ea de dispositionibus ad communionem scripsit, quæ non dico in Christianum, vel hominem honestum, vel in Turcam moderatum, vel in Atheum solius inficiandæ Deitatis studiosum, sed in solum Antitheum, solum Antichristum, id est apertum et juratum Christi hostem, in Christique mysteria certo consilio et dedita opera furentem cadere possunt. « Optima dispositio est, » inquit præclarissimus scilicet reformator, « non nisi ea qua pessime est dispositus ; et ideo pœnitentia potius post, quam ante sacramentum digne peragitur. Magnus et perniciosus error est, si quis accedat ad sacramentum ea nixus fiducia, quod confessus est ; quod non est sibi conscius mortalis peccati, quod orationes et præparatoria sua præmiserit : omnes hi judicium sibi manducant et bibunt, quia his omnibus non fiunt digni neque puri ; imo per eam fiduciam puritatis pejus polluuntur : fiunt autem puri per fidem. » Et contra Regem Angliæ : « Furorem autem ejus, inquit, quo invehitur in me, quod docuerim fidem sine operibus optimam præparationem ad sacramentum, et Christianos non oportere legibus adstringi ad percipiendum, contemno. » Si quis data opera et meditato vellet de præparatione ad Eucharistiam perdite et nefarie scribere, inseminatum Christianis omnibus in cœleste Epulum reverentiæ sensum extinguere, et iter ad eversionem et ludibrium Christianismi munire, profecto non aliis regulis uteretur, quæ non nisi corruptissimis ingeniis placere possunt ; illis vero in quibus aliqua religionis scintilla superest, non displicere non possunt.

Etsi non ita petulanter, nihilo tamen verius et modestius Calvinus lib. 4. *Institut.* cap. 17. § 41. requisitam a Catholicis dispositionem in conscientiæ indagine, peccatorum contritione, confessione, et satisfactione sitam non solum floccifacit, sed etiam conscientiarum torturam et divexationem appellat, concluditque §. sequenti, eam dignitatem unam et optimam afferre nos posse, si nostram vilitatem et indignitatem Deo offeramus. Quasi Ecclesia Catholica dum illa facienda prescribit, ista omittat, et communicantes etiam multiplici apparatu a se præscripto instructos iteratis vocibus non moneat ut cum Centurione veraciter et humiliter profiteantur : *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum*, etc. Sed illos relinquamus, qui cum veris Sacramentis careant nihil mirum si de necessaria ad Sacramentorum usum præparatione tam perverse opinentur.

Mentis ad Communionem præparatio.

Tria desiderantur ut mens sit ad sacram communionem rite composita : ætas discretionis, usus rationis, et pia attentio cogitationis. Singula expendimus.

In primis exigitur ætas discretionis, quia nimirum ea requiritur ætas, quæ cœlestem panem a communi et profano discernere va-

leat, ut monet Apostolus, qui etiam vult communicantes eam pietatis et religionis affectionem afferre, quæ mortem Domini annuntiare queat. At parvuli ante ætatis discretionem id præstare nequaquam sciunt et possunt. Accedit multiplicis indignitatis et irreverentiæ periculum; proclive enim est puerulos a discretione desertos sacrum cibum vel emovere, vel exspuere, vel aliis haud satis consentaneis modis tractare et sordidare. Nec obest antiquæ Ecclesiæ usus in quibusdam locis frequentatus, quo infantes Eucharistia saltem sub specie vini facilius in eorum ora instillandi reficiebantur. Non obest, inquam, quia ut supra dum de necessitate Eucharistiæ ex Tridentino satis diximus, aliæ fuerunt priscorum illorum temporum rationes, quæ impræsentiarum nequaquam urgent. Neque enim modo pueri adversus persecutiones divini panis saturitate armandi sunt : nec jam parentum teneritudini, sicut olim consulendum est, qui ut ab idololatria facilius suaviusque retraherentur, pueris eorum, quibus idolothytorum particulam impertire solebant, Sacramenti portionem Ecclesia omnibus omnia facta concedebat. Verum ob graviores rationes pietati et tanto Sacramento debitæ reverentiæ consentaneas mos ille jam dudum auctoritate Ecclesiæ a Spiritu sancto continenter gubernatæ vigere desiit.

Si autem scite aveas, qua ætate infantibus sacræ Eucharistiæ usus concedendus sit; respondet Catechismus Romanus part. 2. titulo *de Eucharist.* num. 67. neminem melius convenientis discretionis annos constituere posse, quam parentes et sacerdotes : priores enim ex indole et convictu, posteriores ex modo peragendæ confessionis internoscere facile possunt, num ad cibum illum discernendum sint satis idonei : nam pro corporis temperie, judicii maturitate, educationis cultura et varietate, alii citius, alii tardius ad rationis discretionem perveniunt. Explorent ergo parentes et Parochi, et a pueris percunctentur, an hujus admirabilis Sacramenti notitiam acceperint, num erga tremenda mysteria reverentes sint, et eorum recipiendorum gustum aliquem spiritalem habeant ? Monendi etiam serio pueri sunt, ut ad primam communionem singularis pietatis et innocentiæ præparationem adhibeant, unde incredibiles ad vitam deinceps christiane peragendam fructus percepturi sunt.

Secundo in adultis quavis tandem ætate provectis necessarius est rationis usus; perpetua enim amentia non minus quam infantia recipiendæ Eucharistiæ obstat. Quod si amentes lucida habent rationis intervalla, inter illas bonæ mentis moras et veluti parentheses sacra Eucharistia dignandi sunt, si modo tanti sacramenti reverentia et gustu afficiantur. Observat etiam Catechismus Tridentini paulo ante laudatus, quod, si amentes antequam in insaniam inciderent, piam et religiosam animi voluntatem, et suscipiendæ Eucharistiæ devotionem præ se tulerunt, licebit eis in fine vitæ Eucharistiam administrare, modo vomitionis, vel alterius indignitatis et incommodi periculum nullum timendum sit. Sic enim statuit concilium Carthaginiense IV. canone 76 : « Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia. Si supervixerit, admoneatur a supradictis testibus petitioni suæ satisfactum et subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos qui pœnitentiam dederit probaverit. »

Major difficultas est de surdis ac mutis a nativitate, atque etiam de energumenis. De prioribus autem dicendum, quod si muti a nativitate nutibus significent se cognitionem, fidem, reverentiam et gustum Christi in Eucharistia præsentis habere, internumque animi habitum adoratione externa, divinorum officiorum frequentatione, corporis, vultusque modestia demonstrent, eis sine dubio, præmissa per nutus sacramentali confessione, Eucharistia porrigenda est. Hæc namque indicia argumento sunt, eum qui jussit de tenebris lumen splendescere, corda eorum gratiæ cœlestis radiis illuminasse. Quod si nulla fidei, reverentiæ, ac illius Sacramenti famis vestigia apparent, denegandam esse Eucharistiam certissimum est. In dubio vero viri prudentes et docti, et præcipue rectores animarum, et si opus est, Episcopi consulendi sunt.

Ad energumenos quod attinet, varia fuit Ecclesiæ disciplina. In primis canon. 27. concilii Eliberitani seu Eliberini, eis communione interdicere videtur : « Energumenum, qui ab eratico spiritu exagitatur, hu-

jus nomen neque ad Altare cum oblatione esse recitandum, neque permittendum ut sua manu in Ecclesia ministret. »Verum canon ille facile explicari potest vel cum S. Thoma de energumenis non baptizatis, vel de illis qui ita erratico spiritu exagitantur, ut sui compotes esse non possint; vel certe de energumenis in extremo vitæ periculo non existentibus. Constat hæc expositio ex ejusdem Concilii canone 37, ubi sic statuitur : « Eos qui a spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet : si vero fideles fuerint, dandam eis esse communionem. » Porro alia est præsentis Ecclesiæ disciplina. Energumeni enim, si tamen sui compotes permanent, nec ullum subest irreverentiæ et indignitatis periculum, sacra communione reficiendi, et adversus cacodæmonis infestationes roborandi sunt. Imo si rationis lumen dæmonum possidentium vel obsidentium offusis tenebris infuscetur, idem de illis ac de amentibus judicandum est, ut docet S. Thom. 3. p. q. 80. art. 9. ad. 2. Si enim lucida habent intermicantis rationis intervalla concedi eis communio in illa rationis parenthesi debet. Quod si a rationis usu destituti sint, et antequam a maligno spiritu arriperentur, hujus Sacramenti devotionem præ se tulerint, non debet eis sacra Communio in exitu, citra vomitus vel irreverentiæ periculum denegari.

Devota mentis attentio ad consequendum Eucharistiæ effectum necessaria.

Tertio præter rationis usum desideratur etiam mentis attentio; qui non exigitur usus rationis, nisi ut animi adsit applicatio voluntarias et libere susceptas evagantis cogitationis aberrationes et distractiones excludens. Unde qui in usu Eucharistiæ voluntarie mentem avocat suam, et de industria peccata venialia actu exercet, nullum profecto ex Eucharistiæ perceptione emolumentum reportat.

Præter Cardinalem Cajetanum, Paludanum Patriarcham Jerosolymitanum, Sylvestrum, Alensem, aliosque primæ notæ theologos hanc nostram sententiam clarissimis verbis docent duo theologicæ scholæ coryphæi et facile principes pietate non nimus quam eruditione spectabiles SS. Thomas et Bonaventura. Sic enim scribit Angelicus Doctor in 4. dist. 2. quæst. 2. art. 1. q. 3 : « Cum hoc Sacramentum perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum suum plene habeat in sumente, oportet quod adsit actualis devotio. Et quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest, cum distractiones variæ ipsam impediant, et peccata venialia virtutum actus tollant, absque peccato mortali potest effectus hujus sacramenti impediri; ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, sed forte reatum venialis peccati ex hoc quod imparatus accedat. » Ergo D. Thoma auctore augmentum gratiæ non consequitur, qui in actuali Eucharistiæ usu animo voluntarie peregrinatur. Quod si augmentum gratiæ animus voluntarie aberrans non consequitur, multo minus mentis dulcedinem et spiritalem pinguedinem in sanctis cogitationibus, piisque affectionibus sitam percipere potest, subindeque nullus Eucharistiæ usu incuriosus homo animum libere avocans suum fructum reportat.

Neque hanc doctrinam S. Thomas in *Summa Theologica* quæst. 79. art. 8, retractavit, ut quidam neoterici arbitrati sunt, dum sic scripsit : « Effectus hujus sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ vel caritatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritalis dulcedinis; quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus : non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ et caritatis. » Non, inquam, per hæc verba doctrinam in sententiis luculentissime traditam S. Thomas senior, subindeque in Eucharistiæ venerationem propensior revocavit. Facile enim conciliantur duo hæc testimonia in speciem pugnantia distinctione quam indicat celebris Thomista Didacus Nugno. Distractionum quippe duplex vel triplex est genus : alia enim est mere naturalis sine culpa; alia venialis ex negligentia et tepiditate venialiter culpabili, voluntate tamen expressa non suscepta : alia venialis quidem ex objecto, sed ultro formaliter et de industria quæsita. Prima distractio saporem et spiritalem Eucharistiæ dulcedinem removet, augmentum tamen habitualis gratiæ non impedit. Secunda refectionem etiam Eucharistiæ præcludit; an vero augmentum gratiæ saltem omne præpediat, etsi Cajetanus existimet, et nobis probabilissimum sit, non est ita certum; illud solum ex D. Thoma constans, illam dis-

tractionem, tametsi non expresse deliberatam, peccatum tamen veniale esse ratione illius a qua proficiscitur negligentiæ. At tertia distractio, etsi ex objecto præcise sumpto venialis sit, tamen in illis circumstantiis obicem ponit gratiæ, estque gravis irreverentia. Unde præfatus Magister Nugno, tametsi conclusione secunda subobscure locutus videatur in responsione tamen ad 2. sic ait : « Si ex formali intentione vult illo tempore » (nimirum sacræ Communionis) « esse cum distractione, credo quod peccat mortaliter, atque adeo nullum consequitur effectum sacramenti, quia irreverentia illa gravis est. »

Hac ergo distinctione plana est S. Thomæ commemoratorum locorum concordia. In summa enim dum ait distractionem et peccata venialia impedire dulcedinem gratiæ actualis, non tamen augmentum gratiæ habitualis, loquitur de distractione vel naturali, vel ex negligentia veniali profecta : loquitur etiam de peccatis venialibus non actu et expresse exercitis, sed vel habitualiter animum afficientibus, vel usum communionis ob hominis infirmitatem, sed non ex proposito comitantibus : incommode enim humanæ infirmitati consultum esset, si ad cœleste epulum accedentes ab omni purgatos peccato veniali esse oporteret : nec tam medicinæ quam laquei Sacramenta forent. In sententiis vero vult S. Doctor distractionem venialem impedire augmentum gratiæ habitualis, quia tunc « homo imparatus accedit », non tamen peccatum mortale committi, si nimirum distractio et indevotio ex negligentia veniali proficiscatur.

Quare istud temperamentum tutum, nisi fallor, piis omnibus videbitur, si dicamus primum distractionem mere naturalem, et omnino involuntariam non impedire præcipuum Eucharistiæ fructum, sicut ut idem sanctus Thomas 2. 2. edocet, orationis lucrum non excludit. Secundo distractio venialiter culpabilis impedit quidem augmentum gratiæ, quod Eucharistia solis spiritaliter simul et sacramentaliter comedentibus confert ; non est tamen peccatum mortale, quod deliberatum irreverentis comestionis actum per se requirit. Tertio distractio sponte suscepta, et de industria intenta, qua quis prudens et volens cibum illum cœlestem cum eadem indifferentia et mentis evagatione atque cibos ordinarios edit, omni prorsus Eucharistiæ effectui obicem ponit, et meo quidem aliorumque me doctiorum judicio grave et lethale peccatum est. Singula ex inferius dicendis probata manebunt.

In eodem plane sensu intelligendus venit Doctor Seraphicus in materia pietatis nulli postponendus. Sic autem habet in *Brevil.* p. 6. cap. 9. tom. 1 : « Quoniam capacitas nostra ad Christum efficaciter suscipiendum non est in carne, sed in spiritu ; non in ventre, sed in mente : et mens Christum non attingit nisi per cognitionem et amorem, per fidem et caritatem ; ita quod fides illuminat ad recognitionem vel recordationem, et caritas inflammat ad devotionem : ideo ad hoc quod aliquis digne accedat, oportet quod spiritualiter comedat, ut sic Christum per recordationem fidei masticet, et per devotionem amoris suscipiat, per quæ non in se transformet Christum, sed ipse potius trajiciatur in ipsum mysticum corpus. Propter quod manifeste colligitur, quod qui tepide, indevote, et inconsiderate accedit, judicium sibi manducat et bibit, quia tanto Sacramento contumeliam facit. »

Severiora, et paulo duriora tibi fortassis tanti Doctoris verba videbuntur : verum ea superius producta distinctione temperabis. Ibi namque loquitur Bonaventura de his qui deliberata et veluti affectata tepiditate, et mentis errabundæ evagatione prudentes simul et imprudentes in tremenda mysteria advertentes irruunt, qui quasi studio perversam languentis mentis inertiam negligentiamque alunt, nullum interim suæ calamitatis sensum habentes, vel sibi certe eripientes. Nam cæteroquin posse contingere citra peccatum mortale venialem distractæ mentis negligentiam, tradit ipsemet S. Doctor in *Compendio Theologiæ*, lib. 6. cap. 17. his verbis : « Abstineant quidam a Communione propter culpam propriam, et aliqui sine culpa mortali, sed propter sacramenti reverentiam ; sicut qui sentiunt se minus mundos carne vel mente, vel etiam indevotos : et isti bene faciunt, dummodo possint juste, et sine aliorum scandalo supersedere. Ubi enim non instat necessitas, consulendum est talibus, ut de Communione expectent, quousque parati, et devoti, et circumspecti possint accedere. Nulla tamen necessitas debet compellere, ut aliquis in peccato mortali existens scienter communicet. » Vides posse aliquem absque peccato mortali ad Eucharistiam accedere, tametsi sentiat

mentem præ infirmitate divagationibus irrepentibus veluti aspersis pulveribus infici. Jam singula quæ distinximus ordine confirmemus.

In primis distractæ mentis evagationes mere naturales augmentum gratiæ non impedire sic explico, et ostendo. Etsi in doctrina SS. Thomæ et Bonaventuræ ad quemcumque fructum Eucharistiæ percipiendum desideretur spiritalis mentis (quæ os spirituale est, juxta illud Psalmographi: *Os justi meditabitur sapientiam*) comestio, seu pia attentio : tamen si quis ante actualem communionis usum piis fidei, spei, amoris, humilitatis, aliisque affectibus mentem instruere et apparare sategit, si deinde dum actu divinum cibum accipit, animus alio præter intentionem rapitur (quæ magna est humanæ mentis et imaginationis debilitas) ratione præcedentium actuum virtute remanentium effectum Eucharistiæ salutarem percipiet, quo sine aliqua culpa sua carere non potest. Sacramenta enim quæ physice sunt effectuum suorum causæ, suum illico effectum in subjectum nullo obici præpeditum infundunt. Internam ergo spiritalis refectionis suavitatem non sapiet hujusmodi divagatione occupatus, quia sola cogitatione et affectione percipitur : augmento tamen habitualis gratiæ, quo vegetior evadet, nequaquam fraudabitur.

Secundo diximus cum prædictis magni nominis theologis, accedentem cum distractione ex negligentia et tepiditate veniali profecta, nullum ex Eucharistia effectum capere, nec tamen mortaliter, sed venialiter duntaxat peccare. Primum laudatorum sanctorum Doctorum rationibus sic confirmo : Eucharistiæ sacramentum per modum cibi institutum est, unde sub specie panis porrigitur : at cibus nec nutrit, nec auget, nec comedentem reparat absque ullo vitali illius actu. Ergo nihil proderit panis vitæ et intellectus, panis vivus, lac rationale sine ulla vitæ spiritalis operatione. Et ideo supra dixit S. Thomas hoc sacramentum recipientem perficere « conjungendo ultimo fini » : non conjungitur autem homo ultimo fini nisi per actus mentis et voluntatis, quibus cœlestes lautitias esurit, sitit, et sapit. Dixit etiam eadem de causa S. Bonaventura, Christum efficaciter suscipi non sola oris carne, sed spiritu ; non ventre duntaxat, sed mente ; attentione nimirum fidei, et ardore caritatis.

Deinde sic argumentor : Tametsi Sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato, vi scilicet in ipsa ex passione Christi derivata efficiant ; attamen ut eam influant in adultos aliquem exigunt piarum dispositionum apparatum : nunquam enim gratiam adultis infundi sine pio liberi arbitrii motu constans est sancti Thomæ doctrina, et habetur in Tridentino sess. 6. cap. 7 : « Justitiam, » inquit, « in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. » Neque dici potest id de prima infusione gratiæ, non autem de augmento illius, verum esse. Nam augmentum gratiæ primam infusionem ejusque conditiones sapit, sicut in naturalibus forma iisdem dispositionibus intenditur, quibus effecta est ; et in humanis sicut non efficitur, ita nec augetur habitus absque voluntatis conatu, ut in materia de augmento caritatis fuse exposuimus. Atqui ille qui cum distractione vel tepiditate, vel alio affectu actuali veniali, absque formali tamen reflexione, quæ ut jam dicemus, Sacramenti majestati injuria est, accedit ; ille, inquam, nullo piæ cogitationis et affectionis motu præparatur, idque ex aliqua culpa sua obvenit : ergo in illum Eucharistia nihil producit, in illos duntaxat effusa, qui, ut Chrysostomus loquitur, fide respiciunt, honore mirantur, mente contingunt, cordis manu suscipiunt, et haustu interiori assumunt.

Denique S. Bonaventura, S. Franciscus Salesius, aliique Patres spiritales capite proxime futuro late referendi tepidos et erga venialia actu affectos hortantur, ut a communione aliquantisper secedant, quo Eucharistiam reverentius deinde adeant atque paratius. Etsi enim dilatio quæ a negligentia et incuria salutis proficiscitur, animo interim de præparatione ad communionem dignius obeundam nihil sollicito, sed liberius cupiditatibus indulgente ; etsi, inquam, hujusmodi dilatio nihil ad communionem sanctius percipiendam adjuvet, sed potius ex adipe iniquitatis prodeat : attamen dilatio eo fine suscepta, ut consentaneum apparatum piorum operum studio et exercitatione quis assequatur, utilissima est, a Patribusque commendata, atque a Sanctis redacta ad praxim ob levissimas culpas, vel etiam fine actuali culpa, ut majorem pietatis et reverentiæ sensum paulisper remissum et

tepefactum excitarent, atque ad communionem puriores postmodum, ardentioresque se referrent. Præclaras Patrum et D. Thomæ hac de re sententias capite sequenti producemus. Atqui, si accedentes cum distractione et tepiditate actu noxia, gratiæ tamen habitualis incrementa susciperent, perperam Patres moram, intermissionemque Communionis salutarem esse contestarentur, perperam ad illam intercapedinem cohortarentur, ex qua non mediocris emolumenti, gratiæ scilicet sanctificantis augmenti jactura consequeretur. Ergo censent tepidos illos et incuriosos ad Eucharistiam negligenter accedentes nullum ex Eucharistia spiritale lucrum reportare. Quod et multorum experimentis confirmare in promptu esset : sed de his in proxima reflexione, ubi rationem illam urgebimus.

Dices : Ergo in peccatum mortale incurret, qui cum venialibus mentis divagantis culpis, citra contemptum tamen accederet, quod supra cum D. Thoma inficiati sumus. Probatur consequentia ; nam ponere obicem effectibus Sacramentorum , omnemque eorum fructum ad nihillum redigere peccatum mortale est, utpote finem propter quem instituta sunt irritum faciens, et quantum in ipso est fontes Salvatoris exsiccans. At hoc durissimum esse, et a veritate alienum, superius confessi sumus, quia alioquin a paucis etiam justis Eucharistia sine sacrilegio susciperetur evaderetque laqueus et petra offensionis medicina salutis.

Respondeo tunc in Sacramentorum usu sacrilegium committi, quando obex positivus ex quadam irreverentia deliberata ponitur, qua Sacramenti dignitati et sanctitati injuria, et veluti contumelia irrogatur : obex autem negativus ex venialibus specialem cum Sacramenti usu oppositionem non habentibus profectus, veniale quidem peccatum est, at sacrilegii tamen malitia non sordescit, modo ex contemptu Sacramenti, vel de industria non suscipiatur. Cum vero dicitur peccatum mortale posse finem Sacramenti evacuare, fructumque ejus annulare, verum est illud quidem, si id ex proposito deliberato fiat, vel ex statu peccati mortalis vel cognito, vel culpabili ignorantia incognito oriatur ; secus si obex ille concomitanter solum ex humana infirmitate, quæ venialia et facile admittit, et sæpe præ tepiditate et incogitantia negligit, communionem inficiat. Præsertim quia non eo animo qui sic comparatus est accedit, ut negligenter tepideque communicet, etsi tepor et venialis negligentia subrepant.

Instabis : Concilium Tridentinum sess. 13. c. 7. tradens dispositiones ad dignam communionem necessarias , exigit solum ut accedens nullius mortalis peccati conscius sit : « Communicare volenti, » inquit, « revocandum est in memoriam hoc Apostoli præceptum : *Probet seipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere confessione debeat. » Ergo ad percipiendum Eucharistiæ fructum unus sufficit gratiæ status peccati mortalis conscientiam excludens.

Respondeo eo loci velle duntaxat docere sanctam Synodum contra Lutheranos, et Calvinianos, solam fidem non esse ad Eucharistiam digne percipiendam necessariam, ut canone postea undecimo definit, sed desiderari insuper conscientiæ puritatem et gratiæ statum, quo sine indigne manducat, subindeque judicium sibi manducat et bibit, qui se cordis munditia ac pœnitentiæ exercitationibus probare neglexerit. Cæterum nec illo eodem loco pios reverentiæ et sanctitatis motus ad dignam communionem desiderari sacrum Concilium prætermisit : « Si non decet, » inquit, ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte ; certe quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus Sacramenti vero Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat. »

Hinc Catechismus Romanus fidus sacri concilii interpres part. 2. tit. *de Eucharistia*, num. 59. ad præparationem Eucharisticam requirit primum, ut fideles discernant mensam a mensa, sacram a profanis, cœlestem panem a communi, mysterii profunditatem inscrutabilem non curiosis disputationibus hæreticorum more perquirentes, sed humili et inconcussa fide venerantes. « Hoc nimirum, » inquit, « est dijudicare corpus Domini. » Secundo postulat ut unusquisque a seipso quærat, num pacem cum aliis habeat, num proximos vere atque ex animo diligat, paratus relinquere munus suum ad Altare, priusque fratri læso reconciliari, quam munus suum offerat , et tremenda mysteria

adeat : hæc, inquit, est « altera præparatio maxime necessaria. » Tertio exigit, ut conscientiam nostram diligenter scrutemur, ne forte exitiali aliquo peccato contaminati simus, quod prius sit contritionis et confessionis medicamento eluendum : « Definitum est enim, » inquit, « a sancta Tridentina synodo, nemini licere, quem peccati mortalis conscientia stimulet, si sacerdotis facultas data sit, antequam se sacramentali confessione purgarit, quantumvis sibi contritus esse videatur, sacram Eucharistiam accipere. » Quarto reverentis animi humilitatem, indignitatem suam profitentis, et cum Centurione a Christo tam impense laudato de corde puro dicentis, *Domine, non sum dignus*, etc. desiderat. « Tacite, » inquit, « cum animis nostris cogitemus, quam indigni simus, quibus divinum hoc beneficium a Domino tribuatur. » Quinto castum petit sinceræ caritatis ignem, quo panis ille divinus spiritaliter concoquatur. « Exquiramus etiam a nobis » (verba sunt ejusdem Catechismi longe præclarissima) « an illud Petri usurpare nobis liceat : *Domine, tu scis, quia amo te.* »

Ex quibus liquidum est, recentiorum nonnullorum laxitatem, affirmantium nullum peccatum ne veniale quidem admitti ab eo qui in Altaria cum distractione et tepiditate irruit quia (inquiunt, pessimam assertionem pejori ratione confirmantes) susceptio Eucharistiæ non est locutio cum Deo sicut oratio, sed manducatio ; nec ulla injuria fiat cibo, si distracte sumatur : liquidum, inquam, est hanc doctrinam immensum ab Ecclesiæ sensu in Tridentino ejusque Catechismo abhorrere, nec ad hujusmodi novitatum flagitia ad indignas communiones iter sternentia confundenda exigi argumenta, sed unum sufficere communem Christianæ pietatis sensum, sufficere communissimas mysteriorum nostrorum notiones animis non omnino corruptis inseminatas. Nulla quidem communi cibo irrogatur injuria, si distracte sumatur : ergone idem de cœlesti cibo, qui Christus est, quemve in Altari Angeli sacro horrore perciti et contremiscentes, uti Chrysostomus tam ignite inculcat, adorant, censendum est ? Cur ergo nobis cibum illum discernere, corpusque Domini dijudicare tradens quod a Domino Apostolus acceperat, imperavit ? Quis in humano civilis urbanæque vitæ convictu rusticitatem illius toleraret, qui attente quidem cum Rege loquendum affirmaret, contenderet tamen dona ab illo impertita errabundo, negligenti, et incurioso, citra ullam offensam, animo suscipi posse, vel mensæ regali accumbere immodesto peregrinantique animo, Rege ipso intuente, licitum esse ? Quanto magis damnanda erit illius irreverentia, qui ad Regis regum mensam sedens, ipsum Dominum majestatis, qui ineffabili amoris miraculo conviva et convivium est, indevote suscipere ; quæ apponit, id est se ipsum in cibum porrectum non attendere, illumque panem vitæ et intellectus otiosa et scurrili cogitatione manducare non reformidat ? Sed de his statim in tertio dicto amplius. Erga attenti animi meditatio et reverentia adhibenda est eademque præsertim a sacerdotibus, ut omni mentis acie perpendant, quemadmodum ipsam Christi personam induti elementa in Christi corpus et sanguinem convertant, offerantque Deo hostiam pretii infiniti. Quid porro indignius, iniquius, et ingratius, quam ut munus, cujus Angeli digni habiti non sunt, tanta cum incuria oscitantes homines exequantur ? Atque inde elice Eucharistiæ se fructibus illos privare, qui neglecta interiorum actuum præparatione ad Eucharistiam haud satis reverenter accedunt. Illos vero in fortitudine cibi illius ire de virtute in virtutem, qui castorum desideriorum fervore cibum illum appetunt ; venientem fide adorant, caritate amplectuntur ; susceptum denique hospitem virtutum omnium officiis pro modulo honorare, pro virili colere, atque omnibus lætitiæ et amoris significationibus demulceri, ac demereri conantur.

Denique diximus cum S. Bonaventura, Magistro Nugno, Cabezudo, aliisque, eum qui dedita opera prudens et volens, atque, ut Scripturæ phrasi utar, *erecto collo* cibum Eucharisticum invadit cum mentis evagatione aliisque peccatis venialibus usum Eucharistiæ concernentibus actuque exercitis, tremendo mysterio contumeliam gravem inferre, subindeque in peccatum mortale incurrere. Tum quia hæc affectata temerarii animi impudentia divinissimarum rerum tremenda mysteria contemnit et floccifacit. Tum quia ista temeritas ex adipe iniquitatis prodit, nec aliunde ortum habet quam ex vitiorum et cupiditatum consuetudine inolita, qua ita obducitur atque obruitur animus, ut jam non solum nihil in ipso loci divinarum rerum cogitationi relinquatur, sed

etiam in profundum demersus atque defixus sacra quæque contemnit : denique qui præcepto recitandi divini officii et audiendæ diebus festis Missæ non satisfacit, qui toto lecti Breviarii vel celebrati Sacrificii tempore vanis et otiosis advertenter vacat, atque adeo peccati mortalis reatu afficitur. At divinum et naturale præceptum est Eucharistiam attente* et devote recipere, ut per se patet, et innumeris locis Patres ostendunt, quorum testimonia capite sequenti referemus. Ergo qui meditate Eucharistiam distracte et indevote recipit, in grave peccatum incurrit, et longe satius utiliusque foret a Communione abstinere, quam sancta et ipsum Sanctum sanctorum non sancte tractare.

Cordis ad Eucharistiam præparatio.

De cordis dispositionibus tum omnino necessariis, tum de proficuis et tanto cibo consentaneis ordine agendum est.

In primis ad dignam hujus Sacramenti susceptionem omnino requiritur cordis mundities et innocentia, sin baptismalis (quæ tamen convenientissima foret, unde olim baptizatis et confirmatis Eucharistia filiorum cibus porrigebatur) certe per pœnitentiam reparata. Hinc tam serio Apostolus I. Cor. XI : *Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quot verba totidem fulmina, quibus indigne communicantes conteruntur. *Probet se ipsum homo ;* scrutetur nimirum vitam, statum, propensiones, dispositiones, et anteactæ vitæ rationem excutiat et recognoscat. *Probet,* inquam, id est argumentis pœnitentiæ suæ, fidelitatis, firmitatis animi in peccata lethifera non relabentis confirmet, et ostendat cor se habere ad sacram Synaxim paratum. *Probet,* inquam, et persuadeat Confessario non verbis sonantibus, sed factis pronuntiantibus, se mutasse vitam dum vult accipere vitam : quæ probatio dilectionis exhibitio est operis : et nihil prosunt infinitarum pollicitationum folia, nisi veræ virtutis digni fructus edantur. Probet igitur seipsum : *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Ponderanda singularis loquendi formula. Manducare judicium, et non judicem dicitur indigne communicans ; quasi diceret, temerarius ille jam judicatus, jam condemnatus est : ibunt impii in resurrectionem judicii, seu condemnationis, ut ait Scriptura, et iste dum Christum indigne edit, in antecessum prædamnatur ; nunc judicium est ejus, secum fert æternæ mortis sententiam. Impuri corporis obscœnitates damnat virginea Christi caro : occallentis cordis duritiem sanguis condemnat Salvatoris : sanguis ejus sicut olim supra Judæos, ita et modo super eum. Animam infamem et criminosam damnat anima quam posuit ille pro nobis, qui est Salvator omnium, maxime fidelium. Indignum hospitium, sedem fœtidam et sordentem damnat majestas hospitis, præsentia Divinitatis. Denique judicium sibi manducat, qui manducat indigne, quia, sicut Eucharistia digne suscipientibus est pignus gloriæ, et arrha salutis, ita certa est impiorum condemnatio, et præjudicata sententia.

Irritam quis faciens legem Moysis, inquit idem Apostolus Hebr. X, *sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinis Testamentum pollulum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* At per communionem indignam Filium Dei conculcamus, pollutumque ducimus, qui conscientiæ horrendæ sordibus eum quantum in nobis est conspurcamus. Si hominibus Dei imaginibus intentatas injurias tam severe vindicat Deus picturæ suæ zelotes ; si Prælatis vices suas gerentibus illata damna tam dure plectit ; si, testante sacro eloquio Levit. XXII, *Omnis homo qui accesserit ad ea quæ consecrata sunt a filiis Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino :* quomodo in eos animadverteret, qui non imaginem, sed archetypum ; non Dei ministrum, sed Dominum majestatis : non rem consecratam ; sed principium totius sanctitatis, a cujus obsequio quidquid sacrum dicitur nomen habet, indigna communione floccifecerint, quibus et veridice regeri potest : *Molesti estis Deo meo?* Nulla, nulla plane inhumanior ingratitudo hujusmodi sacrilege accedentium præsumptione retribuentium mala pro bonis, sterilitatem animæ Christi Jesu.

Infanda fuit Judæorum in Christum contumelia, cum, uti narrat cap. XXVII. Matthæus, *genuflexi ante eum, illudebant ei dicentes : Ave Rex Judæorum ;* atque ut cap. XXII. addit Lucas, *velaverunt eum, et percu-*

tiebant faciem ejus, et interrogabant eum dicentes : Prophetiza, quis est qui te percussit? Nonne indignitatem illam qui indigne accedunt æmulantur? Corpore genuflectunt, cor autem eorum longe est ab eo ; Christum non velant, sed speciebus velatum quasi nihil videret, nec esset Propheta, vilipendunt. Quasi idolum illum habent, oculos habens et non videns, aures habens, et non audiens ; putantque illum non intueri, qui videt tanto patientius quanto sapientius.

Horrenda fuit tyrannorum illorum sævitia, qui post nomina mille, mille tentatas nocendi artes, pro coronamento crudelitatis mortua quin etiam jungebant corpora vivis. Ecce imaginem sævitiæ tuæ et meæ, lector Christiane, si quod Deus avertat, in statu peccati in Altaria mensamque dominicam irruamus, panem vitæ cordi peccato mortuo inseremus, Christum cum Belial copulemus. Quid ergo mirum, si Christum qui hujusmodi sunt, teste Apostolo, rursus crucifigunt in semetipsis? Crucifigunt, inquam, non Judæi quid faciant nescientes, quique si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixisssent; sed Christiani, quos fides irradiat, doctrina imbuit, frequens admonitio terret. Crucifigunt non clavo triplici sed triplici funiculo iniquitatis, nimirum anteactæ vitæ sordibus, confessionis vel pœnitentiæ simulatione, et sacrilegæ communionis temeritate. Crucifigunt non corpus immortale realiter præsens, sed corporis divinitate uncti efficacitatem impediunt, alligantque virtutem. Affixum cruci corpus distillabat salutis medicinam, et inter dolores parturientis formabatur interim Ecclesia, fluebant Sacramenta, in lymbos Patrum, in Latronem pœnitentem virtus Crucifixi derivabatur. At in sacrilegum sacræ mensæ invasorem nihil vivifica Christi caro operatur, nihil agit actus purus. Ergo quantum in te est moritur Christus, nisi foret alioquin immortalis. Incarnationem, ejusque extensionem Eucharistiam, « insitionem » Tertullianus, aliique appellant, favetque Jacobus « insitum Verbum » Christum appelans. Dum ramus caudici vel truncto inseritur mortuo, mori ipsum et recipientis sterilitate arescere necesse est. Ergo insitus cordi tuo per Eucharistiam Christus morte tua moreretur, nisi foret cæteroquin immortalis. Vah perfidum, qui amantissimum Salvatorem osculo et amplexu prodit! Vah crudelem, qui de corde suo patibulum erigit Redemptori, de corde, inquam, quod Christus sibi elegarat majestatis et clementiæ thronum, et reclinatorium aureum media caritate stratum. « Utinam vel rebus istis » (verba sunt Bernardi serm. 4. *de Resurrect.* in indigne communicantes merito vibranda) « esset contenta voluntas, nec in ipsum, horribile dictu, desæviret auctorem. Nunc autem et ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut non videre : vult ergo non esse Deum, quem vult aut impotentem aut nescientem. Crudelis plane et omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. »

Eadem veritas rationibus S. Thomæ confirmatur : Sacramentum Eucharistiæ est vinculum unionis, quo tota Ecclesia copulatur : unde qui hoc Sacramentum suscipit, ex hoc ipso significat se esse Christo unitum, et membris ejus incorporatum. Quæ unio fide caritate formata, subindeque cum peccato mortali insociabili initur : « Et ideo manifestum est, » inquit S. Thomas quæst. 80. art. 4, « quod quicumque cum peccato mortali hoc Sacramentum sumit, falsitatem in hoc Sacramento committit : et ideo incurrit sacrilegium tanquam Sacramenti violator, et propter hoc mortaliter peccat. » Pulchre S. Doctor ait indignum illum susceptorem « falsitatem in hoc sacramento committere. » Falsidicus enim et falsificus est, qui Sacramentum pacis usurpat, revera cum sit pietatis hostis, Christi quem suscipit inimicus. Nec fallere solum contentus est, sed falsa etiam, si posset, efficeret verba Veritatis. Veridice dixit Salvator : *Qui manducat me, vivet propter me : qui manducat me, habet vitam æternam.* At promissiones illas longe verissimas indigna communione irritas facit et nullas, qui mortem haurit de fonte vitæ, et panem vivum transfert in venenum.

Illustrat hanc doctrinam S. Præceptor in responsione ad primum argumentum, ex discrimine, quod commmunicantes inter et conversantes cum Christo, quandiu in terris versatus est, intercedit. Non submovebat a se Christus dum viveret peccatores, nec isti peccabant; quia Christus in propria specie apparens non exhibebat se contrectandum hominibus in signum spiritalis unionis cum ipsis, sicut exhibetur sumendus in hoc Sacramento. Et ideo peccatores cum Chri-

sto propria in spécie conviventes in crimen falsitatis circa divina non incurrebant; secus tamen est de peccatoribus indigne Sacramentum unitatis et pacis usurpantibus. Maxime quia Christus vitam mortalem degens similitudinem gerebat carnis peccati, nec peccatores a se arcebat qui venerat peccatores salvos facere, sed omnes ad se alliciebat, et congregare optabat, sicut congregat gallina pullos suos sub alis. At in Eucharistia corpus Christi gloriosum est, ibique mensam parat non hostibus, sed amicis; non extraneis, sed filiis; unde non habentes vestem nuptialem repellit, litigatosque manibus, et pedibus in tenebras projicit exteriores.

Si Petrus viso insolitæ capturæ piscium miraculo, tremens ac stupens ad genua se illius projecit : *Exi*, inquiens, Luc. v, *a me, Domine, quia homo peccator sum.* Si Centurio ad Christum adire ipse non audet, sed amicos mittit qui rogent pro servulo sanitatem; nec loqui audet, nisi ut indignum se profiteatur, qui domo sua illum excipiat, ut Matth. viii. et Luc. vii. claret; si mulier illa sanguinis fluxu laborans Christo coram sistere se non audet, sed retro accedens fimbriam vestis tremebunda attigit, ut Matth. ix. et Luc. viii. videre est; si mulier illa peccatrix post extinctam cœlestis incendio amoris cupiditatis flammam, retro secus pedes Domini stetit, non se illi coram obtulit, non arripere manum, sed pedes tantum osculari, ac lacrymis rigare contenta : qua fronte ad Christum jam a Patre claritate quam habuit antequam mundus fieret clarificatum, æternaque gloria circumfluentem accedent impœnitentes peccatores; nec accedent modo, sed sument, sed osculabuntur, sed manducabunt, eo procacius et petulantius, quo se fœdiores flagitiis, omnique pietatis sensu alieniores senserint?

Illustrat rursus hanc ipsam doctrinam S. Præceptor in responsione ad secundum, observando Eucharistiam quidem, utpote Sacramentum, medicinam esse, sed tamen non omnem medicinam cuique ægroto secundum quemlibet infirmitatis statum esse opportunam et salutarem. Nam medicina, quæ daretur jam liberatis a febre ad confortationem, noceret si daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam Baptismus et Pœnitentia sunt quædam medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati. Hoc autem Sacramentum est medicina confortativa, quæ non debet dari nisi liberatis a peccato. Maxime quia hoc Sacramentum non medicina tantum, sed cibus etiam est : sicut autem cibi ore accepti in stomachum bene affectum illabentes corpora alunt et sustentant, qui vero in pectora vitiosis humoribus occupata infunduntur, graves morbos efficiunt : sic cœlestis iste cibus dum animo rite composito suscipitur, ad perfectam animi sanitatem et sanctitatem maximo adjumento est : at vero cum ipso nos indignos præbemus, sempiternam mortem affert.

Quorum rationem radicalem in responsione ad 3. S. Doctor profunde tradit : maximis et veris bonis nullus quidem male utitur tanquam perversi usus principio; illis tamen perversi abutuntur tanquam objecto mali usus, ut in iis liquet, qui de virtutibus superbiunt. Eucharistia ergo Sacramentorum maximum, Christumque unum et summum bonum nostrum realiter continens, mali usus principium esse non potest, at objectum tamen. Nihil ergo mirum, si malum invehat indigne sumentibus tanti boni susceptio. Ut enim præclare Catechismus Romanus part. 2. titulo *de Eucharistia*, num. 58. dixit, optimis rebus et maxime salutaribus hoc proprium est, ut si in tempore iis utamur, vehementer prosint; sin alieno tempore adhibeantur, perniciem et exitium allatura sit intempestiva susceptio. Ita optime affecti et præparati animi amplissimis cœlestis gratiæ muneribus in usu Eucharistiæ donantur; imparati vero non solum nihil commodi, sed maxima etiam incommoda et detrimenta accipiunt.

Corollaria derivata.

Ex quibus omnibus concludit S. Doctor art. 5, quod etsi peccatum indigne communicantium non sit omnium gravissimum (quia peccata divinitatem ipsam immediate inhonorantia, puta infidelitas, blasphemia, odium Dei deteriora sunt), sacrilega tamen communio gravioribus criminibus accensetur, et a Doctoribus peccato occidentium Christum confertur, quod contra corpus Christi patratum est. Comparatur etiam peccato Iscariotis Christum osculo mortem illaturis tradentis. Sed de his jam ante satis diximus, quando locum illum Apostolicum exponebamus, ubi indigne communicantes rei corporis et sanguinis Domini dicuntur.

Nota tamen ex eodem S. Doctore pecca-

tum indigne sumentium augeri posse vel minui ratione circumstantiarum ; peccatum enim ex ignorantia vel infirmitate levius eo est, quod ex contemptu certaque scientia proficiscitur : et sic longe gravius peccant qui ex contemptu cum conscientia peccati mortalis sacram mensam invadunt, quam qui ex timore vel aliqua inconsiderationc in statu peccati mortalis accedunt. Unde docet S. Thomas ad 3. quod ille qui projiceret hoc Sacramentum in lutum, longe gravius indigne communicante peccaret, utpote de industria conculcationem, injuriam, et contemptum adorandi Sacramenti intenderet, ad quod indigne corpus Christi accipiens per se non attendit.

Infert 2° S. Præceptor, peccatum fornicationis et luxuriæ hominem ad susceptionem purissimi Sacramenti magis ineptum efficere ; quia nimirum obscœna peccati carnalis libido spiritum carni dum subjicit, mentem hebetat, pietatem extinguit, et fervorem dilectionis ad concoquendum cœlestem cibum tantopere necessarium maxime impedit.

Hinc sancta mater Ecclesia castissimi sponsi sui amore flagrans, et zelo zelata pro decore domus Dei, per plura sæcula peccati mortalis, luxuriæ potissimum sorde commaculatis cœlesti cibo interdicebat, Diaconos vero et Sacerdotes gradu in perpetuum dejiciebat. « Neque enim fas est, » ut ait Joannes II. in epistola 1. *ad Cæsarium Arelatensem*, « pollutum criminibus sacris mysteriis deservire. » Et, ut addit Gregorius Magnus lib. 4. *Epistolarum*, epistol. 16, « si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, rigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ, dum pro reversionis spe pravæ actionis desideria quis concipere non formidat. » Idque præclare confirmat S. Martinus I. *ad Amandum Trajectensem episcopum*, his verbis : « Nullatenus in hujusmodi peccato delinquentibus ad destructionem Canonum compassionem exhibeas. Nam qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipisci : sed sufficiat ei lamentationibus fletibusque assiduis, quoad usque vixerit, in eadem pœnitentia addurare, ut commissum delictum divina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad sacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium præpediat ; quanto magis si post ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, et prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis mysterium nostræ salutis tractare ? »

Infert 3° S. Thomas responsione ad quintum argumentum, indigne illos etiam ad communionem adire, qui ex ignorantia juris naturalis se esse in statu gratiæ opinantur. Placet verba S. Præceptoris longe pulcherrima producere, quibus præter specialem circa Eucharistiam doctrinam, stabilitam olim a nobis de ignorantia juris naturalis (quam semper culpabilem, semper invincibilem diximus) sententiam egregie confirmat. « Hoc quod non habet aliquis conscientiam sui peccati potest contingere dupliciter : uno modo per culpam suam, vel quia per ignorantiam juris quæ non excusat, reputat non esse peccatum quod est peccatum, puta si aliquis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale : vel quia negligens est in examinatione sui ipsius, contra id quod Apostolus dicit I. Cor. XI : *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat*. Et sic nihilominus peccat peccator sumens corpus Christi, licet non habeat conscientiam peccati ; quia ipsa ignorantia est ei peccatum. Alio modo potest contingere sine culpa ipsius, puta cum doluit de peccato, sed non est sufficienter contritus. Et in tali casu non peccat sumendo corpus Christi, quia homo per certitudinem scire non potest, utrum sit vere contritus. Sufficit enim si in se signa contritionis inveniat, puta si doleat de præterito, et proponat cavere de futuris. Si vero ignorat hoc quod fecit, esse actum peccati, propter ignorantiam facti quæ excusat, puta si accessit ad non suam quam credebat esse suam, non est ex hoc dicendus peccator. Similiter etiamsi totaliter est peccatum oblitus, sufficit ad ejus deletionem generalis contritio, unde jam non est dicendus peccator. »

Vide Angelici doctoris semper sibi similis constantiam, et consonantiam in damnanda peccati juris naturalis ignorantia, puta fornicationis, quam tamen quidam Probabilistæ non solum bonam, sed (quod horribile dictu est) meritoriam etiam posse esse effutierunt. Vides etiam certas et incorruptas regulas, quibus dignoscere est, an et quando ignorantia peccati excusat, vel accusat divinæ Eucharistiæ susceptores. Frustra ergo colores quærunt ad excusandas excusationes in peccatis, qui in mediis flagitiis nihil in se

flagitiosum censentes liberos se peccatis mortiferis arbitrantur : pœnales enim cœcitates sparsæ super illicitas cupiditates, boni malique discrimen eripientis majora sunt depravatæ mentis argumenta. Perperam etiam se juxta Apostolicum mandatum probasse censendi sunt, qui sola peccatorum recensione contenti, serio non excutiunt aut scrutantur, num Deo se sincere dedant, num vitam mutent, num a peccati servitute se expediant, ut in posterum ex Evangelii lege, ex Baptismi pacto mores suos componant. Quia nimirum falsis, et inanibus cogitationibus Deus non capitur, non superficie voluntatis, sed internis cordis affectibus, qui in emendatiorem vitæ frugem funduntur. Nulla sane indignæ communionis pœna terribilior stupore illo, quo quis non intelligit vitio suo post tot communiones eamdem mortaliter peccandi infirmitatem, eamdemque proclivitatem experiri.

Infertur 4° præter contritionem sinceram insuper desiderari confessionem sacræ Communioni præmittendam. Etsi enim jus naturale exigat tantum ut sancta sancte tractentur, quod fieri posse videtur ab eo, qui vero peccatorum dolore ex amore Dei concepto permotus fuerit : Confessionem tamen postulat jus tum Ecclesiasticum, cum divinum positivum. Ecclesiasticum quidem in Tridentino sess. 13. can. 11. expressim pronuntiante , nemini peccato mortali contaminato licere ad Eucharistiam accedere, modo Confessoris copia non desit, antequam sacramentali confessione culpas eluerit. Idem etiam præcipere videtur jus divinum verbis illis Apostolis denuntiatum, *Probet se ipsum homo ;* quod mandatum a Deo acceperat, Paulus : *Ego enim*, inquit, *accepi a Domino, quod et tradidi vobis.* Hoc autem præceptum de confessione tum Ecclesiastica consuetudo, tum sacra Tridentinæ synodi auctoritas interpretantur. « Ecclesiastica consuetudo, » ait Tridentinum sess. 13. cap. 7, « declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. » Patres etiam Eucharistiæ susceptioni præmittendam sacramentalem confessionem asseverantes, id ex Evangelica lege esse declarant. Videatur B. Cyprianus epist. 10. 11. et 12, ubi presbyteros reprehendit, quod Eucharistiam darent lapsis, qui nondum egissent pœnitentiam, nec peccatorum exomologesin, id est confessionem, contra Evangelii legem fecissent, « Christus Jesus, » inquit S. Leo epist. 91, « præpositis Ecclesiæ hanc tradidit potestatem, ut et pœnitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. » Ubi reconciliationem Communioni ex institutione Christi præmittendam esse affirmat. Hinc in concilio Ancyrano can. 4. et sequentibus, et Nicæno can. 11. et 12, lapsis non solum pœnitentia injungitur, sed etiam quandonam eis communio sit concedenda, Sacerdotum eorum culpas et pœnitentiam dignoscentium arbitrio permittitur. Unde confessionem necessario præmitti oportere semper Ecclesia judicavit. Sane, si juxta Ambrosium *in cap.* IX. *Lucæ*, « nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus ; » si Eucharistia sit vivorum alimonia, necessario illud Sacramentum præmittendum est, quo innocentia perdita reparatur, adeundique Sacerdotes sunt quibus remittendorum eorum peccatorum Christus contulit potestatem.

Consulto autem dixit concilium, « si desit copia confessoris, et Communionis necessitas urgeat, » ne in necessitate positos, et confessoris penuria laborantes tam necessaria alimonia privaret. Tunc porro non est copia confessoris, cum nec Sacerdos adest, nec moraliter adesse potest; vel si adest, surdus est, vel linguam pœnitentis non intelligit, nisi forte per signa, et nutus totum suppleri possit. Tunc vero communicandi necessitas urget, quando ad communionem præcepto divino vel ecclesiastico tenemur, puta in articulo mortis, in Paschate, vel quum debet parochus celebrare, nec per alium ullo prorsus modo supplere potest. Præcipit tamen sacrum concilium sacerdotibus, ut si necessitate urgente absque prævia confessione celebraverint, quamprimum confiteantur, ut omissum propter circumstantiarum angustias remedium amplius non differatur, foveaturque ministrorum socordia, contra id quod scriptum est : *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Specialiter autem ad promptam confessionem sacerdotes, non laicos divinitus inspirata synodus obstrinxit ; tum quia sacerdotes tales optat, qui quotidie, vel certe frequenter celebrare possint : ut ergo ad sacra facienda idonei reddantur et permaneant, quantocius illos

sacramentali confessione purgari imperavit. Hinc facile judicatu est, quibus in casibus licet non præmissa confessione tremenda adire mysteria.

Ex quibus etiam intelliges quam damnanda sit Græcorum Sacerdotum cæcitas, qui, ut refert Arcudius lib. 3. cap. 60. Liturgiam celebraturi nunquam ferme etiam post patrata crimina confitentur : quem abusum Russorum presbyteros imitari refert lib. 4. cap. 2. Tanti abusus, tantique sacrilegii causa hæc est, quod cum canones antiqui clericos in peccatum ad mortem, et nominatim in fornicationem lapsos perpetuo ab executione Ordinum suspendant, eosque in sortem laicorum redigant ; ne ab officio cessent, de graduque dejiciantur Græci sacerdotes, ne scelera sua ob interdictum ministerium aliis patefaciant, ideo sacramentalem refugiunt confessionem ; quasi vero idcirco magis digni magisque ad divina conficienda, tractanda, sumendaque idonei sint, quod culpas occultent suas : cum non peccata fateri, sed peccata admittere pudendum sit, et Deo occultorum scrutatori et vindici horrendum ? Nec advertunt veterem illam disciplinam præ fervore priorum temporum institutam his posse temporibus aliqua, justa tamen et rationabili indulgentia temperari. Nam idem Basilius, qui lapsos ministros a gradu et executione ministerii primitivorum conciliorum vestigia insistens dejicit, utraque scire monet canone 3, « et quæ sunt summi juris, et quæ sunt consuetudinis : sequi autem in iis, quæ summum jus non admittunt ; formam traditam, hoc est consuetudinem. » Canon etiam 73. vel juxta distinctionem Græcorum 74 : « Si quis eorum, » ait, « qui peccatis a nobis supra expositis impliciti fuerunt, adhibita exomologesi probus evaserit, is cui a Dei benignitate ligandi atque solvendi potestas est credita, si ejus qui peccavit præstantiam Confessionis intuens in diminuendo pœnarum tempore clementior fuerit, non utique reprehensione dignus censebitur. » Cujus moderationis causam affert can. 84 : « Hæc enim omnia scribimus, ut tamen fructus probentur pœnitentiæ. Non enim omnino hujusmodi res tempore judicamus, sed modum pœnitentiæ attendimus. » Longe etiam mitius erga peccatores seipsos accusantes, et mutationis signa ostendentes, quam erga reos in malo deprehensos, vel invitos convictos se gerere Ecclesiam testatur sanctus Gregorius Nyssenus epistola *ad Letoium episcopum Melitensem*. Quia nimirum Prælati pœnas et augere possunt et minuere, eisque potestas inest nedum pœnarum tempora pro pœnitentium contritione minuendi, sed et pœnas etiam mutandi.

Infertur 5°, quod, licet in foro interiori Confessarius hos arcere debeat ab Altaribus, in quibus vera non cernit dignæ pœnitentiæ signa ; attamen in foro externo non occultis, sed publicis duntaxat notoriisque peccatoribus sacra Communio deneganda est. « Cum enim quilibet Christianus, » inquit S. Thomas quæst. 80. art. 6, « ex hoc ipso quod est baptizatus, sit admissus ad Dominicam mensam, non potest ei jus suum tolli nisi pro aliqua causa manifesta. Occulta » (addit ad 1) « non possunt publice punuri, sed sunt divino judicio reservanda. » Idque confirmat quæst. 81. sequenti, art. 2. exemplo Judæ, cui Dominus corpus suum porrexit, nec a Communione repulit, quem totius impietatis extremum effecerat indignissimum. « Quia Christus » (verba sunt ejus) « nobis debuit esse exemplum justitiæ, non conveniebat ejus magisterio, ut Judam occultum peccatorem sine accusatore et evidenti probatione ab aliorum communione separaret, ne per hoc daretur exemplum Prælatis Ecclesiæ similia faciendi. Christo » (addit ad 2.) « nota erat Judæ iniquitas, sicut Deo ; non autem erat sibi nota per modum quo hominibus innotescit. Et ideo Christus Judam non repulit a Communione, ut daret exemplum tales peccatores non esse ab aliis Sacerdotibus expellendos. » Soli ergo peccatores publice ab Altaribus arcendi sunt.

Porro per publicos peccatores intelligendi sunt illi, quorum vitia notorietate facti explorata sunt, quales sunt manifesti usurarii, concubinarii, raptores, etc., vel qui tales per judicium Ecclesiasticum vel sæculare juridice declarati sunt. Neque enim, ut Cyprianus epist. 71. ait, vel Majestati divinæ, vel Evangelicæ disciplinæ congruit, ut pudor, et honor Ecclesiæ tam turpi, et infami contagione fœdetur. Quare ante pœnitentiam publicam, et manifestam, quæ ita sit nota ut notum est crimen, non est hujusmodi criminosis Eucharistia concedenda. Monet tamen S. Doctor publicis peccatoribus præcipue in articulo mortis Communionem non esse denegandam. Quod et antea concilium Carthaginiense III. can. 35. statue-

rat his verbis : « Scenicis atque histrionibus, cæterisque ejusmodi personis, vel apostatis conversis ad Deum reconciliatio non negetur. »

Dices : Peccator occultus non habet jus petendi Eucharistiam. Ergo non tenetur sacerdos peccatori occulto sibi noto Eucharistiam impertire. Sane qui habet ensem apud se depositum, furioso illum repetenti ad occidendum restituere non tenetur, sed ei potius denegare, ne homicidii reus sit, omnino debet : quidni corpus Domini in condemnationem suam petenti sacerdos recusabit?

Respondeo peccatorem peccato suo jus quidem ad Eucharistiam in foro interiori amisisse ; at in externo, juxta quod Ministri in functionibus secundum allegata et probata operantur, jus illud amisisse non constat. Unde sacerdos qui ut publicus Christianæ Reipublicæ minister, et bonorum ejus œconomus agit, secundum publicam, non vero secundum privatam scientiam se genere tenetur. Exemplum autem gladii occulto sicario denegati multifariam dispar est. Tum quia custos ensis non est minister publicus, potestque juxta privatæ scientiæ lumina boni communis intuitu operari. Tum quia retinendo gladium nullam petenti, cui denegat, creat infamiam ; Sacerdos vero occultum peccatorem ad sacram mensam publice accedentem sua repulsa infamaret. At nemo potest occultum peccatorem propalare : et licet gravius sit indigne Communionem usurpare, quam peccatorem occultum dedecorare ; nullum tamen malum faciendum est ut veniant bona, vel ut majora mala impediantur. Tum demum quia denegato gladio vitatur homicidium : at substractione Communionis etsi externum sacrilegium impediatur, internum tamen, in quo tota malitia sita est, non vitatur. Ergo grandis interest inter utrumque casum differentia. Illud tamen facile probaverim, quod si aliqua ita honesta, et speciosa excusatio prætexi posset, ut nullum infamandi peccatoris ejusque occulti criminis prodendi periculum subesset, Communionem posset prudens sacerdos peccatori occulto publice petenti denegare. Sed rarissimus est casus, in quo prudentia et discretio superemineat necesse est.

Cavendus autem hic diligenter est quorumdam ignorantium error, qui ad evitandum indigne communicantium sacrilegium hostiam non consecratam porrigendam opinantur. Sed hæc existimatio etsi forte a pietate profecta, tolerari non debet. Tum quia sumenti et præsentibus hostiam proponere adorandam, cui nullus cultus debetur, nefarium est, et idololatriam veræ Religioni sufficere sacrilegum. Tum quia corpus Christi se præbere verbis, factisque sacerdos significat : quod mendacium intrinsece malum cum sit, nulla potest intentione honestari. Tum quia non vitatur sacrilegium suscipientis ; qui enim credit se hostiam consecratam indigne accipere, profecto corporis et sanguinis Domini reus efficitur ; mala quippe voluntate reus quisque efficitur, nec a sacrilegii scelere eximitur, qui sacrilegium voluit, licet rem sacram per accidens non invenerit. « Licet is, » ut habetur extra. *de celebratione Missarum*, « qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter si se ingerat ; gravius tamen videtur offendere, qui illud præsumpserit simulare. »

Infertur 6°, occulto peccatori occulte petenti negari posse Eucharistiam, ut docet S. Thomas in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 5. quæst. 1. Quia nimirum tunc non propalatur delictum, nec ulla petenti accersitur infamia : non injustitia ergo, sed magnæ caritatis est Eucharistiam sacrilego illi denegare. Quod verum esse ait ibidem S. Doctor, « etiamsi Sacerdos sciat peccatum alicujus per confessionem. » Nec propterea sigillum confessionis aperiet, nec exprobrabit delictum in confessione cognitum, sed mere negative se habebit : neque hoc fiet crudeliter, sed misericorditer, ne perire volenti auxilium mortis conferat : sicut denegare illi gladium potest, quo ad mortem inferendam uti velle ex confessione novit. Sed de his magis dum de sigillo confessionis.

Infertur 7°, reos morti adjudicatos Eucharistiæ esse capaces, si modo vere pœniteant, et peccata confessione sacramentali eluerint. Ita enim sacri canones declararunt ut habetur cap. *Quæsitum*, 13. q. 2 : « Quæsitum est ab aliquibus fratribus, de his, qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus post confessionem Deo peractam, utrum cadavera eorum ad Ecclesias deferenda sint, et Missæ celebrandæ, an non? Quibus respondemus, si de omnibus peccatis suis puram confessionem agentibus, et digne pœnitentibus communio in fine secundum præcepta canonum danda est, cur canones

communionem vel sepulturam eis interdicunt, qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt, et confitentur vel confiteri desiderant? » Hinc in pluribus Christiani orbis regnis reis capitali sententia damnatis Eucharistia porrigitur. In Italia quidem, ut patet ex diplomate Beati Pii V. quo Confraternitas de Misericordia confirmatur; atque ex Concilio V. Mediolanensi sub sancto Carolo celebrato, in quo etiam Christiani judices et magistratus laudantur curantes ut ne eo die capite damnati supplicio afficiantur, quo ad modum viatici cœlesti corporis Christi cibo refecti sunt. In Hispania etiam morem illum vigere testatur Sylvius quæst. 80. art. 6. quæsito 1, et Marcus Serra in suis in hanc quæstionem commentariis.

At vero in Ecclesia Gallicana consuetudo illa dudum desiit. Credibile etiam est Patres nostros piis rationibus permotos morem illum abrogasse : tum ut Eucharistiæ subtractione aliis criminosis timor incuteretur, et ea pœna, quæ Christianis maxima est, a peccandi facilitate cohiberentur. Tum quia experientia rerum magistra compererunt, rarissime hujusmodi sceleratos ad dignam Communionem satis esse compositos, qui de salute animi parum solliciti, et crimen inficiati, et actores odisse, et testes infamare, et judices detestari usque ad locum supplicii sæpius solent. Dedeceret autem in infami supplicii theatro, in quo duntaxat odia et simultates deponunt, adorandum Christi corpus circumgestare et ministrare : et præter quod in illis repentinæ mortis terroribus nec animus satis est sibi compos, corpus etiam torturis debilitatum mortisque metu oppressum ad manducandum sacrum epulum haud idoneum est. Nec expediret corpus a carnifice ignominiose tractandum, avibus, canibus, lupis, aliisque feris quam primum exponendum, Christi Domini receptaculum et tabernaculum fieri : redundaret quippe in hospitem divinum hospitio illata injuria ; et Domini præsentia consecratam arcam discerpere, et inhonorare, sine Sacramenti contumelia non contingeret. Canones ergo supra laudati intelliguntur, quando inter supplicii et confessionis dies tanta intercapedo interest, ut rei et pœnitentiæ fructus edere, et mortem patienti animo subire, et ad Communionem necessariis virtutum christianarum exercitationibus se apparare facile possint. Tunc enim nihil causæ erit, cur canones præfati non observentur.

Ex quibus obiter intelliges vulgi sententiæ periculum existimantis securam et tutam esse hominum ultimo supplicio adjudicatorum mortem, utpote minime inopinatam, et ad extremum usque spiritum rationis et judicii facultate gaudentem. Unde ortum est commune adagium : « Sicut nunquam difficilius quam ex aquis submergentibus ; ita nunquam facilius quam e patibulo in cœlum conscenditur. » Et aliud ei affine : « Submersorum vix unus non perit ; suspensorum vix unus æternum perit. » Nescio ubinam Scripturarum, Patrum, vel conciliorum securitatem istam legerint.

Ego contra apud Augustinum homil. 40. legi : « Non præsumo, non vos fallo. Fidelis bene vivens securus hinc exit : baptizatus ad horam securus hinc exit ; agens pœnitentiam, et reconciliatus cum sanus est, et postea bene vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum, et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Unde securus sum, securus sum, et do securitatem : unde non securus sum, pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Vis te de dubio liberare? Vis quod incertum est evadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Tene certum, dimitte incertum. »

Legi apud eumdem Augustinum serm. 57. *de tempore :* « Nec illud servet quis ex vobis conscius criminum suorum, ut in extremo vitæ suæ tunc pœnitentiam petat, quando jam agere non possit : inutilis est enim, dilectissimi, ista persuasio. Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari : sed auctores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolvi. Quomodo enim agit pœnitentiam lapsus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus constitutus? Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur. Et ideo, dilectissimi, quicumque invenire vult misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, si sanus esse vult in futuro. »

Legi etiam apud Augustinum singularem

casum nostrum tractantem, ideo episcopos pro reis damnatisque deprecari, ut vita iis producta pœnitendi spatium non deesset. « Nullo modo, » inquit epist. 54, « culpas quas corrigi volumus approbamus; nec quod perperam committitur, ideo volumus impunitum esse, quia placet : sed hominem miserantes, facinus autem, seu flagitium detestantes, quanto magis nobis ipsis displicet vitium, tanto minus volumus inemendatum perire vitiosum. Morum porro corrigendorum nullus alius quam in hac vita locus est; nam post hanc vitam quisque id habebit, quod in hac sibimet conquisierit. Ideo compellimur humani generis caritate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut non possint finire supplicium. »

Si tantularum horarum spatio ad mortem sancte obeundam possint vel nocentissimi post flagitiosæ totius vitæ curriculum comparari, si a supplicii ignominia tam facilis et secura sit ad æternam gloriam via et profectio, cur de vita reis producenda, ut protracto vitæ spatio, pœnitendi, Deique placandi tempus suppeteret, tantopere Patres fuere solliciti ? Cur rem esse plenam periculi arbitrati sunt, conversionem in extremum vitæ diem dilatam? Cur eam sic peractam suspectam parumque tutam habuerunt; eamque securam dixerunt, quæ « justo tempore », ut Cyprianus ait, diuturnarum lacrymarum vi diuturna flagitia elugente et eluente agitur? Cur paucula momenta multorum annorum debitis exsolvendis vix satis esse saltem de via ordinaria crediderunt, et subitaneam pœnitentiæ abundantiam quæ Deo pauculo tempore satisfaciat, inusitatis divinæ misericordiæ miraculis accensuerunt? sed de his iterum dum de pœnitentia.

Corporis ad Eucharistiam præparatio.

Corpus etiam, quod animatum Christi tabernaculum futurum est, congruis atque ab Ecclesia Deo afflante institutis dispositionibus apparari oportet.

In primis corpus non debet ea infirmitate laborare, ex qua tanti Sacramenti irreverentia merito timeatur : puta si infirmi tanta esset stomachi vel pectoris ægritudo, ut præ vomitus tussisque frequentia Sacramentum nec deglutire, nec retinere posset. Eucharistiæ enim suscipiendæ præceptum solos manducare valentes astringit : manducare autem non posse jure merito ille censetur, qui porrectum cibum nec sorbere valet, nec sorptum retinere. Affirmativum etiam recipiendi viatici præceptum negativo de nunquam irreverenter tractanda Eucharistia cedit.

Præterea talis desideratur corporis munditia et nitor, talisque totius externi habitus modestia, ut in omnibus motibus nihil fiat quod cujusquam offendat aspectum, sed quod christianam sanctitatem, et tanti mysterii reverentiam deceat. Etsi autem rationabile et quodammodo religiosum videatur per diem Communionis in vestitu nitidiore prodire, et habitu corporis cultiore et ornatiore hilaritatem mentis ostendere; sicut etiam vasa sacra et altaria in honorem Sacramenti propensiore cura mundantur; duo tamen sunt quæ probari nequaquam possunt. Primum enim tolerari non potest effœminatus, mollisque quorumdam vel quarumdam ornatus, meretrici aut saltatrici magis congruus quam Christiano aut Christianæ. Sane nihil turpius quam corpus nostrum Christi sumptione consecrandum his profanis nugis dehonestare, quæ mentem Deo vacuam mundoque plenam, et cor inanissimum demonstrant. Alterum non minus cavendum, corrigendumque per grandem abusum irrepere interdum solet; cum nimirum die susceptæ Eucharistiæ nonnulli carnali otio vacantes, totum tempus, quod piis exercitationibus transigendum erat, in ludis, aleis, spectaculis, choreis, conviviis, accepti doni obliti consumunt. Et tamen, si Superis placet, devotos haberi et audire volunt.

Tertio mundi corporis dispositio exigit, ut accedens ad Eucharistiam non fuerit nocturna pollutione exceptis quibusdam casibus citra culpam contingentibus fœdatus. Postulat hæc dispositio, ut exponamus doctrinam S. Tom. q. 80. art. 7, ubi præclaras in hanc rem regulas præscribit.

Prima regula : « Quotiescumque pollutio nocturna est peccatum mortale, Communionis usum ex necessitate impedit. » Tunc autem pollutio est peccatum mortale, quando adest voluntatis consensus, vel quando ex cogitationibus, imaginationibus, vel sermonibus impudicis ultro susceptis proficiscitur. Si enim peccatum mortale usum Eucharistiæ impedit, a fortiori pollutio ex pec-

cato lethali consecuta, quæ culpæ corporis immunditiam, et mentis hebetudinem superaddit.

Secunda regula : « Quoties pollutio nocturna sine peccato contingit, sacram Communionem non impedit ex necessitate. » Tunc vero peccatum non intervenit, quando lascivæ cogitationes prorsus involuntariæ et in se et in sua causa sunt ; quando etiam aliquis causa lectionis, disputationis, ministerii Confessionis ea revolvere cogitur, unde imaginatio, et deinde corpus repugnante voluntate fœdatur, quando demum pollutio ex causa mere naturali, puta infirmitate, jejunio, et vigilia accendente sanguinem, vel naturæ superflua ejiciente expultrice facultate ortum habet.

Tertia regula : « Pollutio quæ ex sola dæmonum justos a Communione ejusque fructibus arcere volentium nequitia oritur, nullatenus suscipiendæ Eucharistiæ impedimento est. » Unde in collationibus Patrum, collat. 22, legitur Fratrem quemdam arte et factiosa ludificatione dæmonum diebus festis, quibus usurpanda de more monasterii Communio erat, obscœnis illusionibus divexari, et pollutione inquinari solitum de seniorum et divino lumine perfusiorum Patrum consilio ab Eucharistia statis diebus frequentanda minime, uti trepidus cœperat, abstinuisse, et maligni spiritus insidias in fumum evanuisse.

Quarta regula : « Pollutio per se et natura sua ex quadam congruitate impedit pro illa die Communionem, nisi necessitas, vel obedientia, vel magna utilitas, aliaque pia causa aliud suadeant. » Ratio est, tum quia reverentiam Sacramenti non decet fœditas illa corporalis ex immundo fluxu consecuta ; si enim lavare manus præcipiuntur qui sacra tractaturi sunt, quanto magis a pane Angelorum recendere debet non nominandis sordibus infectus ? Excipe nisi fluxus esset præ infirmitate vel continuus, vel certe frequentissimus. Tum quia pollutio nocturna ordinarie ex immundis cogitationibus nascitur, sive inter dormiendum excitatis, sive in vigilia immissis. Unde mentis evagatio, cordis dissipatio, orationis ariditas, fervoris imminutio interdum sequuntur. Quæ omnia sponsi venturi lectulum virtutibus floridum nonnihil deturpant. Unde D. Thomas in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 4. quæst. 2. docet quod quando nullus pollutionis consensus præcessit, potest quis urgente necessitate aut ratione potiore suadente celebrare : « Alias, » inquit, « si necessitas non incumbat, videtur non exhibere debitam reverentiam Sacramento ; non tamen si celebrat, mortaliter peccat, sed venialiter. »

Excepimus tamen casus non solum malitiæ dæmonum insidiantium, sed etiam necessitatis, utilitatis, præcipue obedientiæ, devotionis publicæ, aliarumve causarum, quæ viris piis non raro accidunt. Exceptio hæc traditur a B. Gregorio epistola ad Augustinum Anglorum episcopum, responsione ad undecimam interrogationem, ubi sic habet : « Cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omni modo hæc illusio non est timenda ; quia hanc animus nesciens pertulisse, magis dolendus est, quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii, vel Missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhibetur mysterium pro eo quod sacerdos alius in loco deesse ipsa necessitas compellit. Nam, si adsunt alii, qui implere mysterium valent, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet ; sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit.

Quinta regula : « Post pollutionem mortalem nullus etiam confessus, et absolutus eodem die sacram mensam adire debet. » Ita expresse D. Thomas in 4. dist. 9. citata, in responsione ad secundum argumentum, ubi crimine pollutis, tametsi contritis, intervallum aliquod præscribit anteaquam ad Eucharistiam accedant. « Non esset consulendum alicui, » inquit, « quod statim post peccatum mortale etiam contritus et confessus ad Eucharistiam accederet, sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere. » Sed de his capite sequenti, ubi de frequenti Communione, operosius disputabitur.

Quarto corporis mundities ad altare apportanda petit, ut copula conjugalis, sive illa debitum reddendo ; sive illa, et multo magis, debitum petendo contingat, toto Communionis die intermittatur. Etenim ex illa non minus, sed longe magis quam ex pollutione involuntaria fœditas corporalis et

mentis divagatio consequuntur. Sane, ut optime post Hieronymum D. Thomas quæst. 80. art. 7. ad 2. argumentatur, si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant, comedi non poterant, quanto magis panis, qui de cœlo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulo ante vacavere amplexibus, violari atque contingi? Neque propterea nuptias condemnamus, sed in tanti reverentiam Sacramenti a Christianis petimus, ut eo die Agni immaculati carnes non comedant, quo a carnalibus operibus non desistunt. Congruit ergo hujusmodi hominibus dilationem aliquam suadere, quamvis si copula procreandæ tantum gratia prolis acciderit, post datum pietatis consilium tales, ut Gregorius ait, suo sunt judicio relinquendi.

Si vero copulæ non generandæ prolis vel debiti reddendi causa quis operam dederit, sed una eo in opere voluptas dominata fuerit, tunc eo die sacram mensam invadere non debet, alioquin in peccatum veniale incurret; causa enim voluptatis, quæ per se peccatum saltem veniale est, non est illis causis potioribus annumeranda, quæ, ut loquitur S. Thomas in 4. dist. 9. relata, actum reformare seu purgare possunt. Itaque conjugati omni industria, quantum in illis est, studere debent, ut immaculatam castimoniæ puritatem illo vel maxime tempore teneant, quo venerandæ assistere mensæ, et sacrosanctam ac salutarem escam percipere optant, ut ad gratiam cibi salutaris confidenter accedant, et corporis Christi realiter præsentis, realemque munditiam postulantis participes facti, medicina tam divini remedii non fraudentur.

Jejunium ad sacram Communionem, exceptis paucis extremæ necessitatis articulis, semper necessarium.

Hæc est ultima corporis dispositio, quam irrident hujus temporis hæretici Lutherani, omnium quidem Catholicæ Christi Ecclesiæ rituum hostes, sed jejunii potissimum inimici, cui post ablegatum cœlibatum consequenter quidem, sed impie tamen bellum indixerunt. Approbant quidem Calvinistæ Eucharistiam a jejunis sumi : nolunt tamen de hac circumstantia, sicut et de aliis jure divino non institutis nos esse sollicitos, rati nullum nisi a Deo præceptum Christianis posse imponi. At vero Lutherus hæreticorum omnium impudentiam procacitate sua vincens lib. *de abroganda Missa privata*, consuetudinem Ecclesiæ jejunium ad Communionem requirentis, et non jejunos velut indignos ab Altaribus arcentis, « furorem furore furosiorem » ipse furibundus appellat, laudatque cibum moderatum ante Eucharistiam acceptum, quo os mundetur, caput sublevetur, halitus fortassis graveolentior purgetur, rheuma temperetur, fiatque homo corpore et animo compositissimus. Hi sunt novi Galeni aut Hypocratis, vel potius Nabuzardami aphorismi, si Superis placet, apparando ad Eucharistiam Christiano peridonei.

At enim jejunos ad sacram mensam nos accedere oportere Ecclesia Catholica docet, ita ut saltem a dimidia antecedentis diei nocte usque ad illud temporis punctum, quo Eucharistiam accipimus, nihil omnino comederimus, aut biberimus. Hæc enim perpetua fuit Ecclesiæ praxis, cujus luculentissimus testis est Augustinus epistola 118. *ad Januarium :* « Liquido apparet, » inquit, « quando primum acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? Et hoc vero placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti prius in os Christiani corpus Dominicum intraret, quam cæteri cibi ; nam ideo per totum orbem mos iste servatur. » Vides, Augustino attestante, Eucharistiam a jejunis « semper, per totum orbem, ab universa Ecclesia » accipi. Irridet hæresiarcha Lutherus hanc rationem libro superius memorato. « Festiva, » inquit, « ratio. Forte nec nebulam, nec aerem prius intrare licet os Christiani, ut sacerdotibus respiratione et vita interdicatur? » Verum hanc non festivam, sed insanam responsionem et inscitiam stupendam, nebulam et aerem a cibo non discernentem occupaverat et præfocarat ea epistola Augustinus hac duplici regula orthodoxa : « Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri. » Alteram Augustinus regulam sic statuit : « Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ insaniæ est. » Qua duplici regula totus Lutheranismus ad nihilum prorsus redigitur. Hu-

jus etiam moris meminit Tertullianus lib. 2. *ad uxorem*, cap. 5, Cyprianus epist. 63, Chrysostomus homil. 27, *in priorem ad Corinthios*, ubi : *Tu autem*, inquit, *priusquam quidem communices jejunas, ut quomodocumque dignus appareas.* Hinc concilium constantiense sess. 13 : « Licet, » inquit, « Christus post cœnam instituerit hoc venerabile Sacramentum, tamen sacrorum Canonum auctoritas et approbata consuetudo Ecclesiæ servavit et servat, quod hujusmodi Sacramentum nec conficiatur post cœnam, nec sumatur a non jejunis nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admisso. »

Triplicem porro hujus Ecclesiastici præcepti congruentem rationem affert Angelicus præceptor quæst. 80. art. 8. Primum id postulat honor cœlesti cibo debitus ; etsi enim quod intrat in os non coinquinet hominem interiorem, corpus tamen quadantenus commaculat cibus corruptibilis : ut ergo os mundum et labia pura pani Angelorum offeramus, consentaneum et decorum est ab omni nos cibo potuque vacuos ad sacram mensam accedere. Secundo voluit eo jejunio instituto Ecclesia significare illis vel maxime abstinendum esse ab iniquitatibus, illicitisque cupiditatibus, quibus cibus per se licitus interdicitur, ut sicut divinus hic cibus primo in os stomachumque trajicitur, ita primum in corde locum amor Christi obtineat, ut in caritate radicati et fundati regnum Dei primum quæramus, et unum necessarium præcipuo studio sectemur. Tertio si ante Communionem edendi bibendique licentia omnibus fieret, immineret non semel vomitus, ebrietatisque, vel certe dissolutionis, aut vanæ lætitiæ ex ciborum usu sponte fluentis periculum, non sine tantarum rerum tractandarum majestatis injuria vel irreverentia a piis manibus tum maxime præcavenda, cum Sanctum sanctorum, in cujus conspectu columnæ cœli tremunt, adeundum est. Quartam rationem subindicat B. Thomas in responsione ad 6. Quia maxima devotio in hujus sumptione Sacramenti, desideratur, qua effectus hujus Sacramenti, spiritalis nimirum refectio mentisque pinguedo percipiatur. Quæ sane spiritus suavitas tenerrimusque divinorum sensus a jejunis potissimum capitur : jejunium enim, uti Patres docent, et experientia compertum est, multiloquium pietatis hostem fugit, silentium devotionis fomentum ambit, mentem elevat, sensum purgat, concupiscentiæ nebulas dispellit, libidines extinguit, castitatis et orationis lumen accendit. Unde illud a Bernardo alicubi scriptum : « Jejunium orationem, devotionem, et fiduciam donat. Oratio virtutem impetrat jejunandi, et jejunium gratiam meretur orandi. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium, et Domino repræsentat. »

Sed dices : Christus institutam post cœnam Eucharitiam discipulis utique non jejunis distribuit. Apostolos etiam primis Christianis Eucharistiam post cœnam porrexisse indicat Paulus I. Cor. xi. *Cum convenitis*, inquit, *ad manducandum* (scilicet corpus Domini) *invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet. Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam mensam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum?* Quibus verbis docere videtur Apostolus, quod postquam aliquis domi manducaverit, possit in Ecclesia corpus Christi manducare ; vel certe commune caritatis convivium Eucharistiæ participationem tum temporis antecessisse, subindeque eam a jejunis non fuisse perceptam.

Respondeo Christum specialibus de causis, atque loci, temporis, et rerum circumstantiis id ita exigentibus Eucharistiam non jejunis distribuisse. Tum quia, ut Augustinus epistola citata ad Januarium, et post eum S. Thomas docet, quæ ab amicis recedentibus ultimo dantur, vehementius commendantur : ut ergo magnitudo immensi beneficii, quo Christus discipulos in finem dilexit, discipulorum cordibus et memoriæ altius infigeretur, profundiusque impressum infiniti amoris pignus magis in veneratione haberetur, eo opere cætera quæque coronare, subindeque post ultimam cœnam instituere et porrigere voluit. Tum quia Eucharistiam per modum testamenti, quod in Extremis fieri solet, Christus instituit. Tum quia, ut libro *de corpore Domini*, cap. 20. Paschasius tradit, Apostoli ideo jejuni jam non erant, quia necesse erat ut pascha typicum prius compleretur, et deinde ad verum paschæ Sacramentum transirent. Quæ rationes singulares non probant refectis vel cœnatis Eucharistiam modo esse porrigendam. Unde, ut ibidem ait Augustinus, id nobis Christus minime imperavit, sed judicio Apo-

stolorum, per quos Ecclesias dispositurus erat, totum permisit. Nam, si hoc Christus instituisset, ut post cibos alios semper Eucharistia acciperetur, profecto morem illum tota Ecclesia a Spiritu sancto continenter gubernata non variasset.

Ad locum Apostoli dicendum in primitiva Ecclesia ad exemplum ultimæ Domini cœnæ commune caritatis convivium, quod Agape dicebatur, solemni more celebrari solitum fuisse, in quo pauperes æque ac divites dapibus, personarum discrimine abdicato reficiebantur. In eam autem communem refectionem caritate suggerente inchoatam reprehensi a Paulo abusus irrepserant, quod nimirum pauperes a divitibus non expectarentur, aliisque ebriis alii esurirent. Quo autem ordine celebraretur Eucharistia cum agapis, varii varie exponunt. Opinantur nonnulli Eucharistiam medio in convivio inter epularum lautitias fuisse usurpatam. Verum, sicut irreligiosa fuisset hæc prophanorum cum sacris commixtio, ita ab omni verisimilitudinis specie deserta est illa sententia. Græci post S. Chrysostomum arbitrantur Eucharistiæ usum convivarum epulas antevertisse. Quo supposito nulla superest in argumento difficultas. S. Augustinus epistola memorata docet post commune convivium sacram Communionem fuisse celebratam : si enim Eucharistiæ usus præcessisset, non dixisset Apostolus fideles se invicem non expectare, et unumquemque suam cœnam, id est asportata in Ecclesiam edulia præsumere, id est aliis non expectatis manducare ; quia, si omnes sacræ Communioni convivium antecedenti interfuissent, nullus fuisset absentium expectandorum locus, vel propter aliquos non expectatos culpa admissa. Accedit, docere Apostolum indigne eos communicare, qui præter et contra mŏdum convivia illa usurpabant : indignam autem communionem non sequentia, sed antecedentia peccata faciunt.

Hoc supposito duo respondere possumus : Primum, Christianos Christi exempli imitandi prætextu convivium sacræ Communioni a Pseudoapostolis, vel proprio errore deceptos præmisisse. Quem errorem correcturus Apostolus ait : *Qui esurit, domi manducet ;* id est, si expectare præ esurie jejunus non potest, domi cibos suos manducet, nec postea Eucharistiam sumat tamen. Secundo dici potest, nondum tunc ab Apostolis institutam fuisse jejunii Communioni præmitten-di legem, ac proinde Christianos licite post cœnam sacrum panem fregisse et accepisse : ex quo cum plures abusus etiam in illis primitivi Christianismi fervoribus ortum habuissent, ejusmodi abusus corrigit Apostolus ; cætera, ut ipse eodem capite ait, cum venerit dispositurus ; cætera, inquam, ad dignam, honestam consentaneam tractandorum et usurpandorum sacrorum mysteriorum praxim et methodum spectantia, ex quibus unum, ut Aug. tradit, erat jejunium sacræ communioni præmittendum, quod universa per orbem servat Ecclesia, quodve nulla morum diversitate variatur.

Verum quidem est, alicubi a nonnullis aliquando observatum, ut ad Dominicæ cœnæ repræsentandam memoriam in illius diei festo anniversario Eucharistiam cœnati reciperent : unde in concilio Carthaginiensi III. can. 29. sic legitur : « Ut Sacramenta Altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. » Cujus consuetudinis meminit Augustinus epistola ad Januarium sæpe relata, ejusque probabilem fuisse rationem ait. Meminit etiam Cyprianus epist. 63. Viguisse etiam morem illum apud Ægyptios auctores sunt Socrates lib. 5. cap. 21, Sozomenus lib. 7. cap. 19, et Nicephorus lib. 11. cap. 34. Nihilominus tamen mos ille particularis fuit abrogatus nedum contraria et universaliori consuetudine prævalente, sed etiam expresse revocatus in sexta Synodo in Trullo celebrata, can. 29. et Bracarensi I. can. 10 : « Si quis feria paschali, quæ vocatur Cœna Domini, hora legitima post nonam jejunus Missas non tenet, sed secundam sectam Priscilliani, festivitatem ipsius ab hora tertia per Missas defunctorum soluto jejunio colit, anathema sit. » Solebant enim nonnulli occasione Missarum pro defunctis gustato cibo et potu Eucharistiam conficere, cujus abusus meminit concilium Bracarense II. can. 10 : « Cognovimus quosdam presbyteros in hujus præsumptionis audacia retineri, ut Missas mortuorum etiam post acceptum merum vel oblationem ausi sint consecrare.... Si quis Presbyter post hoc edictum nostrum amplius in hac vesania fuerit deprehensus, hoc est non jejunus, sed quocumque cibo præsumpto oblationem consecraverit in Altari, continuo ab officio suo privatus a proprio deponatur Episcopo. » Et in concilio Toletano VII. can. 1. postquam statutum

est in eventu languoris Presbyteri ministrantis et consecrantis, posse alium consecrationem exequi officii cœpti ; additur tamen : « Ne tamen quod naturæ languoris causa consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur, nullus post cibum potumque quamlibet minimum sumptum Missas facere præsumat. Qui contra fecerit, excommunicetur. » Hinc generaliter agapes in Synodo VII. citata universim can. 74. interdictæ sunt : « Non oportet in Dominicis locis vel Ecclesiis caritates quas vocant facere, et intus in æde comedere, et accubitus sternere. Qui hoc fecerint, cessent, vel excommunicentur. »

Dices iterum : Tota, vel certe præcipua imperandi ante Communionem jejunii ratio a Sacramenti debita reverentia deprimitur. At moderatus cibus in minima præsertim quantitate sumptus exhibendæ sanctissimo Sacramento reverentiæ non adversatur : tum quia cibus modicissimus sobrietatem non lædit, nec jejunium Ecclesiasticum frangit. Tum quia modico cibo recreatis viribus communicantium et celebrantium, validior esset interior anima sacra meditantis conatus. Tum demum quia non minor reverentia sumpto quam sumendo Sacramento debetur, quam potius ex reali Christi præsentia augeri oportet. Ergo, sicut post sumptum licet comedere Sacramentum, ita et ante sumendum.

Respondeo præter reverentiam interiorem, qua corpus Christi tenemur excipere, desiderari etiam exteriorem, quæ internæ signum est et incentivum : modus porro exterioris reverentiæ ille potissimus, cæterisque omnibus anteponendus est, quem sancta Ecclesia divinitus inspirata, et Patrum traditioni innixta præscribit. Cum ergo jejunium sacræ communioni Ecclesia præmitti imperet in significationem reverentiæ Christo a se exhibitæ, contra venerationis Christo debitæ officium peccat, qui Eucharistiam post aliquid comestum, vel potatum accipere præsumit. Iis enim Christus gaudet obsequiis honorari, non quæ de proprio arbitratu quispiam confingit, sed quæ vel ipse præcipit, vel Ecclesia sponsa sua gratissimis filiis suis injungit. Quare, licet modico cibo non violetur jejunium Ecclesiasticum, quod ad macerandam carnem institutum cum sit, mica panis vel haustu aquæ corpori nihil nutrimenti præbentibus nequaquam frangitur : attamen Eucharistiæ præmittendum esse jejunium naturale, quidquid trajicitur per modum cibi aut potus excludens, Ecclesia in honorem hujus Sacramenti, aliisque de causis sapientissime imperavit.

Robur autem corporale ex modico præassumpto cibo proficiscens, aliis longe majoribus utilitatibus ex jejunio sponte manantibus concedit (ut secundæ instantiæ fiat satis). Carnis enim mundities et afflictio et jejunio consecuta vitiorum morbos aufert, carnis passiones amputat, criminum causas et concupiscentiæ nebulas propellit. Denique vacuato ventre moderatione jejunii, exoneratus animus ad alta pertendit ; conscendit ad virtutes, et ad ipsum nititur pietatis auctorem totus aliger pervolare. Hinc Chrysologus serm. 11. explicans quomodo ad communionem jejunium disponat, sic egregie habet : « Sicut utres pellium ab omni squallore purgantur, et pigmentis liniuntur odoratis, ut saporem vini possint inviolabilem custodire ; ita jejuniis corpora humana ab omni carnalium delictorum squallore purgantur, et fiunt utres divinis torcularibus apti, ut de prælo crucis accipiant vinum novum, et incorruptam novitatem conservent. »

Ad id quod ultimo objicitur de jejunio post Eucharistiam peræque atque ante servando, respondetur cum S. Thoma ad 6, quod maxima devotio requiritur in ipsa sumptione tanti Sacramenti, quia tunc percipitur Sacramenti effectus. Quæ quidem devotio magis impeditur per præcedentia, quam per sequentia : et ideo potius ante sumendam quam post sumptam Eucharistiam jejunium institutum est. « Debet tamen, » inquit Doctor piissimus, « esse aliqua mora inter sumptionem hujus Sacramenti et reliquos cibos. Unde et in Missa oratio gratiarum actionis post Communionem dicitur, et communicantes etiam suas privatas orationes dicunt. Secundum tamen antiquos canones statutum est a Papa Clemente, ut habetur de consecratione distinctione 2 : Si mane Dominica portio editur, usque ad sextam jejunent ministri, qui eam sumpserunt : et si tertia vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperum. Antiquitus enim rarius Missarum solemnia celebrabantur, et cum majori præparatione. Nunc autem quia oportet frequentius sacra mysteria celebrare, non posset de facili observari. Et ideo per contrariam consuetudinem est abrogatum. »

Etsi autem peracta Missa possit quis alios cibos urgente præsertim infirmitate, vel debilitate accipere, dedecet tamen ab Altari ad mensam statim convolare ; expedit vero accepto dono frui, divinum hospitem omnibus pietatis officiis demereri, et in eo fide et caritate manere, qui realiter in nobis manet. Tunc anima veluti speculum mundum Soli se debet justitiæ exhibere, ut sicut ipse promisit, claritatem quam dedit ei Pater, det et ipsi. Monet Spiritus sanctus Proverb. XXXIII. juxta lectionem Septuaginta : *Cum sederis ad mensam Principis, diligenter attende quæ apponuntur tibi, et statue cultrum in gutture tuo, sciens quod talia oportet te parare.* Totidem verba totidem documenta. *Cum sederis.* Sedeat oportet anima cœlesti cibo pasta, id est a negotiorum et multiplicium cogitationum importuna turba quiescat solitaria, et tacens levet se supra se concupito bono jam possesso fruitura. Sedeat, ut in illa felici hora, sed brevi cœlestis suavitatis mora gustet quoniam suavis est Dominus, et bonus his qui recto sunt corde. Perpendat se sedere *ad mensam Principis*, sibique disponi a Christo sicut disposuit ei Pater regnum, ut edat et bibat super mensam ejus in regno ejus quod est Ecclesia. *Ad mensam Principis.* Exclamet ergo : Unde hoc mihi, ut Rex regnum et Dominus dominantium veniat ad me ? Maria post incarnatum Verbum ascendit in montana, salutavit Elisabeth, Deum magnificavit. Eucharistiam extensionem Incarnationis Patres appellant : ergo post incarnatum in te Verbum ascende in montana, montem perfectionis conscende, ardua Christianæ sanctitatis proposita concipe, climque concepta instaura. Saluta Elisabeth, pro fratribus vivis et defunctis preces eo temporis pretiosissimi Deo per unionem ad Christum acceptissimas funde. Deum magnifica, et dicito : Exulta, et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.

Diligenter attende quæ apponuntur tibi. Doni magnificentia, donantis amor, Pastoris ovem proprio cruore pascentis pietas, Medici ad infirmitates curandas comparati præsentia, Doctoris veritatis radios affundentis familiaritas mentis tuæ oculis jugiter obversetur. *Et statue cultrum gutturi tuo.* Circumcide nimirum concupiscentiæ motus, et parvulos tuos, ut loquitur Propheta, allide ad petram. Scandalizantis te oculi tui vanos illicitosque conjectus amputa, illumque imitare qui pepigerat fœdus cum oculis suis, ne cogitare de virgine. Denique margaritiferum conchilium imitare, post acceptum de cœlo pluente rorem illum fœcundum unde unio concrescit, testam natura duce obturat, ne ulla amaris et salsis maris undis vel rima patescat. Ad altare dum sedes rorant cœli desuper, pluunt justum, et in te germinant Salvatorem : ergo maris hujus magni et spatiosi, mundi scilicet impuris aquis ostium cordis occlude ; quia amicitia mundi, Dei inimicitia est, atque inimicus Dei constituitur quicumque amicus mundi esse voluerit. *Sciens quod talia oportet te parare.* Quis enim nescit retribuenda esse bona pro bonis, et ingrati esse, amorem si nolebat impendere, nolle rependere ? Quis nescit cum Seneca, sapientis esse bene debere, beneficia bene solvere, vel si solvere non datur, bene fateri? Quis nescit cum Chrysostomo, Bernardo, aliisque Patribus, optimam beneficiorum custodem esse ipsam memoriam beneficiorum, et perpetuam confessionem gratiarum : danti rependi quidquam gratius ab accipiente non posse, quam si gratum habuerit quod gratis accepit ; nam spiritui gratiæ contumeliam facit, qui beneficium dantis grata mente non suscipit : et jugiter sibi subvenire facere, cui collatum beneficium ante oculos semper assistit ; quia meliora meretur suscipere, qui collata beneficia de corde non probatur amittere? Talia ergo paremus ; amor amori, caritas respondeat caritati, et sollicitos inveniat qui nos sollicite tam quæsivit. Talia oportet parare, quia si referre gratias non possumus, agere certe debemus. Quid autem melius, ut alibi ex August. diximus, et animo geramus, et ore promamus, et calamo explanemus : quam Deo gratias ? Hoc nihil dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. Ante Communionem mente purgatus summum bonum Christum totius cordis medullis, totis præcordiorum affectibus concupisce, dicasque cum Augustino lib. 1. *Confess.* cap. 5 : « Quis mihi det, ut venias in cor meum, et obliviscar mala mea, et tu solus sis bonum meum, et inebries illud? » Post Communionem illud ejusdem Augustini, vel aliud simile eructa verbum bonum : « Angusta est domus animæ meæ, quo venias ad eam, dilatetur a te ; ruinosa est, refice eam. Habeo quæ offendant oculos tuos, fateor ; sed qui alteri præter te clamabo, ab

occultis meis munda me. » Hæc et alia suggeret unctio docens omnia, et spiritus precum qui facit quæ Deo sunt placita postulare.

Nonnulla consectaria pacis derivantur.

Ex dictis sequitur 1. jejunium ad Eucharistiam necessarium esse jejunium naturale, importans privationem cujuscumque præassumpti per modum cibi aut potus. Et ideo, inquit S. Thomas, neque post sumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ in quantumcumque parva quantitate licet hoc Sacramentum accipere. Nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se, aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi vel potus. Illud porro per modum cibi vel potus accipitur, quod ore sumitur comedendo et bibendo, ita ut glutiatur, et in stomachum haustu orali transmittatur. Unde quod per modum salivæ, vel halitus sumitur, jejunium naturale non solvit. Ac proinde, ut idem B. Thomas ait, reliquiæ cibi remanentes in ore per modum salivæ trajectæ hujus Sacramenti sumptionem non impediunt. Et eadem ratio est de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur ; quæ in parva quantitate salivæ permixtæ, non ponunt in numero cum saliva. Idem dicendum est de re quavis ad percipiendum saporem gustata et statim exsputa. Idem facile cum viris piis, quos consilii causa adivi, de foliis plantarum vel fragmentis arborum vel radicum crediderim, quæ cum ad exciendam pituitam mox exscreandam assumantur, nihil ibi apparet quod per modum cibi recipiatur, tametsi fortassis, et, ut D. Thomas ait, « casualiter » aliquid admixtum salivæ trajiciatur : « Quæ interius ingeruntur » (regula est a S. Thoma in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 4. tradita) « sine exterioris cibi sumptione non videntur solvere jejunium naturæ, nec impedire Eucharistiæ perceptionem. » Non est tamen idem judicium ferendum de saccharo vel salgamo ad epiphoram et asperi humoris acrimoniam leniendam assumpto ; quia cum distillantis pituitæ vim non temperet, nisi glutiatur, profecto per modum cibi accipi jure merito censetur.

Sequitur 2°, illos qui post cœnam noctem ducunt insomnem, si mane Eucharistiam adeunt, contra præceptum jejunii minime peccare, nec generali Ecclesiæ consuetudini jejunium naturæ stricte observanti adversari, quamvis alioquin sint præ crudita te, vel nimia vigilia indispositi. In hoc tamen tertiæ partis articulo sæpe laudato observat Angelicus doctor totus in hujus divinissimi Sacramenti reverentiam profusus, quod si præ indigestione vel vigilia mens admodum perturbetur, « homo redditur ineptus ad sumptionem Sacramenti ». Et sic interpretandum venit caput *Si constiterit*, de accusationibus. Ubi Sacerdos, quia in caupona pernoctaverat, nullaque præmissa dormitatione Missam celebrarat, Ecclesiæ administratione privatus fuit. Non enim quia post cibum potumque non dormierat plexus fuit, sed propter acceptum post medium noctis cibum, vel certe præcipue ob comessationis et vinolentiæ turpitudinem; quamvis uti dictum est, mentis perturbatio ex insomni nocte profecta percipiendæ cœlestis alimoniæ suavitati impedimento sit. Quia nimirum cœlestis Eucharistiæ cibus dum ore sumitur, cogitatione et amore concoquendus est : unde, si præ mentis languore et inertia, undecumque tandem proficiscatur, divinas res cogitare, Christum spiritualiter manducare, et, ut loquitur S. Bonaventura, fide et caritate masticare, et ruminare non possumus, tutius est, et utilius paululum a sacra mensa secedere, quoad Spiritus sancti fervore concepto munda efficiamus venientis in nos Christi receptacula. « Nemo nauseans, » inquit Chrysostomus hom. 83. *in Matth.* « ad hanc mensam adeat, nemo remissus : sed alacres, accensi, et ferventes omnes accedant. Nam, si Judæi stantes, calceati, ac baculos in manibus habentes cum festinatione paschalem Agnum comedebant ; quanto magis vigilare nos decet, vividosque et inflammatos ad Sacramentum istud animos afferre. »

Excipio justos illos qui corde sincero Deo intime cum adhærescant, vel malitia dæmonis interioris hominis habitum perturbantis, vel Deo ipso justis de causis teneriorem pietatis sensum, et gratiæ cœlestis uberem suavitatem subducente, ariditate interdum et quadam sterilitate afficiuntur. Tunc enim animus in Dei nutu, et providentia prorsus conquiescens, ut se in his difficultatibus et spinis, quamdiu libuerit, exerceat pietatis munia fortiter interim prosequens, humilis et de misericordia Dei confisus accedat : modo tamen orationi firmius incumbat, gemat, quærat, pulset, neque ab

incœpto ante desistat, quam exprimere a Deo nonnullos gratiæ radios mereatur. Nam, ut Thomas a Kempis lib. 4. *de Imit. Christi*, ait : « Oportet te devotionis gratiam instanter quærere, desideranter petere, patienter et fiducialiter exspectare, gratanter recipere, humiliter conservare, studiose cum ea operari, ac Deo terminum, et modum supernæ visitationis, donec veniat, committere. Humiliare præcipue te debes, cum parum, aut nihil devotionis interius sentis ; sed non nimium dejici, nec inordinate contristari. Dat sæpe Deus in uno momento, quod longo negavit tempore. Dat quandoque in fine, quod in principio orationis distulit dare.... Dat Dominus ibi benedictionem suam, ubi vasa vacua invenerit : et quanto perfectius infimus quis renuntiat, et magis sibi ipsi per contemptum sui moritur, tanto gratia celerius venit, copiosius intrat, et altius liberum cor elevat. »

De iisdem fastidiis et lauguoribus, quibus interdum pii subjecti sunt, et a Deo probandorum eorum animorum, vel purgandorum defectuum causa exercentur, quæque in optimum quemque cadunt, Patres spiritales intelligendi sunt, dum aiunt ob immissum quemdam torporem non debere se justos ab hoc Sacramento summovere. Rem hanc præclare exponit S. Bonaventura lib. *de profectu Religiosorum*, cap. 77. ubi ait eos « qui student magis innocenter vivere, et studio devotionis frequentius intendere, confidentes de misericordia Dei fiducialiter accedere oportere, licet quandoque tepide se habeant, nec sentiant specialem devotionis gratiam, cum se ad illam præparare student. »

Sequitur 3. a generali regula et præcepto jejunii Eucharistiæ præmittendi homines in extremæ necessitatis articulis positos excusari. Patet ex dictis ; cum enim hoc præceptum sit Ecclesiasticum, illos non obligat quos ipsa Ecclesia excipit. At Ecclesia in multis casibus ab hac sua lege dispensat, nihil quidem de sua in tantum Sacramentum reverentia remittens, sed extremis filiorum suorum necessitatibus (quæ materna ejus pietas est) consultura.

In primis ab hac lege, ut ait D. Thomas in fine corporis articuli octavi sæpius memorati, excipiuntur infirmi periculose ægrotantes, qui ne sine Communione decedant, statim post acceptum etiam cibum communicandi sunt ; quia necessitas legem non habet. Unde *de Consecratione* dist. 2. ex concilio Wormatiensi dicitur : « Presbyter infirmum statim communicet, ne sine communione moriatur. » Nec expectandi sunt extremi mortis agones, tum ut ne repentina morte ægrotus opprimatur, tum ut vigentibus adhuc animi sensibus, nondumque fractis corporis animique viribus, homo sit ad cœlestem edendum cibum, ejusque percipiendam suavitatem paratior. Neque etiam ad servandam illam Ecclesiasticam jejunii legem debet Eucharistia aliqua post mediam noctem hora porrigi, quod infirmus per alicujus horæ intervallum possit jejunus permanere : non, inquam, opus est illas scrupulose horas aucupari ; quia consuetudo Ecclesiæ, quæ optima est legum interpres, non habet ut intempestiva importunæ noctis hora Eucharistia, nisi alioquin urgens necessitas exigat, deferatur. Hora ergo cum infirmo, tum Sacerdotibus commoda expectanda est, nec interim ægrotus a necessariis cibis, medicinis, aliisque se debet solatiis abstinere. Id vero non una tantum vice in gravi morbo licitum est, quia periculo durante, aut recrudescente, aut post aliquod sanitatis intervallum redeunte, potest infirmus Christi corpore iteratis vicibus refici, aliquod modo dierum interstitium servetur, ut in plerisque ritualibus determinatum est. Alioquin si præ devotione Communionem usurpare frequentius aveat, lex jejunii servanda est, horaque ad id opportuna, ut in sacris cœtibus fieri assolet, seligenda.

Secundo solvi jejunium oportet, si alioquin inceptum sacrificium percipi, consummarique non potest : verbi gratia si sacerdos post consecratam alteram speciem, secundam consecrare ; vel post consecratam utramque, consummare eam infirmitate correptus non valet, potest sacerdos non jejunus (si jejunus præsto non sit) sacrificium peragere, et perficere. Similiter si post sumptam panis speciem, solam aquam in calice (quam vinum esse inter proferenda consecrationis verba putaverat) reperit et bibit, vinum debet iterum consecrare, incipiendo ab illis verbis Canonis : « Simili modo postquam cœnatum est, » etc. quia, ut habetur in rubrica Missalis omnino legenda, divinum de perfectione incepti sacrificii præceptum majoris est ponderis quam quod a jejunis Ecclesia jubente sumatur. Idem dicendum est, si sacerdos post unam aut

utramque speciem consecratam recordetur se non esse jejunum; non enim debet a perficiendo Sacrificio ob allatam rationem desinere. Quod idem dicendum putant doctores, si fracti jejunii ante consecrationem meminerit, aliquod si scandalum, vel astantis populi perturbatio timeatur. Secus est, si sublato scandali vel infamiæ periculo violati jejunii recordetur; tunc enim tutius est ab incepta Missa desistere, et ab Altari se arcere. Eadem de causa consecratarum hostiarum reliquiæ possunt a celebrante, antequam ab Altari discesserit, post ablutionem accipi, cum ad ejusdem pertineant sacrificii integritatem. Quod idem dici debet de reliquiis Communionis Fidelium ab ipso sacerdote consecratis. Si autem Sacerdos ab Altari recesserit, tutius foret eas reservari; si tamen irreverentiæ, vel amissionis periculum ullum immineat, sumi eas satius est, quam perire.

Tertio potest et debet instante sanctissimi Sacramenti conculcandi, inhonorandi, vel ab infidelibus comburendi periculo Eucharistia a non jejuno sacerdote vel laico accipi, ne sanctum detur canibus, et cœlestis margarita ante infandos porcos projiciatur. Jejunium enim in reverentiam hujus Sacramenti institutum est: ergo ad evitandam majorem Sacramenti irreverentiam et indignissimam sceleratorum hominum profanationem, Eucharistiam sumi nullus debet præassumptus cibus impedire. Laudatur eximia cujusdam sacerdotis Ordinis nostri pietas, qui ut Eucharistiam ab adventantium militum copiis profana quæque et sacra vastantibus tueretur, jejunus toto die et excubias agens permansit, ut ad Ecclesiam se admovente appropinquantium hostium exercitu Eucharistiam sumeret, et Sanctum sanctorum pectoris asylo vallatum protegeret. Sed ad tantum tantæ pietatis officium nullo præcepto astringebatur: sed quid debeat, quid possit aut non possit, non respicit vis amoris. Sanitatis severo jejunio frangendæ discrimen humana prudentia piissimo sacerdoti objiciebat: at amor ignorat judicium, ratione caret, consilium nescit: amor non accipit de difficultate solatium, nec de impossibilitate remedium: amor impenetrabilis est lorica, periculis insultat; si amor est, vincit omnia. Amore Christi succendi heroicum illum sacerdotem, et tota religiosissimæ ejus vitæ series, et ejusdem mors, quam in conspectu Domini pretiosam omnes qui norunt pie credunt, et suavissimus ejus quæ in benedictione est memoriæ odor persuadent.

Quartum casum profert Major affirmans licere presbytero, ne sine viatico infirmus moriatur, post prandium hostiam, vel etiam fermentati panis particulam clam et absque solemnitate per sola consecrationis verba conficere, confectamque moribundo porrigere, ratus accipiendi e tanto Sacramento præsidii necessitatem legi esse jejunii anteponendam. Verum hæc sententia et a consuetudine Ecclesiæ, et a veritate abhorret. Etenim multa involvit, et invehit hæc sententia, quæ Christi institutioni et Ecclesiæ moribus repugnant. Nam Eucharistiam dimidiato sacrificio conficere nefarium est; bucella autem panis absque calice consecrata pars sacrificii est, non integritas. Non potest etiam Sacramentum hoc a sacerdote confici, nisi ab eodem sumatur: ergo unicum panis frustulum infirmo mox deferendum consecrare sacrilegium est. Denique in fermentato quavis de causa consecrare Romana et Occidentalis Ecclesia nunquam permittit. Præceptum autem viatici sub articulum mortis recipiendi momentosiori de non dimidiando sacrificio legi concedit: præsertim cum priori votis et communione spirituali satisfieri in illis angustiis possit. Unde si contingat, ut dum infirmo imminentis mortis periculum ingruit, nulla sit in pyxide hostia, sitque jam dies progressus, quando nullus sacerdotum jejunus est, non debet Eucharistia violatis Dei præceptis, et Ecclesiæ ritibus consecrari. Consuli etiam oportet tanti Sacramenti reverentiæ, ne indecenter et perfunctorie celebretur.

REFLEXIO.

Quis tetigit vestimenta mea? Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentium te, et dicis, Quis me tetigit? Marci v. Quærit Jesus sollicite mulierem illam ab annis duodecim profluvio sanguinis laborantem; miratur fidem, suscipit pietatem, restituit sanitatem. Sed cur illam circumspicit tangentem fimbriam, et turbam circumfluentem et comprimentem oculatissimus Dominus non attendit? « Multi premunt, » inquit Augustinus, « sed pauci tangunt. » Multi Eucharistiam frequentant, pauci uberes Eucharistiæ fructus capiunt, quia accedunt imparati. Juxta mensuram vasculorum, in-

quit alicubi S. Hieronymus, infundit Deus liquorem, tantum muneris largiens, quantum potest ille, cui donatur, accipere. Ingrediens Salvator in patriam suam, *non poterat ibi*, ut habetur Marci VI, *virtutem ullam facere*. Quomodo non poterat? Numquid alligari possunt Omnipotentis manus? Numquid ei non omnis data est in cœlo, terraque potestas? Absit. Sed divinæ potestati sapientia et providentia prælucent, quæ in dispensandis cœlestium munerum munificentiis hominis cum Dei auxilio se præparantis dispositiones attendunt. Cum sanctis sanctus est Deus. « Quidni, » inquit Bernardus serm. 69. *in Cantica*, « et cum amante amans, et cum vacante vacans, et cum intento intentus, et sollicitus cum sollicito? » Sacramenta novæ legis, eorumque fœcundissimum Eucharistia causæ sunt gratiæ naturales : at illud causam physicam inter et liberam interest discrimen, quod ista pro suo arbitratu bona sua profundit, spretisque persæpe recipientium dignitatibus beneficia larga manu pronaque in immeritos ingratosque confert et congerit, etiamsi in irritum dare se noverit. At illa toto virtutis conatu juxta recipientis capacitatem se exserit : tantum enim caloris ignis, tantum lucis sol influit, quantum subjecta sibi materia capere potest Ergo, si nihil ex Eucharistia utilitatis reportes, id uni tuæ inanitati recipiendis divinis favoribus impari ascribe.

Quis deplorandam tot Altaria frequentantium post plura quotidie celebraturam Missarum lustra egestatem ab omni gratia et sanctitate desertam non defleat? Scio equidem caritatis augmentum occultissimum ipsum latere habentem, et sub cineribus foveri ignis scintillas, et arbores, quas crevisse non vidimus, incrementum adeptas apparere. Sed a fructibus cognoscimus ea. At quomodo tot communionibus usurpatis crescit amor, qui nunquam factis egregiis prodit foras? Et tamen verus amor, Gregorio auctore, non est otiosus, sed operatur magna, si est; et si non operatur, non est.

Ne mirare : ab Eucharistia caritatis augmentum non accipit, qui amoris præparationem non affert; quia ejus vis, et efficientia suscipientis dispositione continetur. Non prodest panis vitæ, et intellectus, nisi dum ore sumitur, una mentis attenti, et cordis amantis ardore coquatur. De frequentanda Eucharistia sollicitos multos cernimus; de excolendo, conponendoque animo paucos videmus curiosos. Hinc peccata venialia pro nihilo ducunt, nihil ab eis metuunt, ne quidem cum ad mysteriorum omnium maxime terribile accedunt. Peccata illa, sine quibus hic non vivitur, pœnitentiæ remediis, piorumque operum exercitationibus mundare non satagunt. Non curant desidiam occupatione, loquacitatem silentio et in privatas domus latebras secessu, maleloquentiæ pruritum laude et commendatione, suspiciones iniquas interpretandi benignitate, nimiam parsimoniam, et in egenos duritiem liberalitate, ac munificentia, superbiam humilitate et modestia, voluntatis alienationem blanda appellatione, et caritatis significationibus, segnitiem vigilantia et orationis instantia, voluptatum amorem sensuum castigatione et continentia, temperamenti stomachosi acerbitatem mansuetudine ac morum commoditate sarcire et compensare. Hinc est, ut notat Augustinus homilia 50, « quod omnia illa peccata simul congregata velut scabies nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi forma præ filiis hominum castissimis amplexibus separent. »

CAPUT II.

DE FREQUENTI COMMUNIONE : UBI DE EUCHARISTIA USURPANDA TRADITÆ A PATRIBUS REGULÆ PRÆSCRIBUNTUR.

Hæretici nostrates omnem carpendæ, infamandæque Catholicæ Ecclesiæ occasionem quæritantes (occasiones enim quærit, qui vult recedere ab amico) Ecclesiasticum de Communione annua præceptum ut accusent, contendunt cum Calvino lib. 4. *Instit.* cap. 17. § 44. et 46. legem illam Christi instituentis intentioni et munificentiæ repugnare; quippe qui Eucharistiam Ecclesiæ reliquit, quo frequenti in usu Christianis omnibus esset, crebraque memoria passio Christi repeteretur. Unde pro sua impietate concludit, consuetudinem, quæ semel quotannis communicare jubet, certissimum esse diaboli inventum, cujuscumque tandem ministerio invectum fuerit. Sed non advertit vir hæreseos tenebris occæcatus, Catholicam Ecclesiam non hanc sanxisse legem, ut a sacræ Communionis frequenti usu dignos arceret, quæ omnes stimulat et hortatur, ut eam vitam agant, quæ tantum cibum quotidie mereatur accipere, quæ in omnibus et

singulis sacrificiis astantium aliquos sacrorum mysteriorum optaret esse participes, quæ ignavorum torporem objurgat, quæve omnes gregatim invitat, ut animum sic excolant, sic componant, ut fiant ad divinas lautitias frequenter degustandas idonei. Sategit ergo duntaxat ea lege Ecclesia, ut cum eo frigiditatis et teporis res adducta esset, ut in plures annos Eucharistiæ Communio differretur, semel ad minus singulis annis in Pascha Fideles omnes sacrum Domini corpus acciperent. Non intendit tamen sancta Ecclesia, ut qui semel communicaverunt, quasi in reliquum anni tempus pulchre defuncti, et in utramque aurem secure dormientes, de iterando cœlestis cibi usu nunquam cogitent; sed cum omnes ad frequentem Communionem aptos velit, et hortetur, regulas tamen præscribit, ad quas Communionis frequentia et raritas exigantur. Quas in sequentibus proponere et stabilire operæ pretium est, quas prætermissa triplicis speculationis solita sectione, dearticulate ante lectorum oculos expandemus.

PRIMA REGULA.

Innocentes Eucharistiam frequenter usurpare oportet.

Toti dissertationi una distinctio præmittenda omnino est veluti fundamentum, cui veram sententiam superstruere oportet; qua ignorata innumeris datur æquivocationibus et sophismatis locus. Considerandum ergo ante omnia est diligenter, Ecclesiam ex duplici hominum genere constare; alii enim innocentes sunt, alii peccatores. Innocentes dico, qui tametsi peccatis venialibus obnoxii sint, Baptismi tamen gratiam inviolatam, et incolumem tenent. Peccatores vero illi dicuntur, qui Baptismi gratiam peccato aliquo lethali violarunt, et extinxerunt. Porro, sicut innocentibus accenseri merito possunt rei postquam criminum maculas longa, et accurata pœnitentia eluerunt, atque ad laudabilis Christianæ vitæ institutum sese retulerunt; ita a fortiori peccatoribus annumerandi sunt, qui acceptam in tribunali pœnitentiæ indulgentiam, et gratiam novis prolapsionibus violant. Hoc prælibato,

Diximus certum esse innocentes, qui Baptismi gratiam ac sancti Spiritus plenitudinem Baptismo et Confirmatione acceptam inviolata puritate observant, vel post dignos pœnitentiæ fructus a peccatis se abstinent, frequenter Communionem sacram adire oportere. Patet id ex libro Actuum Apostolorum, cap II, ubi fideles dicuntur perseverasse in doctrina Apostolorum, in orationibus, et in communicatione fractionis panis; quæ fractio a Catholicis Doctoribus de sacra Communione intelligitur. Porro illi Ecclesiæ primigeniæ fideles a Baptismi fonte recedentes veterem hominem cum actibus suis exuerant, novumque induerant; fide grandes miraculis signisque clarebant; spe sublimes terrena calcabant, cœlestia consectabantur, ita ab omnibus affectibus expediti, ut suas res omnes ad Apostolorum pedes projicerent; caritate vero, quæ vinculum perfectionis est, ita ferventes, ut eorum omnium cor esset unum et anima una. Unde signanter de eis dicitur quod perseverabant in doctrina Apostolorum, hoc est, divinas institutiones, quas Apostoli a Christo didicerant, præcipua religione custodiebant. Illud etiam non omittendum, illam fractionis panis communicationem primos illos fideles frequentasse dici, cum Spiritus sancti plenitudinem sacro die Pentecotes recepissent, quo intelligeremus Spiritus sancti illapsu homines ad illum Angelorum panem edendum idoneos fieri; ut, sicut ad Incarnationis opus immensum superveniens Spiritus sanctus virginalem Deiparæ Mariæ sinum suis muneribus præmunivit, ita ad Eucharistiæ, quæ secundum Patres Incarnationis extensio est, usum idem Spiritus gratiæ suæ donis instruat, et paret.

Hinc in primitiva Ecclesia, quando sanctior disciplina vigebat, tremendo sacrificio circumstantes fideles, quos fervescens adhuc et quasi ebulliens Christi sanguis illius amore impleverat, et flagrantes igne illo divino, quem in terram mittere Christus venerat, venerandis sese sistebant Altaribus divino, ac cœlesti pane reficiendi, ut ex canonibus Apostolorum, atque ex Beatorum Clementis et Dionysii scriptis liquet. Id sibi vult B. Martyr Ignatius in epist. *ad Ephesios*, dum ad frequentem eos Communionem (si tamen de sacramentali Communione, et non potius de Christianorum conventibus, quibus ad Dei laudes et gratiarum actiones celebrandas Christiani coeuntes consentiunt, loquitur, ut docti nonnulli ex contextu interpretantur) hac ratione hortatur; quia eo usu frangitur, dissipaturque omnis impu-

gnatio immundorum spirituum, labefactantur vires sathanæ, et ignita illius ad peccandum jacula irrita resiliunt. Illos namque alloquitur vir sanctus, « qui in Christi gratia permanserunt, » quique « misericordiam » consecuti, « in Christo Jesu confirmati sunt. »

Eodem sensu B. Ambrosius lib. 4. *de Sacramentis*, cap. 6. et lib. 5. cap. 6. ait quotiescumque effunditur sanguis in remissionem peccatorum, debere illum accipi ut semper peccata remittantur, et semper peccantes semper medicinam accipere oportere. Ibi enim loquitur de venialiter peccantibus, cum neophytos alloquatur e Baptismi aquis puros et innocentes emersos, et Confirmationis gratiæ plenitudine cumulatos. Leges enim alias pœnitentibus præscribit, ut postea patebit. Unde etiam libro 5. cap. 3. sic ait : « Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit : sic vive, ut quotidie merearis accipere. » Quibus verbis quotidianum Eucharistiæ esum non omnibus generatim sine ulla exceptione permittit, sed iis duntaxat, qui sic vivunt, ut quotidie mereantur accipere ; quive licet quotidie peccent, quia homines sunt, lethaliter tamen non peccant, quia filii Dei sunt, quibus proinde jus est pasci corpore Christi, cum « ipsi », teste Augustino lib. 22. *de Civit.* cap. 30, « sint corpus Christi. »

Eodem modo locutus est S. Justinus Martyr in apolog. 2, ubi scribit temporibus suis fideles tum ruri, tum in urbibus degentes in Ecclesiam convenisse, ibique Eucharistiam præsentibus datam, ad absentes vero missam. Cæterum ibidem observat illos solum fideles Eucharistiæ participes fieri debere, qui suscepta Christianæ fidei veritate, e regenerationis lavacro, « consentaneam Christi præceptionibus vitam agunt. » Quod utique non præstant qui repetitis peccatis mortalibus Baptismi innocentiam commaculant. Unde illud observandum est, quod dum concilia et Patres ad Eucharistiam frequentandam hortantur, ea potissimum ratione utuntur, ut fideles in accepta gratia proficiant, et in via Dei progrediantur, non regrediantur ; non vero ut per cibum illum in viam Dei ingrediamur : supponunt enim Eucharistia sæpe utentes jam perfectionis viam ingressos ad Evangelicæ sanctitatis perfectionem anhelare.

Unde mos iste communicandi ab Apostolis primisque Christianis inchoatus S. Cypriani temporibus in Africa viguit, ut lib. *de Oratione*, verbis istis significat : « Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, » etc. Ætate etiam Augustini perseverasse morem illum indicat Doctor sanctus epist. 118. cap. 3. Quem locum infra referemus. Ubi supponit bonum Christianum, id est a peccatis mortalibus liberum, et ad Evangelii leges vitam suam librantem si saluberrimum Sacramentum honorare contendit, posse quotidie, vel certe frequenter cœlestem Eucharistiæ cibum accipere. Testatur etiam B. Hieronymus epist. 28. ad Lucinium, Romæ, et in Hispania quotidianæ Communionis usum sua ætate viguisse. S. quoque Ambrosius ultimis libri quarti de Sacramentis capitibus eamdem consuetudinem Mediolani fuisse retentam affirmat, quam tamen in Oriente dudum desiisse significat lib. v. cap. ultimo, his verbis : « Si quotidianus est panis, quare post annum illum sumis, quemadmodum Græci facere consueverunt? » Denique S. Gregorius hom. 27. *in Evangelia*, laudat Cassium Narniensem episcopum, quod pene nullus vitæ ejus dies abscederet, « quo non Omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. » Sed statim observat Episcopi illius vitam « cum sacrificio concordare ; nam cuncta, quæ habebat, in eleemosynas tribuens, cum ad horam sacrificii venisset, totus in lacrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. »

Ex quo autem desierunt Fideles diebus singulis Christi mensam adire, alii rarius, frequentius alii Communionem usurparunt. Nam, ut Basilius epist. 289. auctor est, quater singulis septimanis nonnulli communicabant, Dominico die, feria quarta, in parasceve, et Sabbato ; sed et per dies etiam alios, si Martyris alicujus memoria celebraretur Chrysostomus etiam hom. 71. *ad populum Antioch.* et hom. 3. *in epist. ad Hebræos*, quorumdam mentionem facit, qui in Epiphania, Quadragesima, aliisque diebus ad Dominicam mensam cœlesti cibo reficiendi accedebant : quamvis, ut ibidem ait, tempus dignos accedere non faciat, « sed animæ sinceritas, et puritas. Multi, » addit hom. 47. *in epist. ad Hebr.*, cujus sacrificii « semel toto anno sunt participes, alii autem bis, alii vero sæpe. » Omnes tamen monet solos illos esse ad Eucharistiam

recipiendam idoneos, qui « cum munda conscientia, cum mundo corde, cum vita quæ nulli affinis est reprehensioni accedunt. Qui sunt hujusmodi, semper accedant; qui non sunt ejusmodi, nec semel quidem. » Sed de hoc illustri testimonio inferius.

Hinc Patres Christianos legitime dispositos ad frequentem Communionem hortati sunt, minus vero dispositos, ut sese ad Eucharistiam crebro percipiendam digne pararent. Patet ex verbis Ambrosii supra memoratis, quibus adde Chrysostomum hom. 61. *ad populum Antiochenum :* « In aliis quidem temporibus, » inquit, « cum pueri frequenter sitis, non acceditis : in pascha vero licet sit aliquid a vobis patratum, acceditis. O consuetudinem ! o præsumptionem ! Sacrificium frustra quotidianum, in cassum assistimus Altari, nullus cui hoc communicetur. Et non ut temere communicemini dico, sed ut vos dignos reddatis. »

Eadem fuit sequentibus sæculis Ecclesiæ sententia. « Admonendus est populus, » inquiebat circa nonum sæculum Theodulphus Aurelianensis in sua epistola cap. 44, « ut ad sacrosanctum Sacramentum corporis, et sanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abstineat, sed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquandiu ab opere conjugali abstineat, ut vitiis se purget, virtutibus exornet, eleemosynis et orationibus insistat, et sic ad tantum Sacramentum accedat ; quia, sicut periculosum est impurum quemquam ad tantum Sacramentum accedere : ita etiam periculosum est prolixo tempore abstinere. » Idem clarebit ex Petro Blesensi, S. Thoma, aliisque deinde theologis postea referendis. Unde concilium Tridentinum sess. 22. cap. 6. sic habet : « Optaret quidem sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles astantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent. » Optaret, inquam, modo fideles ea essent dispositione instructi, quæ tanta mysteria decet, ut ex capite præcedenti satis claret, magisque ex dicendis clarebit.

Itaque nullus pius est, nullusque Catholicus, qui Communione dignos a Communione deterreat, quique ad Communionis celebritatem non omnes stimulet et accendat, qui ea puritate animi, ea virtutis constantia, vitæque ad Evangelium exactæ laude præditi sint, ut ad tantam Christi consuetudinem aspirare merito possint.

REGULA II.

Christiani post amissam Baptismatis innocentiam, ii præsertim qui in peccata mortalia iteratis lapsibus recidunt, non debent ante actos dignos laboriose pœnitentiæ fructus ad Communionem accedere.

Dicimus itaque peccatores a sanctitate Christianæ vitæ lapsos, peccata præsertim mortalia frequentantes, non continuo ad frequentem Communionem recipiendos esse, ut inolita sua vitia et crimina pene fragrantia et adhuc fumantia in sacerdotis sinum confessione effuderint. Ita enim perpetua sanctorum Patrum, constansque traditio docet.

Mens Dionysii, Basilii, et Cypriani aperitur.

In primis S. Dionysius lib. *de Ecclesiast. hierarch.* cap. 3. tradit hunc sua ætate fuisse Ecclesiæ morem, ut Evangelio pronuntiato, lectisque Scripturis, qui ad Eucharistiam percipiendam non erant idonei foras pellerentur : quinam autem essent illi minus idonei, his verbis declarat : « Excluduntur a templo Dei et sacrificio, a cujus sublimi et divina excelsitate nimium absunt, primum qui mysteriis nondum initiati eorum omnino expertes sunt. » Id est catechumeni, qui Baptismum Sacramentorum omnium januam non receperunt. « Deinde qui a sanctitate vitæ desciverunt. » Postquam vero idem dixit de energumenis ad diaboli terriculamenta facile commoveri solitis, et ad invicta animi ad res divinas sese applicandi virtute desertos, addit : « Præterea qui a deteriore quidem vita jam discesserunt, sed animos a pristinæ impuritatis phantasmatis nondum satis expurgatos gerunt habitu amoreque Dei purissimo ac simplici. Denique qui nondum soli Deo unice adhærent, quique, ut Scripturæ more loquar, nondum omnino irreprehensibiles sunt, atque immaculati. » Si Magno Dionysio auctore et teste, tremendorum mysteriorum ne quidem inspectione dignandi sunt, qui vel baptismalem integritatem lethali vulnere corruperunt, vel qui a deteriore quidem vita discedentes, nondum animos a pristinæ impuri-

tatis phantasmatis expurgarunt, nondumque soli Deo irreprehensibiles omnino et immaculati adhærent; profecto haud probasset Dionysius peccata mortalia frequentantes ad frequentem Communionem propelli.

Viguit quidem in Ecclesia primitiva Eucharistiæ frequentandæ mos; sed usus ille præclarum compositi et expurgati, vel labis puri animi apparatum in frequentius adeuntibus supponebat : alii vero ad cœlestem mensam non solum non accersebantur, sed ne quidem eis mysteriorum celebrationi interesse concedebatur. Unde ea sanctissima disciplina abuti non licet, ad eos Altaribus passim admovendos, qui beatis illis temporibus nec templi ingressu, nec mysteriorum aspectu dignati fuissent. Frequentem Communionem semper probavit, semper suasit Ecclesia : at promiscue et indiscriminatim ad cibum illum divinum omnes seu nocentes, seu innocentes non admisit tamen. Veris Christianæ vitæ cultoribus et animabus puris frequentiorem Communionem multum afferre fructus Ecclesia semper credidit; sanctum vero dandum canibus, margaritas ante porcos projiciendas, et sanctissimum Sacramentum in peccata mortifera relapsis statim ut e cœno emergunt donandum nunquam existimavit.

Idem etiam Magnus Basilius verbis luculentissimis docuit. Etenim lib. 7. *de Baptismo* cap. 3. eo sensu ait Christum Dominum nobis corpus suum manducandum præcepisse in perpetuam mortis suæ commemorationem : « Quia scilicet nunquam verius mortis Christi memoriam recolimus, quam cum juxta eumdem Apostolum recogitamus illum unum pro nobis omnibus mortuum, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est : atque adeo nos erga mortem ipsius religiosos ac memores præstandos vitæ nostræ castitate ac sanctimonia, quam qui non habet, et ad sancta nihilominus accedit, horrendam sibi damnationem acquirit. » Et postea subdit, « eum contristare Spiritum sanctum, qui charitatem non habens quæ urget nos ut illi soli vivamus qui pro nobis mortuus est, ad Eucharistiam tamen accedere non veretur. »

Denique sic concludit : « Oportet ut quisquis accedit ad corpus et sanguinem Domini in commemorationem ejus qui pro nobis mortuus est ac resurrexit, non solum purus sit ab omni inquinamento carnis et spiritus, ne judicium sibi manducet et bibat; verum etiam aperte palamque ostendat se memoriam ejus recolere, qui pro nobis mortuus est ac resurrexit, exhibendo se mortuum quidem peccato, mundo, ac sibi, viventem autem Deo in Christo Jesu Domino nostro. » Ergo S. Basilio teste peccatores etiam post nudam peccatorum confessionem non sunt e vestigio ad cœlestem mensam accersendi, si nondum ab omni carnis et spiritus inquinamento mundati sint; si peccato se mortuos manifestis indiciis et bonorum operum testimoniis non demonstrant, sique peccandi radices diu inolitas etiamnum viventes ac vigentes habent. Idem repetit in *Moralibus*, regula 80. cap. 22, ubi ait manducantem corpus Christi, et sanguinem bibentem debere « ab omni inquinamento carnis et spiritus mundari, perficere sanctimoniam in timore Dei et caritate Christi, neque habere maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed esse sanctum et immaculatum. »

Eamdem doctrinam perspicue expressit gloriosus Martyr Cyprianus, incitata et vehementi in eos oratione in tractatu *de Lapsis* invehens, qui sæviente persecutione lapsi nondum per asperam et diuturnam pœnitentiam justitia Dei pacata ad Sacramentorum usum admitti postulabant : « Emersit », inquit, « Fratres dilectissimi, novum genus cladis; et quasi parum procella persecutionis sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens et blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis Communicatio. Irrita et falsa pax, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Operiuntur morientium vulnera, et plaga lethalis altis et profundis visceribus infixa dissimulato dolore contegitur. Persecutio est hæc alia, et alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis occulta populatione grassatur, ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, ut comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum longa et plana pœnitentia deprecetur, cum scriptum sit : *Memento unde cecideris, et age pœnitentiam.* »

Hinc idem Sanctus pane cœlesti quotidiano et supersubstantiali frequenter pascendos tract. *de Oration. Dominica* ait, qui in Christo sunt, vivunt, ac manent, quive mortiferis peccatis a Christo non separan-

tur; ideoque petunt panem illum quotidianum, ne aliquo delicto a cœlesti pane prohibeantur. Cui consonans Augustinus homilia 42 : « Ergo panem nostrum quotidianum da nobis hodie, » inquit, « quid est? Sic vivamus, ut ab Altari tuo non separemur. » Et immediate ante : « Pro se rogant, ut bona faciant, ut in bonitate et fide, et vita bona perseverent; hoc optant, hoc orant; quia qui non perseverant in bona vita, separabuntur ab illo pane. »

Ambrosii, Augustini et Chrysostomi luculenta proferuntur testimonia.

Idem docet Ambrosius in libris de pœnitentia adversus Novatianorum lapsis omnem veniæ et sumendæ unquam Eucharistiæ spem intercludentium crudelitatem conscriptis, in quibus licet magis in benignitatem quam severitatem a dura illorum hæreticorum inhumanitate deflexurus propendeat, nihilominus tamen Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ulla falsa indulgentia et vera crudelitate, qua vitia foventur, infringi non sinit his verbis lib. 2. cap. 9 : « Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi Communionem velint. Hi non tam se solvevere cupiunt, quam sacerdotem ligare; suam enim conscientiam non exuunt, sacerdotis induunt. » Ne vero dicatur S. Patrem de peccatoribus publicis duntaxat sermonem habere, accipe verba clarissima, quibus lib. 1. cap. 16. hoc effugium præclusit : « Si quis igitur occulta crimina habens, propter Christum tamen studiose pœnitentiam egerit, quomodo istic recipit, si ei Communio non refunditur? Volo veniam reus speret, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus; ut ignoscatur obsecret, et cum secundo et tertio fuerit dilata ejus Communio, credat remissius se supplicasse, fletus augeat miserabilior postea revertatur, teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipso dicat Dominus Jesus : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* » Idem præclare docet serm. *Dominicæ* IV. *Adventus* : « Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam; nam si non mutat vitam ad judicium accipiet vitam, et magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur; magis occiditur, quam vivificetur. » Sed apertissime, et juxta pulcherrime *in Psalmum* CXXVIII. idem docet et probat his verbis : « In ipsa Ecclesia, ubi maxime misereri decet, teneri quam maxime debet forma justitiæ, ne quis a Communionis consortio abstentus brevi lacrymula atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus Communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat. Nonne cum uni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. »

Id ipsum docuit Augustinus epist. 118, ubi duorum pie viventium hominum de Eucharistia usu controversiam refert; ubi, licet duas de percipienda frequenter Eucharistia dissidentes sententias in medium adducat, supponit tamen totam illam controversiam, controversiæque concordiam illos solum attingere, ad eosque duntaxat pertinere, qui religionem vita factisque decorantes fidem spe roborant, spem charitate alunt, qui vel Zacchæi sacra fame ad Eucharistiam accedere avent, vel religioso Centurionis pavore ad eam se sistere verentur. « Neuter, » inquit, « eorum exhonorat corpus et sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zacchæus et ille Centurio; cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum, alter dixerit : *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Ambo Salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario modo; ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. » Supponit etiam tanquam rem inter fideles suo tempore exploratissimam, et a nemine in dubium revocatam, Eucharistiæ usum ob peccata lethifera, quæ uno ictu animam perimunt, esse differendum. « Quæsieris, quare? » inquit cum prima sententia. « Quoniam eligendi sunt dies, quibus purius homo continentiusque accedat, quo ad tantum Sacramentum dignius accedat : qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit... Hoc est enim indigne accipere, » inquit cum secunda sententia ex principio utrique communi, et ab omnibus indubitanter admisso, « si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio suo, cum libet, vel auferat se Communioni, vel reddat. »

Nec obest, quod ibidem ait, quod « si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici corporis separare. » Non obest, inquam, quia non eo

modo excommunicationem accepit, quo eam eo tempore accipimus pro censura illa solemni, quæ ab Ecclesia per longas formularum moras gravioribus peccatoribus infligitur. Nam apud Augustinum « excommunicare » idem sonat ac a sacra Communione et Altaribus prohibere; quæ pœna omnibus et singulis mortalibus sceleribus, quæ contra se claudi faciunt regnum Dei, imponebatur, ut hoc temporario a sacra mensa (quæ est imago cœli, a quo per peccatum mortale homo excluditur) exilio æternum illud a cœlo exilium, quod peccator promeritus est, sibi proponat ac repræsentet, ratus dignissimum se esse qui a cœlesti cibo submoveatur, quique etiam tremendorum mysteriorum aspectu Christi realiter præsentis majestate deterritus recedat.

Idem tradit vir ille divinus serm. 252. *de Tempore*, verbis luculentis, quæ inter officium Dedicationis consecravit Ecclesia, et in lectionibus cantanda præcepit : « Ideo, fratres charissimi, unusquisque consideret conscientiam suam; et quando se aliquo crimine (per crimen vero peccatum mortale semper intellexit August.) vulneratum esse cognoverit, prius orationibus, jejuniis vel eleemosynis studeat mundare conscientiam suam, et sic Eucharistiam præsumat accipere. Si enim agnoscens reatum suum, ipse se a divino Altari subtraxerit, cito ad indulgentiam divinæ misericordiæ perveniet. Quia, sicut qui se exaltat humiliabitur, ita e contrario qui se humiliat exaltabitur. Qui enim sicut dixi, cognoscens reatum suum ipse se humiliter ab altari Ecclesiæ pro emendatione vitæ removere voluerit, ab æterno illo et cœlesti convivio excommunicari penitus non timebit. » Sed nihil verbis illis apertius, quæ habet tractatu 26. *in Joan.* « O Sacramentum pietatis ! o signum unitatis ! o vinculum charitatis? Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur ut vivificetur. Non abhorreat a compage membrorum : non sit putre membrum quod resecari mereatur; non sit distortum, de quo erubescatur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum. Hæreat corpori, vivat Deo de Deo, nunc laboret in terra, ut postea regnet in cœlo. » Quod et infra verbis luculentissimis confirmat, quæ inter publicas lectiones Octavæ sanctissimi Sacramenti Ecclesia inseruit.

Idem docuit Joannes Chrysostomus variis locis, qua affectione animi sacra adeunda Communio sit explanans; homilia enim 24. *in c.* X. I. *ad Cor.*, postquam aurea sua eloquentia dixit, « famem esse ac mortem mystici illius convivii communicatione non frui, mensam illam esse animæ nostræ robur, mentis cum Deo vinculum, fiduciæ nostræ firmamentum, spem, salutem, lucem denique ac vitam nostram : nos si sacrificii hujus participes e vita excesserimus, magna cum fiducia cœli atria sacra ingressuros, quibusdam quasi aureis armis septos undequaque ac communitos » : quin tanti mysterii virtute terram in cœlum converti; siquidem quod in cœlis pretiosissimum est, maximeque venerandum, Angelorum scilicet omnium Regis ac Domini corpus nobis videndum exhibeat; neque videndum modo, sed etiam contrectandum ac degustandum : subdit tamen adeundam esse Eucharistiam « non sine fervore et inflammata, atque ignita charitate, ne in supplicium incurramus. Ut sacro quodam horrore perfundamur, et reverentiam multo majorem hic exhibeamus, quam cum Magi procidentes Christum adoraverunt : ne si temere et inconsiderate accesserimus, carbones ignis super caput nostrum congeramus. » Hinc monet, « ne nobis ipsis per impudentiam mortem consciscamus, atque ut non nisi tremebundi ac purissimi cœlesti illi mensæ accumbamus. » Et rationem subjungit : « Christus aquilas vocat eos qui ad corpus suum conveniunt, » juxta illud Evangelii oraculum, « ubi corpus, ibi congregabuntur et aquilæ ; » ut ostendatur hujusmodi animas sublimes et in cœlum erectas esse oportere, quæ nullum cum terra commercium habeant, neque deorsum trahantur aut repant rerum creatarum cupiditate illectæ; sed quæ indesinenter sursum evolent, ipsumque justitiæ Solem acutis ac perspicacibus mentis oculis intueantur. « Hæc enim mensa aquilarum est, non graculorum. »

Præclara etiam in hanc rem verba habet homil. 3. *in cap. I. epist. ad Ephes.*, ubi postquam S. Doctor pravam, ac perversam eorum negligentiam coarguit, qui mysteriorum contemptu, et incuria salutis perraro et fere nunquam ad sacram mensam accederent, dicatque : « Frustra est quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari, nemo est qui participet ; » non omnes tamen passim, promiscue, et sine delectu in sacram mensam propellit : « Hæc non eo dico (subdit S. Archiepiscopus post verba relata) ut

participetis quocumque modo, sed ut vos dignos præstetis... Audis Diaconum stantem, et proclamantem : Exeant quotquot sunt in pœnitentia. Si ex iis es, non debes participare. Multos video (prosequitur idem S. Doctor in eadem homilia) qui corpus Christi accipiunt temere et perfunctorie, ideoque eo potius, quod in usum, ac legem quamdam videatur abiisse, quam quod judicio, et ratione ducantur. Si Quadragesimæ tempus instet, aut Epiphaniæ celebritas, qualescumque tandem illi fuerint, Sacramentorum participes fieri volunt : at certe temporis ratio tempestivum ad ea accessum non facit. Neque enim Quadragesimæ, neque Epiphaniæ dies nobis conferunt, ut digne accedamus ; sed animæ integritas, atque innocentia. Hæc si adsit, semper accedito ; si absit, nunquam. Cogita quantam adhibebant diligentiam, ac reverentiam, qui ad veteris sacrificii victimas participandas se accingebant; quanto conatu, ac studio omnia agebant, ut omni ex parte puri, ac mundi accederent. Tu vero, qui hostiam attingis, quam vel ipsi tremebundi, ac stupentes Angeli venerantur, nihil aliud curas, nihil aliud observas, quam stata temporum, festorumque recurrentium intervalla. Intuere vasa ipsa lota et tersa quanto nitore fulgeant. Atqui his longe nitidiores oportet esse animas nostras, longe sanctiores et splendidiores. Illa enim nonnisi nostra causa tanto studio adornantur. »

Sed nihil illustrius, nihil expressius afferri potest iis, quæ idem Pater divinitus sibi tradita illa cœlesti eloquentia fundit homilia 17. *in epistolam ad Hebr.* : « Sed quoniam sacrificii mentio incidit (verba sunt ejus) vobis qui initiati estis pauca dicere cupio ; pauca quidem, si verba numerentur, sed præclara ac maxima, si utilitas ac pondus attendatur. Neque enim dicta nostra, sed Spiritus sancti dictata sunt. Quid igitur illud est ? Multi semel in anno sacrificii hujus participes fiunt, alii bis, alii sæpius. Ad hos ergo omnes mea convertitur oratio ; nec solum ad eos, qui hic adstant, sed ad eos etiam, qui in eremo degunt ; quippe qui semel tantum in anno, plerumque etiam post duos annos sacra Communione impartiuntur. Quos igitur potissimum laudabimus? An qui semel, an qui frequentius, an qui rarius Communionem adeunt ? Neque hos, neque illos ; sed eos demum qui cum puræ mentis conscientia, qui mundo corde, ac vita integra atque inculpata Christi corpore reficiuntur. Tales semper accedant ; cæteri nec semel accedant Quid ita ? Quia judicium sibi sumunt, et condemnationem, et pœnam, et supplicium. Quod sane mirum videri non debet : nam quemadmodum alimentum quod natura sua nutriendi vim obtinet, si in ventriculum nauseantem atque impurum ingestum fuerit, ipsum gravat, damnis auget, atque adeo invecta multiplici corruptela morbos creat : idem quoque iis accidit, qui male affecto animo tremenda illa perinde ac veneranda Sacramenta manducant. »

Quid illis verbis planius, quid luculentius ad eos arcendos ab Altaribus qui non se arcent a criminibus, quique cordis puritatem et inculpatæ vitæ integritatem sacræ mensæ non afferunt ? Quid illis porro vocibus vel peccatoribus terribilius, vel cœlesti cibo atque ipsa Chrysostomi sanctitate dignius ? Quid demum illis magis retinendum, quæ non tanquam dicta sua, sed tanquam Spiritus sancti dictata pronuntiat ? Hinc homilia *de filio Prodigo*, quæ habetur tomo 6, peccatores Christi sanguinis per peccata mortalia conculcati sibi conscios temporaria ab Eucharistia secessione, et sacræ Communionis dilatione, ut interim pœnitentiæ laboribus peccata eluant sua, sese ad cœlestem cibum præparare vult ; expendens enim illam filii Prodigi pœnitentis et reverentis vocem : *Jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis ;* sic peccatorem conversum loquentem inducit : « Ne me abigas ab aula tua, Domine, ut ne rursum me inventum hostis errantem velut captivum abducat. Neque me ad tremendam et mysticam mensam accedere compellas. Non enim ausim impuris oculis Sancta Sanctorum intueri. Patere me tantum cum catechumenis in ima Ecclesiæ parte ad fores consistere, ut mysteria contemplans quæ in ea celebrantur, eorum rursus particeps sensim fieri concupiscam ; ut sacris verbi divini laticibus perfusus sordes abstergam, quas aures meæ spurcarum cantilenarum audita turpitudine contraxerunt ; ut cum margaritas tuas a sanctis viris pie rapi videro ego quoque tanti muneris susceptione dignas manus habere studeam. »

Celebris Gennadii locus producitur.

Idem quoque tradit auctor libri de dogmatibus Ecclesiasticis, Augustino perperam attributi, et Gennadio vere asserti. Sic enim

habet cap. 53. « Quotidie Eucharistiam percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, et hortor ; si tamen mens sine affectu peccandi sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. Et ideo quamvis peccator mordeatur peccandi de cætero non habeat voluntatem, et communicaturus satisfaciat lacrymis, et orationibus, et confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus et securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia et mortalia peccata non gravant. Nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satifacere, et ita Sacerdotis judicio reconciliatum Communioni sociari, si vult non ad judicium et condemnationem sui Eucharistiam percipere. Sed et secreta satisfactione solvi crimina non negamus, sed mutato prius sæculari habitu, confesso religionis studio per vitæ correctionem, et jugi, imo perpetuo luctu, miserante Deo ; ita duntaxat ut contraria pro his quæ pœnitet agat, et Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex et submissus usque ad mortem percipiat. »

Quo in testimonio ponderandum est primum, Gennadium quotidianam justorum Communionem nec laudare, nec reprehendere ; quia, etsi aliquibus pietate et charitate rara præditis, puta B. Theresiæ prosit quotidianus usus, multis tamen aliis divinorum reverentiam minuit, et in vita spirituali sæpe illud experiri est, quod apud Philosophos pervulgatum est : « Ab assuetis non fit passio. » Maxima etiam Dei benignitatis et potentiæ opera, teste Augustino, usu vilescere solent. Unde nec laudatur ille mos non omnibus utilis, nec reprehenditur, qui animabus quibusdam selectis de consilio Pastoris potest esse salutaris.

Ponderandum rursus, Gennadium justos cum pœnitentibus non confundere, nec utrisque peræque octiduanam Communionem permittere ; ad Communionem enim octavo quoque die frequentandam eos duntaxat hortatur, qui innocentiam Baptismi peccatis lethalibus non commaculant : quos vero mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, jubet ante Communionem rigorosæ pœnitentiæ, jejuniis scilicet, vigiliis, orationibus, eleemosynisque sedulam operam dare.

Ponderandum tertio, Gennadium illos duntaxat a publicæ pœnitentiæ severitate excipere, qui relicto sæculari habitu statum religiosum ingrediuntur, ac proinde pœnitentiam quidem occultiorem, attamen laboriosiorem, austeriorem, et diuturniorem deligunt, quatenus mundi voluptates, honores, et res in perpetuum repudiant, continuis orationibus, vigiliis, aliisque temperantiæ et humilitatis, cæterarumque virtutum exercitationibus iram Dei placant, et quotidianas lacrymas tanquam vulnerati sanguinem cordis Deo sacrificant. Quid enim est status religiosus ad amussim probatæ ab Ecclesia regulæ compositus, quam publicæ pœnitentiæ a sæculo dudum exulis et in Monasteria relegatæ publica professio? Quid est monasterium recte institutum, quam aperta pœnitentiæ domus, et patens peccatorum conversorum asylum ; in quo non aliquot dies aut menses, sed toto vitæ curriculo jejuniis, orationibus, vigiliis, sacris studiis, virtutum praxi opera continenter datur ? Cui optioni a Gennadio datæ, et peccatoribus factæ consimile omnino est consilium et præceptum Stephani Papæ ad Aistulphum virum nobilem, qui nono sæculo vivebat. Cum enim vir ille uxorem zelotypia percitus occidisset imposuit illi supremus Antistes, vel ut in Monasterium sub abbatis obedientia tota vita subjiciendus secederet, vel in jejuniis, vigiliis, orationibus et eleemosynis omni tempore perseverans, in Ecclesia segregatus ab aliis Christianis post ostium et postes humiliter se reponeret, et ingredientium et egredientium orationibus se suppliciter commendaret, Communione corporis Domini tota vita privandus, et in die duntaxat exitus per veniam et indulgentiam reficiendus, addens se remissius cum eo agere, ut refert Gratianus 33. quæst. 2. cap. 8, et Burch. lib. 6. cap. 40. et Ivo part. 8. cap. 126. Ex quo decreto in Sanctorum Canonum corpus inserto videant rectores animarum et discant non peccatores crudeli negligentia occidere, sed clementi severitate curare.

Ponderandum 4. illos solum ad sacram Communionem octavo quoque die adeundam hortari oportere, qui et commissa peccata venialia lacrymis et orationibus abstergunt, et quorum voluntas peccatis veniali-

bus affectu non adhæret ; quia, licet peccatis venialibus justi carere prorsus non possint, ipsorum tamen affectu et amore carere omnino possunt. Quo affectu si implicentur accedentes ad Eucharistiam, tum « Eucharistiæ perceptione », inquit, « mens gravatur magis quam purificatur. » Quod et S. Franciscus Salesius suo postea loco referendus disertissime docuit et ex professo explicuit.

Eadem regula Hieronymi, Theodoreti et Magni Gregorii testimoniis communitur.

Hieronymus explicans illud Zachariæ cap. IX : *Frumentum electorum, et vinum germinans virgines*, sic ait : « Hunc panem iis comedendum, qui in Christo robusti sunt ; bibendumque hunc vinum ab his virginibus, quæ sunt sanctæ et corpore et spiritu, ut inebriatæ, atque gaudentes sequantur Ecclesiam, et dicatur eis : Adducentur Regi virgines post eam. Quin non solum docet vitæ innocentiam Eucharistiæ sumptionem antecedere, sed etiam subsequi oportere. Interpretatus enim hæc Psalmi LXXVII. verba, *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos*, sic fatur : «Hæc de his, qui Deum post acceptum manna dereliquerunt. Nam et nunc in Ecclesia si quis carne et sanguine Christi reficitur et declinat ad vitia, noverit Dei judicium imminere, sicut Paulus Apostolus ait : Qui acceperit corpus et sanguinem Christi indigne, judicium sibi sumit, et bibit. »

Ejusdem sententiæ fuit Theodoretus variis in locis, sed nominatim *in cap.* V. *Canticorum*, ubi expendens hæc verba, *Comedite propinqui mei, et bibite, et inebriamini, fratres mei*, sic habet : « Illius propinqui perfecti sunt, qui ejus imaginem inviolatam et incorruptam servant, quique ipsi uniri summopere exoptant. Iis vero non ut bibant modo, verum etiam ut inebrientur imperat.» Quibus verbis inviolatam vitæ sanctimoniam in Baptismate infusam, vel constanti pœnitentis vitæ infirmitate reparatam unam esse ad Eucharistiam digne suscipiendam dispositionem attestatur.

Magnus etiam Gregorius lib. 2. *in cap.* I. *lib.* I. *Regum*, ejusdem est doctrinæ his verbis assertor ; exponens namque illud Cantici Annæ, *Repleti prius pro panibus se locaverunt et famelici saturati sunt*, sic inquit : « Non saturantur nisi famelici ; quia a vitiis perfecte jejunantes divina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut a peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etsi minima sunt peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ saturitatis. Hac repletione nos evacuare Paulus insinuans ait : *Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* Quid enim est hoc loco probare, nisi evacuata peccatorum nequitia se probatum ad Dominicam mensam et puram exhibere? De repletis etiam subdit : *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus ; quia ipsa sola virtus est quæ evacuat quod in ventre animæ culpa coadunat. Et tunc vere famelici saturantur, quia quo studiosius mundamur lamento pœnitentiæ, eo uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in spiritali refectione. » Vides qualem quotidianæ pœnitentiæ fervorem etiam in justis sola puntaxat venialia admittentibus peccata ad Eucharistiam suscipiendam desideret Magnus Gregorius, quia ei auferetur fructus internæ saturitatis, qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etsi minima sunt peccata, quæ congerit.

Beati Bernardi autoritate eadem regula firmatur.

Idem tanquam certum et exploratum tradit D. Bernardus, vel quisquis alius est autor libri *de Modo vivendi*, cap. 28. his verbis : « Qui Christi corpus vult accipere, prius studeat in Christi fide et dilectione manere. Hinc est quod ait Dominus in Evangelio : *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo.* Ac si diceret : Ille in me manet, qui in bonis operibus voluntatem meam adimplet. Alioquin nisi prius maneat in me per fidem et bonam operationem, et ego in eo, carnem meam manducare (citra peccatum et sacrilegium scilicet) non potest, nec sanguinem bibere. » At quomodo in Christo manet, vel in ipso permanet Christus, qui nullam habet in solida pietate stabilitatem? Vox illa, *Manet*, firmitatem et constantiam

in Scripturis significat. Unde Paulus Hebr. XIII. peregrinationis nostræ fluxum expositurus ait : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Et divinus Præcursor Joan. III. iram Dei incredulis perpetuo adhæsuram comminatus, ait : *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Ergo illi duntaxat digne communicant, qui bonorum operum exercitatione stabilem et firmam in Christo permansionem assecuti sunt. « Signum, » inquit Augustinus tract. 27. *in Joan.* « quod quis tunc panem manducavit» (quo nimirum modo manducare Christus voluit, et est manducantibus proficuum) « hoc esse, si manet, et manetur; si habitat et inhabitatur; si hæret, et non deseratur. » Ergo vice versa, signum quod quis tunc panem digne non manducavit, hoc est, si temporaria et momentanea sit in Christo commoratio, si inanis conversio, si levis et volatica pœnitentia, ex qua nihil solidi perpetuique fructus redundet, quamve susceptæ Christianæ vitæ desertio comitetur.

Rursum in aliis suis indubitatis operibus eamdem veritatem tradit, et egregie illustrat Doctor mellifluus. Etenim serm. 28. *de Diversis*, sic fatur : « Quid istos agere dixerim, qui scurrilitates, detractiones, jactantiæ, et impatientiæ verba non reputant; et cum his quasi gens quæ fecerit justitiam accedunt libere ad Ecclesiam, et ne ipso quidem tremendo Angelis participare verentur Dominici corporis Sacramento? Quid, inquam, istos aliud agere dixerim, quam securos jam de gratia Domini sui fiducialiter de ea, quam longo tempore promeruerint, familiaritate præsumere? » Vides peccata frequentantes sacram frequentare mensam non oportere, eosque qui piam et Christianam vitam agere non student, sed scurrilitati, jactantiæ, detractioni, aliisque peccatis libere indulgent, Communionum crebritate magis magisque cæcari, atque obdurari. Quod auctor operis *de Imitatione Christi* lib. 4. cap. 1. his verbis deplorat : « Heu cæcitas et duritia cordis humani ! tam ineffabile donum non semper attendere, et ex quotidiano esu etiam ad inadvertentiam defluere. » Ergo explorandæ sunt, factisque pronuntiantibus probandæ vires nostræ, ne frequentior quam par fit Communio nos refrigeret, non incendat igne illo divino, quem Christus mittere in terram venit.

Sed longe præclarissimus ejusdem Bernardi locus habetur serm. *de B. Magdalena*, ubi duplex quo a Magdalena perfusus est Christus unguentum expendens, et ad mores inflectens, sic ait : « Est unguentum bonum, quod Maria pedibus Salvatoris infudit. Est et melius quod eadem (si tamen eadem) super caput recumbentis effudit : Notanda utriusque differentia, et secundi sublimitas attendenda : quoniam illud (scilicet unguentum pœnitentiæ) est sacrificium Deo spiritus contribulatus : et illud (scilicet Eucharistia, ut ex contextu liquet) sacrificium laudis quod honorificat Deum. Pedes igitur ungimus Salvatoris, cum de peccatis compungimur. Ungimus caput, cum de collatis virtutibus virtutum largitori gratias cumulamus. Interstitii tamen morositas inter pedes debet esse et caput, quia profecto difficillimus et præsumptuosus saltus est a vestigiis ad verticem Domini transvolare. Neque enim eadem quæ unxit pedes, unxit et caput; cum illa meretrix nihil horum fecisse legatur, secundum illud : Verte impios, et non erunt. Unxit ergo Maria sanctum Domini verticem, profecto jam electa, jam familiaris effecta, longeque a peccatricis illius obvoluta vestigiis, quam infelix ille septenarius confundebat. »

Cernis ex hac præclara Bernardi oratione, « interstitii morositatem inter sacrificium cordis contribulati, et sacrificium laudis esse debere ; » nec post nudam gravium peccatorum confessionem satis quempiam esse paratum, nisi conversionis motum morum emendatio, et digni pœnitentiæ fructus, quibus peccator jam non idem permanet sed alter evadit, consequantur.

Eamdem regulam sanctus Bonaventura clarissime docuit et probavit.

Patres SS. Thomas et Bonaventura sequuti sunt. Prioris testimonia nitentissima producemus, ab eoque rationum momenta derivabimus. Posterior vero, nimirum Doctor Seraphicus D. Bonaventura pietate magis et eruditione quam ætate sancto Thomæ conterminus sic in *Brevil.* part. 6. cap. 9. luculentissime scribit : « Quoniam capacitas nostra ad Christum suscipiendum non est in carne, sed in spiritu; non in ventre, sed in mente; et mens Christum non attingit, nisi per cognitionem et amorem, per fidem et caritatem; ita quod fides illuminat ad recognitionem vel recordationem, et ca-

ritas inflammat ad devotionem : ideo ad hoc quod aliquis digne accedat, oportet quod spiritualiter comedat, ut sic Christum per recordationem fidei masticet, et per devotionem amoris suscipiat, per quæ non in se transformet Christum, sed ipse potius trajiciatur in ejus mysticum corpus. Propter quod manifeste colligitur, quod qui tepide, indevote, et inconsiderate accedit, judicium sibi manducat et bibit, quia tanto Sacramento contumeliam facit. Et ideo consilium est his, qui se sentiunt minus mundos mente vel carne, vel etiam indevotos, ut differant quousque parati ad esum veri Agni, mundi, devoti, et circumspecti accedant. »

Sed longe præclarissime in hanc rem scripsit S. Bonaventura in 4. dist. 12. part. 2. art. 1. quæst. 2. his verbis : « Si quæritur, utrum expediat frequentare » (Communionem) « alicui? dicendum, quod si videat se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare ; si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum et tardum, laudandum est quod raro ; si autem in medio modo, medio modo debet se habere ; et aliquando debet cessare, ut addiscat revereri ; aliquando accedere, ut inflammetur amore, quia tali hospiti debetur honor, debetur et amor ; et tunc secundum illam partem, qua viderit se magis proficere ad illud magis declinet, quod homo solum experientia discit. Omnes ergo rationes » (in utramque partem a se initio productæ) « intelliguntur salva debita præparatione, quæ est in paucissimis ut semper. » Quibus unis verbis et nostram sententiam, et quidquid a multis copiose disputari solet, brevissime et solidissime complexus est.

Sacri Tridentini concilii doctrina eidem regulæ apertissime favet,

Eamdem sententiam non obscure tradit sacrum concilium Tridentinum sess. 13. cap. 8. his piissimis verbis : « Paterno affectu admonet S. Synodus, hortatur, rogat, et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes, et singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo jam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantæ majestatis, et tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra mysteria Corporis et Sanguinis ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione ac pietate et cultu credant, et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint. » Quibus verbis optat quidem sacrosancta Synodus, ut fideles frequenter panem illum suscipere possint ; verum ad frequentem illam susceptionem, fidei constantiam et firmitatem, animi devotionem ac pietatem omnino præcedere oportere constituit.

Simile votum fundit sancta Synodus sess. 21. cap. 6. his verbis : « Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret. » Sed illis ipsis verbis quinam sacramentali Eucharistiæ perceptione communicare debeant, satis declarat, cum ait illos ea sacramentali perceptione esse dignandos, qui « spirituali affectu » Communionis participes esse possint. Explicaverat autem S. Synodus sessione paulo ante citata, quid sit spiritualis ille affectus, his verbis : « Quoad usum autem recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt : quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores ; alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viva quæ per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt. »

Ergo ad Communionem frequentandam fidem vivam quæ per dilectionem operatur, quæque in bonorum frequentia fructum et utilitatem sanctissimi Sacramenti efficit, omnino desiderat. Quod et capite 7. antecedenti sacrum Concilium aperte significaverat : « Si non decet, inquit, ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte ; certe quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat ; præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* » Ergo non omnes ex sacri Concilii mente ad Eucharistiam frequentandam propellendi sunt, nec canibus ad vomi-

tum peccati mortalis sæpe redeuntibus, et oculis Dei horribilibus filiorum panis sine ullo est delectu prodendus.

Quantum fuerit hujus doctrinæ æmulator viva antiquæ pietatis imago et nostræ forma S. Carolus Borromæus, luce clarius apparebit dum de Pœnitentia inferius disseremus.

Sancti Francisci Salesii, et Magistri Avilæ apertis testificationibus eadem regula stabilitur.

Eamdem veritatem vir Dei, dilectus Deo et hominibus S. Franciscus Salesius luculentissime docuit, et ex professo exposuit, ac confirmavit in *Philothea* sua part. 2. c. 20. his verbis : « Quotidie Eucharistiam percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo et hortor ; si tamen mens sine affectu peccandi sit. Utor ipsis B. Augustini verbis (e libro nimirum de Ecclesiasticis dogmatibus, qui sub Augustini nomine passim circumfertur) quem sequens quotidianam Communionem omnino nec laudo, nec vitupero. At cernis, Philothea, D. Augustin. vehementer suadere atque hortari, ut die quoque Dominico Eucharistia percipiatur. Hoc ergo quoad poteris facito. Cum enim te ab omni tum mortalis, tum venialis peccati studio ac voluntate alienam existimem, eam plane quam requirit Augustinus animi affectionem et præparationem es adepta. » Et in fine capitis hanc regulam statuit omnibus adversariorum effugiis imperviam : « Ut quis octavo quoque die Eucharistiæ Communionem percipiat, ab omni eum mortalis peccati labe, ab omni venialium peccatorum studio ac voluntate immunem esse, ac præterea sacræ Eucharistiæ vehementi desiderio flagrare oportet. » Ergo ex mente sanctissimi illius Episcopi ad frequentem Communionem non solum exigitur immunitas ab omni peccato mortali, sed etiam ab affectu peccatorum venialium. Dico ab affectu ; nam, ut recte exponit idem Sanctus ejusdem libri part. 1. cap. 22. longe differunt peccatum veniale, et affectus peccati venialis. Venialia peccata omnino vitare nunquam possumus ; ipsorum vero affectu et amore carere omnino possumus, si nulli quantumvis levi peccato inhærendi voluntatem foveamus. Exigitur etiam, « ut quis percipiendæ Eucharistiæ vehementi amore flagret, » seu, ut ait divus Bonaventura de profectu Religiosorum cap. 77, ut adsit « inusitatæ devotionis fervor, et intemperata desiderii sitis pro illius susceptione, qui solus sufficit amantis animæ ardorem refrigerare. » Ex quibus patet quam falso, quam immerito, quam indigne sanctissimi illius Præsulis purissima doctrina abutantur, qui consilium ejus de Eucharistia singulis hebdomadis usurpanda a necessaria præparatione ab eodem indicta divellunt et distrahunt, atque ad quosvis promiscue homines virtute vacuos, et in lethalia sæpe relabentes cibo illo grandium obruendos potius quam fovendos detorquent.

Id ipsum ante docuerat eximiæ sanctitatis Sacerdos a beato Francisco Salesio, et ab Alfonso Rodriguez non semel laudatus Joannes Avila, qui 1. part. epist. 65. hactenus stabilitam de frequenti Eucharistiæ usu doctrinam sic egregie confirmat : « Multum errant qui solam Communionis cupiditatem a consuetudine potius quam ratione veriore natam, pro idonea ad Eucharistiam præparatione habent. Quod si præterea dum Christi corpus accipiunt lacrymulam extillent, magnopere se profecisse arbitrantur. Verum eo falluntur, quod Communionis fructum, quem nullum capiunt, non satis attendunt ; neque intelligunt unicum probæ Communionis signum animi profectum esse, atque ad pietatem progressiorem, quam si assequantur, recte ad Eucharistiam sæpius recurrunt : sin minus, ab ea debent abscedere. Commonefaciendi sunt, quanti periculi sit ignem divinum sinu colligentem non incalescere, pane cœlesti vescentem ejus suavitate non imbui, præsentissima medicina utentem in summa nihilominus ægritudine jacere. Eripiendus illis cibus tanquam inertibus et ignavis, ut tanti boni penuria miseros se agnoscentes pluris illud faciant, sibique laboris aliquid et sudoris subeundum intelligant, quo ad sacras epulas sanctius se præparent, culpas in quas identidem incurrunt acrius ulciscantur, earum medicinam ardentius appetant, orationi ac bonis operibus toto pectore instent, ut ita instructi ac præculti cum interiori esurie ad cœlestem panem edendum properent : hic enim cibus, ut ait Augustinus, interioris hominis famem postulat. »

Senonensis et Bituricensis Synodi decretis eadem regula consentanea est.

Eamdem purissimam doctrinam varie Sy-

nodi Provinciales docuerunt. Concilium enim Senonense anno 1528. contra nascentem Lutheri hæresim coactum erroribus illius Hæresiarchæ hunc accenset : « Nihil conducit ad susceptionem Eucharistiæ se præparare per contritionem, confessionem, satisfactionem, et alia bona opera. » Synodus etiam Augustensis anno 1548. celebrata quamplures affert causas, in quibus Communionem vel negari prorsus, vel certe differri, quoad peracta fuerit pœnitentia, jubet : et post enumeratos varios illos casus, hanc generalem clausulam adjungit : « Potest denique unus quilibet Confessor, cui curæ sunt animæ sibi confitentium, pro peccatorum magnitudine et gravitate, eisdem sibi confitentibus, seu filiis confessionis suæ, ex causa quæ sibi justa videbitur, ad tempus sacra Communione interdicere, eique tales confitentes morem gerere debent, nisi a superiori Ecclesiastica potestate aliud impetraverint. Quod si peccatum occultum sit, et talis quispiam ad altare accedens, venerabile Sacramentum sibi porrigi publice petat, non id illi Sacerdos negare debet : quamquam hoc ipso quod contra sui Confessoris prohibitionem accedit, peccatum admittit. »

Synodus etiam Bituricensis anno 1584. coacta, titulo 22. cap. 15 : « Nemo », inquit, « sine contritione, confessione, et satisfactoriis operibus digne præmunitus, ad Eucharistiam sumendam accedat. » Ergo censebant, Patres illi necessarium esse, et maxime salutiferum, lapsos ad accipiendum Christi corpus bonis operibus sese componere, eisque temporis aliquid ante Communionem tribuere. Titulo etiam 21. cap. 2, sacerdotibus præcipit, « ut Canones pœnitentiales discant, ut modum et rationem pœnitentiæ injungendæ melius intelligant. » Patet autem Canonibus pœnitentialibus addicere homines lapsos ad pœnitentiæ tempus, priusquam Communio ipsis adjudicetur.

Testimonium Mariani Victorii adducitur.

Eamdem doctrinam exerte tradidit Marianus Victorius episcopus Amerinus lib. *de Pœnit.* cap. 8 : « Vetus est institutio Ecclesiæ, inquit, ratione et veterum Sanctorum auctoritate firmata, ut quis ad Eucharistiam non accedat, nisi facta prius peccatorum exomologesi, et pœnitentia illi a sacerdote imposita ad finem usque perducta. » Pœnitentiam porro ante Communionem peragendam eam intelligit quæ peccatorum gravitati respondeat, ut ipsemet monet in commentario de pœnitentiis antiquis, quem libro *de Pœnitentia* adjunxit : « Liber, inquit, in fine hujus operis, omnes Christianos Sacerdotes admonere, ne nimis remissi indulgentesque in imponendis pœnitentiis sint. Ex hoc enim non solum Ecclesiasticæ regulæ disciplina omnis resolvitur, verum etiam nulla injecta ex facinoribus præteritis verecundia hominibus rursus redeundi ad scelera non parva relinquitur occasio. Et hæc una, ut equidem reor, præcipua causa est deploratæ propemodum nunc prolapsæque religionis ; et quod hodie tam perfricta fronte, omnique Christiano pudore seposito crimina perpetrantur, et Ecclesiastica vivendi regula passim contemnitur. Nam, etsi arbitrariæ pœnitentiæ hodie sint, Sacerdotis tamen arbitrium judicio, justitia, et veritate inniti debet. Et, quamvis in tam corrupto et vitiato sæculo severitas ista, quam ex veteribus collectam in hoc opere ante oculos Lectorum posuimus, servari modo aliquo non possit, proptereave remissa etiam sit ; videat tamen Sacerdos, et secundum quod expedire pœnitenti et Ecclesiæ ex qualitate perpetratorum criminum adverterit, ex istis saltem Canonibus discat, quanta cura et diligentia pœnitentias seu publicas, seu privatas imponere debeat. »

Egregiis sancti Thomæ testimoniis, ejusdemque rationibus eadem regula confirmatur.

A tam sancta regula omnium Patrum calculo probata desciscere non potuit fidus Patrum discipulus et interpres doctor angelicus sanctus Thomas. In primis in hac quæstione 80. art. 10, ubi quærit, « utrum liceat quotidie hoc Sacramentum suscipere », postquam ostendit quod etsi considerata hujus Sacramenti virtute, utile sit ipsum quotidie sumere, subjungit tamen : « Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur ut cum magna devotione et reverentia ad hoc Sacramentum accedat : et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat. Unde Augustinus cum dixisset : Accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit, subjungit : Sic vive ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indispositionem (ex pollutione et

actu conjugali, uti superius explicuerat profectam), vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum. Unde in libro *de Ecclesiasticis dogmatibus* dicitur : Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero. » Atqui ille qui e peccatorum cœno emergens, nulla pœnitentiæ dignis fructibus probatæ præparatione purgatus in Dominicam mensam irruit, ille nec « cum magna devotione et reverentia accedit ». Devotus enim quomodo dicitur tanto qui torpore gravatur, ut in eadem semper flagitia recidat : cum devotio, auctore S. Thoma, in animi ad divina propensi prompta facilitate sita sit? Quomodo reverens, qui fumantibus adhuc vitiis tremenda mysteria invadit, qui difficillimo et præsumptuoso saltu a vestigiis ad verticem Domini transvolat, qui Sanctum Sanctorum squallido ore, et nondum expurgata conscientia haurit, et quasi gens quæ fecerit justitiam, ut supra Bernardus aiebat, ipsi quidem verendo Angelis participare non veretur Dominici corporis Sacramento.

Atqui rursum qui in peccata lethalia frequenter relabitur, non « se quotidie ad hoc Sacramentum paratum invenit, nec sic vivit ut quotidie mereatur accipere, sed multa habet devotionis impedimenta ; » cum contaminatissimam ac prorsus ethnicam vitam conterat ; cum ex confessionibus et communionibus frequentatis nihil aliud fructus capiat, nisi improvidam divinæ misericordiæ fiduciam, qua nullum Evangelii præceptum exequens, viaque lata ad interitum ducente securissime grassans, salutem sibi nihilominus, felicitatemque despondet. Ergo ex S. Thoma, qui hujusmodi est, Eucharistiam frequentare non debet, nisi prius mente mutatus, vitam emendet, Deumque judicem gemitibus et lacrymis, orationibus, jejuniis, eleemosynis, voluptatum contemptu, secessione, supervacaneorum conventuum fuga, et omni demum piorum operum genere placare studeat ; ut idoneis captatis temporibus conversionem suam probet, mentemque suam per pœnitentiæ subsidia ita componat, ut ad mysteriorum omnium maxime terribile ac venerandum aditum muniat.

Quo autem modo peccatoris animum in illis præparationis interstitiis instrui oporteat, tradit idem Doctor Angelicus opusculo *de Sacramento altaris* cap. 15. his compendiosis, et succo plenissimis verbis : « Si quis, » inquit, « ad suscipiendum Dominum bene mundus vult fieri, primo debet per aquam lacrymarum mundari : secundo per opera pœnitentiæ » (id est per jejunia, orationes, aliaque id genus, ut paulo inferius docet) « torqueri : tertio per fervorem amoris Dei a carnalium desideriorum humore siccari. » Ergo non continuo quis frequentandæ Eucharistiæ fit idoneus, quod eadem peccata Confessario exposuerit, retentis iisdem non minus quam olim moribus depravatis. Nec eam ille munditiam a S. Thoma desideratam assecutus est, cujus tota mutatio in eo posita est, quod octavo quoque die ea narret Sacerdoti, quæ singulis antea mensibus aut annis enarrabat.

Ejusdem necessariæ moræ doctrinam apertissime tradit idem S. Thomas, eamque Augustini auctoritate confirmat in illud I. Cor. XI : *Si nosmetipsos dijudicaremus*, etc., ait namque : « Dicit Augustinus : Ab ipsa mente pœnitentis talis sententia proferatur, ut se indignum judicet participatione corporis et sanguinis Domini, ut ad tempus per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cœlestis panis separetur. » Quibus verbis nihil planius. Et sane si juxta veridicam ejusdem S. Doctoris sententiam, quam in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1. quæst. 3, nobis reliquit, « a quotidiana communione abstinere debet is, qui sentiat per quotidianam frequentationem reverentiam minui, et fervorem non multum augeri » ; quid sane de iis dixisset, in quibus nedum fervor non multum augetur, sed quorum etiam non minus, sed quandoque magis peccandi consuetudine firmatæ avaritia, ambitio, cupiditas, fervent ; qui non minus voluptati, impudicitiæ, et vinolentiæ, fallaciæ, perfidiæ, maledicentiæ, juramentis, et blasphemiis student ; denique qui non minus sæculi pomparum, quibus in Baptismo renuntiarunt, nec minus sui amantes sunt ?

Ex his patet quantum a S. Thomæ doctrinæ castimonia quorumdam recentiorum corruptela abhorreat, qui nedum laicis, sed et Sacerdotibus (quorum status, character, et tessera sanctitas est) post patrata nefandissima carnis peccata nedum Communionem, sed et sacratissimorum mysteriorum tractationem et celebrationem concedunt, eosque a lupanaribus (horribile dictu) adhuc recentes, adhuc calentes ad tremenda altaria immittunt, inferunt, et quadantenus suis as-

sertionibus propellunt. Si ita sit, frustra Doctor sanctus post Patres magnam animi sanctimoniam ad sacrum hoc epulum vescendum requirit, et magnam diligentiam, curam, et reverentiam in parando ad Eucharistiæ susceptionem animo postulat. Ergo sententia illa recenter invecta, quæ quoslibet etiam gratiæ inanissimos, sæculo prodigaliter addictos, sui et mundi amore tumentes, et iteratis flagitiis cordis corrupti depravationem significantes ad tremendum mysterium post nudam confessionem admittit, tantum longe est a S. Thoma, quantum lux a tenebris, a die nox, et ortus distat ab occidente.

Si, juxta D. Thomam quæst. 80. artic. 3. ad 2, « Peccatum fornicationis reddit hominem ineptum ad perceptionem hujus Sacramenti, in quantum scilicet per hoc peccatum spiritus maxime carni subjicitur, et ita impeditur fervor dilectionis, qui requiritur in hoc Sacramento ; » quomodo ad frequentem Communionis usum non erit ineptus, qui nedum uno fornicationis simplicis actu vitam commaculavit, sed etiam fornicationis culpa leviori existimata, in adulteriis, stupris, aliisque infandis luxuriæ et libidinum monstris vitam consumpsit ?

Si juxta eumdem doctum a Domino Præceptorem nocturna pollutio etiam citra peccatum contingens ex quadam congruentia hujus Sacramenti sumptionem impedit « quantum ad duo, inquit quæst. 80. art. 7. quorum unum semper accidit, scilicet fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam sacramenti non decet ad altare accedere : aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præsertim quando cum turpi imaginatione contingit. Et tunc addit ad 3. impedit sumptionem hujus Sacramenti per illum diem, quo hoc accidit ; quid dixisset, amabo, de pollutione voluntaria, de sacrilegio, de adulterio, de aliisque libidinum furiis magis quam lapsibus, contra naturam, ultra jura naturæ patratis ? Quid, inquam dixisset nisi quod scriptum inibi reliquit ? « Si vero pollutio, » inquit, « sit cum peccato mortali, impedit ex necessitate. » Et ad 1 : « Dicendum quod ex necessitate quidem non impeditur homo a sumptione hujus Sacramenti, nisi propter peccatum mortale. »

Sed forte D. Thomas, inquies, loquitur de peccato mortali, quod non eluerit præmissa Confessio. Nihil minus. Nam illam ipsam difficultatem versat in responsione ad 5. quod erat hujusmodi : « Peccatum veniale non impedit hominem a sumptione hujus Sacramenti, sed nec etiam peccatum mortale post pœnitentiam. Sed dato quod nocturna pollutio provenerit ex aliquo peccato præcedenti, sive crapulæ, sive turpium cogitationum, plerumque tale peccatum est veniale ; et si est mortale, potest contingere quod de mane pœnitet, et peccatum suum confitetur. Ergo videtur quod non debet impediri a sumptione hujus Sacramenti. »

Ecce unum recentiorum fulcrum, ecce quam totam ad Eucharistiæ esum requirunt etiam a pluries lapsis necessariam animi compositionem. Sed quid D. Thomas ? « Dicendum, » inquit, « quod licet per contritionem et confessionem auferatur reatus culpæ, non tamen aufertur corporalis immunditia, et distractio mentis ex pollutione consecuta. » Quid ergo de illis dicendum credidisset, non qui semel nocte præcedenti ceciderint, sed qui frequentibus et iteratis post tot sponsiones lapsibus pœnitentiam suam vel irrisoriam, vel certe inanem demonstrant ? Utique non dixisset tremendam mensam extemplo esse abeundam, postquam scripsit et post pollutionem involuntariam eodem die esse abstinendum, et ordinariam impii frequentibus maxime lapsibus indurati justificationem non esse unius horæ, vel momenti opus. « Est communis et consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interius animam homo convertatur ad Deum : primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat ; quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, » inquit 1. 2. quæst. 113. art. 10.

Si juxta Ecclesiæ præceptum a D. Thoma egregiis convenientiis illustratum, non solum animi, sed corporis etiam præparatione opus est : nam jejuni ad sacram mensam accedere debemus, nullo accepto cibo vel potu a dimidia antecedentis diei nocte ad illud usque temporis punctum, quo Eucharistia cibamur, ut nimirum Christus in os et stomachum hominis interret nullo terreno epulo occupatum : quomodo vel qua ratione Ecclesiæ sensibus consentaneum erit, peccatores amore mundi plenos et ebrios, adhuc fumigantes, et e lupanari prodeuntes, quovis tempore, quovis modo, post quævis flagitia pane illo cœlesti pascere, et ad reverendum Christi corpus sine ulla dubitatione invaden-

dum exstimulare, quod jejunum a vitiis animum potissime requirit?

Si juxta æquissimum ejusdem Ecclesiæ censum, qui matrimonio juncti sunt, aliquot dies a legitimo concubitu abstinere expedit, Davidis exemplo admoniti, qui panes propositionis a Sacerdote accepturus purum se ab uxoris consuetudine servavit, ut I Reg. XXI. liquet : si teste beato Gregorio a S. Thoma laudato, actus conjugalis non amore procreandæ sobolis, vel reddendi debiti causa, sed solo voluptatis per se non prohibitæ illicio exerceatur, ita ut voluptas dominetur in opere, homo vel mulier « tunc prohiberi debet, ne accedat ad hoc Sacramentum », quam doctrinæ puritatem ex Hieronymo hauserat, qui in apologia pro libris adversus Jovinianum vehementer insectatur eos, qui post matrimonii usum, cum in Ecclesiam ingredi præ justo pudore non auderent, eo exuto, sacrum cibum domi asportatum privatim sumebant; et cum ad subeundas basilicas Martyrum minus puri sibi viderentur ad Regem ipsum Martyrum in se recipiendum satis puros et integros esse censebant; si, inquam, ita sit, a fortiori iniquum et indignum est, ut qui recenter animum et corpus nefanda luxuria polluit sanctum Sanctorum impuro et adhuc fœtenti ore et corde suscipiat; et quod horribile dictu est, si Sacerdos sit, pro Ecclesia solemniter oret, pro peccatoribus sacrificet, qui alienarum precum et lacrymarum misericordia eget.

Denique, si auctore Basilio epist. 1. *ad Amphiloc.* cap. 13. qui in bello hostem interfecissent, ab Eucharistia temporario saltem Ecclesiæ interdicto removebantur : unde Theodosius post reportatam de Eugenio tyranno victoriam, qua Christiani orbis tranquillitatem stabiliverat, cœlestem mensam attingere, et ad Altare manus justo licet cruore perfusas et respersas afferre non ausus est tamen; et, ut ait Ambrosius de obitu Theodosii, præclaram abeptus victoriam, tamen quia hostes in acie strati sunt, abstinuit a consortio Sacramentorum, donec Domini circa se gratiam filiorum experiretur adventu : qua fronte Christianus non victor, sed prostratus, non triumphans de hostibus, sed innumeris vicibus victus, nec tam victus quam a diabolo quieto jure possessus Dominum majestatis familiari frequentis Communionis usu contrectare, et in sinum qui hactenus fuit cloaca vitiorum, trajicere præsumet?

Fundamentalis hujus regulæ ratio.

Non esset opus in præsentiarum theologiæ ope vel rationum momentis : ipse communissimus pietatis sensus omnibus omnino Christianis inditus, ipse communis reverentiæ erga sanctissimum Sacramentum instinctus Catholicis omnibus inseminatus, ipsa sola præsentiæ realis corporis Christi fides statutam regulam satis superque confirmat.

Etenim quibus fides Catholica persuasa est, qua certissime credimus Christum sub speciebus Eucharisticis realiter contineri, ægre profecto ferent, mensam Christi peccatorum in eadem peccata relabentium, e turpissimo flagitiorum cœno redeuntium frequentia pollui, tantique Sacramenti sanctitatem violari; sed ad fidem realis Christi præsentiæ omnino consone, et per modum connaturalis corollarii consequenter inferent removendos esse ad tempus e sacris Altaribus, qui cum iisdem semper hæreant flagitiis, nullam futuræ emendationis spem ostendunt. Ergo prius salutaribus pœnitentiæ officiis purgandi sunt, quam ut panem Angelorum comedere liceat. Ergo prius faciendum privatim, quod olim palam et publice in Ecclesia factitabatur : id est, in dolore et labore pœnitentiæ ad virium rationem accommodato aliqua hebdomada aut mense faciendum, quod olim pœnitentes plures annos, in sacco, cinere, cilicio, jejuniis, vigiliis, omnimoda victus et cultus asperitate, assiduisque lacrymis, et lamentis agebant. Ergo prius evacuandum est pectus infandis cupiditatibus eructantibus ex hoc in illud, quam ut tanti hospitis receptaculum et reclinatorium fiat. Ergo ab immaculato Christi corpore ad tempus recedendum est, ut peccator interim sincera, verioreque pœnitentia paratus, ad cœlestem cibum cum fiducia accedat; et, ut Augustinus serm. 50. et 52. *de Tempore* ait, a temporario sanctuario paulisper ultro cedendum, ne ab æterno supremi Judicis sententia invitum abigat. Ergo prius Publicanus Evangelicus imitandus, qui ne quidem eam templi partem, quam Sanctuarium dicebant, aspicere fas duxit. Prius consectanda prædicata a Christo Chananeæ humilitas, quæ se pane filiorum indignam putans, solis micis e mensa decidentibus, hoc est, Patribus interpretantibus, verbi cœlestis pabulo refici interim contenta erat, quoad pane ille divino potiri digna fieret : ut nimirum salutari intermis-

sæ Communionis intercapedine, mens sanctis actionibus et pœnitentiæ exercitationibus aptior et ornatior evadat. Et tunc a sacra Communione veluti indigni se abstinentes, hoc ipso se digniores efficient; a mensaque Christi recedentes, ad Christum accedent, et reveriti accipere Salvatorem, salutem consequentur, juxta præclarum illud de Centurione serm. 26. *in Dedicat.* ab Ambrosio dictum : « O fides Christiana, quæ totum cum humilitate impetrare consuevisti ! Ecce religiosus Centurio ad accipiendam salutem dignior fit, dum se profitetur indignum. Ergo contradicente Centurione non pergit ad domum Dominus ; non pergit Dominus, sed pergit Domini medicina. Non visitat ægrum Salvator sed visitat sanitas Salvatoris. »

Confirmatur : Ad frequentem Communionem requiritur magna devotio et reverentia ; et ad ipsam Communionem desideratur sincera contriti cordis conversio, ut ex divo Thoma, perpetua traditione, et lumine naturali, supposita fide, evidentissimum est. At qui in peccata mortalia iteratis lapsibus recidit, nec vera devotione, nec humili reverentia cietur, nec cor habet in Deum vere conversum. Etenim devotio est in justitiam cogitandam, amandam, operandamque proclivitas a dilectione Dei proficiscens, cum sit caritatis flos, fructus, odor, et splendor, ut ex D. Thoma initio suæ *Philotheæ* S. Franciscus Salesius egregie exponit : homo vero a peccatis abstinere lethiferis non valens, utique non ad spiritualia, sed ad carnalia, terrenaque gravi pondere impellitur. Reverentia etiam in illo, seu sacer justitiæ Dei toties læsæ timor et tremor non invenitur, qui scelerum oblitus familiarem Christi consuetudinem ambit, et quasi esset sponsa sacri epithalamii, dicere non veretur : *Osculetur me osculo oris sui.* Quod osculum de Eucharistiæ esu Patres interpretantur. Certe si peccatorum suorum horrore et Christi præsentis majestatis timore commoveretur, utique cum Petro tremens et stupens diceret : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum.* Cum centurione : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum ;* cum muliere sanguinis fluxu laborante vestis tantum fimbriam tangeret ; cum muliere peccatrice stans retro secus pedes Domini, non se illi coram offerret, pedes tantum osculari ac lacrymis rigare contentus.

Denique, quantum humana et christiana prudentia conjicere licet, non est in illo sincera conversio, nec vera, sed falsa pœnitentia, seu, ut aiunt Patres, pœnitentiæ larva. Nam pro converso habendus non est, qui nunquam facit quod semper promittit, qui ab infandis iteratisque sine emendatione spurcitiis adhuc libidinum igne flagrans, et fumo sordens, et fœtore graveolens emergit ; ut propterea sola interposita Confessionis mora et veluti parenthesi, ad divina admittatur Sacramenta. Næ illi vero pœnitentiæ spiritu hoc ipso non agi credendi sunt, quod post flagitia ad tremendam mensam sine intermissione accedere non verentur ? Nam nec Sacramenti dignitatem, nec sacrificii sanctitatem, nec Christi realiter præsentis majestatem, nec turpitudinis suæ fœditatem apprehendunt.

Ergo hominibus hujusmodi in peccata mortalia relabentibus differenda communio est, quoad, ut ait Anselmus, per sacrificium spiritus contribulati, cordisque contriti Deum placantes, ad virtutum profectum studiose contenderint, pro illisque supplicet humilitas, suggerat contritio, intercedat mutatio.

Solvitur objectio a Patrum auctoritate petita.

Dices : SS. Patres non semel eos reprehendunt qui ab Eucharistia diu se abstinent : ergo omnes ad Communionem frequentandam hortandi sunt.

Respondeo SS. Patres illud genus hominum æquissimis ac verissimis reprehensionibus exagitare, qui per desidiam et salutis incuriam a sacra Eucharistia se removent, nec interim de animo ad sacram mensam præparando ac componendo laborant : unde illi non ex reverentia ab amore et humilitate profecta, sed ex contemptu et fastidio cœlestis cibi (quod summam vituperationem meretur) a Christi corpore abstinent. Cæterum Patres eos non damnant, sed laudant, imitandosque proponunt et præcipiunt, qui mysteriorum augusta majestate perculsi, post patrata flagitia ab Eucharistia secedunt, eam ut purius postmodum ac sanctius suscipiant, eaque humilitate illam a qua prolapsi sunt morum integritatem sensim ac pedetentim redintegrent.

Hinc recolendæ memoriæ S. Franciscus Salesius cohortationes Patrum octiduanam Communionem collaudantium ad pias mentes refert, quæ non modo a criminosis cupiditatibus, sed a minimarum ac tenuissimarum offensiuncularum studio atque affectu

liberæ sint. Unde lib. 2. epist. 38. ad primariam fœminam scribens : « Nolim, » inquit, « filiam tuam ad frequentem adeo Communionem adducas, nisi antea quid sit Communio frequens recte perpendere noverit. Aliud est Communionem ab aliarum rerum perceptione ; aliud frequentem Communionem a rariori Communione secernere. Si tenella illa anima satis perspicit, ad hoc mysterium crebrius adeundum magna mentis puritate, magnaque flagrantia opus esse; si ad eam enitatur, si ea sese ornare studeat ; tum vero sæpius, hoc est decimo quinto quoque die eam ad illud admovendam assentior. Sin Communionis tantum percipiendæ, non levium puerillis ætatis macularum eluendarum studio tenetur, confiteri eam octavo quoque die, et menstrua tantum Communione uti commodius censeo. Sacra Communio, carissima filia, summo, ut mihi quidem videtur, ad perfectionem comparandam adjumento est. Sed eam ita a nobis adiri oportet, ut quidquid Deo, quem recipere volumus, displicet, evellendi atque amovendi studium acre ac diligens afferamus. » Quid ergo sensisset B. Episcopus de hominibus sæculo immersis, variisque sceleribus obnoxiis, postquam puerilis ætatis offensiunculas octiduanæ Communioni impedimento esse definivit.

Idem ante docuerat Venerabilis Presbyter Avila 1. parte, epist. 64 : « Noli sinere, » inquit alloquens nonnullum animarum rectorem, « eos ad Dei mensam accedere quoties cupient. Multi enim animi levitate potius quam intimo pietatis ac venerationis sensu Eucharistiam adeunt. Unde accidit, ut ex ea nihil fructus capiant, nec meliores efficiantur. Quod quidem damnum animæ permagnum est, et quoad fieri potest summopere vitandum. Fac ut mysterii hujus sublimitati profunda ac religiosa animi dejectione se substernant. Quod si quem secus se habere deprehenderis, argue illum, cœlestemque panem ei subtrahe, quoad illum vehementer concupiscat, seque eo indignum fateatur. Vulgus fidelium ter quaterve per annum ; alios novies, aut decies ; Religiosos decimo quinto die Communionem percipere satis fuerit. Conjuges tertia quaque hebdomada, vel singulis mensibus idem præstare commode poterunt. In quibus autem eximium quemdam Dei zelum atque amorem sic fervere perspexeris, ut eorum in vitæ sanctitate incrementum atque progressus quasi ad oculum pateat, iis octavo quoque die sacra Communione vesci licebit... Nisi forte aliud suadere videatur aut fames ardentior, aut reverentia insignior, aut tentatio acrior, aut necessitas manifestior. Quæ quidem animadvertenda in nonnullis, et prudenter gubernanda sunt. Rarum autem eorum genus existimo, quibus sæpius quam octavo quoque die Communionem adire conveniat. »

Id ipsum ante docuerat S. Bonaventura, non solum locis supra memoratis, sed etiam lib. 2. *de profectu Religiosorum*, c. 77, ubi de Religiosis conditione sua ad sacram Eucharistiam utique paratioribus instituendis agens, sic habet : « Si aliquis desiderat experiri, utrum sit melius sæpius an rarius Corporis Christi suscipere Sacramentum, videtur mihi quod non possit super hoc omnibus dari regula uniformis. Varia sunt hominum merita, et diversa operum studia, et differentia desideria, et multiplices Spiritus sancti operationes in singulis, et diversi etiam status in Religione. Et ideo, sicut ægrotantibus non potest una forma servari in dandis medicinis corporis, propter diversitates complexionum aut loci, aut temporis, aut dietæ, aut aliarum considerationum, pro quibus aut rarius aut sæpius, aut majori, aut minori quantitate eadem medecina datur : ita de medicina spirituali, quæ est Corpus Christi, intelligendum. Mundanis enim curis occupati rarius possunt se ad illud recipiendum expedire, quam illi qui tantum spiritualibus studiis sunt intenti. Præterea alii magis, et alii minus sunt circumspecti in custodia vitæ suæ, et morum, et conscientiæ suæ puritate. Vix tamen aliquis ita religiosus esse videtur et sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque vel ratio plus suadeat. Infirmitas superveniens, vel singulariter festivitas solemnis, vel inusitatæ devotionis fervor, et intemperata desiderii sitis sit pro illius susceptione, qui solus sufficit amantis animæ ardorem refrigerare. Et quia talis ardoris impetus non nisi a Spiritu sancto est, ut creditur, ideo legibus humanæ consuetudinis et statutis mortalium non arctatur. » Verbis tam perspicuis, tam splendidis, tanta rationum mole vallatis, tam spirituali discretione conditis nihil attinet adjicere.

TERTIA REGULA.

Negotiorum honestorum multitudo bonos Christianos a frequenti Communione non submovet.

Si talis ac tanta, qualem descripsimus, ad Communionem animi compositio et præparatio desideraretur, nullus (dicet aliquis) pene sacram Eucharistiam adire deberet, aut posset, cum omnes ferme negotiis aut occupationibus distenti sint, quibus impediuntur quominus tam accurate se præparent. Id autem absurdum est, et durum. Quomodo igitur quæ de frequentis Communionis usu stabilivimus, sunt veritati consentanea?

Verum nequaquam id sequitur, si quæ diximus recte intelligantur. In primis licet in Communione præfinienda, ejusque temporibus constituendis aliqua cujusque occupationum habenda sit ratio; illud tamen certissimum est, Christianos pie sancteque viventes, et Christi in Eucharistia latentis amore casto flagrantes a cœlesti cibo recipiendo occupationum et negotiorum honestorum multitudine minime esse prohibendos. Occupationes enim honestæ et Reipublicæ utiles, Dei vocatione susceptæ, et ex charitate absolutæ, orationis et diligentioris ad Eucharistiam præparationis locum et vicem implent, cum qui eas sancte obeunt, illud Scripturæ mandatum juxta Patres impleant, *Sine intermissione orate.*

Sine intermissione enim orat, qui sine intermissione in illis functionibus, quibus a Deo alligatus est, propter Deum operatur. Sine intermissione orant Sacerdotes, Parochi, et Episcopi occupatissimi suis muneribus incessanter addicti, id est sacris studiis, pauperum causis, litibus componendis, casibus conscientiæ resolvendis, ignaris erudiendis, concionibus parandis pronuntiandisque, Ecclesiis visitandis jugiter incumbentes, ob quæ a sacro quotidie faciendo (nisi interdum præ reverentia secedant) abstinere nequaquam debent. Sine intermissione etiam orabant nascentis Ecclesiæ Christiani in rerum domesticarum cura, familiarum administratione, manuum etiam juxta Apostoli præceptum labore continenter versantes.

Itaque nec Magistratus officia, nec familiæ negotia, nec laboris instantia, christiano animo peracta impedimento, sed potius adjumento sunt Eucharistiæ usurpandæ. Sicut e contra qui levibus vel nullis occupationibus detinentur, sed totam hebdomadam in voluptatum, ambitionis, et avaritiæ studiis otiosi conterunt, ad Eucharistiam proximo Dominico suscipiendam ideo idonei censendi non sunt, quod aliquod tempus in evolvendis nonnullis precationibus impendunt. Temporis enim et spatii, ut dixi, ad sacram Communionem sese accingendi nonnulla ratio habenda est, sed longe major meritorum cujusque, animi affectuum, morum, probitatis, vitæ integritatis, sancti Spiritus munerum ac donorum, quæ in viris etiam occupatissimis sæpe non desunt.

QUARTA REGULA.

Peccata venialia justorum frequentem Communionem non prohibent : eorum tamen affectus Communionis dilationem exigit.

Accurate cum B. Francisco Salesio peccata venialia ab affectu et studio peccatorum venialium distinguenda sunt. Peccata venialia a sacræ Communionis usu non prohibent : peccatorum venialium amor et affectus (qui operibus utique dignoscitur et occasionum fugiendarum incuria et voluntario neglecto innotescit) prohibet. In peccatis etiam venialibus attendenda, non confundenda ac permiscenda diversitas est. Alia enim insidiose obrepunt, alia a volentibus et scientibus suscipiuntur; et longe alia eorum habenda ratio est, quæ ignorantia vel fragilitas parit, atque eorum quorum malitia, et usus mater est; et studiosius redimenda sunt quæ charitatem lædunt, vel scandalo sunt, vel quæ multitudine animi candorem infuscant, quam in quæ naturæ imbecilitate assidue incurrimus aut impingimus.

Hinc præclare Augustinus serm. 224 : « Noli, » inquit, « despicere peccata tua, quia parva sunt. Nam et pluviarum guttæ sunt, sed flumina implent, et moles trahunt, et arbores cum suis radicibus tollunt. Tu qui dicis, quia parvum peccatum est, velim scire quoties tale peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corpore, et tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis? Cum ergo in corpore tuo plagas, nec in veste tua scissuras vel maculas fieri acquiescis, qua conscientia tot facere in anima tua non erubescis? Ac sic quicumque hoc fecerit, plus amat vestem aut carnem suam

quàm animam. Cum enim ad imaginem Dei facti simus, quoties aliquid turpe aut loquimur aut facimus, toties Dei imaginem sordidamus. Etiam videte, si hoc deceat vos, aut oporteat. Vere dico vobis, Fratres carissimi, quia non hoc Deus de nobis meretur, ut in nobis imago ipsius per malas concupiscentias injuriam patiatur. Et cum nullus homo velit cum tunica sordibus plena ad Ecclesiam convenire, nescio qua conscientia cum anima per luxuriam » (non utique lethiferam, sed venialem, qualis est in eis qui in matrimonio per se licito intemperanter ac extra liberorum procreandorum justissimum finem utuntur ; de illis enim inibi sermonem habet Doctor sanctissimus) « sit inquinata, præsumit ad altare accedere, non timens illud quod Apostolus dixit. Qui enim manducat corpus, et sumit sanguinem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Si erubescimus ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere, plus timere debemus ipsam Eucharistiam intus in anima polluta suscipere. »

Augustinum secutus est Magnus Gregorius lib. 2. *in* I. *Reg.* c. 1. his notandissimis verbis : « Qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etsi minima sint peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ saturitatis. Hac repletione nos evacuere Paulus insinuans ait : *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* Quid est enim hoc loco probare, nisi evacuata peccatorum nequitia se probatum ad Dominicam mensam et purum exhibere ? »

Patribus consentiunt S. Bonaventura, et S. Franciscus Salesius. Posterioris verba retulimus. Prior vero lib. *de Præparat. ad Missam,* his præclaris verbis mentem suam aperuit : Proba teipsum ex quanta caritate, et quali fervore accedis. Non solum enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam et otium multiplicata, et etiam per inconsiderationem ac per distractionem dissolutæ vitæ et malæ consuetudinis, licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem et obnubilatum, et indispositum, et ineptum ad celebrandum, nisi dicti pulveres et stipulæ venialium per afflatum Spiritus et flammam caritatis ventilentur et consumantur, exardescente igne cordis, et ex consideratione propriæ vilitatis. Ideo cave ne nimis tepidus et inordinatus accedas ; quia indigne sumis, si non accedis reverenter, circumspecte, et considerate. Unde Apostolus : *Judicium sibi manducat et bibit.* Quod apertius insinuat dicens : *Ideo inter vos imbecilles multi*, scilicet per fidei inconstantiam ; *et infirmi*, id est gravi peccato sauciati ; *et dormiunt multi*, scilicet per torporem et desidiam. O quam graves augustiæ me undique affligentes ! Accedere indigne, horrendum ; non accedere ex notabili negligentia vel contemptu, damnabilis est culpa. » Quam doctrinam factis suis vir sanctus, et Deus miraculo comprobavit : cum enim tanti mysterii reverentia et sacro horrore perculsus aliquot dies ab Altari secessisset, ut humiliati cordis sacrificio Deum honoraret, viri Seraphici humilitate Christus delectatus particulam hostiæ in os ejus immisit.

Hanc sanctissimam doctrinam non solum verborum suorum auctoritate, sed et vitæ suæ exemptis factisque Sancti docuerunt. Hinc vir divinus Joannes Chrysostomus, quod animum suum nonnihil semel commotiorem senserit, alium Episcopum ut sacrum faceret rogavit ; et referente Palladio vitæ ipsius oculato teste, « Sacrificium offerre noluit, » sed altæ reverentiæ sensu perfusus e templo venerabundus excessit. Hinc sanctissimus vir et Doctor a Deo Ecclesiæ provisus Hieronymus, ipsomet in opere contra Vigilantium attestante, quando subiratus fuerat, vel aliquid mali in animo cogitarat, vel nocturno fuerat phantasmate delusus « Basilicas Martyrum, » inquit, « intrare non audeo, ita totus et corpore et animo contremisco. Rideas forsitan, » addit, « et muliercularum deliramenta subsannes. Non erubesco earum fidem, quæ primæ viderunt Dominum resurgentem, quæ mittuntur ad Apostolos, quæ in multis a Domini Salvatoris sanctis Apostolis commendantur. »

Si ob iracundiæ motum, ob cogitationem intemperatiorem, ob nocturnam illusionem sæpe et fere semper in Sanctis culpa vacantem, ne in Basilicas quidem Martyrum ingredi, et Sanctorum reliquiis adstare audebat Hieronymus, quomodo ad altare tremendum aspirare, Dominumque majestatis, cujus præsentia et gloria Angelos ipsos sacro horrore percellit, sustinere potuisset?

Hinc Magnus Gregorius metuens ne sua culpa pauperculus in vico urbi vicino fame et egestate interiisset, per aliquot dies a sacris Altaribus secessit, et cœlestium sibi

ipsi mysteriorum celebratione interdixit. Hinc S. Romualdus Religiosos, qui orationis tempore somni obrepentis illecebris aliquantulum cessissent, ne sacrum facerent prohibebat. Hinc S. Bernardus laudat S. Malachiam, quod Diaconum nocte præcedenti humanum aliquid passum, et die sequenti ad altare ministrantem his verbis castigaverit : « Non debueras hodie ministrasse, sed verecundæ te subtrahere sacris et deferre tantis, tamque divinis mysteriis, ut hac humilitate purgatus dignius deinde ministrares. » Hinc S. Thomas Cantuariensis, quod Regis leniendi, ac Cleri a vexatione vindicandi causa nonnihil de solita propugnandæ Ecclesiasticæ libertatis firmitate remisisset, seipsum a sacrificio excludit, nec ad Altare nisi obtenta summi Pontificis absolutione regressus est. Hinc S. Carolus cum in Ecclesiæ ritibus nonnihil peccasset, pluribus diebus a tremendo sacrificio recessit, pluribus recessurus, nisi populi studiis et devotioni cedendum existimasset. Hinc Beatus Franciscus Salesius libro secundo epist. 39. illustrem fœminam ob voculas acerbiores, quæ ipsi per impatientiam excidere solebant, a Confessario frequentioris Communionis solatio recte multatam existimat : tum ut eæ maculæ humilitate abstergerentur ; tum ut ad eas fugiendas diligentior imposterum evaderet ; tum ut illius obedientiæ periculum fieret, et in ea pœnitentia quoad Confessarius jusserit, perstandum existimavit. « Nunquam enim, » addit dicta sua ratione confirmans, « salubrior cibus est, quam cum ab exercitato et esuriente percipitur. Intervallo autem esuries atque appetentia crescet : comprimendæ vero impatientiæ exercitatione stomachi spiritualis vis ac firmitas redintegrabitur. » Hinc sanctæ memoriæ Bartholomæus a Martyribus Bracharensis Archiepiscopus, ut refertur in ejus vitæ tam eleganter et juxta pie annis superioribus gallice scriptæ lib. 4. cap. 27, tametsi singulis ferme diebus divina mysteria faceret, quo gravissimarum functionum labores levaret, et interruptum negotiorum mole caritatis ardorem instauraret : unum tamen cujusvis hebdomadis diem seligebat, quo a Communione se abstinens et reverentiæ suæ sensum significaret, et majorem cœlestis cibi appetentiam concitaret. Desideriis enim humilitate temperatis, et cum vitæ integritate conjunctis mirum in modum animus apparatur. Nam, ut ait sanctus Anselmus tract. *de Sacramento Altaris*, « Hunc cibum plus manducat, qui amplius amat ; et plus amando rursus, qui plus manducat, et plus amat. »

Solvuntur objectiones a ratione depromptæ.

Dices 1° Nunquam Ecclesia postulavit ante Communionem plures dies agendæ pœnitentiæ tribui ; nec unquam talem usum aut praxim tenuere Patres ; illi solum a sacra Communione abstinebant, qui ob atrocia crimina publicæ pœnitentiæ subjiciebantur, quoad reconciliati essent. Ergo Ecclesiæ sensibus nostra doctrina non congruit.

Respondeo falsissimum esse hujus argumenti antecedens ; cum contra certissimum sit, prioribus Ecclesiæ sæculis morem doctrinæ nostræ consentaneum in Ecclesia viguisse. Etenim cum sancti Patres recensiti in ea sententia fuerint, ut post commissa mortifera peccata, qualiacumque tandem essent, pluribus diebus pœnitentiam agi oportere existimarint antequam ad Eucharistiam accederetur, manifestum est Sanctos illos eam doctrinam a se traditam, a se prædicando scribendoque inculcatam ad mores praximque semper et ubique reduxisse : alioquin similes Pharisæis dixissent et non fecissent, contradixisset doctrina moribus, et simulata pietate veraque hypocrisi in duplicem iniquitatem incurrissent. Absit a Sanctis, absit ab Ecclesiæ Patribus hæc fallax fraudulentaque ars aliud docens, aliud efficiens : cum de unoquoque eorum vere illud intelligatur : *Qui fecerit et docuerit, hic magnus erit in regno cœlorum* ; omnesque et singuli illius discipuli fuerint, qui *cœpit facere et docere*. Factis etiam et exemplis doctrinam confirmasse suam, in fine responsionis ad proxime superiorem objectionem clarissime monstravimus.

Hinc S. Cæsarius Arelatensis Præsul sexti sæculi, in quo floruit, Ecclesiæ sensum exprimens, homil. 8. ait peccata quidem venialia et minuta esse quotidie redimenda infirmos visitando, in carcere positos requirendo, discordes ad concordiam revocando, indicto ab Ecclesia jejunio jejunando, hospitibus pedes abluendo, ad vigilias frequentius conveniendo, eleemosynas ante ostium prætereuntibus dando, inimicis nostris quoties petierint indulgendo. « Pro capitalibus vero criminibus » (addit loquens de sacrilegio, adulterio, homicidio, falso

testimonio, furto, rapina, superbia, invidia, avaritia, diuturna iracundia, ebrietate assidua, ut patet ex contextu) « non hoc solum sufficit, sed addendæ sunt lacrymæ, et rugitus, et gemitus, continuata et longe protracta jejunia, largiores eleemosynæ, etiam plus quam nos ipsi valere possumus erogandæ, ultro nos ipsos a Communione Ecclesiæ removentes, in luctu et tristitia multo tempore permanentes. » Quibus verbis nihil planius, nihil luculentius, nihil apertius dici potest.

Dices 2° Eucharistiæ interdictio excommunicatorum pœna est, qua et ab Ecclesia, et a Sacramentis arcentur : Ergo non cujusmodi peccatorum mortalium hæc pœna est, nec arcendi sunt ab Altaribus qui in peccata lethalia, quibus excommunicationis pœna annexa non est, prolapsi sunt.

Respondeo quod, licet his temporibus excommunicatio certis tantum peccatis, gravibus illis quidem per longas formulorum observationumque moras infligatur, qua desperati et insanabiles peccatores, ne per plures serpant dira contagia, pastorali necessitate tanquam oves morbidæ a sanis separantur, quæve est veluti ultimum Ecclesiæ in contumaces fulmen ; nihilominus tamen antiquitus verbum *Excommunicare*, idem sonabat ac pœnitentes anteacta scelera ex animo aversantes a Communione et Altaribus arcere et prohibere ; quæ quidem pœna omnibus peccatis mortalibus irrogabatur, quamve pœnitentes ultro sibi imponebant, semetipsos a Communione pro suo reatu suspendentes, ne ab altari quod in cœlo est removerentur, ut hom. 13. docet S. Cæsarius Arelatensis : « Ut qui separari, » inquit S. Augustinus homil. 50, « a regno cœlorum timet per ultimam sententiam summi Judicis, per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cœlesti panis interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri judicii, ut cum alii accedunt ad altare Dei, quo ipse non accedit, cogitet quam sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alii in mortem præcipitantur æternam. »

Hinc, auctore S. Eligio hom. 8, pœnitentes vestibus ex hœdorum pilis contextis in sinistra Ecclesiæ parte se collocabant, ut se peccatis factos dignos agnoscerent et profiterentur, qui ad sinistram inter hœdos in die judicii collocarentur. Unde huic damnationis imagini et formæ ultro se subjiciebant ut ab æterno convivio non arcerentur illa, Apostoli voce freti : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Hinc B. Cyprianus quartam orationis Dominicæ postulationem explanans : « Hinc panem, inquit, dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus et Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto dum abstenti et non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur. » Ad quem locum alludens Augustinus lib. *de dono Persever.* cap. 4 : « Hæc verba sancti hominis Dei, » inquit, « perseverantiam a Domini Sanctos indicant poscere, quando hac intentione dicunt : Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, ne a Christi corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, qua nullum , quo inde separari mereantur, crimen admittant. »

Hinc concilium Turonense III. canon. 22 : « Episcopis, » inquit, « et Presbyteris diligenti cautela pertractandum, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi præscribant, ut juxta modum peccati pœnitentibus abstinentia » (a sacra Communione) « indicatur. »

Hinc Ivo Carnotensis epist. 230. testatur moris fuisse, « ut crimina sua confitentes aliquandiu a corporis et sanguinis Christi Communione Ecclesia suspenderet. » Hinc denique Augustinus sæpe testatur pro quolibet crimine pœnitentes excommunicatione, id est a cœlesti pane secessu plecti : et hunc morem in omnibus Ecclesiis sua ætate viguisse, ut refert epist. 108 : « Quia hoc est indigne corpus Christi accipere, si eo illud tempore quis accipiat, quo debet agere pœnitentiam. » Illis ergo frequens Eucharistiæ usus permittebatur, quorum moribus sanctitas christiana non dedecorabatur, quorum fides spe roborabatur, spes charitate alebatur ; qui quotidie peccabant, quia homines erant ; sed graviter non peccabant, quia veri Christiani erant. Veri enim Christiani tessera est læthalia vitare peccata. « Cum cœperit ea non habere homo, debet autem non habere omnis Christianus homo, incipit caput erigere ad libertatem, » inquit idem Augustinus.

Dices 3° per pœnitentiam vere delentur peccata, restituitur gratia, reviviscunt virtutes, fit homo Deo gratus, et infusis cœlestis gratiæ muneribus mundatur. Ergo non debet statim post pœnitentiam impediri,

quominus sic per Sacramentum instructus ad Eucharistiæ Sacramentum homo convolet.

Respondeo pœnitentiam a Patribus, et deinceps a theologis trifariam dividi : alia enim est quæ Baptismum antecedit, qua peccatorem de peccatis a se nondum regenerato patratis pœnitebat ; alia est quotidiana peccatorum venialium, quæ omni ex parte effugere justi non possunt ; alia est pœnitentia pro peccatis mortalibus, quæ sine Ecclesiasticarum clavium auctoritate remitti nequaquam possunt. Hujus divisionis sæpe meminit Augustinus, ex quo eam desumpsit Angelicus noster Doctor ultimo suæ *Summæ Theologicæ* articulo, his verbis : « Pertinet ad pœnitentiam ut detestetur peccata præterita cum proposito vitam immutandi in melius, quod est quasi pœnitentiæ finis. Et quia mortalia recipiunt speciem secundum finem, conveniens est quod diversæ species pœnitentiæ accipiantur secundum diversas immutationes quas pœnitens intendit. Est autem triplex immutatio a pœnitente intenta. Prima quidem per regenerationem in novam vitam, et hæc pertinet ad pœnitentiam, quæ est ante Baptismum. Secunda autem immutatio est per reformationem vitæ præteritæ jam corruptæ, et hæc pertinet ad pœnitentiam mortalium post Baptismum. Tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitæ, et hæc pertinet ad pœnitentiam venialium, quæ remittuntur per aliquem ferventem actum caritatis. »

Porro huic tertiæ pœnitentiæ separatio a sacra Communione semper adjungebatur, ut peccator post violatam Baptismi innocentiam, et offensam Dei majestatem interim concussus debitam flagitiis suis pœnam agnosceret, hacque humilitate, aliisque pœnitentiæ exercitationibus dignum se præstaret, cui ad sacram communionem rursum aditus pateret. « Restat ergo tertium pœnitentiæ genus, » inquit August. hom. 27. c. 3. sermonem habens de pœnitentia, quæ ad delicta mortifera pertinet ; « unde aliquid breviter dicam, ut adjuvante Domino proposita et promissa persolvam. Est pœnitentia gravior atque luctuosior, in qua proprie vocantur in Ecclesia pœnitentes, remoti etiam a Sacramento altaris participando, ne accipiendo indigne, judicium sibi manducent et bibant. »

Hac ratione nihil limpidius, nisi forte hæc ejusdem Augustini verba hom. 50. cap. 2. et 3, ubi exposita præfata divisione sic habet : « Tertia est actio pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet, et de quibus Apostolus ait : *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* In hac ergo pœnitentia majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut a se ipso judicatus non dijudicetur a Deo, sicut idem Apostolus ait : *Si enim nos judicaremus, a Domino non judicaremur.* Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ, si timet illud quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, ut illud recipiat unusquisque quod per corpus gessit, sive bonum, sive malum. Constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat, nam minatur hoc Deus peccatori : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.* Atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis et sanguinis Domini : ut qui separari a Regno cœlorum timet per ultimam sententiam summi Judicis, per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cœlestis Panis interim separetur.... Quomodo ergo in interiora veli, et in illa invisibilia Sancta Sanctorum introire audebit aut poterit, qui medicinam cœlestis disciplinæ contemnens, noluit paulisper a visibilibus separari ? Qui enim voluit humiliari ut exaltaretur, cum exaltari voluerit dejicietur, et in æternum sejungetur ab æternis Sanctis. »

Quin passim supponit Augustinus, hanc Communionis privationem fuisse semper peccati mortalis reo annexam : « Qui violavit Sacramentum (Baptismi) inquit homil. 41. male et perdite vivendo, et ideo remotus est ab Altari, ne judicium sibi manducet et bibat, mutet vitam, corrigat se, et reconcilietur cum vivit, dum sanus est.... Ergo qui veraciter egerit pœnitentiam, et solutus fuerit a ligamento quo erat obstrictus et a Christi corpore separatus, quandocumque defunctus fuerit ad Deum vadit. » Hinc peccatores post Baptismum in peccatum mortale sponte sua labentes comparat Adamo, quatenus sicut iste constitutum Deum inter et ipsum fœdus violavit, ideoque ligno vitæ orbatus est, ita peccator ictum cum Christo in Baptismate fœdus disrumpit, ideoque ab Eucharistia arcendus : « Alienandus Adam fuerat a ligno vitæ, » inquit lib. 11. *de Genes. ad litt.* cap. 40, « vel jam moriturus,

vel etiam tanquam excommunicatus : sicut etiam in hoc Paradiso, id est Ecclesia, solent a Sacramentis altaris visibilibus homines disciplina Ecclesiastica removeri. »

Dices 4° longas illas, et laboriosas satisfactiones ante absolutionem et Communionem præmitti solitas, ipsam etiam ab Eucharistia separationem publicis tantum peccatis eluendis institutas fuisse. Ergo privatis, arcanisque peccatoribus non est idem pœnitentiæ rigor imponendus, neque ullum a Communione abscedendi tempus præscribendum.

Respondeo prorsus esse a veritate alienum, hanc religiosam abstinentiam et dilationem peccatoribus duntaxat publicis ad populi exemplum, sarciendum Ecclesiæ honorem, et quæ in ipsam redundaverat ex Christianorum sceleribus infamiam eluendam duntaxat fuisse impositam. Veritas enim est, ob occulta, arcanaque peccata, quibus pernotis damnum pœnitenti potuisset obvenire, puta ob adulterium mulieris publica pœnitentia pervulgatum, vel in suspicionem vocatum, unde mulieri incommoda, vel etiam mors imminerent, peccatores impositam pœnitentiam, et ab Eucharistia secessum statuto Canonibus tempore, auctore Basilio epist. 2. *ad Amphiloch.* can. 34. observasse. Quæ quidem pœna non ob sola publica, sed ob occulta quoque ; non in aliorum duntaxat exemplum, sed in lapsorum potissimum salutem indicebatur.

Id etiam evidentissime vel ex eo apparet, quod Clerici sacris ministeriis addicti, etsi publicæ pœnitentiæ ob peccata secreta, quamlibet gravia obnoxii non essent, ob mortiferum tamen peccatum ab altari depulsi pœnitentiæ clam diuque vacare jubebantur. « Alienum est a consuetudine Ecclesiastica » (inquit Magnus Leo epist. 82.) « ut qui in Presbyterali honore, aut qui in Diaconi gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi » (scilicet publice). « Unde hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa. » Refert etiam Sozomenus lib. 8. cap. 6. Gerontium Diaconum ob admissum crimen, S. Ambrosii imperio « præscripto tempore manere domi, et pœnitentia expiari » fuisse jussum, ut precibus, lacrymis, variisque castigationibus ultro susceptis Deo satisfaceret. Refert etiam Gratian. dist. 92. cap. *Presbyter*, decretum Concilii Hibernici, quo jubetur ut Presbyter in fornicationem lapsus annos decem pœniteat, « et tribus quidem mensibus privato loco a cæteris remotus pane et aqua a vespera in vesperam utatur, sacco indutus humi adhæreat, die ac nocte jugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret ; finitis tribus mensibus exeat, tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum patiatur. Nec enim debet sacerdos publice pœnitere sicut laicus. » Unde patet sacerdotes ab Eucharistia fuisse prohibitos, tametsi pœnitentiæ publicæ jugo colla non submitterent. Unde S. Prosper seu Julianus Pomerius lib. 2. *de vita contempl.* cap. 7. in eos sacerdotes acriter invehitur, qui peccati lethalis conscii, « abstinere se ab altari propter homines erubescunt, » nec « ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt ». Quos interim monet, ut « ab altari, cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam tanquam mortuam plangant, certi quod reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo non solum amissa recipiant, sed etiam cives supernæ civitatis effecti, ad gaudia sempiterna perveniant. » Certum ergo est, cuilibet peccato mortali, quo Baptismi sanitas deperit, verecundum a Communione secessum semper fuisse annexum ; ut interim variis pœnitentiæ exercitationibus et sanitatem peccator recuperaret, et ad reconciliationem atque Communionem sibi aditum faceret ; atque expiatis salutari satisfactione criminibus, et animo in Christiana pietate obfirmato, absolutionis et Communionis beneficio viam sterneret, ac muniret.

Dices 5° : Peccatoribus criminum suorum indulgentiam plenariam Ecclesia sæpe indulget. Illi autem plenarie non indulgetur, cui Communionis dilatio imponitur. Ergo doctrina nostra non videtur indulgentiarum assertioni consentanea.

Respondeo quod, sicut verum non est vero contrarium ; ita potestas clavium, a qua indulgentiæ proficiscuntur, Ecclesiæ collata non est necessitati pœnitentiæ et peccatorum probationi in Scripturis, Patribus, et ab Ecclesia per suos Concionatores tantopere inculcatæ adversa. Ecclesiæ misericordiam demonstrant Episcoporum, et Romani præsertim Antistitis indulgentiæ, quia, ut præclare scripsit Cyprianus epist. 55. *ad Cornelium* fratrem, « Nec Ecclesia cuiquam clau-

ditur, nec Episcopus alicui denegatur, patientia, facilitas, et humanitas nostra venientibus præsto est. Opto omnes in Ecclesiam regredi, opto universos commilitones nostros intra Christi castra concludi. Remitto omnia, multa dissimulo, studio et voto colligendæ fraternitatis etiam quæ in Deum commissa sunt, non pleno judicio religionis examino, delictis plusquam oportet remittendis pene ipse delinquo : amplector prompta et plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili et simplici confitentes. » Sed tanta, omnibusque oblata indulgentis Matris Ecclesiæ clementia pœnitentiæ ad expurgandum, componendumque animum tantopere necessariæ non repugnat : sed, sicut nefarium est justitiam Dei a misericordia sejungere, ita et pœnitentiam per indulgentias ad nihilum redigere. Et magnæ terribilis Dei vindictæ argumentum est, cum quis misericordia Dei et Ecclesiæ indulgentiis abutens, dignos non satagit facere fructus pœnitentiæ. Ira « Dei est, » ait ibidem Cyprianus, « non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia. Primus felicitatis gradus est non delinquere : secundus delicta cognoscere. Illic currit innocentia integra et illibata, quæ servet ; hic succedit medicina, quæ sanet. Unde concludit, quod honor Deo non redditur, quando sic Dei majestas et censura contemnitur ; ut cum se ille indignari et irasci sacrificantibus dicat, et cum pœnas æternas et supplicia perpetua comminetur, proponatur a sacrilegis atque dicatur : Ne ita cogitetur Dei, ne timeatur judicium Domini, ne pulsetur ad Ecclesiam Christi : sed sublata pœnitentia pax a Presbyteris verbis fallacibus prædicetur. »

Et libro *de Lapsis* : « Cum scriptum sit : *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, et semitas pedum vestrorum turbant* : qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit, simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem. *Quos diligo*, inquit Dominus, *arguo, et castigo*. Sic oportet et Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, et in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat exaggerat. Aperiendum vulnus et secandum, et putaminibus (alii legunt putraminibus, id est putredinibus) amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur et clamet licet et conqueratur æger impatiens per dolorem ; gratias aget postmodum cum senserit sanitatem. Emersit enim, fratres dilectissimi, novum genus cladis ; et quasi parum procella persequutionis sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, et blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini et Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio ; irrita et falsa pax, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de peccatoribus excussa est, gravissimi, extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera, et plaga lethalis altis et profundis visceribus infixa dissimulato dolore contegitur. A diaboliaris revertentes ad sanctum Domini sordidis et infectis nidore manibus accedunt. »

Itaque nunquam intendit indulgentiis Ecclesiæ misericordia ut peccatores exhalantibus adhuc scelus suum faucibus, et contagia funesta corporibus dolentibus, Domini corpus invadant. Quia alioquin, ut ibidem gloriosus Antistes et Martyr ait, « vis infertur corpori ejus et sanguini. » Nec est pax, quam verbis fallacibus venditant, sed bellum. Unde in omnibus Pontificiis diplomatibus illis indulgentia etiam in Jubilæo conceditur, qui « pœnitentiæ salutari » se supposuerint. At salutaris non est, sed fallax et illusoria est, quæ in verba sonantia, non in facta pronuntiantia erumpit. Certe, sicut annua Communio capite *Omnis utriusque sexus*, tam rigide sub interminatione anathematis imperata, judicio tamen Sacerdotis eodem capite permittitur Communionis dilatio, si ad salutem pœnitentis noverit expedire : ita Indulgentiæ, et Jubilæi gratia Sacerdotem ad cito peccatores absolvendum, et ad altaria permovendum non astringit, nisi quem satis invenerit ad sacras epulas comparatum : ineptum vero summovere a Dominica mensa tenetur, quoad tanto Sacramento et Indulgentiarum beneficio recipiendo fiat idoneus.

Et præclaram horum omnium rationem affert laudato loco Cyprianus, quia ea sola peccata absolvit divinitus sibi traditis clavibus Ecclesia, quæ Deus condonat ; quia solus Deus principaliter miseretur, et veniam

peccatis solus ille largitur, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris Christus Jesus. At Deus sine veris pœnitentiæ exercitationibus, lacrymis, orationibus, aliisque id genus virtutum officiis gravia delicta non remittit. Ergo ea opera evacuare indulgentiis nunquam cogitavit Ecclesia. « Homo Deo non potest esse major, » inquit Cyprianus, « nec remittere, aut donare indulgentia sua servus potest, quod in Dominum delictio graviore commissum est. Credimus quidem posse apud Judicem plurimum Martyrum merita, et opera Justorum : sed cum judicii dies venerit, cum post occasum sæculi hujus, et mundi, ante tribunal Christi populus ejus adstiterit. Cæterum si quis præpropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere, non tantum nihil prodest, sed obest lapsis. Provocasse est iram, non servasse sententiam ; nec misericordiam prius Dei deprecandam putare, sed contempto Domino de sua facultate præsumere. » Catholica est de utilitate Indulgentiarum doctrina, at non minus Catholica est de necessitate pœnitentiæ sententia : utraque ab Evangelio tradita, utraque religiose retinenda, quia, ut ait ibidem Cyprianus, « non potest Evangelium in parte consistere, et in parte nutare. Aut utrumque oportet valeat, aut utrumque vim veritatis amittat. »

Regulas hactenus constitutas illustriores sancti Thomæ discipuli religiose sectati sunt. Illustria P. Granatensis testimonia.

Cum ea quæ diximus hactenus e sacra traditione Sole ipso splendidiora hauserimus, magna cum fiducia modum loquendi Hilarii lib. 6. *de Trinitate*, imitatus dixerim : « Hæc ita didici, ita credidi, et ita confirmata mentis fide teneo, ne aut possim credere aliter, aut velim. A Patribus, ab Apostolicis viris, a Summis Pontificibus, quæ teneo edoctus sum, his immedicabiliter imbutus sum : et ignosce omnipotens Deus » (suscipe, lector, in Hilario traditioni adhærente exemplum fiduciæ ad miraculum intrepide) « quia in his nec emendari possum, sed commori possum. Tarde mihi doctores ætas nunc ejus sæculi protulit. Sero hos habuit fides mea, qua tu erudisti magistros. Sit sane fides, sit pœnitentia alia, si aliæ claves regni cœlorum sunt. Sit pœnitentia alia, si erit alius Apostolatus ligata et soluta per se in terra ligans in cœlo atque solvens. Sit pœnitentia alia, si Christus Filius Dei alius præterquam quod est, prædicatur. » Addiderim etiam, quod si non est modo alius Spiritus sanctus ac qui in Apostolos est illapsus, qui in Ecclesia Catholica ministranda summis Pontificibus adfuit, qui conciliis plenariis et regionalibus præfuit, qui innumeros sanctos et Patres omnes spiritales, quotquot de pietate cum laude his etiam temporibus scripserunt, instruxit et permovit, ea quæ toto hoc capite e Patribus non tam scripsi quam exscripsi, tutissimam esse et procurandæ peccatorum salutis, et permovendæ solidæ pietatis, et frequentandæ etiam cum ingentibus utilitatibus Eucharistiæ viam, sine dubitatione credendum est. Ut tamen confirmandæ hujusce veritatis causa nihil omittamus, operæ pretium visum est selecta celebriorum S. Thomæ discipulorum testimonia proferre, ut appareat quinam semper fuerit verorum Thomistarum in Eucharistiam pietatis et reverentiæ sensus. Duos aut tres in aciem duntaxat producam, tum ne dissertationem satis prolixam cum cruce lectoris plus justo protendam ; tum quia in ore duorum aut trium testium, et quidem omni exceptione majorum, stat omne verbum.

Primus occurrit Cardinalis Cajetanus in commentario art. 10. q. 80 : « Circa quotidianam, » inquit, « celebrationem nota Augustini (Ambrosius est) verbum : Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Quoniam per sic vivere intelligendum est, spiritualem vitam sic vivere, ut quotidiana Communione semper augeatur. Alioquin non sic vivitur, ut quotidie mereamur accipere. Nam qui quotidie meretur accipere, debet quotidie sic esse dispositus, ut fructum Eucharistiæ percipiat : fructus autem spiritualis hujus cibi non est solum actualis refectio, sed augmentum gratiæ : quoniam per totum tempus præsentis vitæ sumus in statu augmenti. Propter quod crebro, vel quotidie celebrantes discutiant in seipsis fructum præteritæ celebrationis ; et secundum profectum, vel defectum prosequantur, vel a prosecutione desistant. Qui vero multis celebrationibus peractis ad actus virtutum non melius se habet quam ante, parum aut nihil proficit. » Si de viris justis, in quibus gratia et virtutes, sed in quibus virtutum post multa communiones augmentum nullum relucet, scripsit doctis-

simus Cardinalis, oportere eos a multitudine Communionum desistere, quid de eis, quæso, sentiebat, in quibus non modo nullum virtutum augmentum, nullus profectus, sed continuus cernitur in eadem lethifera flagitia relapsus? Easdem consecutiones ex illis Cajetani verbis derivare est, quas ex supra ponderatis S. Thomæ testimoniis intulimus; quæ quia sponte sua fluunt, eas erudito lectori deducendas relinquo.

Secundus occurrit Dominicus Soto in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 10, ubi quærens quemnam oporteat esse frequentis Communionis usum, ait quæstionem excitari de viris, qui a tumultu sæculari semoti divinis vacant; vel de illis, qui a peccatis omnino mortalibus abstinentes, solliciti sunt, quomodo placeant uxoribus, et sæculi negotiis implicantur; vel de illis, qui cum passionibus luctantes tentationibus interdum cedunt; nunc lapsi, sed mox resurgentes. « Illos namque, » ait, « qui peccatis mortalibus sordent, jam a præsenti quæstione tanquam ineptos exclusimus. »

Hoc posito asserit primo, immunes a peccato mortali laudabiliter Eucharistiam frequentare, licet laudabile etiam sit illos præ reverentia ab Eucharistia aliquando abstinere. Affirmat secundo per se loquendo laudabilius esse justos frequenter accedere, quam abstinere, quia amor et fiducia præstantiores virtutes sunt quam timor, qui est causa cessandi : « Quanquam, » inquit, « contingere possit, ut quandoque abstinens devotius postmodum accedat, et qui ob reverentiam abstinet; merito suo per favorem divinum gratiam assequatur. » Attamen ab eo qui ex charitate frequentat, et gratia sacramentalis, et devotio in Eucharistia « crebrius gustatur, et avidius concupiscitur. » Tertio concludit : « Illis qui corruptis affectibus fluctuant, licet quotidie resurgant, non est sanum consilium quotidie ad Sacramentum accedere, etiamsi sint Sacerdotes. Tum quia timendum illis est, ne non sit eorum legitima pœnitentia : tum quia neque sinceram et castam reverentiam afferre possunt, ut Sacramentum pro dignitate æstiment.

« Aliis vero sæcularibus conjugatis, » ait in calce articuli, « qui rei familiari inserviunt, licet a peccatis mortalibus sint liberi, non consulerem frequentius quam a quindena in quindenam a Sacramentum accedere. Nam quamvis curam habeant expurgandæ conscientiæ; nihilominus, uti ait Paulus, non possunt non curare quomodo placeant uxoribus, et quomodo rei familiari prospiciant; quod frequentiori sumptioni non est adeo congruens.... Quocirca si inter sæculares esset aliqua persona et probitate et modestia insignis, nulla est irreverentia, imo deceret forte semel in hebdomada communicare : crebrius autem, nullatenus approbare possem. »

Tertius occurrit magnus ille pietatis magister toti orbi notissimus Pater Ludovicus Granatensis, qui concione secunda in festo corporis Christi Fideles quidem ad frequentiorem divini hujus Sacramenti usum præcipua animi puritate et aviditate accedere hortatur, ut sit in nobis fructus vitæ qui semper reparet quod corruptæ naturæ morbus semper absumit; et quod ardor concupiscentiæ ad carnalia semper sollicitans assidua infestatione devastat, virtute gratiæ quam nobis confert redintegret atque instauret. Quia medicorum dogma est, ubi morbi causæ permanentes sunt, remedia quoque permanentia esse oportere : et cum peccati fomes malorum omnium seminarium ad malum nos jugiter et juxta potenter inclinet, assidua et frequenti reparatione instaurandum est, quod assidua impugnatione impetitur, atque laceratur. Ex quo merito illos esse accusandos infert, tum qui se ad saluberrimum hoc infirmitatis humanæ remedium piè et religiose frequentandum præparare negligunt; tum etiam illos qui vivificum cibum pie et frequenter usurpantes objurgant, mordent, et vel temeritatis et audaciæ, et hypocrisis vel vanitatis insimulant, quo a tantis divinæ gratiæ opibus et auxiliis, a tam multis infirmitatis et imbecillitatis humanæ remediis, atque adeo ab ipsa æterna vita pios homines avocent, quibus cum antiquo serpente, cum mundo, cum pravis hominibus, cum ipsa carne et cunctis ejus plusquam tyrannicis cupiditatibus certare queant. « Cum enim, » inquit, « ex Catholicæ fidei doctrina certo sciamus, innumeros esse hujus divini Sacramenti effectus atque virtutes, quibus animarum salus constituitur; nihil esse constat, quod magis ad hanc salutem retinendam et conservandam expediat, quam ad illud puro et religioso corde frequenter accedere. Vere enim ut corpora cibo, ita mentes nostræ hac cœlesti alimonia

vivunt ; nec modo vivunt, sed omnibus etiam virtutum et gratiarum opibus in dies augentur et cumulantur. »

Advertens tamen religiosissimus Pater, multos esse qui hoc cœlesti cibo pascantur, et multos item ex sacerdotibus qui ad hanc quotidie mensam accedant, cum tamen nihilo meliores ac sanctiores evadant ; quia, sicut « idem ignis et ceram mollit, et lutum durat, ita hoc Sacramendum idem in se manens, aliis salutis et vitæ auctor, aliis mortis occasio fit ; » post multa in hanc rem prolata sic concludit : « Fratres, nemo credat, me ita ad frequentiorem hujus Sacramenti sumptionem adhortari, ut non etiam illos perterrefaciendos putem, qui ad illud minus pie et religiose accedunt, sive illi sacerdotes sint, sive non sint. Video enim esse nonnullos, qui partim ex præscripta legum suarum necessitate, partim ex sola consuetudine, aliorum videlicet communicantium exempla, dissimili tamen affectu, atque devotione sectari volentes, ad illud frequenter accedunt. Ut quidam ergo excitandi sunt, ne immodico timore correpti ab hac sacra mensa recedant ; ita alii perterrefaciendi ne indigne accedant. Quibus verbis nihil luculentius. » Et concione 1° : « Cæterum, » inquit, « non ita fideles ad frequentiorem hujus Sacramenti usum adhortamur, ut non etiam illos officii sui admoneamus, hoc est qua cordis et corporis puritate ad illud accedere debeant. Meminisse enim oportet scriptum esse : *Domum tuam decet sanctitudo*, Domine, *in longitudinem dierum*. Et justitia et judicium præparatio sedis ejus. His namque justitiæ opibus domus ac sedes Dei ornanda est, et omnes ab ea vitiorum sordes eluendæ, quo dignum illi habitaculum præbeat. »

Et concione quarto explicans contra quos stylo suo invehatur, qui a frequenti Communione dehortantur, declarat se adversum illos perorare, « qui non contenti socordia sua, pios homines, et ad hujus divini Sacramenti medicinam confugientes socordiæ suæ participes efficere nituntur, dum eos malignis verbis, ac detractionibus ab hoc pio et salutari instituto revocant. Quorsum, inquiunt, toties confiteri ? Toties Sacramentum Eucharistiæ sumere ? Toties templa frequentare ; cum satis esse duxerit Ecclesia, semel quotannis confiteri ? Indignum enim esse dicunt, tam familiari confidentia viles opifices et homunciones ad hæc tremenda mysteria accedere. Quæ cum dicunt, non eo animo dicunt, quod divinæ Majestatis injuriam dolenter ferant ; sed quod piorum religio, illorum impietatem magis conspicuam reddat. Ut enim D. Gregorius ait : Mos pravorum est invidere aliis virtutis bonum, quod ipsi habere non appetunt. » Ergo contra, qui præ divinæ Majestatis injuriæ sensu peccatores eadem flagitia repetentes ; et nullum solidæ emendationis argumentum præbentes hortantur, ut opportuna alicujus interstitii mora animum instruant, ut postea Domini mensam rite compositi frequenter adeant ; et simul christiane viventes, etiam plebeios et simplices, eosque potissimum ad frequentem Communionis usum exstimulant ; illi, inquam, Religiosissimi Patris sensibus prorsus consentanei sunt. Is autem unus fuit nostræ dissertationis scopus. Concionem autem illam sic concludit ; « Hæc autem non eo consilio a me dicta sunt, Fratres, ut omnes ad quotidianam hujus Sacramenti perceptionem adhortari velim. Hoc enim cum divo Augustino nec laudare, quia non recte fieri potest, nec vituperare, quia recte etiam fieri potest, debemus. Nimium autem sibi tribuit qui quod ille damnare non est ausus, damnare ipse, præsertim indicta atque incognita causa audet. Hujus namque rei definitio prudentis sacerdotis judicio reliquenda est. Is enim quid cuique pro ratione status et conditionis, et virtutis suæ profectu expediat, discernere prudenter debet. Aliis enim rarius, aliis frequentius sacra Communio concedenda erit. » Additque illos demum esse frequenti Communione dignandos, qui eximia puritate et præcipua reverentia præditi sunt. « Neque enim, » ait, « quia tantam sui conveniendi, atque sumendi copiam Dominus fidelibus concessit, ideo minus reverenter ad illum accedere debent : quandoquidem ipse Dominus, qui in lege olim tantam a filiis Israel Sanctuario atque Arcæ reverentiam exhiberi præcipiebat, nos in illis monebat, nos erudiebat, ut intelligeremus, qua animi submissione atque devotione ad illum accedere, illique assistere deberemus, qui tantam soli umbræ atque figuræ reverentiam tribui volebat. »

Et quidem singulari prudentia et majori pietate illos arguit Pater Granatensis, qui « ex socordia » nec ad Eucharistiam accedunt, nec alios accedere ferunt. Merito enim reprehendendi sunt, qui cum præ amore mundi et voluptatum quo tument, ad

Eucharistiam mundi contemptu, aliisque virtutum officiis componere negligunt, hunc interim colorem et fucum prætexentes, se Communionem defugere, et a Domini mensa motu reverentiæ discedere. At enim nostra doctrina socordiam non ingerit aut teporem. Eatenus enim a sacra Communione interdum et aliquandiu pro ratione flagitiorum secedendum diximus, non ut homo per hanc temporis intercapedinem otio et mundanis voluptatibus indulgens, eam sibi asciscat duritiem, quæ totius est pietatis exterminium, et religionis etiam interitus; sed ut ad sacrum epulum digne percipiendum dignis pœnitentiæ fructibus et cæterarum virtutum exercitationibus peccator se paret et instruat. Recessus ille, quem astruimus, a religione et humilitate profectus, non otiosa, sed laboriosa mora est, qua non sistit animus, sed viam mandatorum Dei currit, ut ad Eucharistiam deinde et frequentius accedat, et sanctius; non secus ac flumina a mari, unde exeunt, dum recedunt, ad ipsum concitatius properant, ut uno tempore et recedere, et accedere videantur.

Si quis ergo Communionis consilium in longum differt, ut interea terrena tranquillius sapiat, et lautiori vitæ securius se dedat, procul dubio et a nostra doctrina abhorret immensum, et in damnandum illum teporem, cui Scriptura Apocalips. III. summi supplicii terrorem intentat, incurrit. Si quis autem humilitatis et sacræ verecundiæ pie animum suffundentis sensu differt, ut animum piis omne genus operibus instruat, paret, ornet, ut vehementem hujus cibi famem excitet, et caritatis calorem ad concoquendam divinam illam alimoniam necessarium succendat et foveat, intimum interim doloris sensum capiens, quod e cibo illo, in cujus usu christiana felicitas sita est, peccatis suis segregetur, unusque sit ei dolor hac esca privari, talem nemo nisi pietatis hostis reprehenderit. Pacis cibique solidi usum frequentem medicus non damnat, tametsi eo ad tempus infirmo interdicat, amaras interim potiones, venæ sectiones, cauteriorum ustiones morbi fontem exhaurientes præscribens. Non ergo a frequenti Communione pias animas avocamus, sed peccatores monemus, ne si impuri accedent, divinissimum medicamentum in venenum sua iniquitate convertant. Fugam Communionum non intendimus, qui quotidianam eam optamus; nec interstitiorum moras peccatoribus, præfinimus, nisi ut purgati et sani ad Eucharistiam deinceps frequentius adeundam puriores redeant et aptiores.

Merito ergo Pater Granatensis, merito omnes pii in eos invehuntur, qui flagitiosa salutis incuria plus æquo a sancta Communione se subtrahunt, et deplorando stupore et quasi lethargo ac divinorum contemptu ad cœleste epulum non anhelant, atque ad Communionem paschalem non pietatis sensu, sed consuetudine et unis Ecclesiæ anathematis perculsi ducuntur. Hanc doctrinam a Patribus hauserat vir Dei Ludovicus Granatensis, qui socordiam non communicantium dum reprehendunt, eos simul ad morum conversionem et piæ vitæ cultum prius instituendum cohortantur, quam sacris altaribus sese admoveant. « Sciant baptizati homines, » inquit Cyrillus lib. 3. *in cap.* VI. *Joannis*, « si longo temporis spatio propter simulatam religionem mystice communicare Christo recusent, ab æterna se vita procul depellere. Quippe recusatio hujusmodi, quamvis ex religione proficisci videatur, et scandalum facit, et laqueos instruit. Quare oportet omnibus viribus a peccato mundari, et recte vivendi jactis fundamentis magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. Sed variæ sunt diaboli, multiplicesque ad decipiendum insidiæ. Quare demus operam modo, ut vinculis ejus abruptis, et jugo servitutis peccatorum excusso, in timore Domini serviamus, et carnis voluptate per continentiam superata, ad cœlestem gratiam accedamus, et ad sanctam Christi participationem ascendamus. »

Vides eo loci, ubi fideles ad frequentem Communionem adducere S. Pater vel maxime nititur, præcipere tamen ut prius peccatorum sordibus abstersis, christianam vitam ingrediantur, quibus implicantur diaboli vincula abrumpant, temperantiæ et castitati operam dent, sicque parati ad Christi participationem accedant. Quod compendio lib. 4. sic expressit: « Piam studiosamque vitam agere institue, atque ita Eucharistiam sumito. »

Itaque nec innocentes, nec sincere conversos ab Eucharistia avocamus. Quin cum Isidoro lib. 1 *de Offic. Eccles.* libenter dicimus: « Qui peccare jam quievit, communicare non desinat. » At peccare non quievit, qui a pristinis peccatis continere se non valens, in eadem assidue flagitia relabitur. Audiat qui ejusmodi est, eumdem Isidorum

aientem : « Si talia sunt peccata quasi mortuum removeant ab Altari, prius agenda pœnitentia est, ac sic deinde hoc salutiferum medicamentum suscipiendum. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit. Hoc est autem indigne incipere, si eo tempore quis accipiat, quo debet pœnitentiam agere. »

Eamdem non communicantium socordiam reprehendit auctor serm. 255. inter opera Aug. : « Sæpe advertimus, dilectissimi fratres, » inquit, « nonnullos ex vobis Communionem Ecclesiasticam declinare, et hoc intelligo fieri ex conscientia gravium atque ingentium peccatorum. Unde admoneo vos, dilectissimi, quod pravum est, hoc insalubri consilio duplicatur ; quia homines ista facientes et delictorum sarcinam cumulant, et munus æternæ salutis amittunt. Hoc est reatum congregare, et remedium devitare. »

Sed quia probe noverat Doctor sanctissimus, nihil attinere vulnus aperire, nisi ad curandum manus et opera adhibeatur, detectum abusum tollere atque sanare sic aggreditur : « Ergo vos, dilectissimi fratres, hortor atque commoneo, ut si quis ex vobis conscius criminum suorum indignum se communione Ecclesiastica putat, dignum se esse faciat. Dicitis : Quomodo aliquis dignum se Communione facere possit ? Quomodo ? Nisi ut errores pristinos relinquat, et pœnitentiam petat ; ut qui criminum suorum sorde pollutus est, exomologesis satisfactione mundetur. Non illud fervet, ut in extremo vitæ suæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando jam agere non possit. Inutilis est enim, dilectissimi, ipsa persuasio. Parum est peccatorem pœnitere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis sola non sufficit ; nam in satisfactione ingentium criminum non verba tantum, sed opera requiruntur. » Ecce quid ab illis præsocordia Eucharistiam non adeuntibus exigat Augustinus ; non ut statim Domini mensam invadant, sed ut vitæ pravitate emendata, emendationeque factis magis quam verbis probata, eam puritatem animi, eam virtutis firmitatem, eam denique vitæ vere christianæ seriem assequantur, qua ad frequentem divinissimi Sacramenti usum merito aspirent.

Plura alia ex aliis producere in promptu esset. Præclara nobis testimonia suppeditaret Hieronymus Baptista de Lanuza concionator Ordinis nostri insignis, et ad Episcopatum provectus, aliique theologi tum domestici, cum extranei. Ipsa etiam beata Theresia huic nostræ doctrinæ egregium testimonium perhibet. Sed hæc satis obvia, prolixior disputatio ne sit, missa facio. Plura etiam in tractatu *de Pœnitentia* in hanc rem dicturi sumus. Cum enim ostenderimus, peccatoribus in eadem flagitia relabentibus differendam esse sacramentalem absolutionem, quo sinceram cordis immutationem fructibus operum, non folliis verborum attestentur ; utique palam erit eos non cœlesti cibo dignandos, qui nec absolutione digni sunt. Sed his omissis, vel in alium locum rejectis, unus Patris Emerici de Bonis, pii et eruditi e Societate Jesu theologi locus pro mille compatitur.

P. Emerici de Bonis longe præclarissima profertur sententia, de abusibus qui in usu sacræ Communionis admittuntur.

Sacræ traditionis et rationum hactenus producta momenta confirmabit et veluti coronabit egregia P. Emerici de Bonis e Societate Jesu oratio, quam in tractatu *de Sacramento Altaris* nobis reliquit immortale pietatis et eruditionis suæ monimentum. Verba ejus ex italico in Gallicum idioma translata summa fide latine sic reddimus :

« Duos magnos abusus, » inquit, « in frequenti sumptione sacrosanctæ Eucharistiæ, qui faxit Deus ut cito tollantur, invenio.

« Primum est quorumdam hominum, quibus nulla hebdomada præterit, quin semel aut sæpius luxuriæ spurcitiis se contaminent, qui tamen octonis quibusque diebus sanctissimo Christi corpore pasci postulent.

« Sunt et alii, qui etsi rarius peccent, iis tamen diebus quibus consuevere, ad epulum Eucharisticum, quamvis recenter in peccatum lapsi, accedere velint.

« Illorum abusus, errorque maximus est, quod non satis cogitent quam infame et turpe vitium carnis illius virgineæ, humanitatis sanctissimæ, Divinitatis augustissimæ, quam hoc Sacramento suscipimus, munditiei atque puritati adversetur. Cujus si vere dignitatem et excellentiam pernoscerent, aut in viam redirent et mutarent mores ; aut non tam sæpe imo nunquam tremendum Sacramentum sumere (nisi forte aliqua Ecclesiæ lege obstricti, quæ tamen neminem sacrosancta illa mysteria nisi Paschate percipere adigit, quæque semper rite paratos poscit) auderent.

« Et tamen sunt homines adeo audaces, seu potius tam perfrictæ frontis, ut sæpe sine ulla vitæ emendatione carne Christi vesci nihil horreant; quos si Confessarius a Communione, ut decet, summovere velit, irascuntur et religiosum vocant, nec verentur cum illo contendere, causati alios esse Confessarios contra sentientes et ad sanctam synaxim accedere permittentes: si quo sunt animi statu ad cœlestem mensam accumbere piaculum esset, futurum esse ut non afficerentur illa suavitate, illaque lætitia quam sentiunt. Denique nisi cœlesti illo pane alerentur, fore ut crebrius in peccata labantur; ut si fides illis sit adhibenda, id saltem emolumenti a Communione percipiant, quod rarius peccent.

« Ego vero etsi nemini legem præfinire velim, non mihi videor prave sentire, qui tales homines ad sacram synaxim male præparatos putem; cum ipsi tam cito, tamque frequenter ad suas impuras libidines redeant : timendumque valde, esse, ne indignæ Communionis et infandi sacrilegii periculo se exponant ; quia crebri in easdem culpas relapsus debitam præparationem defuisse testantur. Nam, si nullum adversus vim et efficaciam Sacramenti obicem ponerent, effectus ejus procul dubio sequerentur ; quorum unus est, ut eos qui digne sumunt castos faciat, quoniam multum culpiditatem minuit, quæ sic fracta et coercita, facile vinci, superarique potest. Quod nunc in nullum cernitur, qui cum ante luxuriæ vitio deditissimi essent, postea cœlesti cibo sæpe refecti castitatem coluere ; qui si pravam in meliorem vitam mutavere, quidni illi quoque idem possint? Sed vultis scire quid sit quamobrem non faciant? Nolunt. Quapropter arcendi a Communione sunt, unde qui secus facit, panem filiorum dat canibus, et margaritas projicit ante porcos ; quod a Christo Domino prohibetur.

« Quamobrem confessarii et directores diligentius attendere sibi debent, ut ne judiciorum Dei experiantur acerbitatem, qui dispensati tam pretiosi thesauri accuratam ab eis rationem reposcet. Ipsi secum reputent, indulgentia illa et nimia facilitate indignos ad Communionem admittendi, multos ea duritie, eoque animi stupore erga res divinas obriguisse, ut ne quidem status illius miserrimi, in quo torpent, sensum habeant salutarem. Quo fit ut cum prius verentes et venerabundi ad augustissimum Sacramentum accederent, jam id absque timore, veneratione et pietate suspiciant : quod inde manifestissime patet, quod nonnunquam eodem die (horrendum dictu et Angelis ipsis detestabile, quodve valeat Soli tenebras offundere, terram tremefacere, elementa permiscere) ad suas sordes revertantur.

« De his quoque idem sentio, qui postero tertio aut quarto die quam Eucharistiam sumpserunt, idem quod antea peccant ; aut quod pridie, nudius tertius aut quartus ante peccaverant. Ita ut vix a noxa uno die, biduo, vel triduo per hebdomadam se abstineant; qui tamen die Dominico ad sacram synaxim admitti flagitent.

« Quod dicunt, alios confessarios esse qui eos sic affectos a Communione non arceant, sat erit respondere, nolle mihi Deo talium Confessariorum agendi rationem esse præstandam.

« Non quidem ignoro fuisse præteritis sæculis, et etiamnum esse viros et piissimos et doctissimos, qui utile sæpe esse, et aliquando necessarium censeant talibus absolutionem denegare, hoc freti, quod veræ contritionis, nequidem attritionis (sine qua nemo absolvi potest, et absolvi sacrilegium est) signa nulla ostendant : qui etiam sanctæ Resurrectionis tempore eos qui ante paucos dies crimen aliquod admiserint, a Communione suspendant; continentiam aliquandiu ante servare jubentes quam tremenda adire mysteria sinantur; tam crebris, tam facilibus in peccata lapsibus merito suspicionem ingerentibus Confessario, deesse illis veram attritionem, sine qua non solum possunt, sed etiam debent suorum peccatorum vinculis obstrictos remittere.

« Utilissimum ergo relapsuum remedium est, et frequenti experientia confirmatum, ut in aliquod tempus iis hominibus absolutio differatur, quo victu cultuque asperiori, antequam ad Communionem accedant, se præparent. Est enim qui postquam innumera crimina et horrenda scelera Sacerdoti patefecit, perendino aut tertio die carne et sanguine Christi refici non timeat. Quod sane non est permittendum; quoniam qui habitum peccati contraxit, non nisi magno nisu resipiscere, magnaque animi contentione excitare in se salutiferum peccatorum dolorem valet.

« Quemadmodum arbor annosa non unico ictu dejicitur, nec vas aliquo tetro liquore imbutum, si semel frigida abluitur, odorem

amittit, sed opus est ut diu in cinere et lexivio fervescat; eadem quoque agendi ratione erga illos ommes utendum est, qui tam sæpe ad sua peccata recurrunt : subeant post exposita expansaque flagitia pœnarum et laborum genera, quibus sentiant, doleant et detestentur præteritas culpas : quod quia ab illis non exigitur, cito suum vomitum resorbent.

« Multi Confessarii pii, prudentesque testantur, innumeros homines, qui peccatis prius obstricti erant, quod eam rationem tenuissent, dilataque absolutione sæpius ad tribunal, ut animi statum identidem aperirent, illis redire jussissent, imposita interim delictorum pœna, pristinos mores in melius mutavisse, et magno gaudio, magnoque deinceps in virtute progressu infandam peccati consuetudinem abjecisse.

« Durum equidem et grave primo ipsis videbitur toties sine absolutione et piacularibus pœnis oneratos remitti ; verum multi postea severitatis illius fructum et utilitatem experti, gaudentes, et ut de se optime meritis gratulantes rediere, futurumque fatentes fuisse, nisi ejusmodi austeritate essent cohibiti, laudabiliorem vitam ut nunquam instituerent. Magno dolore procul dubio dum chirurgus humorem pungit ægrotus afficitur; sed sanatus gratias agit, mercedemque pro beneficio rependit.

« Si Confessarii majorem severitatem adhiberent, multo major, frequentiorque pravorum hominum emendatio consequeretur; non iisdem semper criminibus obnoxios homines cerneremus, neque subinde, ut faciunt, Confessarios mutarent, ut aliquem tandem inveniant mollem facilemque, qui leves imponat pœnas, qui sinat quoties libuerit, etiam moribus immutatis ad Eucharistiam mensam accedere ; quem deinde inventum tanquam peritissimum prædicant. Cæteros qui perversorum morum institutorumque mutationem exigunt, tanquam incommodos, scrupulosos, humanæque fragilitati nimium duros reprobant.

« Sed miseri illi animarum rectores non cernunt pravos homines in vitiis suis propterea sua indulgentia detineri, atque in pristina peccata relabi. Medicus, qui ne molestus sit ægroto, vulnus gangræna vitiari sinit, quod si validum unguentum, ignem etiam, aut scalpellum mature adhibuisset, sanari potuerat, non misericors, sed crudelis haberi debet. Idipsum tam multis peccatorum reis ob nimiam Confessariorum lenitatem et indulgentiam accidit. Offert se aliquis cujus ad expiandas noxas multis diebus jejunia et cilicia essent imponenda; huic semel Rosarii preces aut septem pœnitentiæ Psalmi recitandi imponentur. Et quoniam illæ pœnæ non sunt molestæ, fit ut illi cito suis se rursus criminibus inquinent. Quod si illi Confessarii rationem Deo de illis hominibus sibi reddendam esse etiam atque etiam apud se cogitarent, multo impensius sibi cauturos esse existimo.

« Quod isti dicunt, se gaudia suavitatemque cum Eucharistiam sumunt experiri, ausim affirmare, id valde suspectum, et errori esse obnoxium, illosque animi motus ab alia causa quam a sumpto corpore Christi proficisci, aut aliquam dæmonis fraudem subesse non autem ciere illos veram pietatem. Turcæ namque cum suum Mahumetem colunt, aut de eo sermonem audiunt, tam magno, tamque suavi animi affectu commoventur, ut etiam erumpant in lacrymas; quod tamen vel divinitus immissum gaudium, aut vere pietatis affectum nemo dixerit.

« Sancti Patres Eremicolæ eum qui per somnum mali dæmonis fraude, quamvis non sua culpa quid impuræ libidinis passus fuisset, ad sacram synaxim accedere non sinebant : quomodo putatis arcituros fuisse eos qui tam libenter, ac tam sæpe in peccatum qua data porta ruunt? Non est dubitandum, quin a sancta Communione eos penitus fuissent exclusuri.

« Id modo expendendum restat, quod dicunt, nisi cœlesti carne crebro reficerentur, se frequentius in peccata lapsuros. Quibus respondendum est, ad id Eucharistiæ Sacramentum non fuisse institutum, ne tam sæpe homines peccata committerent, quamvis id quoque, vel etiam quid præstantius digne sumentibus præstet; sed ut sit illis esca cœlestis, qua ad virtutis culmen promoveantur. Ipsi autem divino cibo non aluntur; quandoquidem vitæ cœlesti nihil cum carne commune est, cui ita serviunt, ut aliter vitam se instituere non posse ipsimet affirment.

« Venio jam ad eorum errorem qui non hebdomadibus singulis quidem, sed semel, aut bis quibusque mensibus ad sacras epulas volunt accumbere eo quod sodalitio aut societati alicui nomen dederunt, quæ diebus quibusdam sacrosanctam Eucharistiam percipere statuit; qui licet non ita frequenter

in peccata libidinis incidant, si pridie tamen aut nudius tertius eo se turpi crimine polluerint, abstinere a sacra mensa noluut; ne, inquiunt, si non faciamus, aliis malo exemplo simus et offensioni. Quod est humanis rationibus potius quam veræ pietatis affectu convivii Eucharistici adeundi tempora definire.

« Idem quoque aulicis nonnullis familiare est, qui diebus quibusdam festis, cum alioquin non sumerent Panem Eucharisticum, cum tota familia illum usurpare solent; quippe ideo faciunt ut spectentur, ne ab heris suis ejiciantur minitantibus eos quos vident ad sacram synaxim raro accedere domo sua ejecturos. Quid? Istis non permittenda Communio est?

« Re sicut diximus posita, multis diebus post patrata scelera, ob reverentiam sacrosancto mysterio debitam, censeo illos esse a Communione summovendos, præsertim cum nullo ad id faciendum præcepto astringantur.

« Sed quid de offensione et prætenso scandalo? Ei rei possunt aliqua verisimili excusatione mederi. Cæterum prudenti alicui Confessario se permittant, qui quod facto opus sit solerter dignoscat, utrum satius fuerit eum ad Eucharistiam admittere, an offensioni locum dare, quæ utut res fuerit, pœnitentis culpæ offensio non vertetur.

« Quoniam autem sodalitii Præfectus inquirere solet a sodalibus, cur ad sacram Eucharistiam non accesserint, dicet aliqua animi anxietate imparatum abstinuisse, aut non visum Confessario. At si id causæ afferam, inquies, illi suspicionem movebo. Immerito. Quod si quid mali suspiceretur, temerarii judicii culpa se astringit. Potest enim Confessarius cuilibet non modo ob lethalem noxam, sed nonnunquam ob levem, aut ut cum durius exercendæ patientiæ causa habeat, aut ut leve aliquod vitium corrigat, aut ut eorum quæ ad Dei cultum pertinent magis sollicitum faciat, aut quibusdam aliis de causis Communionem denegare.

« Si roges me, quandiu ille homo removendus sit et Communione privandus? Respondeo cum varia sint hominum genera, variæ occasiones, varia ad peccandum proclivitas atque facilitas, varius admissarum noxarum dolor, diversa præteritæ vitæ emendatio, cæteraque id genus, nullam certam et accuratam ea de re statui regulam posse. Nam exempli causa non est tamdiu removendus qui raro peccat, quam qui frequenter, æquo utriusque dolore et emendationis proposito.

« Dicam tamen in universum, multo satius esse fræna cohibere quam laxare; quoniam semper causa nimia illa facilitas fuit et etiam nunc est, cur multi libentius in peccatum cadant, et corrigere se negligant.

« Hortantur Canones, quamvis non adigant conjuges, ut quinque, sex, aut octo dies antequam ad Sacramentum Altaris accedant usu conjugii abstineant sese; cum tamen culpa vacare possint, si non abstineant. Quomodo ergo poterit is qui se libidinis spurcitia octo dies ante inquinaverit, ad sacrosanctam mensam admitti? Multi sunt quos plusquam duodecim arcere oporteat, adeo jam ægritudo increbuit et increbescet in dies, nisi confessarii medeantur, coerceant, et sibi diligentius caveant. Pronum est cœlestibus dapibus sæpe refici, si bene fiat; at si male, nocet. Quare attendat unusquisque sibi; quærat confessarium prudentem, qui se libenter ducem præbeat; huic, cum invenerit, totum se permittat, non præscribendo quæ imperet, neque cum eo contendendo : nam vel id unum sat gravis causa est, cur a sacrosancto cibo depellatur; quanto potiori jure id faciet, si videat eum sæpe in sua peccata recidentem?

« Quicumque ergo frequentius Eucharistiam sumere cupit, cesset peccare, vitet occasiones omnes, caste deinceps vivere constituat. Ita demum eam animi puritatem poterit adipisci, qua opus est, ut cum fructu sanctam Eucharistiam percipiat.

« Peregrino ex regione aliqua peste laborante advenienti quadraginta statuuntur dies ut exploratum fiat, an sanus sit antequam sibi ad urbem aditus pateat : cur non eodem pacto explorabitur, qui tam fragiliter peccat, qui tam incontinens est, qui tam sæpe labitur? Non habitatur cubiculum in quo quis morbo interiit statim atque cadaver elatum est, sed aer infectus aliquandiu purgari sinitur. Itidem etiam hic faciendum est. »

REFLEXIO.

Sancta Sanctis. Nolite sanctum dare canibus, neque projiciatis margaritas vestras ante porcos. Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali vitæ vel interitus. Mors est malis, vita bonis. Vide paris sumptionis quam sit dispar exitus. Ad Sacramentum amoris

præcipua quidem dispositio amor est; sed sicut oportet non amat, qui e peccatorum cœno vix egressus, Dominum majestatis e vestigio suscipere non veretur. Audi non me, sed Chrysostomum hom. 17. *in epist. ad Hebr.* celebratum illud ab Ecclesia inter Missarum solemnia carmen, *Sancta sanctis*, explanantem. « Non potes dicere, Nesciebam, ignorabam hanc rem plenam esse periculi. Ne hoc possis uti prætextu, ea de causa magna voce, terribili clamore, tanquam præco, manum tollens in altum, stans excelsus et omnibus manifestus, et in tremendo illo silentio vehementer vociferans alios quidem vocat, alios vero arcet Sacerdos, non hoc manu faciens, sed lingua clarius, et apertius quam manu. Nam vox illa in nostras aures incurrens tanquam manus, alios quidem repellit et ejicit, alios autem introducit et sistit. Nam quando dicit: *Sancta sanctis*, hoc dicit: *Si quis non est sanctus, non accedat.* Non solum inquit, a peccatis purus, sed etiam sanctus. Sanctum enim non facit solum liberatio a peccatis, sed etiam præsentia Spiritus, et bonorum operum abundantia. Non solum, inquit, volo vos a cœno esse liberatos, sed albos esse et speciosos. Nam, si Rex Babylonius juvenes eligens ex captivitate, elegit pulchros specie et vultu decoros; multo magis eos qui adstant mensæ regiæ formosos esse oportet, mentisque pulchritudine præditos, auro fulgentes, pura mente amictos, regalibus calceis indutos, formosum animæ vultum, splendideque ornatum circumferentes, ac veritatis zona præcinctos. Qui talis est, accedat, et pocula tangat regia. Si quis autem pannis obsitus, sordidus et squallidus ad mensam regiam velit ingredi, vide quanta patietur, cum non sufficiant quadraginta dies » (id est sacrum Quadragesimæ tempus ab Ecclesia ad Communionem adorandam divinitus inspirata destinatum) « ad abluenda quæ omni tempore sunt admissa delicta. Nam, si non sufficit gehenna, licet sit æterna, idcirco enim est æterna; multo minus hoc breve tempus. Non enim validam, sed imbecillam suscepimus pœnitentiam. »

Si ad Eucharistiam frequentandam non solum liberatio a peccatis, sed etiam sanctitas, et præsentia sancti Spiritus cor inflammantis, et bonorum operum abundantia, auctore Chrysostomo, et contestante universa Patrum traditione desideratur: satis mirari nequeo eorum sacerdotum non secundum scientiam zelum, qui nulla sanctitatis supellectile instructi satis credunt se esse paratos ut tremenda quotidie mysteria adeant. Sed illud magis deplorandum, in cœtibus seu communitatibus etiam numerosissimis sacerdotes omnes ad sacra singulis diebus facienda dura necessitate pietatis colore oblita promiscue propelli. Itane verisimile est omnibus et singulis solidum illum panis cœlestis cibum esse accommodatum, ut nullus sit æger, nullus convalescens, nullus imbecillis, ut nullum opus sit a sacris Altaribus in aliquod tempus summovere? Itane omnes nascentis Ecclesiæ Fidelium sanctitatem ac divinæ pietatis ardorem imitantur, ut eorum instar quotidie sacra participare aut facere satis sint idonei et comparati. Itane omnes aquilæ sunt, id est animæ sublimes, et in cœlum erectæ, nullum cum terra commercium habentes, nec deorsum tractæ, nec repentes cupiditate illectæ, sed assidue sursum evolantes, ipsumque justitiæ Solem acutis intrepidæ et puræ mentis oculis intuentes? Nullane est anima tarda, tepida, ac frigida, et, ut supra aiebat S. Bonaventura, « in statu finalis Ecclesiæ constituta, » cujus caritas refrigescens divino illo Pane quotidie refici non mereatur?

Sed ita sit, omnes ad sublimem perfectionis gradum ascendisse, nullumque in sacris cœtibus esse ignavum ac desidem, quod manifestæ tamen experientiæ adversatur; honor certe et reverentia in adorandum Christi corpus realiter præsens exigit, ut ab eo nonnunquam humilitatis et majoris desiderii excitandi causa secedamus, atque amoris ac venerationis vices alternantes tremenda mysteria tum religiosa abstinentia, tum sancta aviditate revereamur. Sane hæc praxis, qua ad Missam quotidie celebrandam omnes et singuli sacerdotes indiscriminatim astringuntur, quacumque specie palliata, cum omnium Patrum doctrina velut adversa fronte confligit; ipsis etiam, ut mihi quidem videtur, communissimæ pietatis notionibus adversatur, quæ omnibus inspirat ac præcipit, ut non nisi sacro horrore perfusi ad tantæ Majestatis mensam, quam nec Angeli sine religioso quodam metu contuentur, accedant.

Non sum nescius Christum Dominum totius suavitatis fontem omnes laborantes et oneratos ad se invitare et allectare; sed eos simul monet ut tollant suum ipsius jugum

super se, ut discant a seipso, quia mitis est, et humilis corde : hoc est, ut legis et perfectionis Evangelicæ suavissimam sarcinam alacres suscipiant, ut fodiant fundamentum humilitatis, quo perveniant ad fastigium charitatis, ut Augustinus interpretatus est. Vitam non habituros in se qui non manducaverint hunc panem, Veritas interminatur ; victuros vero in æternum qui hunc panem de cœlo descendentem comederint. Sed illud etiam probe scio quod ab Augustino dictum est tract. 26. *in Joan.* : « Aliud est Sacramentum ; aliud est virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt, et moriuntur ! Nonne bucella Dominica venenum fuit Judæ ? Et tamen accepit, et cum accepit, in eum inimicus intravit : non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo, Fratres ; panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate. »

Si Beatus Franciscus Salesius omnium animarum Rectorum mitissimus quotidianam Communionem suadere minime ausus est ipsis Fidelibus pie viventibus, lethalium vulnerum expertibus, et in leviores tantum plagas, ob quas quotidie sanctissimus quisque pectus tundit, incurrentibus ; satisque habuit illos ad Eucharistiam octavo quoque die percipiendam hortari, modo tamen priusquam sacra illa mensa attingatur, leviores maculæ lacrymis et orationibus abstergantur, ut ne voluntas peccatis levioribus illis affectu adhæreat : si, teste eodem sanctissimo Antistite, sacram Eucharistiam frequentantes nullum erga peccata venialia affectum fovere debent, quia affectus ille tametsi animam lethali ictu non conficiat, gravissime sauciat tamen. « Muscæ morientes, inquit Sapiens, perdunt suavitatem unguenti » (verba sunt S. Genevensis Præsulis hoc exemplo doctrinam suam egregie illustrantis). « Hoc est, muscæ si in unguente minus hæreant, illudque obiter strictimque delibent, nihil fere ex illo nisi quod abstulerunt inficiunt. Si vero in unguento ipso immoriantur, præstantiam ejus et dignitatem extinguunt, atque id in contemptum adducunt. Ita leviores culpæ cum in animam piam inciderint, si in illa diutius non hæreant, haud magnopere lædent ; quod si in ea studio quodam et affectu permanserint, unguenti, hoc est sacræ devotionis suavitatem procul dubio extinguent. »

Si, inquam, hæc ita sint, quis facile sibi persuadeat, omnes numerosi cœtus alumnos nullo titillantis peccati venialis affectu esse implicitos, nihilque noxii humoris cordi quasi stomacho insidere, qui quominus cœlestis Eucharistiæ cibus concoquatur impediat, ut non solum octavo quovis die, sed et quotidie sacram Communionem obire promiscue et indiscriminatim possint ? Quis in animum inducet suum, eximiam et optandam illam quidem omnibus sacerdotibus et religiosis cordis castimoniam, et a plerisque servatam, adeo esse vulgarem et obviam, ut omnes et singuli ingentis familiæ incolæ sacerdotes mentem a peccati venialis studio ita revera liberam et expeditam semper custodiant, ut factis et operibus attestantibus (quæ veri sunt interiorum animi studiorum tanquam radicum fructus) declarent et ostendant, se leves omnes offensiunculas animo deliberato non suscipere oblatas, latentes et obrepetentes pro viribus fugere, quidquid ad eas inducit sedulo declinare, quidquid ab eis avertit accurate studioseque sectari : id est, solitudine et secessu maxime delectari, continentibus orationibus et sacris studiis pasci negotiis omnibus non necessariis se subducere, denique omnes peccandi occasiones declinando, ac necessarias vitæ emendandæ et perficiendæ rationes et vias sequendo demonstrare se tacitam peccati repetendi voluntatem non alere. Si ita sit, octiduanam communionem laudant Sancti, quotidianam in laicis nec reprehendunt, nec laudant.

Et, quamvis longe alia sit sacerdotum et laicorum ratio ; nihilominus tamen ad has tutissimas leges se exigant et excutiant qui quotidie sacra faciunt, necesse est. Cogitent etiam atque etiam, sintne a peccatorum venialium libidine et visco et quasi glutine soluti ; num germanam et non fallacem et adumbratam sentiant cibi Eucharistici appetentiam et famem ex divini amoris fervore, non ex pravo humore superfuso profluentem. Conscientiam testem veracem et judicem sincerum interrogent, quæ non alium fallit, quam qui se ipse fallere vult. Imos interioris animi recessus explorent, speculentur, scrutentur : et in lumine Dei perspiciant, num omnis peccati venialis amore et permanenti gustu defuncti sint ? Num ab omnibus quæ Deo offensioni esse possint abhorreant ? Num ad omnem vitæ suæ rationem ex Evangelio moderandam toto pectore intenti sint ? Num Spiritus sancti fervore

sacro concepto, puro illius cibi desiderio flagrent? Et tunc post jacta solidæ pietatis fundamenta, post adeptam diuturnis virtutum exercitationibus integritatem ac puritatem, ad Communionem frequenter accedant. Caveant vero superiores, caveant Parochi, ne subditos sibi sacerdotes ad quotidiana Sacra inconsulta facilitate propellant, in quibus nullum tot Communionibus dignum emolumentum, nullus fructus apparet : ne dum sacristias suas pinguiores, et Ecclesias suas populorum frequentia celebriores reddere satagunt, sibi commissas animas languidiores, ac in dies importabilis cibi usu debiliores reddant. Itaque sæpius hoc Salvatoris mandatum revolvamus : *Nolite sanctum dare canibus ;* id est, ut exponit Ambrosius lib. 2. *de Pœnit.* cap. 9, « immundis spiritibus sacræ Communionis non facile impartienda commercia. » Vel, ut interpretatur Clerus Romanus epist. 30. *ad Cyprianum*, Ne subministrate « pro salutaribus dilationum remediis exitiosa properatæ Communionis venena ».

Dicam, et libere dicam quod sentio, nec ullus, nisi mea me fallat sententia, pietatis, veritatisque amans contradicet. Si qua est in Clericis relaxatio, si qua est in monasteriis disciplinæ regularis jactura (et magnam esse in plurimis nemo inficias ibit, qui vel canones non ignoraverit, vel non fuerit ipse cum dissolutis dissolutus) tota quanta est a sacræ Communionis quam sine præparatione frequentant, abusu proficiscitur. Indurat sol lapides qui ceram liquefacit ; infirmum stomachum panis opprimit, qui sanum vegetat et confirmat. Similiter igitur mortuis mortem, tepidis teporem auget frequentata Communio, et iterata Missarum celebratio. Habenti devotionem datur major, et abundat ; ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo.

Qui ergo nec sacra lectione, nec pia meditatione, nec instanti oratione, nec ullis interioris hominis exercitationibus alternatim animum suum pascit, quomodo fructus ex Eucharistia reportaret, quomodo cœlestes aquas hauriret e fontibus Salvatoris, cujus morbus eo insanabilior est quo insensibilior, nec ipsum spiritalis vel religiosi hominis nomen meretur? Non proferam Patres toto capitis decursu satis productos. Audi, Lector, eximii theologi Joannis a S. Thoma, Regis Catholici a Confessionibus sententiam in suo erudito *Catechismo*, part. 2. cap. 12 : « Non meretur, » inquit, « nomen spiritualis personæ vel religiosæ, qui ad minus singulis diebus in aliquo horum non se exercet. Nulla est occupatio adeo necessaria, quæ semper et continuo impediat, præsertim quoad exercitia interioris spiritus, in iis qui vitam spiritalem profitentur, nisi fuerit acedia et indevotio. Et certe terribilia et notatu digna sunt verba quæ Magister Avila cuidam Religioso scribit hoc modo : Religiosi qui ambulant sine consideratione finis proprii, efficiuntur tepidi, inquieti, murmuratores, ambitiosi, iracundi, loquaces, sensuales, histriones, et duriores quam sæculares : et nisi Deus per suam misericordiam ad pœnitentiam eos revocet, aut conservet, in mala labuntur præcipitia, quibus nunquam postea liberantur. Hactenus Magister Avila. Unde omnis dissolutio Religiosorum » (et idem de omnibus omnino Sacerdotibus peræque judicandum est) « nascitur ex defectu considerationis sui finis : et revera idipsum ex effectibus enumeratis facile colligi potest. » Si non meretur nomen spiritalis et religiosæ personæ, quomodo Sanctum Sanctorum, tremendum mysterium, puritatis auctorem, impuritatis omnis impatientem quotidie præsumet accipere?

THEOLOGIÆ MENTIS ET CORDIS

LIBRI XI.

DE DEO SALVATORE

PARS TERTIA

DISSERTATIO UNICA

De Sacramento Pœnitentiæ : ubi et de virtute Pœnitentiæ disputatur.

PRÆLOQUIUM

Non satis fuisset humanæ infirmitati consultum, nisi renatæ in Baptismo novæ creaturæ, et in Confirmatione auctæ, et in Eucharistia pastæ, alia suppeterent parata remedia, quibus amissa semel innocentia (quæ humanæ naturæ nostræ fragilitas et imbecillitas est, quam in seipso facile quisque experitur) restaurari, recuperarique possit. Convenienter igitur providit divina clementia et infirmis veteri meliorem Probaticam Piscinam, qua ægrotantium morbi sanentur ; et descendenti a Jerusalem in Jericho, id est a gratia ad peccatum, incidentique in latrones, dæmones scilicet injustos animarum possessores ; et despoliato, id est virtutibus omnibus in Baptismate diffusis nudato ; et plagis impositis semivivo relicto, id est ad bonum agendum impoti præ dura peccati servitute, et illatis a concupiscentia animo vulneribus, quibus tota dissolvitur spiritalis hominis harmonia, infudit oleum et vinum, ejusque vulnerum alligandorum illis provinciam commisit, quibus dixit : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo*, Matth. XVIII. Denique naufragantibus secundam tabulam, quæ unum æternæ mortis declinandæ perfugium est, porrexit, ad quam nisi confugiant, de eorum sine dubio salute desperandum est.

Sed antequam hujus tam necessariæ materiei adyta perscrutemur et rem ipsam aggrediamur, explicare in limine nominis etymologiam operæ pretium est. Cum enim hujus nominis ambiguitate in errorem multi prolapsi sint, præmittenda omnino est ejus potestas et vera significatio, ne perpetua vocis æquivocatione disputatio nostra laboret. Supponendum igitur est, per « Pœnitentiam, » non intelligi simplicem resipiscentiam, seu mollem cordis affectum, ut hæretici nostri temporis a catholica veritate longissime remoti arbitrati sunt, existiman-

tes pœnitentiam nullum præteriti temporis dolorem includere, sed unam novæ vitæ institutionem significare. Hæc enim una fuit præclaræ scilicet Lutheranorum et Calvinistarum reformationis sollicitudo, quo in hominum illaberetur et facilius influeret animos, carni, sanguini, et sensibus lenocinari, pœnitentiam peccatoribus, virginitatem Christi sponsis, vota Religiosis, cœlibatum sacerdotibus, jejunia fidelibus, universæ Ecclesiæ bonorum operum fructus uno impetu et velut agmine facto eripere. Certe, ut nomen ipsum sonat, de iis tantum pœnitentia dici potest, quibus aliquid displiceat quod ante placuerit ; nam « pœnitentiam » idem esse ac « pœnæ tenentiam, et « pœnitere pœnam tenere, » Scriptura et Patres apertissime declarant. Job enim ultimo dicitur : *Ago pœnitentiam in cilicio et cinere.* Et Propheta Joel peccatores ad pœnitentiam hortaturus : *Convertimini ad me*, inquit, *in toto corde vestro, in jejunio, et fletu et planctu.* Et Tertullianus lib. *de Pœnit.* : « Pœnitentiam norunt passionem quamdam esse, quæ venit ex offensa sententiæ prioris. » Unde ait prodere illam se precibus, lacrymis, ac carnis maceratione : « De ipso enim habitu atque victu, inquit, mandat sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi retractatione mutare, jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, mugire ad Dominum Deum dies noctesque, Presbyteris adgeniculari, omnibus fratribus legationis suæ preces adjungere. » Idem docent alii Patres : « Pœnitere, » inquit Isidorus lib. 6. *Etymol.* cap. ultimo, « est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. » Succinit Augustinus, vel alius autor libri *de vera et falsa Pœnit.* cap. 8. his verbis : « Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. » Et verus Augustinus serm. 57. *de Tempore :* « Ad emendanda crimina vox pœnitentis sola non sufficit : nam in satisfactione ingentium peccatorum non verba tantum, sed opera quæruntur. » Idem in aliis Patribus videre est, qui integros de pœnitentia illa laboriosa libros et sermones ediderunt, e quibus pretiosas gemmas in hujus dissertationis decursu, ubi se occasio tulerit, carpemus.

Vera ergo et christiana pœnitentia, quam qui non egerint, perituros omnes simul Veritas testata est, et propter admissum scelus intimo animi sensu dolet, et ejus sinceri doloris externa signa profert, ut omnibus illis Sanctorum qui in sacris Litteris peccatorum suorum pœnitentiam egisse leguntur, exemplis demonstrare in promptu esset, nisi rem omnibus notam et passim obviam confirmare supervacaneum jure merito judicaremus. Et certe fallax est pœnitentia quæ in opera satisfactionis non effunditur, dum facultas adest, neque quominus id faciant ullo impedimento retardantur. Fons vivus esse non potest pœnitentia, saliens in vitam æternam, nisi manantibus lacrymarum aquis foras exundet ; nec bonis arboribus, nisi nos fallat Veritas, potest accenseri, nisi bonos fructus pariat. Ut vera, Christiana, Catholicaque Fides sine oris confessione, vera charitas sine bonorum operum proventu ; ita vera pœnitentia sine satisfactionis fruge nulla est, si cuique illi simillima, quam Christus foliis ornatissimis refertam, fructu vacuam invenit, et ei maledixit. Quam pie, quam nervose ait ob hæreticis nostris alienus Cyprianus tract. *de Lapsis :* « Si quem de tuis charum mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter et fleres ; facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti : spiritualiter mortua supervivere hic tibi, et ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti, et non acriter plangis, jugiter ingemiscis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis? Ecce pejora adhuc peccandi vulnera ; ecce majora delicta : peccasse, nec satisfacere ; deliquisse, nec delicta deflere. » Multis aliis etiam nominibus pœnitentiam Patres appellarunt. Dicitur enim aliquando « manuum impositio », quia per multa sæcula Sacerdotes peccatori pœnitenti reconciliando manus imponere consueverunt. « Reconcilietur, » inquit concilium Carthaginiense IV. can. 76, « per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia. » Meminit etiam ejus cæremoniæ Augustinus lib. 3. *de Baptismo,* cap. 16. et S. Pacianus epist. 3, ubi ait, « miserandis fratribus Sacerdotum manus exhiberi. » S. quoque Leo epistola 52. cap. 17. ait eos qui escis immolatitiis usi sunt, « jejuniis et manuum impositione purgari. »

Deinde appellatur *exomologesis*, id est confessio, vel communicatio ex pane, quia pœnitentibus post peccatorum confessiones Eucharistiæ usus restituebatur. « Is actus,»

inquit Tertullianus lib. *de pœnit.* cap. 9, « qui magis Græco vocabulo exprimitur, et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternandi et humiliandi hominis disciplina est. » Et S. Cyprianus epist. 9. sic habet : « Cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam, justo tempore et secundum disciplinæ ordinem ad exomologesim veniant, ut per manus impositionem Episcopi et Cleri jus communicationis, accipiant. » Videatur epist. 11. et 12. necnon S. Paciani epist. 3.

Præterea dicitur pœnitentia a Patribus, « secunda post naufragium tabula. » Sic Tertullianus lib. *de Pœnitentia*, cap. 4 : « Eam, » inquit, « tu peccator mei similis ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. » Et S. Cyprianus epist. 9 : « Ne statim nobis pœnitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt infelicium remedia : cavendum est vulnus quod dolore curatur. Aliud est integra nave et salvis mercibus portum salutis intrare, aliud nudum hærere tabulæ, et crebris fluctuum recursibus ad acerrima saxa collidi. » Hinc Tridentinum sess. 6. cap. 14 : « Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per Pœnitentiæ sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint : hic enim justificationis modus est lapsus reparatio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam sancti Patres apte nuncuparunt. »

His circa Pœnitentiæ nomen delibatis, ut ad rem ipsam accedamus, sacramentum Pœnitentiæ illud dicitur, in quo peccatorum venia pœnitentibus datur. Unde Sacramenti hujus vim ignorari necesse est, nisi quæ sit pœnitentiæ virtus recte intelligatur. Sapientissime ergo D. Thomas virtutis pœnitentiæ considerationem a sacramenti Pœnitentiæ tractatione indivulsam esse arbitratus est, eo vel maxime, quod ut ex dicendis constabit, virtutis pœnitentiæ actiones materiam præbent in qua Pœnitentiæ sacramentum versatur. Igitur prius quæ de Sacramento, virtuteque pœnitentiæ apud omnes sunt in confesso, vel certe minus difficilia habentur, more nostro præmittenda sunt, quam ut difficiliores circa utrumque controversias decidamus.

CAPUT I.

QUÆ DE SACRAMENTO ET VIRTUTE PŒNITENTIÆ CERTA VEL FACILIORA SUNT PRÆMITTUNTUR.

Si diligentiam et accuratam operam, quæ a theologis in unoquoque argumento adhibenda est, ex rei quam tractant pondere et momento metiri oportet, nemo inficias iverit divinorum tractatores nunquam adeo in explicanda pœnitentia diligentes futuros esse, ut satis videri possint. Præsertim quia, ut bene observat Catechismus Romanus, de sacramento Pœnitentiæ quam de Baptismo eo accuratius agendum est, quod Baptismus semel administratus iterari non potest; Pœnitentiæ vero toties locus datur, ejusque repetendæ toties necessitas imposita est, quoties post Baptismum peccare contingit. Si ergo nihil utilius, nihil peccatoribus necessarium magis quam Pœnitentia est, qua teste Chrysostomo peccatum remittitur, paradisus referatur, contritus sanatur, tristis exhilaratur, mortuus de interitu revocatur, status restauratur, honor renovatur, fiducia datur, virtus reformatur, gratia abundantior refunditur; qua ligata solvuntur, soluta custodiuntur, adversa mitigantur, contrita sanantur, confusa lucidantur, desperata animantur : ita curandum est, ne rei tantopere necessariæ in nobis incuria reprehendatur, eaque ex Patribus et sacris Conciliis seligenda sunt, quibus hoc saluberrimum pœnitentiæ medicamentum et suscipi rite, et suscipientibus prodesse possit.

SPECULATIO I.

Existentia, et necessitas sacramenti Pœnitentiæ suadentur.

Sacramenti Pœnitentiæ existentiam ut demonstremus, probandum est adversus antiquos Novatianos et modernos hujus temporis hæreticos, Pœnitentiam esse verum novæ Legis sacramentum : essentiam vero exposuerimus, si quibus constat, materiam et formam explicemus : partes vero intelligemus, si de contritione, confessione, et satisfactione quæ scitu necessaria sunt exponamus.

Peccatoribus sinceram de peccatis post Baptismum commissis agentibus pœnitentiam, dari veniæ locum ostenditur contra Novatianos.

Certum est ergo primo contra Novatianos et hæreticos hujus temporis, dari in Ecclesia verum Pœnitentiæ sacramentum ad eccata post Baptismum commissa remittenda divinitus institutum. Diversis et e diametro oppositis motivis Novatiani et moderni hæretici sacramentum Pœnitentiæ de medio tollere molliti sunt. Illi in desperationem homines inducentes nullum pro peccatoribus remedium in Ecclesia agnoscebant, qui idcirco « crudeles » a Patribus nominati sunt. « Quis ante crudelissimum Novatianum, » inquit Vincentius Lirinensis, « crudelem Deum dixit, eo quod mallet mortem morientis, quam ut revertatur et vivat ? » Crudelem hunc ideo dicit, quod in peccatum prolapsis, et ad Ecclesiam lacrymis, gemitu, et dolore pulsantibus divinæ pietatis et paternæ clementiæ viscera clauserit, nec ad fovenda vulnera admiserit vulneratos ; sed sine spe pacis et communionis relictos ad luporum rapinam, et Diaboli prædam projecerit. « Ecce obortus est, » inquit Cyprianus epist. adversus Novatianos, « alius hostis, et ipsius paternæ pietatis adversarius hæreticus Novatianus, qui non tantum, ut in Evangelio significatum est, sicut Sacerdos vel Levites jacentem vulneratum præteriret, sed ingeniosa et nova crudelitate sauciatum potius occideret. » Videsis B. Ambrosii longe præclarissimos de pœnitentia libros, in quibus sanguinarium illud dogma Scripturarum auctoritatis mole graviter premit. Nostri vero econtra Lutherani et Calvinistæ de divina clementia præsumentes, pœnitentiæ et confessionis necessitatem eliminant, rati solam fidem qua quis dimissa sibi credit esse peccata, eorumdem remissionem satis superque obtinere. Porro Novatianorum error antequam refellatur, operæ pretium est hæreseos illius historiam, quam brevissime lib. 4. diss. 5. perstrinximus, paululum fusius ante lectoris oculos expandere.

Confundunt ob nominum similitudinem Novatum cum Novatiano Eusebius lib. 6. *Historiæ*, cap. 35, Socrates, Theodoretus, et alii. Eos tamen distingui oportere docet testis oculatus B. Cyprianus epist. 44. et 49. *ad Cornelium*, sub cujus Pontificatu monstra illa erebus excitavit. Idem etiam ex beato Paciano epistola 2. et 3. liquet. Unde absque dubio hæresis illius architectus Novatus fuit, Novatianus vero illius fuit assertor, sectator, et propagator. Fuit autem Novatus Presbyter Africanus : Presbyter, inquam, et non Episcopus, ut putavit Cardinalis Baronius ad annum 254. eo fretus, quod, teste Cypriano epist. 49, « Felicissimum satellitem suum Diaconum (nec permittente, nec sciente Episcopo) sua factione et ambitione constituit. » Verum verba illa non significant Felicissimum fuisse a Novato ordinatum, sed malis Novati artibus et factione invito proprio Episcopo ad Diaconatum fuisse promotum. Unde a S. Paciano, et ab Eusebio in chronico Presbyter duntaxat appellatur. Ait etiam in eadem epistola Cyprianus, Novatum fuisse a suis Presbyteris ejiciendum, nisi ipse secessisset . At Episcopos non a solis presbyteris, sed a Provinciæ episcopis deponi et ejici potuisse constantissimum est.

Romam profectus Novatus Novatianum sibi antea adversarium in errorem suum oblatis honoribus prolectavit : dolore enim succensus graviterque stomachatus Novatianus quod in Romanum Episcopum non fuisset assumptus, schismaticis se adjunxit, quorum favore a tribus Episcopis rudibus et imperitis in Episcopum ordinatus est, ut constat ex epistola Cornelii Papæ *ad Fabium Antiochenum*, et ex Eusebio lib. 6. cap. 43.

Ad errorem autem Novatianorum quod attinet, paulo superius in eo diximus esse situm, quod in persecutione lapsis, omnia licet veræ pœnitentiæ et conversionis signa præferentibus negandam veniam crudelissime affirmarent. Et, sicut in alios immites erant et sævi, ita in seipsos supra modum lenes, seipsos puros, et ab omni labe vacuos intolerabili et odiosissima superbia dictitabant. Hoc enim superborum ingenium, ut amore sui tumentes in alios sint immisericordes. Sic Diabolus Rex super omnes filios superbiæ, superbus una fuit et invidus ; et sicut, testante sacro eloquio, initium peccati ejus superbia fuit, ita spiritus nequam homicida fuit ab initio.

Advertendum tamen est, eatenus Novatianos censuisse nullam lapsis salutis spem superesse, non quod negarent peccatorum culpas a Deo posse absolute remitti, sed quatenus vellent post Baptismum lapsos ad Ecclesiæ non posse communionem admitti, nec penes Ecclesiæ potestatem esse lapsum ullum aut apostatam traditis ipsi divinitus

clavibus reconciliandi. Ita docet S. Pacianus epist. 1. ubi postquam dixit : « Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti, » inducit Novatianum respondentem : « Solus Deus poterit. » At contra reponit Pacianus : « Verum est ; sed quod per Sacerdotes facit, ipsius potestas est. » Et epist. 3. Novatiano objicienti : « Pœnitenti peccata dimittis, cum tantum in Baptismate tibi liceat relaxare delictum ? » sic respondet S. Pacianus : « Non mihi plane, sed Deo soli, qui et in Baptismate donat admissum, et pœnitentium lacrymas non repellit. Cœterum quod ego facio, id non meo jure, sed Domini. Sive baptizamus, sive ad pœnitentiam cogimus, sive veniam pœnitentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. Tibi videndum est, an Christus hoc possit an Christus hoc fecerit?» Idem tradit S. Ambrosius lib. 1. *de Pœnit.* cap. 2 :» Aiunt, » inquit de Novatianis, « se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservant.» Nullum itaque in Ecclesia reconciliandorum peccatorum et condonandorum criminum jus agnoscebant. Et, quamvis Novatus nullius omnino peccati post Baptismum commissi remittendi potestatem Ecclesiæ concesserit, discipuli tamen ejus de tanta severitate remittentes, leviorum peccatorum condonandorum facultatem Ecclesiæ asseruerunt. Ita observavit S. Ambrosius lib. 1. *de Pœnit.* cap. 2 : « Aiunt, » inquit, « se exceptis gravioribus criminibus, veniam relaxare levioribus. Non hoc quidem auctor erroris vestri Novatus, qui nemini pœnitentiam esse dandam putavit : ea videlicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret, ne ligando sperarit a se facere solutionem. »

Advertendum est etiam, miram et stupendam fuisse hujusmodi hæresiarcharum in hæresi illa conflanda cæcitatem. Quod ex duplici præsertim capite perspicuum est. Primum est, absurdissimum fuisse viros criminosos venia tantopere indigentes denegare veris pœnitentibus misericordiam. Atqui Novatus et Novatianus non solum culpa non vacabant, sed ingentibus erant contaminati flagitiis. Novatus quidem, quem scribit S. Cyprianus epistol. 49, fuisse novarum rerum cupidum, avaritiæ inexplebilis, rapacitate furibundum, arrogantia et stupore superbi tumoris inflatum ; curiosum, ut perderet ; adulatorem ut falleret, nunquam fidelem, ut diligeret. Appellat etiam illum facem et ignem ad conflanda seditionis incendia ; turbinem et tempestatem ad fidei facienda naufragia ; hostem quietis, tranquillitatis adversarium, pacis inimicum. Infanda etiam illius facinora S. Doctor ibidem recenset, dum ait, ab illo spoliatos fuisse pupillos, fraudatas viduas, pecunias quoque Ecclesiæ denegatas ; quin et projectum extra domum patrem, nec fame mortuum fuisse ab illo sepultum ; denique uxoris gravidæ uterum calce ab eodem fuisse percussum. Similia legere est apud S. Pacianum epistol. 3. Nihilo melior fuit Novatianus : nam, ut refert S. Cornelius epist. ad Fabium Antiochenum, cæremonias Baptismi, quem ægrotus in lecto susceperat, sprevit postquam convaluit, et Confirmationis sacramento obsignari neglexit, et desiderio suscipiendi Presbyteratus flagravit, et metu persecutionis atque amore vitæ Presbyterum se esse negavit, et incredibili incensus ambitione in Romanum Episcopum ordinari se fecit, Cornelio in Cathedra Petri sedente. Hujusmodi ergo homines peccatorum suorum immensas labes non advertentes, nec ipsas aliorum festucas condonari sinebant.

Secundum deplorandæ eorum cæcitatis argumentum est, quod veniam peccatoribus denegantes et spem remissionis eripientes. illis tamen pœnas imponere solebant, quasi sola puniendorum, et non remittendorum criminum potestas esset penes Ecclesiam. « O hæreticæ institutionis inefficax et vana traditio ! » (exclamat S. Cyprianus epist. 52. hanc eorum doctrinæ inconsequentiam deplorans) « hortari ad satisfactionis pœnitentiam, et subtrahere de satisfactione medicinam ! Dicere fratribus nostris : Plange, et lacrymas funde ; diebus ac noctibus ingemisce, pro abluendo delicto tuo largiter et frequenter operare, sed extra Ecclesiam post ista omnia morieris : quodcumque ad pacem pertinet facies, sed nullam pacem quam quæris accipies. » Idem docet S. Ambrosius lib. 1. *de Pœnit.* cap. 2, ubi ait voluisse Novationos ligare quod non resolverent, noluisse solvere quod ligassent : cum tamen Dominus par jus et solvendi esse in Ecclesia voluerit, et ligandi.

His de Novatianorum hæresi delibatis, hic eorum error potest facillime confutari. Quid enim in Scripturis frequentius, quid in Patrum omnium monimentis legimus inculcatius, quam spondere Deum pœnitentibus veniam, et ad pœnitendum omnes esse saluta-

ribus hortamentis permovendos. *Si impius*, inquit Ezechiel cap. XVIII, *egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet.* Et cap. XXXIII : *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat.* Innumera etiam e novo Testamento testimonia erui possent; sed quia illa de pœnitentia ante Baptismum peragenda interpretabantur Novatiani, ea loca producenda sunt, quibus lapsis venia promittitur, et revera indulgetur. Hujusmodi est illud Apocalypsis III. quod Angelo Sardis, id est Episcopo utique baptizato, dicendum præcipitur : *In mente habe qualiter acceperis et audieris, et serva, et pœnitentiam age.* Paulus etiam I Cor. V. fornicatio, satanæ in interitum carnis, ut spiritus in die Domini salvus esset, tradito pepercit et indulsit. *Sufficit illi qui hujusmodi est*, inquit, *objurgatio hæc quæ fit a pluribus : ita ut e contrario magis donetis et consolemini.*

Unde Patres Novatianorum crudelem immisericordiam, utpote Christi mansuetudini adversam, acriter reprehendunt. Nam Pastor ille Evangelicus, ut ponderat Ambrosius lassam ovem vexisse legitur, non abjecisse. Ideo Dominus Jesus compassus est nobis, ut ad se vocaret, non ut deterreret. Mitis venit, venit humilis : denique Matth. XI. ait : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* Reficit ergo Dominus non excludit, meritoque tales discipulos elegit, qui dominicæ voluntatis interpretes plebem Dei colligerent, non repudiarent. « Unde liquet, » infert Ambrosius lib. 1. *de Pœnit.* cap. 2, « eos inter Christi discipulos non esse habendos, qui dura pro mitibus, superba pro humilibus sequenda opinantur ; et cum ipsi quærant Domini misericordiam, aliis eam denegant. Quid durius quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent, cum utique veniam negando incentivum auferant pœnitentiæ? Nemo enim potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. » Et cap. 2 : « Quid quod insolentiores sunt? Nam cum ad misericordiam promptior, quam ad severitatem sit Spiritus Dei, quod ait se velle, id nolunt ; quod nolle, hoc agunt; cum vindicare judicis sit, remittere misericordis... Ut cognoscamus igitur, Deum misericordiæ magis indulgentem esse quam severitatis tenacem, ipse ait (Oseæ VI.) *misericordiam malo, quam sacrificium.* Quomodo igitur vestrum potest esse acceptum sacrificium Deo, qui negatis misericordiam, cum ipse dicat, nolle se mortem peccatoris, sed correctionem?... Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversum electos Dei? Deus est qui justificat : quis est qui damnet? Christus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Pro quibus ergo Christus interpellat, eos Novatianus accusat. Quos Christus ad salutem redemit, eos Novitianus damnat ad mortem. Christus dicit : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum.* Novatianus dicit, immitis sum. Christus dicit, invenietis requiem animabus vestris, jugum enim meum suave est, et onus meum leve : his grave onus et durum imponit jugum Novatianus.

Fundamentum potissimum Novatianorum verbis Apostoli in epistola ad Hebræos traditis innitebatur. *Impossibile est*, inquit Paulus, cap. VI, *eos qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus sancti*, et prolapsi sunt, *rursus renovari ad pœnitentiam. Voluntarie peccantibus*, addit cap. X, *post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios.* Si impossibile est semel illuminatos revocari ad pœnitentiam, si illis nulla relinquitur pro peccatis hostia, sed illos terribilis expectatio judicii manet; quomodo nos remissionem peccatorum nedum non impossibilem dicimus, sed eam asserimus quotidianam? Quomodo illis non hostiam solum relinquimus, sed etiam familiare et facillimum Sacramentum? Certe nostra sententia facilitate veniæ incentivum præbet delinquendi, dumque nimis dilatat Dei misericordiam, portam aperit, viamque pandit et munit ad impietatem ; facile enim in eam prolabetur, pro qua noverit omnibus obvium sacramenti Pœnitentiæ esse remedium.

Respondeo locis illis Apostolicis, Baptismi unius, quem pluries posse iterari Judæi non secus ac legalia lavacra et Mosaicas hostias arbitrabantur, repetitionem impossibilem inculcari, pœnitentiæ aditum non præcludi ut post Ambrosium, Chrysostomum, Theo-

doretum, et Theophilactum in commentariis illius loci exponit Patrum discipulus S. Thomas. Unde frustra in patrocinium sui dogmatis primum locum trahebant Novatiani, frustra ex secundo loco præsidium sui erroris quærebant. Adde primo *impossibile* ab Apostolo, expressum idem esse ac summe difficile, si de iis præsertim peccatoribus intelligatur, qui peccatis peccata adjicientes, delinquendi consuetudinè fecerunt sibi necessitatem premendo blandientem, blandiendo prementem, ut loquitur Bernardus : unde significare voluit Apostolus quam sit periculosa recidiva, et in veteris vitæ peccata relapsus ; ubi etiam Calvini et aliorum sectariorum præfocavit errorem negantem hominem semel justificatum posse gratia excidere. Adde secundo cum docto Estio in commentario illius loci, inde colligi pœnitentiam duntaxat baptismalem iterum repeti non posse, velle Apostolum : tum quia loquitur de semel illuminatis, quos rursus renovari, id est baptizari posse negat ; Baptismus enim « Sacramentum illuminationis et renovationis » dicitur, juxta illud cap. x : *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati* (id est Baptismo suscepto facti Christiani) *magnum certamen sustinuistis passionum.* Id etiam indicat verbum *renovari :* gratia etiam renovans, seu novam vitam conferens, est baptismalis, unde Baptismus dicitur ab Apostolo Tit. III : *Lavacrum regenerationis et renovationis.* Unde loquitur de gratia Baptismi, quæ dicitur *gratia illuminationis*, quia per illam transfert nos Deus de tenebris in admirabile lumen suum, ut qui fuimus aliquando tenebræ, lux fiamus in Domino : per eam quoque dicimur participes fieri Spiritus sancti, juxta illud Principis Apostolorum Act. II : *Baptizetur unusquisque vestrum, et accipietis donum Spiritus sancti.* Illud etiam Pauli ad Titum III : *Per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde.* Est igitur germanus Apostoli sensus, hominem semel Baptismi sacramento renovatum, si relapsus fuerit in vetustatem peccati ; non posse iterum acta pœnitentia eam consequi novitatem, quam in Baptismo acceperat. Baptizato enim ita remittitur pœna, ut nihil pro peccatis solvendum supersit : lapsus vero post Baptismum etiamsi resipiscat, expectare debet terribile judicium, nisi ipsemet in se laboriosa castigatione vindicet quod peccavit.

Ex his etiam intelligitur secundus Apostoli locus, quem Novatiani lapsis peccatorum veniam negantes, suo errori vendicabant. Eatenus enim, ut ait Chrysostomus, post Baptismum voluntarie peccantibus et in gravia delicta relapsis negat Apostolus relinqui hostiam, quatenus in Ecclesia nullus sit secundo Baptismati locus, quo iterum sicut prius totaliter tam quoad culpam, quam quoad pœnam scelera remittantur. Convenienter enim Baptismus *hostia* dicitur, quia mors et Crux Christi, in qua Servator hostiam pro peccatis obtulit, potissimum operatur. Nulla igitur relinquitur hostia, quia etiam pœnitentes manet reatus pœnæ, pro qua post oblatas hostias non solet exigi satisfactio. Voluit etiam divinus Apostolus eo loci significare, voluntarie, id est malitia et destinata voluntate peccantes, de quibus postea ait, quod filium Dei conculcant, et sanguinem Testamenti pollutum ducunt, et gratiæ contumeliam faciunt, quales sunt qui post acceptam notitiam veritatis retrorsum convertuntur ab eo quod illis traditum est, sancto mandato, quod peccatum Joannes, cap. v. primæ epistolæ, vocat *peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis ;* quodve Veritas *peccatum in Spiritum sanctum* nominavit, neque in hoc sæculo, neque in futuro remittendum; voluit, inquam, Apostolus indicare peccatores hujusmodi vix ac ne vix quidem unquam in veram pœnitentiam , nisi ingenti miraculo adduci. Sed prior expositio est magis litteralis : « Non enim dixit, » inquit Chrysostomus, « non est amplius pœnitentia, neque est amplius remissio, sed non est amplius hostia ; hoc est, non est amplius crux secunda, hoc enim vocat hostiam. »

Quod vero additur, facilitatem veniæ esse incentivum culpæ, a Patribus occupatum jampridem est, qui volunt veniam non nisi vere pœnitentibus, et pœnitentiæ sincerum affectum fructibus et operibus demonstrantibus impertiri. Unde juxta incorruptum Ecclesiæ sensum peccatoribus crebro præsertim in peccata gravia relabentibus, quoad vitæ conversionem non verbis sonantibus, sed factis pronuntiantibus monstraverint, venia differtur, communio denegatur. « Volo veniam reus speret, » inquit Ambrosius lib. 1. *de pœnit.* cap. 16, « petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoscatur obsecret : et cum secundo, et tertio fuerit dilata ejus communio,

credat remissus se supplicasse, fletus augeat miserabilior, postea revertatur ; teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipso dicat Dominus Jesus : *Remissa sunt peccata ejus multa, quoniam dilexit multum.* » Hac sacra praxi nec peccatoribus spes adimitur, nec facilitate veniæ incentivum peccati præbetur. Unde narrat ibidem Ambrosius, peccatores hac salutifera methodo curatos præclaros pœnitentiæ fructus edidisse. « Cognovi, » inquit, « quosdam in pœnitentia sudasse vultum lacrymis, exarasse continuis fletibus genas, stravisse corpus suum calcandum omnibus, jejuno ore semper et pallido mortis speciem spiranti in corpore prætulisse. » Observat etiam S. Augustinus lib. 50. *Homiliarum* homil. 27. adversam hæreticorum sententiam nullum peccantibus veniæ locum tandem ad iteranda nedum incitare peccata, sed pene propellere : si enim omnis clausus sit veniæ aditus, nonne peccatores tanto magis addent peccata peccatis, quanto sibi magis ignosci posse desperant? Servient ergo libidinibus, facient non quod licet, sed quod libet, pascentque interim cupiditatem, qui non sperant invenire se posse charitatem, vel fructuosæ pœnitentiæ utilitatem. Quod idem tradit Ambrosius verbis superius recensitis.

Pœnitentiam verum esse novæ Legis Sacramentum, adversum Lutheranos et Calvinistas demonstratur.

Totum rationum et sacrarum auctoritatum momentum hoc discursu complector : Signum sensibile permanenter a Christo institutum ad significandam et efficiendam gratiam est verum novæ Legis Sacramentum, ut ex dictis de Sacramentis in genere claret, nec inficiari satis possunt hæretici quos impugnamus. Talis est Pœnitentia, in qua duo inveniuntur, actus nimirum pœnitentis, et absolutio Sacerdotis : quippe utrumque est signum sensibile gratiæ ; pœnitens enim dolore suo humili confessione expresso satis significat se recedere a peccato ; Sacerdos etiam a prolatione verborum significat se peccata remittere, eaque vere remittit etiam quoad culpam. Ergo Pœnitentia est verum novæ Legis sacramentum. Tota hujus discursus difficultas est in eo posita, ut probemus, sacerdotem verbis quæ profert, confessa peccata dimittere.

Id autem perspicue colligitur ex illis verbis Joan. xx : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus verbis Christus Apostolis, eorumque successoribus remittendorum peccatorum potestatem largitus est, quæ potestas in solo Pœnitentiæ tribunali exercetur. Nec potest intelligi de peccatis per Baptismum remittendis vel de remissione per prædicationem excitanda, ut hæretici comminiscuntur : non potest, inquam, ita intelligi et eo subterfugio eludi aut obscurari locus splendidissimus : tum quia alibi tradidit Christus baptizandi, prædicandique potestatem. Matth. xxviii : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Tum quia eadem est remittendi quæ retinendi peccata : at potestas baptizandi et prædicandi, non est potestas retinendi peccata : datur ergo alia potestas procedens cum cognitione causæ, et legitima judicis jurisdictione, qui pro rei meritis aut solvat, aut retineat. Tum quia facultas remittendi peccata est potestas judiciaria, ut colligitur ex cap. xviii. Matth., ubi Christus præcipit, clam peccantem et fraternam correctionem aspernantem, post adhibitos unum vel duos testes, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, accusandum esse coram Ecclesia, id est Ecclesiæ judicibus, quibus animadvertendorum delinquentium provincia et potestas commissa est, quorum sententiam esse definitivam et decretoriam, aperte indicat ibidem Salvator immediate subjiciens : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo ; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Denique ita locum illum intellexere Patres, quibus interpretandarum Scripturarum gratia divinitus concessa est ; « Pater omne judicium dedit Filio suo, » inquit Chrysostomus lib. 3. *de Sacerdotio*, cap. 5. « Cæterum video ipsum omne judicium a Deo Filio Sacerdotibus traditum esse, et servorum sententiam Deus confirmat, cum dixit : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* » Et cap. 6 : « Corporis lepram purgare, vel purgatam ostendere, Judæorum Sacerdotibus licebat. At vero nostris Sacerdotibus animæ sordes non dico purgatas ostendere, sed purgare prorsus concessum est. » Idem docent alii Patres, præsertim Augustinus lib. *de adult. Conjug.* cap. ultimo, et lib. 20. *de Civit.*

cap. 6, quæ testimonia prolixius foret recensere. Vide Richardum Victorinum lib. *de Potestate ligandi et solvendi* cap. 21, ubi sic scripsit : « Exstat quorumdam sententia tam frivola, ut ridenda potius quam refellenda videatur : putant enim Sacerdotes non habere potestatem solvendi, sed ostendendi solutos. Sed numquid Dominus dixit, quod solutum ostenderitis, erit solutum? Dicunt, Sacerdotes non habere potestatem remittendi peccata cum Dominus hoc dicat : et dicunt habere potestatem ostendendi remissa, cum Dominus hoc non dicat. »

Eamdem veritatem convenientia illustrat D. Thomas lib. 5. *contra Gent.* cap. 70. Quia, sicut gentilem populum Christus non est passus mori, ita nec redemptum patietur extingui : quemadmodum ergo instituit Baptismum ad remissionem peccatorum ante Baptismi susceptionem a gentibus commissorum; sic bonitatem ejus decuit, Sacramentum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum a Christianis patratorum instituere, quo culpæ omnes post Baptismum voluntate vel actione susceptæ deleantur. Alioquin in crudelem Novatianorum sententiam relabentes, summæ Dei bonitati et clementiæ diffidere videremur. Ut ergo ad pœnitentiam confirmetur Christianorum lapsorum animus, atque ad spem divinæ gratiæ erigatur, proponendum illis est Pœnitentiæ sacramentum, et apertus in absolutionem sceleris fons irriguus indicandus, quo mundantur peccata, et hominum animæ ne pereant restaurantur. Omnes quidem a recidiva pro virili deterreamus, sed in toto corde suo conversis, et sinceram cordis mutationem operum testimonio probantibus sacramentalis pœnitentiæ salutiferum offeramus remedium, quod, ut Tertulliani verbis utar, cum provolvit hominem, magis relevat; cum squallidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit; denique peccatorum fluctibus mersum prolevat, et in portum divinæ clementiæ protelat.

Dices : B. Ambrosius in Jure relatus : « Verbum Dei, » inquit, « dimittit peccata, Sacerdos autem nullius potestatis jura exercet. » Cui concinit Hieronymus in illum Matth. XII. locum : *Tibi dabo claves regni cœlorum*, ubi sic habet : « Hunc locum non intelligentes Presbyteri et Episcopi, aliquid sibi de supercilio Pharisæorum assumunt, vel ut damnent innocentes, vel absolvere se noxios arbitrentur; cum apud Deum non Sacerdotis sententia, sed reorum vita quæratur. » Ergo in Ecclesia non viget remittendorum peccatorum ulla potestas. Maxime quia S. Augustinus lib. *de Nupt. et Concup.* asserit, « lavacro regenerationis non tantum peccata præterita, sed etiam posterius admissa remitti. » Unde videtur sufficiens Baptisma ad memoriam revocatum.

Respondeo his testimoniis persuasum Magistrum Sententiarum, aliosque antiquiores theologos arbitratos fuisse, Sacerdotem dum ait, *ego te absolvo*, non peccata remittere, sed a Deo remissa declarare; pertinere tamen verba illa ad sacramentum Pœnitentiæ, quia gratiam a Deo eo momento datam significant. Sed non videtur ea sententia doctrinæ concilii Tridentini consentanea : « Si quis dixerit, » inquit sess. 14. can. 9, « absolutionem sacramentalem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, anathema sit. » Certe cum Sacramenta novæ Legis id efficiant quod significant, significetur vero præcipue verbis a Sacerdote prolatis remissio peccatorum, Sacerdotes vere peccata remittere fatendum est. Proportionaliter enim, ut ait D. Thomas, oportet loqui de Sacramentis et potestate ministrorum : unde, sicut nostra Sacramenta a veteribus differunt, quod Christiana gratiam, quam Mosaica duntaxat figurabant, efficiunt; ita per eamdem effectivam causalitatem differre ministros Evangelicos a legalibus certissime tenendum est. Præsertim quia in Lege veteri pœnitentia non erat Sacramentum, quod Christus specialioris favoris præcipua dignatione Legi novæ concessit; unde et majorem nostris sacerdotibus contulit potestatem. Vel si erat Sacramentum, ut vult Joannes a S. Thoma disp. 32. art. 2. in antiquis tamen statibus ab ea perfectione deficiebat, qua in lege Evangelica eminet. Sed, ut verum fatear, hæc posterior sententia non videtur concilio Tridentino consentanea.

Nec obstant adducta Ambrosii verba, quæ solum potestatem remittendi peccata principalem soli Deo eximiam, non ministerialem Evangelicis ministris communicatam excludunt. Hieronymus autem eorum duntaxat ignorantiam, vel præsumptionem redarguit, qui data sibi potestate abutentes, et indignis beneficium absolutionis se posse impendere, et dignis denegare, innocentes-

que pro arbitratu damnare ineptissime existimabant, cum apud Deum non sacerdotum sententia (sola scilicet, et præsertim iniqua), sed reorum vita et vitæ mutatio ad sacerdotum sententiam præexigatur. Cæterum peccatores teneri sententiæ sacerdotum et Ecclesiæ clavibus peccata sua supponere, eamque Dominum quærere, apertissimis Evangelii locis demonstravimus. Unde Hilarius ponderans verba Christi ad Petrum, quibus ei claves regni cœlorum et cujusvis ligandi, solvendique contulit potestatem, sic ait can. 16. comment. *in Matth.* : « O beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo, ut quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti ejusdem conditionem obtineant et in cœlo. »

Ad auctoritatem Augustini dicendum, eatenus S. Doctorem tradidisse, Baptismo posterius admissa peccata remitti, quia baptismo charactere Christianitatis signati sumus, quo jus habeamus ad sacramentum Pœnitentiæ, per illudque remissionem peccatorum suscipiendam. Subdit enim post verba objecta sanctus Pater : « Quid enim prodesset vel ante Baptismum Pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur ; vel postea, nisi præcederet ?» His verbis significans, quod, sicut Pœnitentia ante Baptismum esset inanis, nisi ad suscipiendum Baptisma tenderet ; ita frustra quæreretur sacramenti Pœnitentiæ salutare remedium, nisi Baptismus præcederet, qui cum sit Sacramentorum omnium janua, omnium debet susceptioni præmitti. Verum suscepto semel Baptismate necessarium esse Pœnitentiæ sacramentum, epist. 23. luculenter tradit idem Doctor sanctissimus his verbis : « Si parvulus baptizatus, grandœvus factus, propria incœperit habere peccata, per quam gratiam remittetur ? Non regeneratione, sed alia curatione, resarciri possunt. » Illam autem aliam curationem sacramentum Pœnitentiæ semper Catholica existimavit Ecclesia.

Dices rursum : Si Pœnitentia speciale foret novæ Legis sacramentum, Christus illud alicubi, vel aliquando instituisset. Atqui nullibi legitur Christum sacramentum Pœnitentiæ instituisse, unde et aliqui theologi illud ab Ecclesia institutum esse fatentur, ut S. Bonaventura, et Marsilius in 4. dist. 17. Ergo Pœnitentia non est speciale Christianæ Legis Sacramentum.

Respondeo certissimum esse, Christum esse auctorem sacramenti Pœnitentiæ. « Si quis dixerit, » inquit Tridentinum sess. 17. can. 1, « in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, anathema sit. » Et certe, cum institutio Ecclesiæ non minus ad operationem ministrorum præsupponatur, quam opus creationis ad operationem causarum secundarum ; aliunde vero Ecclesia fundetur in Fide et Sacramentis, consequens est ad ministros Ecclesiæ minime pertinere sive novos fidei articulos edere, aut editos removere ; sive Sacramenta nova instituere, aut instituta removere, vel commutare ; sed ad eum duntaxat spectasse Sacramenta instituere, in quo excellentiæ potestas ad Ecclesiam supra tales bases fundandam residet : et hic solus est Christus Dominus, quia non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri ; et ipse est summus lapis angularis, cui tota Ecclesia subnixa est : fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.

Quo autem tempore instituerit hoc Sacramentum Christus, non conveniunt Doctores, sed dissidium determinat sacra Tridentina synodus sess. 6. *de Justific.* cap. 14. his verbis : « Etenim pro iis, qui post Baptismum in peccata labuntur, Christus Jesus sacramentum instituit Pœnitentiæ, cum dixit (Joan. xx.) : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt.* » Et sess. 14. cap. 1 : « Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria.... Porro nec ante adventum Christi Pœnitentia erat sacramentum, nec post adventum illius cuiquam ante Baptismum. Dominus autem sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica

tanquam hæreticos explosit, atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, et Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem, falso detorquent. »

Ubi observandum est, sacram Synodum docere, quod Christus « sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit », quia nimirum aliis locis Sacramentum istud Salvator insinuavit, ut cum ejus necessitatem inculcavit, et ligandi solvendique potestatem discipulis, Petro etiam claves regni cœlorum largiturum se promisit. Joannis tamen XX. præcipue hoc sacramentum instituit, quia tunc tribunal pœnitentiæ erexit, attributa Apostolis, eorumque legitimis successoribus judiciaria remittendorum, retinendorumque peccatorum potestate. Et certe convenienter hoc sacramentum post resurrectionem usque distulit instituendum Christus ; tum quia cum efficacia sacramentorum ex plenitudine redundantiæ Passionis fluat, ea peracta, piscina probatica debuit ex sanguine Christi confici, in qua sin plenius, certe frequentius percipitur virtus Redemptoris. Tum quia in hoc sacramento peccator resurgit, subindeque Pœnitentia est Christi resurrectionis imago, quam debuit præcedere archetypus, ut per Pœnitentiam non solum Christi resurrectionem exprimamus, sed in peccata non recidentes modum resurrectionis ejus æmulemur, qui in eo positus est, quod *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel ; quod autem vivit, vivit Deo*, ut dicitur Rom. VI.

Dices 3° : Absque sacramento Pœnitentiæ per veram sinceri cordis contritionem obtineri potest remissio peccatorum ; contritionem enim ex natura rei comitatur gratia, quæ cum peccato incompossibilis est : unde juxta Scripturas et Patres, ut contritionem mente concepimus, peccatorum veniam statim impetramus ; neque enim minorem habet in lege nova vim contritio, quam haberet in lege Mosaica, atque in lege naturæ, in quibus nullum erat institutum pœnitentiæ Sacramentum. Ergo sola contritio, sola caritas sufficiunt ad operiendam multitudinem peccatorum. Nam Magdalenæ remissa scimus peccata multa, *quoniam dilexit multum*, ut dicitur Luc. XVII. Et Isaiæ XXX. juxta versionem Septuaginta legimus : *Cum reversus ingemueris, tunc* (id est nulla interposita mora) *salvus eris*. Vel ut habet editio vulgata : *Hæc dicit Dominus Deus sanctus Israel : Si revertamini, et quiescatis, salvi eritis*. Ad quem locum alludens Cœlestinus Papa in epist. *ad Episcopos Galliæ*, cap. 2 : « Vera conversio, » inquit, « mente potius quam tempore metienda est, dicente Propheta : *Si conversus fueris, salvus eris*. » Succinit Magnus Leo epist. 91 : « Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam : *Cum ingemueris, tunc salvus eris*. » Certe, cum plenitudo legis sit dilectio, et Christianismi character sit caritas, cuncta scelera, quæ animam inquinant, ubi caritas fuerit, solvantur necesse est. « Sicut ignis, » ait Chrysostomus hom. 2. *in I. epist. ad Timot.*, ubi sylvam occupaverit, omnia purgare consuevit ; ita et charitatis fervor quocumque inciderit, omnia perimit atque perrumpit, quæ divinam segetem demoliuntur, emundatque humum suscipiendis atque fovendis alte seminibus. Ubi caritas est, omnia sublata sunt mala. »

Respondeo sacramentum Pœnitentiæ esse medium ad peccata post Baptismum commissa delenda omnino necessarium. « Est autem hoc sacramentum Pœnitentiæ, » ait Tridentinum sess. 14. cap. 2, « lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus. » Sicut ergo vis caritatis et contritionis, quanta-quanta sit, necessitatem baptismatis non excludit, ita nec sacramenti Pœnitentiæ saluberrimam medicinam in re, vel certe in voto susceptam eliminat. Unde eadem sancta synodus sess. 14. cap. 4. sic habet : « Docet præterea (sancta Synodus) etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur ; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse ascribendam. Quam sane doctrinam sacrum Concilium ex Scripturis et Patribus deprompsit : cum enim Salvator Petro et Apostolis, eorumque legitimis successoribus claves regni cœlorum concesserit, manifeste hac loquendi formula significavit, quod quemadmodum

sine clavi aperiente januam non patet ad domum occlusam aditus, ita tandiu reseratum erit ostium regni cœlorum, quandiu januam cœli, quam nobis peccatis nostris occlusimus, sua non aperuerint sacerdotes remittendorum peccatorum potestate. « Multiplex misericordia Dei, » inquit Magnus Leo epist. 91, « ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ : ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent : sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum homo Christus Jesus hanc Ecclesiæ præpositis tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sanctorum per januam reconciliationis admitterent. » Id ipsum docuit Augustinus lib. 1. *de adulter. Conjug.* cap. ultimo : « Quæ baptismatis, » inquit, « eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit : nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia. »

Ex quibus sine negotio occurrere est argumento facto, cum eatenus contritione etiam caritate formata peccata remittantur, quatenus in ea votum sacramenti Pœnitentiæ, cui Deus remissionem peccati in favorem honoris divini hac reparatione resarciendi alligavit, continetur. Præsertim quia quamlibet magnus videatur esse contritionis dolor, de ejus tamen sufficientia semper Patres dubitarunt, nobisque dubitandi rationem inculcarunt, donec fuerit Pœnitentiæ sacramento ratus factus, et sacerdotis sententia confirmatus : « Si ministri desint, » inquit Augustinus epist. 118. *ad Honoratum*, « quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? » Et Magnus Leo supra laudatus : « Si autem aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo, a munere indulgentiæ præsentis exciderit, et priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit; quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos eorum qui sic obierint merita, actusque discutere; cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit : ita potestatem suam timeri volens ut hic terror omnibus prosit, et quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. » Vides ergo contritionis quemlibet fervidum motum non sufficere nisi vel in re, vel certe in voto clavibus Ecclesiæ supponatur; nec plenam invehere securitatem, nisi peccatorum vincula sacerdotum potestate rumpantur.

REFLEXIO.

Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Duplex est ad salutem via, innocentia scilicet, et pœnitentia. Ergo omnes criminis reos, et perditæ peccatis innocentiæ conscios æternum sine pœnitentia perituros fatendum est. Et tamen credit Ambrosius plures esse innocentiæ custodes (quod tamen in hoc sæculo nequam instar prodigii est) quam veræ pœnitentiæ. « Facilius, » inquit, « inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam, » *de Pœnit.* lib. 2. c. 10. Quia nimirum multi se assidue, ut Augustinus ait, dicunt peccatores, et tamen eos peccare delectat : professio est, non emendatio; accusatur anima, non sanatur. Si testantibus Patribus, et definiente Tridentino, ad pœnitentiam non sufficit morum in melius mutatio, et novæ vitæ susceptio, nisi Deo per dolorem, per lacrymas, per contriti cordis et castigati corporis sacrificium satisfiat; ubinam gentium, quæso, pœnitentes invenire est, cum peccatores non solum peccata non defleant, cor dolore non scindant, corpus satisfactionibus non macerent; sed etiam mores in melius non mutent, peccata peccatis cumulantes, apponentes iniquitatem super iniquitates suas, vitæ conversionem verbis pollicentes, factis autem negantes? Anima pœnitens rugit in gemitu cordis sui, miserque facta et curvata usque in finem, tota die contristata ingreditur, et, teste Propheta Baruch. II, *tristis est super magnitudine mali, et incedit curva, et infirma, et oculi deficientes.* Ergone pœnitentibus accensendi sunt illi circumornati ut similitudo templi, auro rutilantes, unguentis obliti, pigmentis effœminati; quos, ut ait Chrysostomus, diceres ad Ecclesiam perge-

re saltaturos, et in domo Dei lasciviæ oblectamenta quærere? Itane bene convenit pœnitentia cum sericis, et monilibus, et ludis, et choreis, et comœdiis eodem die ab hujusmodi larvatis pœnitentibus susceptis? Illine pœnitentes reputandi sunt, qui nec præterita mala plangunt, nec plangendo devitant; qui dolent damnum pecuniæ, et non dolent damnum justitiæ; qui post temporalium jacturam omni mœrori se dedunt, post animam perditam vix moventur? Verus penitens ob gehennæ metum, ob reparandam, læsæ Dei majestatis injuriam configens timore carnes suas, et amore voluntatem accendens, levia arbitratur asperrimæ onera pœnitentiæ, quia qui timet Deum, nihil trepidabit; qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis, et verus amor difficultatis nomen erubescit. Quomodo ergo pœnitentibus annumerabimus, quos unius diei jejunium, unius horæ oratio, unius Evangelii, vel Thomæ a Kempis, vel Granatensis capituli lectio, ipsa etiam fastus abdicatio, ipsa comessationum interpolatio fatigat et pene opprimit? Ergo rara est, et fere nulla pœnitentia, non impio et crudeli Novatianorum sensu, qui eam gementibus sincere conversis denegabant, sed Catholicorum abusu, non in toto corde suo, sed in mendacio revertentium, dolose agentium in conspectu Dei, labiis dolosis, in corde et corde loquentium, malitiam non odientium, astantium omni viæ non bonæ, et « quæ humilitate sermonis accusant, corde perverso complectentium, » ut S. Fulgentius ait.

Si princeps Apostolorum baptizandos, quibus unda sacra et culpam, et omnis reatum pœnæ remissura erat, ad pœnitentiam, ut patet Actorum XVIII. hortatur, qualis debet eorum esse pœnitentia, quos a peccatis baptismate mundatos inhonestius maculat iterata facinorum turpitudo? Hanc consequentiam deducit et ponderat Magnus Gregorius lib. *de cura Pastorali*, part. 3. admonit. 31: « Illos emendatior vita sanctificat, quos per pœnitentiam abluens afflictio fletuum mundat. Hinc Petrus quosdam, cum territos malorum suorum consideratione conspiceret, admonet dicens: *Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum.* Dicturus enim baptisma, præmisit pœnitentiæ lamenta; ut prius se aqua suæ afflictionis infunderent, et postmodum Sacramento baptismatis lavarent. Qua ergo mente, qui transactas culpas flere negligunt, vivunt securi de venia, quando ipse summus Pastor Ecclesiæ, huic etiam Sacramento addendam pœnitentiam credidit, quod peccata principaliter extinguit? »

SPECULATIO II.

Essentia et partes sacramenti pœnitentiæ exponuntur.

Quia omne Sacramentum novæ legis rebus et verbis essentialiter constat, ut ex dictis de sacramentis in genere satis liquet essentiam sacramenti Pœnitentiæ tradiderimus, si qua constat materia exposita, singulas ejus partes, cum essentiales, tum integrales accurata brevitate in hac speculatione explicemus, in sequenti formam hujus sacramenti exposituri.

Materia Sacramenti Pœnitentiæ proxima sunt actus pœnitentis.

Hanc veritatem expresse docet Tridentinum sess. 14. can. 4: « Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, et satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit. » Ratio vero petitur ex discrimine quod intercedit inter pœnitentiam et matrimonium ex una parte, et cætera sacramenta ex alia. Etenim in sacramentis gratiam superabundantem magis ex opere operato quam ex opere operantis conferentibus materia est res mere sensibilis et externa, ut significetur effectum sacramenti effusam scilicet gratiæ plenitudinem, a Deo duntaxat proficisci; quippe qui solus tam vilibus elementis stupenda gratiæ miracula operari potest; quippe, ut ait Psalmographus, *facit mirabilia magna solus*. Sic in Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Extrema unctione, et Ordine, actus humani non sunt materia sacramenti, sed unam meræ dispositionis rationem habent, qua ad gratiam sacramentalem suscipientis animus præparetur, peccatorumque si qui sint, voluntarii obices removeantur. Cujus etiam signum est, quod gratia baptismalis, cujus tanta est vis, tantaque copia, ut non solum ab omni culpa, sed a cujusvis pœnæ reatu peccatorem innumeris peccatis sordentem, vere tamen contritum liberet et prorsus

eximat ; hæc, inquam, tanta gratia pueris eliciendo ulli actui imparibus datur : et alia etiam relata Sacramenta valida essent, etiamsi nulli elicerentur a suscipientibus actus virtutum, quamvis tunc vel illicita prorsus, si suscipiens esset in peccato mortali cui eluendo virtutis operatio necessaria esset ; vel certe parum fructuosa foret tam jejuna susceptio. At vero in pœnitentia et matrimonio res aliter se habet ; affectus enim huic duplici Sacramento correspondentes ita actus humanos supponunt, ut sine ipsis nec esse, nec intelligi quidem possint. Cum enim in pœnitentia convertatur ad Deum peccator, essentialiter actus pœnitentis desiderantur ; ut, sicut per actum proprium a bono incommutabili recessit, ita et per proprium motum ad ipsum revertatur ; nec poterit unquam sine vera pœnitentia Sacramentum consistere Pœnitentiæ. Similiter cum matrimonium sit contractus humanus, sine consensu partium verbis vel signis expresso constare nequaquam potest. Ergo, sicut in medicinis corporalibus, quædam exterius adhibitis constant adjumentis, ut unctionibus, lotionibus, cataplasmatibus; quædam vero sunt ipsimet sanandorum actus, ut exercitationes et dietæ : ita in Sacramentis, quorumdam materia externa est, et ab aliis applicatur ; aliorum vero materia ab ipso suscipiente propriis actibus intus incipientibus, sed foris prodeuntibus ministratur.

Dices : Ergo pœnitens erit minister Sacramenti Pœnitentiæ, cum materiam ministret, partialiter Sacramentum efficiat, ejusque effectum ex parte producat. Consequens autem est in Ecclesia Catholica inauditum. Ergo antecedens, unde deducitur, a veritate alienum est.

Respondeo id non sequi, quia qui solam materiam ministrat, Sacramentique effectum solius exhibitione materiæ producit, minister appellari non consuevit ; sed ille solus minister dicitur, qui formam, quæ dat speciem rei, apponit : sicut non dicitur architectus, qui lapides construendo ædificio portat, sed qui paratos in ordinem et figuram ædificii apposite disponit.

Porro illi actus pœnitentis alii non sunt, quam qui a Tridentino enumerati sunt, contritio scilicet, confessio, et satisfactio. In primis enim quod requiratur confessio, satis per se patet, cum in omni judicio intervenire debeat accusatio rei judici nota ; in hoc autem foro accusator est, qui se non nisi confessione sincera accusat. Quod vero desideretur etiam essentialiter contritio, inde convincitur contra Durandum, quia nuda peccatorum externaque confessio, ab interno animi sese accusantis dolore non proficiscens, historica solum narratio est, peccata quidem prodens, sed sacramentum Pœnitentiæ minime constituens. Et, quamvis contritio interior non sit sensibilis immediate et ratione sui (ut tacite fundamentum Durandi convellatur) bene tamen mediate, mediis scilicet humilibus confessionis lamentis; quod sufficit, ut contritio sit signum Sacramentale, quia cognita per confessionem ducit nos in illius effectus spiritalis cognitionem, quem virtus divina operatur. Denique exigi satisfactionem inde monstratur, quod ad perfectionem judicii omnino requiritur ut pœna reo, satisfactio læso imponatur. Cujus etiam convenientias sic præclare prosequitur Tridentinum sess. 14. cap. 8 : « Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui semel a peccati et Dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono scienter templum Dei violare, et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi frœno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt ; medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. »

Ejusdem etiam materiæ proximæ in actibus illis pœnitentis sitæ congruentiam egregie tradit catechismus Romanus : quia cum animo, verbis, et re peccata in Deum committamus, consentaneum est, ut nos ipsos Ecclesiæ clavibus subjicientes, quibus rebus Deus a nobis inique violatus est, iisdem etiam ejus iram placare, honorem reparare

et peccatorum ab eo veniam impetrare conemur, cordis nimirum contritione, oris confessione, et salutarium operum satisfactione. Sane cum pœnitentia sit voluntaria et seria delictorum compensatio, ab ejus voluntate profecta qui deliquit, ac Dei arbitrio, in quem peccatum est, constituta ; prorsus et compensandi voluntas requiritur in quo maxime contritio versatur ; et pœnitens sacerdotis vices Dei gerentis judicio se humili confessione subjiciat necesse est, et constitutam ab eo pro scelerum magnitudine pœnam veraci satisfactione subire tenetur.

Dices : Ipsum Tridentinum actus pœnitentis « quasi materiam » appellat. Ergo non censet actus pœnitentis esse veram hujus sacramenti materiam proximam.

Respondeo sacrum Concilium hac particula diminuente, « quasi, » discrimen duntaxat voluisse indicare, quod inter hujus et aliorum sacramentorum materiam intercedit, in hoc consistens, quod aliorum sacramentorum materia est res aliqua naturalis, vel arte effecta ; sacramenti vero Pœnitentiæ materia sunt operationes pœnitentis jam expositæ, quæ cum in pœnitente ad integritatem sacramenti, et plenam peccatorum remissionem ex Dei institutione requirantur, hac ratione materia et partes essentiales Pœnitentiæ merito dicuntur. « Neque vero hi actus, » inquit Catechismus Romanus laudatus, « quasi materia a sancta Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant ; sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, et chrisma in Confirmatione. »

Dices iterum : Verba absolutionis de præsenti significant remissionem peccatorum, nondum inchoata satisfactione. Ergo eam ante satisfactionem producunt, subindeque ante illam sacramentum Pœnitentiæ peragitur. Ergo satisfactio non est materia sacramenti Pœnitentiæ, cum materia formam non subsequatur, sed ei supponatur et substernatur, ut ab ea perficiatur. Maxime quia in aliquo casu validùm est et licitum sine satisfactione sacramentum Pœnitentiæ, ut cum quis contritus, confessus, et absolutus repentina morte abripitur, nondum inceepta vel expleta satisfactione.

Ad hanc difficultatem prompta et expedita pateret responsio, si mos ille teneretur, qui per duodecim sæcula in Ecclesia viguit ; ut nimirum posteaquam peccatores omnia cordis vulnera Sacerdoti aperuissent, idonea illis curandis remedia ab ipsis acciperent, quibus scilicet et satisfactionis modus consentaneus imponeretur, et secundum peccatorum differentiam pœnitentiæ tempora decernerentur, ut ait concilium Carthaginiense III. can. 31. et tempus a sacra Eucharistia abstinendi, ut docet concilium Turonense III. can. 22. præscriberetur, et per necessaria temporis remedia obducerentur cicatrices, sicut loquitur Clerus Romanus in epist. *ad Cyprianum*.

In illis ergo beatis fortunatisque temporibus, in quibus et austerior erat pœnitentia, et culpa rarior, primum peccator peccata confitebatur et pœnitentiam postulabat : pœnitentiam deinde cum consiliorum necessariorum præfatione sacerdos imponebat : impositam pœnitentiam postea pœnitens implebat, certum ac fixum animo habens, eo se Deum mitiorem ac placabiliorem experturum, quo in seipsum foret severior, juxta illud Augustini serm. 34. *de Diversis* : « Sit oportet in se severus, ut in eum sit misericors Deus. » Illud etiam S. Paciani in *Paræn. ad pœnitent.* : « In quantum pœnæ vestræ non peperceritis, in tantum Deus vobis parcet. » Post exactam lacrymarum, vigiliarum, orationum, jejuniorum, et aliarum exercitationum pœnitentiam, sic contrito et humiliato absolutionem, et continuo sacram Eucharistiam in veræ reconciliationis pignus, signaculum et complementum, cumulum et consommationem, ac velut coronidem sacerdos impertiebat. Hujus porro antiquæ et communis olim consuetudinis probationes nonnullas dedimus, dum de usu Eucharistiæ, ampliores dabimus inter agendum de absolutione peccatoribus in peccata mortalia relabentibus deneganda. Hujus etiam moris meminit tum Leo Magnus epistol. 91, docens concessam sacerdotibus potestatem in eo versari, « ut confitentibus actionem dent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admittant. » Quod et aperte indicat S. Eligius homil. 11. his verbis : « Confessio pœnitentiam monstrat : pœnitentia satisfactionem ostentat : satisfactio veniam sibi divina pietate conciliat. » Cui affine est illud multo antea a Tertulliano *de Pœnit.* c. 9. prolatum : « Satisfactio confessione disponitur : confessione pœnitentia nascitur ; pœnitentia Deus

mitigatur. » Quod et confirmat S. Gregorius Papa lib. 16. *in II. Reg. cap.* XV. dum ait: « In fructu, non in foliis aut ramis pœnitentiam esse cognoscendam. Confessionis verba nihil aliud esse nisi folia, adeoque non nobis folia propter ipsa, sed propter fructum expetenda. Quia idcirco omnis confessio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. » Et sane eo spectasse videtur concilium Tridentinum, dum definivit omnia peccata non in genere duntaxat, sed in specie et sigillatim esse Sacerdotiaperienda, ut rector animarum perspicua illorum cognitione accepta, in piacularibus pœnis præscribendis æquitatem, et ad delicta proportionem tenere queat. Si autem confessio via est et medium divinitus institutum ad pœnitentiam imponendam ; si rursum pœnitentia et satisfactio ex Patribus memoratis ad reconciliationem et absolutionem, atque adeo ad sacram Communionem reconciliationis complementum, via et gradus est, procul dubio prius imponebatur, priusque peragebatur consentanea gravitati peccatorum pœnitentia, quam peccator ad absolutionem et Eucharistiam admitteretur.

Verumtamen, quia jam Ecclesia satisfactionis absolutioni præmittendæ necessitatem non omnibus indicit, præsertim ubi perpetuus in iterata flagitia relapsus non contingit ; præsentem autem Ecclesiæ sine prævia pœnitentia absolvendi morem non modo damnare nemo potest, sed etiam quandiu ex Ecclesiæ mente observatur, a nemine sine magno errore damnari posse certissimum est; quia ipsa Ecclesia, quæ corpus Christi mysticum est, de spiritu Christi vivens, ab ipso Salvatore perpetuam in continua temporum vicissitudine unitatem, et inviolabilem in præscribendis tum fidei, tum morum regulis infallibilitatem jugiter accipit, idcirco argumentum solvendum nobis incumbit ; unde

Respondeo satisfactionem quæ sequitur absolutionem, non posse habere rationem partis essentialis, sed tantum integralis, ut convincit argumentum, ut etiam aperte tradit Catechismus Romanus, his verbis : « Pœnitentia ex his tribus partibus ita constituitur, ut quamvis quoad ejus naturam attinet, contritio, et confessio, quibus homo justus efficitur, satis sit ; tamen nisi tertia etiam pars, id est satisfactio accedat, aliquid ei omnino ad perfectionem desit necesse sit. » Licet porro materiam essentialem formæ substerni necesse sit, integralem tamen eam subsequi sæpe contingit ; nam hominem formatum consequuntur dentes et statura ; arborem productam integrant dimensiones et rami : quæ omnia si deessent, merito diminutus homo et arbor imperfecta dicerentur. Accusatio quoque testium, sententia judicis, solutio pœnæ, cum non sint simul, sunt tamen de integritate judicii : et in omnibus, quorum partes quemdam successionis ordinem habent, non oportet singulas simul coexistere. Hæc ergo tria totam, integramque pœnitentiam constituunt, quæ, teste Chrysostomo hom. 29 *ad popul. Antioch.*, consummata ut sit, debet in corde contritio, in ore confessio, in opere humilitas et fructifera satisfactio inveniri.

Instabis : Impositio satisfactionis non est pars integralis Pœnitentiæ, neque quoad materiam, cum pœnam non sibi imponat, sed recipiat impositam reus ; neque quoad formam, cum in prolatione verborum ab Ecclesiæ ministris adhibitorum non exprimatur Ergo propter paritatem rationis satisfactio etiam non est pars integralis pœnitentiæ.

Respondeo, omissis variis solutionibus, impositionem satisfactionis, sicut et ipsam satisfactionem, esse partem materiæ et formæ per modum complementi et integritatis utriusque, formæ quidem, quia hanc requirit judicium perfectum ; materiæ vero, quia eam petunt, illique se subjiciunt actus pœnitentis.

Urgebis : Si satisfactio sacramentum Pœnitentiæ vel constitueret, vel integraret, gratiam ex opere operato produceret ; pars enim sacramenti naturam et virtutem sacramenti participat : unde, cum de ratione sacramenti sit gratiam ex opere operato producere, id etiam satisfactioni convenire necesse esset. Atqui satisfactio gratiam sacramenti Pœnitentiæ non producit, sed a sacerdote absolvente productam supponit : maxime quia alioquin, qui in peccato mortali injunctam sibi pœnitentiam adimpleret, mortalem in culpam incurreret, utpote sacramentali gratiæ a satisfactione profecturæ obicem ponens. Ergo satisfactio neque essentialiter, neque integraliter ad sacramentum Pœnitentiæ pertinet.

Respondeo quod, licet satisfactio gratiam ex opere operato non produceret, a ratione tamen partis integralis Pœnitentiæ minime deficeret : tum quia, ut ait D. Thomas in 4.

dist. 16. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3, « ex proposito satisfaciendi gratia confertur, quamvis satisfactio actualis gratiam præsupponat. » Sufficit autem ut sit pars ingralis Sacramenti, quod ex proposito satisfaciendi gratia conferatur, cum illud propositum inane et inefficax merito habendum sit, quod intentam satisfactionem opere non complet. Tum quia, ut ibidem ait S. Doctor, « per satisfactionem consequitur pœnitens perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis, quia liberatur totaliter a reatu peccati. » Illud autem merito pars sacramenti censendum est, quod ad perfectum gratiæ sacramentalis effectum, reatum scilicet pœnæ tollendum concurrit.

Verum idem S. Doctor 3. part. quæst 90. art. 2. aliquid amplius satisfactioni tribuere videtur, eam nimirum augmentum gratiæ habitualis conferre, ait enim : « Dicendum quod satisfactio confert gratiam, prout est in proposito, et auget eam prout est in executione, sicut etiam Baptismus in adultis, ut supra dictum est. » Ideo, ne ab hac assertione, qua opera satisfactoria a sacerdote imposita immensum commendantur, recedam, respondeo ad argumentum, quod, licet satisfactio gratiam essentialem sacramenti a sacerdote productam supponat, ejusdem tamen gratiæ complementum et consummationem ipsa producit, si tamen conditionibus ad satisfaciendum necessariis non careat. Conditiones autem ad satisfaciendum requisitæ eædem ferme sunt, quas ad merendum in tractatu de merito desideravimus : nimirum primo status gratiæ, quia sine caritate nihil prodest ad salutem ; secundo status viatoris, post quem *venit nox, quando nemo potest operari*, ut dicitur Joan. IX. Tertio opus bonum, quia malum opus non pœnæ satisfacit, sed novam pœnam meretur. Quarto opus liberum, vel libere acceptum, qualia sunt flagella a nobis quidem non suscepta, patienter tamen dum a Deo infliguntur tolerata : quia quod coacte et invite facimus, nullius pretii apud illum est, qui cor sibi potissimum præberi postulat. Quinto opus pœnale, quo peccator quantum se glorificavit, tantum suscipit tormenti et luctus ; justum est enim, ut Magnus Gregorius ait, ut peccator tanto majora sibi inferat lamenta per Pœnitentiam, quanto majora sibi intulit damna per culpam. Non ita tamen requiritur opus pœnale, ut pœna sentiatur ; sæpe enim filii Dei accensa in Deum caritate, quæ per se gravia sunt, ne sentiunt quidem. Unde omnibus pietatis et virtutum christianarum operibus vim satisfaciendi asserimus, quia, etsi amanti vel exercitato levia sint, naturæ tamen corruptæ per se molesta sunt. Sexto exigitur opus supernaturale, vel a motivo supernaturali proficiscens ; quia enim opera satisfactoria ad finem supernaturalem citius saltem consequendum referuntur, nisi supernaturalia sint, finem illum non obtinebunt, cum finem inter et media proportionem esse necesse sit. Denique libera et gratuita Dei acceptatio requiritur, quia opera nostra innumeris titulis sibi debita, et pœnam peccatis debitam minime adæquantia nihil ad satisfaciendum prodessent, nisi eis misericordia sua contentus foret.

Utrum autem pœnitentia et satisfactio in peccato mortali peracta peccatum sit, quod obicem gratiæ ex ea manaturæ, si in gratia fieret, ponat, affirmare non ausim ; tum quia satisfactionem gratiam sacramentalem producere non est admodum certum, idque duntaxat constans est, opera satisfactoria, ut sunt partes integrales Sacramenti, a pœnæ reatu liberare ; gratiam vero tum augere, cum aliis ad merendum conditionibus instructa sunt, quod omnibus pietatis operibus commune est. Tum quia, etiamsi sacramentalis gratiæ complementum et veluti coronidem satisfactio conferat, non videtur tamen Sacramento injurius, qui gratiæ essentiali Sacramenti obicem non posuit, tametsi ejus ultimum fructum non recipiat. Tum maxime, quia ex pia Ecclesiæ praxi et consuetudine patet, diuturnas gravioribus et inveteratis peccatoribus pœnas imponi, quos tamen in aliquod peccatum mortale naturæ imbecillitate ruituros probabile, aut certe periculosum est ; illos tamen a pœnitentia imposita post peccatum Sancti non eximunt ; sed ad ea potius peragenda et augenda hortantur : tum ut pœnitendi præcepto satisfaciant ; tum ut ad similia opera, quando in gratiam redierint, facilius elicienda disponantur ; tum quia, licet opera satisfactoria in peccato elicita nihil prosint, effectus tamen qui transeuntibus satisfactionis actibus remanet, puta attenuatio et maceratio corporis ex jejunio, rerum ex eleemosynis imminutio, Deo in satisfactionem, recuperata tandem gratia, offerri poterunt. In hoc tamen futuri peccati periculo auctor essem, ut sacerdotes pœnitentiam aliquam

ad integrandum Sacramentum brevi perficiendam imponerent ; diuturniorem vero in medelam peccati auctoritate judicis, cui obtemperare rei tenentur, præciperent, ut hac ratione satisfactio sacramentalis in statu gratiæ peragatur, et vindicta tamen de peccatis præteritis sumatur, et futuris quoque lapsibus prudenti cautione provideatur. Pœnitentias porro et satisfactiones a sacerdote imperatas vim quamdam singularem ac præcipuam obtinere Patres consentiunt. « Afflictiones pœnitentiæ, » inquit Magnus Gregorius lib. 3. *in I. Reg.*, « ad delenda peccata tum demum idoneæ sunt, cum Sacerdotis fuerint judicio imperatæ. »

Remota sacramenti Pœnitentiæ materia peccata sunt.

Hæc positio facilis probatu est. Illa enim materia remota alicujus appellatur, circa quam proxima versatur : at materia proxima Pœnitentiæ, quæ sunt actus pœnitentis, circa peccata, de quibus dolet contritio, quæ Ecclesiæ clavibus subjicit confessio, quæve emendat satisfactio, occupatur. Ergo peccata sunt remota sacramenti Pœnitentiæ materia ; aliter tamen, et aliter. Nam peccata mortalia sunt materia necessaria ; sufficiens vero sunt venialia (de quibus potest esse dolor et confessio) et mortalia alias confessa. De mortalibus et venialibus quod diximus, tradit aperte Tridentinum sess. 14. cap. 5 : « Venialia, » inquit, « quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quanquam recte et utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, tacere tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios et Dei inimicos reddant, necessum est omnium etiam veniam cum aperta et verecunda confessione a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata, Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt ; qui vero secus faciunt, et scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt : si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat. » Quod vero diximus de peccatis alias confessis, hinc patet, quod variata materia proxima, eadem potest materia remota in sacramentis adhiberi : unde, sicut eadem aqua, diversa tamen ablutione plures possunt diverso tempore baptizari, eodem chrismate plures distinctis chrismationibus confirmari : ita eadem peccata distinctis contritionibus et confessionibus absolvi. Et, quamvis de eadem causa bis non feratur in foro humano et contentioso judicium, quia politica judicia ad liberandos innocentes, puniendos foris reos, litesque in infinitum procedentes compescendas ordinantur : attamen in foro conscientiæ Sacerdotum sententia, quæ ad sanctitatem animæ interiorem instituta est, ad augendum pium, in quem tendit, animarum fructum spiritalem iterari potest.

Quid vero dicendum sit de peccatis dubiis, paucis accipe. Vel dubium est, an peccata sint mortalia vel venialia, et tunc sine dubio huic tribunali exponenda sunt, ut sacerdos, cujus est inter lepram et lepram distinguere, judicet, feratque sententiam. Si vero dubium sit an peccata illa, quæ certo mortalia creduntur, admiseris, ea etiam sub dubio confiteri teneris, adjunctis aliis quæ certam materiam præbeant : quia et illa omittere periculosum est, quæ fortassis commissa sunt ; et illa sola exponere, quibus irritum fieret Sacramentum, falsæ materiæ, si forte patrata non sint, appositione, est Sacramenti integritati injurium. Et certe, sicut de peccatis dubiis tenentur homines conteri, ne se damnationis æternæ periculo exponant, ita eadem confiteri omnes tenentur : nam Christus reliquit sacerdotes sui vicarios, ad quos recurrere tenentur Fideles per confessionem, sicut ad Christum recurrunt per contritionem. Maxime quia, ut alibi jam diffuse ostendimus, in dubiis tutior pars est eligenda, præsertim quando periculum est certum. Sicut morbo periculoso, tametsi dubio tenemur remedium illud adhibere, quod alioquin non nocituram certum est : et quando est dubium, an sit fera, vel homo, a jaculo vibrando abstinere tenemur ; et pauperi, quem fame, nisi succuratur, periturum dubium est, piis subvenire eleemosynis præcepto caritatis astringimur, quia, etsi calamitas sit dubia, periculum tamen certum est. Planum ergo est, peccata esse materiam remotam a pœnitentia destruendam : ut enim ignis materiam ligna esse dicimus, quæ vi ignis com-

buruntur ; ita peccata, quæ pœnitentia delentur, materiam pœnitentiæ recte theologi compellant.

Partes Pœnitentiæ sigillatim explicantur, et primum contritio.

Quia materia hujus Sacramenti in actibus humanis sita est, ea vero quæ in actionem cadunt, non satis est universe explicare, de Pœnitentiæ partibus sigillatim tractare nobis curandum est, ex quibus veræ et salutaris Pœnitentiæ ratio a theologis et ulterius et securius pernoscatur. Et primum de contritione agendum est, quæ, ut ait Tridentinum, primum inter Pœnitentiæ actus locum sibi vindicat. Quod sequentibus documentis uti clarius, ita brevius præstabimus.

Essentia contritionis.

Sciendum igitur primo, contritionem sic bene definiri a Tridentino sess. 14. cap. 4 : Contritio est « animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. » Dicitur « dolor » ; ad veram enim contritionem requiritur mentis afflictio ; sicut enim ea conteri dicimus, quæ dura cum sint minutatim confringuntur, ex quo dolor in his quæ sensibus vigent, sentitur ; ita corda nostra, quæ peccati superbia obduruerant, veræ pœnitentiæ vi contunduntur, unde salutaris mentis mœror consequitur, juxta illas Davidis pœnitentis voces, Psalm. VI : *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, et lacrymis meis stratum meum rigabo.* Et iterum Isaiæ XXXVIII : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Pulchre Catechismus Romanus : « Quemadmodum ferro tumida ulcera secantur, ut inclusum virus possit erumpere : ita corda quasi scalpello contritionis adhibito inciduntur, ut peccati mortiferum virus queant ejicere. » Quare et scissio cordis a Joele Propheta vocata est : *Convertimini,* inquit cap. II, *in toto corde vestro, in jejunio, fletu, et planctu, et scindite corda vestra.* Hinc ab Isidoro « compunctio mentis », a Magno Gregorio « humilitas spiritus annihilans peccatum », jure merito nominatur. Ratio vero est, quia vera pœnitentia injuriis Deo illatis satisfacere intendit ; satisfacit autem, vel certe satisfacere incipit, qui voluntario dolore punitur : unde non sufficit merum sine dolore peccati odium, quod etiam in innocentibus, qui non peccaverunt, invenitur ; sed mentis amaritudo desideratur, qua nefanda peccati voluptas castigetur.

Additur « detestatio de peccato », quia non sufficit mentis mœstitia, non sufficiunt lacrymulæ doctæ mentiri, ut loquitur S. Bernardus, nisi sincerum peccati odium intersit ; nec est verus, efficaxque voluntatis dolor, nisi odium peccati adsit ; quia, sicut in omnibus voluntatis aliquid prosequentis actibus amor invenitur (cum enim amor sit voluntas boni, bonum prosequi sine amore non possumus) ; ita in omnibus voluntatis actibus, quibus malum fugimus, odium inveniri necesse est, cum malum non fugiamus aut detestemur, nisi quia illud odio prosequimur. « Declarat igitur sancta Synodus, » inquit Tridentinum paulo ante laudatum, « hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud : *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum.* Et certe qui illos Sanctorum clamores consideraverit : *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci ; Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum ; Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ,* et alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam ante actæ vitæ odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse. »

Porro ille dolor, illa detestatio debent esse de Deo ut offenso : si enim dolentis mentis afflictio ex eo proficiscatur, quod voluntas ab ea quam diligit creatura recedere teneatur, non proprie dolor de peccato commisso, nec est juris divini satisfactio, sed voluntatis adhuc terrena diligentis et in luto hærentis imperfectio. Vere ergo contritus non ideo dolet, quia creaturam deserit, sed potius quia Deum fontem aquæ vivæ peccatis suis dereliquit, foditque sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas ; vere contritus peccatum sub ratione formali injuriæ Deo illatæ detestatur, ut ad Deum ultimum finem animum revocet, a quo peccato recesserat. Hinc dolor, hinc lacrymæ fluunt, quas ad significandam internam mœsti animi acerbitatem Patres tantopere commendarunt, juxta præclaram Augustini ea

de re satis notam sententiam : « Non sunt in te, Christiane, caritatis viscera, si luges corpus a quo recessit anima, animam vero a qua recessit Deus non luges. » Hinc Ninivitæ, David, et Princeps Apostolorum hac contritione perciti, plurimis lacrymis Dei misericordiam implorantes peccatorum veniam impetrarunt. Hinc Peccatrix lacrymis cœpit rigare pedes Jesu, et considerans quid fecit, noluit moderari quid faceret; et super convivantes ingressa, nec jussa veniens lacrymas obtulit, significans quo dolore arderet, quæ flere inter epulas non erubuit. Ratio vero omnium horum est, quia ut infra dicemus, virtus pœnitentiæ est species justitiæ ; justum enim est ut qui Deum offendit ipsi satisfaciat; ideoque ad vindicandam læsæ Dei majestatis injuriam reum punit. Ergo contritio, quæ est actus pœnitentiæ, detestatur peccatum quatenus est injuria Deo illata, non solum ut summo bono et ultimo fini, et a quo peccando discessit, sed etiam ut supremo Domino et Legislatori, cujus legem contempsit et mandata peccator floccifecit, suis ut libidinibus infanda perversitate deserviret.

Denique dicitur contritionem esse detestationem « cum proposito non peccandi de cætero ». Nisi enim pœnitens vitæ emendandæ certam et stabilem cogitationem voluntatemque suscipiat, inanis erit dolor, ficta erit detestatio, falsa denique pœnitentia, eruntque speciosi illi pœnitentes, quamlibet suspiriis anhelent, pectus quamlibet pugnis contundant, lacrymarum vim quamlibet profundant, similes illis, de quibus ait Psalmographus Psalmo LXXVII : *Lingua sua mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo.* Et Jerem. c. III : *Non est reversa ad me prævaricatrix in toto corde suo, sed in mendacio.* Hanc certissimam veritatem his aperte verbis tradit Ezechiel cap. XVIII : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur : omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Et paulo post : *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit.* Ac paucis interjectis : *Convertimini*, inquit, *et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas : projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis : et facite vobis cor novum.* Eamdem sinceri propositi necessitatem docet Christus, Joan. VIII. cum mulieri in adulterio deprehensæ præscripsit : *Vade, et jam amplius noli peccare.* Paralytico etiam quem ad Probaticam piscinam curaverat, sic cap. V. præcepit : *Ecce sanus factus es, jam noli peccare.* Sane, sicut in humanis, qui amico reconciliari vult, quem injuria aliqua affecerit, et doleat oportet quod in eum injuriosus et contumeliosus fuerit, et diligenter reliquo tempore provideat, ne reconciliati amici necessitudinem lædat : sic recta ratio plane suadet, ad sinceram cordis contriti pœnitentiam, et dolorem peccati admissi, et propositum cautionemque, ne quid hujusmodi in posterum committatur, in primis necessaria esse.

Dices : Dolor respicit malum præsens, quo patiens affligitur; odium vero fugit malum absolute, prout abstrahit a præsenti, præterito, et futuro. Ergo contritio, quæ circa peccata præterita delenda occupatur, non dolor, sed odium est.

Respondeo, quod, licet malum præsens sit objectum doloris sensibilis, tamen voluntas, quæ non secus ac intellectus abstrahit ab omni tempore, de præterito dolere malo, de eoque spiritaliter affligi potest. Maxime quia malum præteritum fit intellectus consideratione præsens; sicut etiam contingit dolor in sensu, quando malum præteritum importuna imaginationis exhibitione fit præsens. Unde ex amara peccatorum recognitione in inferiorem animæ partem, quæ vim sentiendi habet, dolor effluit; unde ad eum declarandum pœnitentes et cineribus asperguntur (ut patet ex laudabili Ecclesiæ consuetudine, quæ filios suos initio Quadragesimæ, quod est specialioris pœnitentiæ tempus, incinerare solet) et vestem etiam mutare solliciti sunt, ut in Monachis arctioris pœnitentiæ vitam profitentibus apparet. Quod et Veritas Matth. XI. his verbis indicavit : *Væ tibi Corozain, væ tibi Betsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.*

Digladiantur porro inter se recentiores Scholastici, quænam ex prædictis ratio sit essentialis contritioni, quænam modum proprietatis habeat : sed non vacat rei gravissimæ pondus tam levibus velitationibus detrahere. Sane cum in definitione contritionis hæc omnia S. Synodus complexa sit, essen-

tialia illa omnia esse censenda sunt, cum nec verus sine peccati detestatione dolor, nec sine sincero peccatorum cavendorum proposito vera detestatio esse possint.

Divisio contritionis.

Sciendum secundo, contritionem explicatam duplicem esse, aliam perfectam, imperfectam alteram, quæ posterior solet etiam *attritio* nominari. Contritio perfecta est illa quæ ab amore Dei incipit, unde eam « caritate perfectam » appellat Tridentinum; ex eo enim quod peccatum est malum divinum, Dei scilicet oppositum bonitati, avertens ab ultimo fine, illum in creatura nefario, præposteroque ordine constituens, Patrisque cœlestis amicitiam dissolvens, de peccato dolet filius pietatis paternæ peccando oblitus, sed ea unice ad revertendum permotus; hincque summum et maximum dolorem ex peccatis quæ commissa sunt, suscipit, quo nullus major excogitari potest, ut præclare probat his verbis Catechismus Romanus : « Cum perfecta contritio sit caritatis actio, quæ ab eo timore, qui filialis est, proficiscitur, patet eumdem caritatis et contritionis modum statuendum esse. At quoniam caritas, qua Deum diligimus, perfectissimus est amor, hinc fit ut contritio vehementissimum animi dolorem conjunctum habeat : ut enim maxime Deus diligendus est, ita quæ nos a Deo alienant, maxime detestari debemus. In quo etiam illud observandum est, eodem loquendi genere caritatis et contritionis magnitudinem in sacris Litteris significari. De caritate dictum est : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Rursus quod ad contritionem pertinet, clamat Dominus per Prophetam : *Convertimini in toto corde vestro.* Præterea, si uti Deus summum bonum est inter omnia quæ diligenda sunt, ita etiam peccatum summum est malum inter omnia quæ odisse homines debent; illud sequitur, ut quam ob causam Deum summe diligendum esse confitemur, ob eamdem rursus peccati summum odium nos capiat necesse est. » Porro dolorem illum « summum » et « maximum » ideo appellat, non quod semper sit magis sensibilis, cum sæpe his quæ sensibus subjecta sunt, magis quam spiritualibus afficiamur; unde majorem ex filiorum obitu vel fortunarum dilapidatione, quam ex Dei offensa doloris sensum homines justos capere contingit; sed eatenus dolor ille « summus » dicitur, quatenus rebus omnibus peccati odium justi anteponunt, ut ne quidem vitæ conservandæ causa peccare velint, ut quemadmodum S. Bernardo teste nullus finis, nullusque modus caritati præscribitur (« modus enim, » inquit ille, « diligendi Deum, est ipsum diligere sine modo ») : ita peccati detestationi nullus modus definiatur. Contritio vero imperfecta, seu attritio concipitur et incipit communiter, ut ait Tridentinum, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu. Quia tamen attritio vera contritio est, licet imperfecta, ideo peccatum ut Dei injuria est detestatur, eique satisfacere intendit quem violavit, si verus est pœnitentiæ actus.

Hinc sequitur, contritionem et attritionem non differre specie; cum enim uterque ille actus ab eadem virtute pœnitentiæ proficiscatur, cum uterque idem objectum formale sub eodem intrinseco motivo respiciat, peccatum nimirum ut Dei offensa est per compensationem et satisfactionem emendabilis, ad eamdem speciem utrumque pertinere necesse est. Quod vero illud juris divini læsi resarciendi, reique eam ob causam puniendi propositum ex amore Dei, vel ex gehennæ metu, vel ex turpitudine peccati primum oriatur, actui pœnitentiæ extrinsecum et accidentale est, non essentiale.

Ex quibus sine negotio oppositæ sententiæ quorumdam recentiorum, quos novissime sequitur Baptista Gonet, argumenta convelles. Non enim ut illi existimant objectum attritionis est peccatum sub ratione mali peccatoris, vel sub ratione inhonesti; nam odium peccati prout est malum morale et peccatori nocivum, a sola voluntate proficiscitur; siquidem ab eodem principio procedit amor boni, et odium mali oppositi; docent autem communiter Thomistæ, voluntatem nullo egere habitu ad bonum honestum proprium ut sic prosequendum : ergo nec itidem ad malum proprium ut sic prosequendum. Si vero peccatum ut est malum speciale cuilibet virtuti oppositum consideretur, sic peccati detestatio ab illa virtute elicitur, cujus bono vitium adversatur, cum, ut dictum est, ab eodem principio amor boni et oppositi mali odium semper prodeat. Attritionem vero esse actum virtutis pœnitentiæ nullus theologus, sed præsertim adversarii, inficiari rationabiliter possunt; cum enim secundum omnes attritio ad recipiendam

sacramenti Pœnitentiæ gratiam disponat, et secundum illos sine ullo Dei amore omnino sufficiat, planum est attritionem esse actum virtutis pœnitentiæ, cum secundum D. Thomam et communissimam theologorum omnium vocem, soli actus virtutis pœnitentiæ ad sacramentum Pœnitentiæ vel disponant, vel sufficiant; ideoque tractantes de sacramento Pœnitentiæ, de virtute pœnitentiæ una disputant, quia sola illa virtus materiam huic Sacramento suis actibus præbet; unde per « constructionem », aiunt, « intransitivam » sacramentum Pœnitentiæ dicitur, quia sine actibus virtutis pœnitentiæ non est illud Sacramentum. « Dicendum, » inquit S. Thomas q. 86. art. 6. ad ultimum, « quod actus pœnitentiæ virtutis habet quod sine eo non possit fieri remissio culpæ, in quantum est inseparabilis effectus gratiæ, quæ operatur in omnibus Sacramentis. » Quare ab eodem habitu uterque ille actus exoritur, uterque idem objectum, peccatum scilicet, sub ratione formali injuriæ Deo illatæ respicit, sed penes motiva duntaxat extrinseca, juxta clarissimam Tridentini mentem, distinguitur, quatenus contritio charitate formata ab amore Dei, attritio a metu gehennæ vel turpitudinis peccati salutifera consideratione originatur.

Cujus etiam argumentum, nisi meus me fallit animus, evidentissimum est, quod attritio, quam ad sacramenti Pœnitentiæ gratiam disponere sacrum Concilium tradit, omnem peccandi voluntatem debet excludere : ergo debet respicere rationem universalem et communem, quæ nullum peccandi affectum retineat, sed omnem eliminet : illa autem ratio communis non potest esse alia quam ratio injuriæ Deo illatæ vindicandæ, et compensandæ; nam horror intemperantiæ ex una turpitudine ebrietatis, v. g., vel luxuriæ concitus, non propterea affectum vanæ gloriæ, vel divitiarum injuste partarum excludit : merus etiam gehennæ metus omnem peccandi affectum saltem conditionatum non excludit, ut cum aliquis est ita comparatus, ut sola supplicia metuat, et peccatum quod intus amat, vellet facere si posset impune. Ergo aliud est generalius attritionis motivum, injuriæ nimirum Deo illatæ compensatio et reparatio. Hinc vera attritio, de qua loquitur Tridentinum, omnem peccandi affectum extinguit, a peccato avertit, ad Deum convertit, eumque ut verum justitiæ fontem diligere incipit, ut idem Tridentinum alibi referendum testatur. Unde attritus potest fieri contritus, sicut quod imperfectum est, connaturalem perfectionem comparare potest, ut dum puer adolescit, et tandem vir perfectus evadit : attritio autem est contritio imperfecta, ut expresse definit Tridentinum, solumque penes motivum extrinsecum vel principium remotum a contritione discrepat : ac proinde qui primum sacro permotus dolere incipit, potest deinde ex amore pœnitere, nunquam tamen actus attritionis fiet actus contritionis, ut D. Thomas docet, quia adveniente quod perfectum est, evacuatur quod imperfectum est : unde sicut actus fidei informis nunquam fit actus fidei formatæ, quia ille adveniente charitate transit ; ita dolor informis accedente formato desinat necesse est.

Præceptum contritionis.

Sciendum tertio non solum divinum dari de contritione præceptum (ut ex dictis liquet) sed etiam naturale : lex enim naturalis omnibus implantata, injuriis Deo illatis satisfacere præcipit, quæ injurias etiam humanas imperat resarcire. « Fuit, » inquit sacrum Tridentinum sæpe memoratum, « quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius ; et in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ et voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur. » Eamdem contritionis necessitatem egregie probat S. Thomas q. 84. art. 5. ad 2 : « Dicendum, » inquit, « quod ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides, et misericordia non liberant hominem a peccato sine pœnitentia. Requirit enim caritas quod homo doleat de offensa in amicum commissa, et quod amico homo studeat satisfacere. Requirit etiam ipsa fides, ut per virtutem passionis Christi, quæ in Sacramentis Ecclesiæ operatur, quærat justificari a peccatis. Exquirit etiam et ipsa misericordia ordinata, ut homo subveniat pœnitendo suæ miseriæ, quam per peccatum incurrit, secundum illud Proverbiorum XIV : *Miseros facit populos peccatum.* Unde Ecclesiast. XXX. dicitur : *Miserere animæ tuæ placens Deo.* » Unde art. 7. ad 1. sic concludit : « Dicendum quod de jure naturæ est, quod

aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat ea fecisse, et remedium doloris quærat per aliquem modum. » Hinc in corpore articuli dixerat, quod « hujus Sacramenti materia præexistit a natura : ex naturali enim ratione homo movetur ad pœnitendum de malis quæ fecit. » Et certe ex eo quod Deum colere, Deumque diligere præcepto naturali tenemur, dolere de peccatis ut sunt injuria Dei, quidquid Deo displicet detestari, eique pro virili satisfacere eodem præcepto tenemur.

Objectiones solvuntur, et accepta occasione enodantur perutiles difficultates.

Dices : Contritio est actus supernaturalis, cum etiam de attritione quæ est contritio imperfecta, dicat Tridentinum, « donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis. » Atqui de actibus supernaturalibus non datur præceptum naturale, sed duntaxat positivum ; nam præcepta naturalia cum sint naturæ nota, objectum naturale, non supernaturale, naturæ ignotum mandare possunt. Ergo non datur naturale de contritione præceptum.

Respondeo certissimum esse, contritionem actum supernaturalem existere, tum quia id apertissime tradit Tridentinum in objectione relatum, ipsumque ante tradiderat S. Thomas 3. p. q. 84. art. 1. ad 2 : « In hoc Sacramento, » inquit, « actus humani sunt pro materia, qui proveniunt ab inspiratione interna ; unde materia non adhibetur a ministro, sed a Deo intus operante. » Tum quia id convincit ratio manifesta : nam dispositio ad formam supernaturalem omnino supernaturalis est, cum dispositionem et formam ejusdem ordinis esse necesse sit. At contritio est dispositio ad gratiam, quæ utique supernaturalis est, cum de ipsa etiam attritione dicat Tridentinum, impulsum esse a Spiritu sancto insitum, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, et ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Tum quia contritio, sive perfecta, sive imperfecta, includit efficax propositum legis Dei fideliter observandæ, et omnem peccati saltem mortalis affectum penitus excludit, alioquin nec novæ vitæ initium duceret nova creatura, nec radicitus exstirparetur peccati virus, quod utique non evacuat mollis animi affectus, nec semivolentia et seminolentia illa desideria, quæ « velleitates » appellant, quibus plenum esse infernum Bernardus testatur. Addi etiam potest ratio in supra adductis S. Thomæ verbis indicata : nempe quia actus contritionis induit rationem materiæ proximæ Sacramenti pœnitentiæ, quæ immediate subjicitur clavibus Ecclesiæ et sanguini Christi : hanc autem habitudinem non importat actus humanus mere naturalis. Nec sufficit mera denominatio vel ordinatio extrinseca, sicut in aliis Sacramentis contingit, in quibus materia mere naturalis est, ut aqua, oleum, vel panis, quæ ex sola ministri ordinatione formæ sacramentali subjiciuntur. Nam in sacramento Pœnitentiæ ipse pœnitens materiam præbens, objectum aliquod, mediante aliquo motivo per claves Ecclesiæ aperientes januam regni cœlorum, et per operationem sanguinis Christi prosequitur, quod totum supernaturale est. Hinc Veritas Luc. xv. serio monet : *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Et ut non intelligatur de habitu, sed etiam de actibus pœnitentiæ, de quibus solummodo præceptum datur, addit Salvator : *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Hinc Apocalypsis II. minatur Joannes : *Age pœnitentiam ; sin autem, veniam tibi cito, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Unde saltem patet, præceptum istud esse a Deo latum (si fortassis præceptum naturale quis in hac parte contumax inficiatus fuerit) cui parere pernecessarium est. Nam, ut ait Tertull. lib. *de Pœnit.*, « Audaciam existimo, de bono divini præcepti disputare. Nec enim quia bonum est, ideo auscultare debemus, sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis, prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis. Bonum est pœnitere, an non ? Quid revolvis ? Deus præcipit : quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more sub dejeratione testatur, summa utique gravitate et aggredi, et custodire debemus. »

Ad argumentum ergo dicendum, hinc manifeste fallaciam hujus objectionis ostendi, quod si quid evinceret, peræque nullam de Deo super omnia diligendo præceptum naturale exstare, contra reclamantem totius naturæ vocem suaderet, cum dilectio Dei super omnia totius naturæ, maxime vero lapsæ superet potestatem. De pœnitentia ergo, tametsi supernaturali præceptum est,

quia actus humanus in nostra cum gratia Dei positus potestate, superioris præcipientis imperio subjicitur, quam gratiam omnibus oblatam sine hominis culpa Deus non subtrahit, quia, dum urgeret præcepto, semper, nisi obicem ponamus, una præcurrit, prævenitque auxilio, qui impossibilia non jubet, sed jubendo admonet facere, quod possis, petere quod non possis, adjuvatque ut possis. Dicitur autem hoc præceptum naturale, non quod pœnitentiam supernaturalem excludat, sed quia cujus amicitiam violavimus, naturali præcepto dare operam tenemur, ut sarciamus. Et certe si ægroto corpori quisque necessariam adhibere medicinam naturali lege præcipitur, plane relinquitur, non minus esse naturali lumini consentaneum, ut medicinam ægro animo adhibere teneamur, eum corpore non minus animum diligere debeamus. Quare quemadmodum instigante naturæ lege, ait Tertull. lib. *de Pœnit.* et post illum Hieronymus *in cap.* VII. *Eccles.*, hirundo pullos suos de succo oculat chelidoniæ, et dictamnum cervi appetunt vulnerati, et cætera animantia bruta medicinas sibi divinitus attributas instigantur ut quærant; ita procul dubio homines rationales incitat innata lex, ut unicum lapsis hominibus remedium ad salutem animæ prosequantur. Videsis Melchiorem Cano relect. *de Pœnit.* part. 4, ubi sibi eximia et beata de theologicis eleganter scribendi facilitate veritatem istam locupletat.

Instabis : Si contritio deberet esse supernaturalis, de illaque foret præceptum, daretur locus infinitis animi sollicitudinibus et anxietatibus; eum enim actus supernaturalitas sit quid maxime reconditum, et vix ac ne vix quidem actus naturalis a supernaturali internosci discernique possit, nunquam tranquillabitur conscientia, sed semper erimus dubii et penduli, num necessariam pœnitentiæ materiam, sine qua annullatur Sacramentum, porrexerimus. Hunc autem intolerabilem angorem submovebimus, si contritionem naturalem sufficere dixerimus : Ergo ne nimium anxios reddamus scrupulosos, imo priorum et cordatorum animos perpetua iterandæ confessionis sollicitudine ne turbemus, contritionem supernaturalem optandam illam quidem esse dicendum est, at non necessariam item. Nam, quando salva pietate id facere possumus, confessionis jugum per se satis durum molle faciendum est, nec eo potissimum Sacramento injiciendi laquei sunt, quod in id paratum est, ut ab omnibus laqueis liberemur.

Respondeo theologorum non esse materias sacramentorum a Christo institutas permutare; cum igitur Concilium sæpe laudatum attestetur, actus pœnitentis Spiritus sancti impulsu excitatos ad integritatem Sacramenti, et ad plenam peccatorum remissionem « ex Dei institutione » requiri, frustra aliud quidpiam assignabimus, frustra aliam materiam obtrudemus; quia non secundum nostram existimationem, sed secundum Christi institutionem suos Sacramenta effectus sortiuntur. Nec propterea anxiam et scrupulis inquietam efficimus hominum vitam. Tum quia secundum omnes ad veram pœnitentiam requiritur efficax non peccandi propositum, de quo tamen certi securique reddi nequaquam possumus, quia humanæ diligentiæ conatus, utpote mutationi obnoxius, ipsos conantes latet, qui dum sufficientem navare se operam rentur, coram Deo, et in rei veritate falluntur; dum enim plura facere possent, et non faciunt, seipsos decipiunt. Sæpe enim et sane nimium amor proprius sibi ipsi blanditur, et dum novam vitam et Dei gloriam extremis veluti mentis labiis, et « superficie cogitationis » ac voluntatis, ut loquitur Gregorius Magnus cap. 9. 1. part. *Pastoralis*, quærere sibi suadet, propriis duntaxat emolumentis studet : « Fit enim ut aliud in imis intentio supprimat » (verba sunt sanctissimi Pontificis), « aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, et fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat. » Et tamen propter illam ignoratam propositi efficacis sinceram voluntatem, ab ejusdem astruenda necessitate theologi non deterrentur. Ergo ab asserenda contritionis supernaturalis necessitate dissuaderi minime debemus, propterea quod actuum nostrorum supernaturalitatem ignoramus. Tum quia, licet supernaturalitatis actus in se immediate cognosci nequeat, in suis tamen motivis, quæ cum ab intellectu proponantur, conjecturas nostras fugere non possunt, cognosci potest. Unde magno cum judicio monet sapientissimus Joannes a S. Thoma disp. 33. art. 4. pag. mihi 310 : « Oportet ministrum esse valde vigilantem in inquirendo motivo ex quo pœnitens movetur ad

dolorem, præsertim cum hominibus rudibus, et ignorantibus, quos debeat exhortari, ut accedant cum dolore et motivo supernaturali, hoc est regulato per fidem, seu concepto ex motivis quæ docet fides, ut ex timore inferni, turpitudine peccati, amore ipsius Dei et virtutis. Sicut enim in aliis sacramentis minister debet attendere diligenter, ut vera materia sibi adhibeatur ad perficiendum Sacramentum, ut, v. g., vera aqua naturalis, vel oleum verum, verus panis, etc. Ita in hoc sacramento Pœnitentiæ debet procurare, quod pœnitens debitam et proportionatam materiam apponat, scilicet supernaturalem dolorem. »

Nec tamen propterea omnimodam pœnitentibus securitatem spondemus, tametsi quietem, spem, fiduciamque multam polliceamur. Etenim in hac vita ita nonnunquam vicini sunt veræ pœnitentiæ actus falsæ pœnitentiæ conatibus, ita veras virtutes falsa pietas aliquando mentitur, ut sapernaturales actiones a mere humanis affectibus liquido dignosci non possint. Quia enim ad salutis profectum maneat nos oportet humilis sollicitudo, ut Apostolicum illud præceptum impleamus, *Cum timore et tremore vestram salutem operamini ;* latere voluit nos Deus, num pœnitentiæ motus spiritu ipse suo in nobis operetur, an etiam quæ bene agere nobis videmur, occulta concupiscentia efficiat. Non tamen hic timor ejusmodi est, ut quietem ac pacem secum non admittat, quia licet possit pœnitentia nostra ex amore proprio proficisci, raro tamen admodum contingit, ut veram pœnitentiam falsa contritio per totam vitam mentiatur. Unde qui spiritu pœnitentiæ virtutum officiis funguntur, jejunia orationesque frequentant, eleemosynas elargiuntur, carnem macerant, cupiditates domant, conscientiam quam possunt maxime humanis affectibus expurgant ; illi, inquam, multam non immerito fiduciam concipiunt : quia, etsi nemo sciat, an odio vel amore dignus sit, certo tamen ipsi sciunt, se in eorum numero esse, e quo pauci damnandi sunt ; cum illi contra, qui ad Pœnitentiæ sacramentum non nisi censuris Ecclesiasticis semel in anno recipiendum adiguntur, licentiorem interim vitam sequuti, parum admodum causæ habeant, cur multum suæ saluti confidant, cum in eorum sint numero, qui latam viam, quæ ducit ad perditionem ingressi sunt.

Dices rursus : Si daretur naturale vel divinum de contritione præceptum, tenerentur homines ad pœnitentiam confestim agendam, ita ut peccatum mortale novum sit, si quis non statim ac in peccatum incidit, vel saltem quoties peccata memoriæ occurrerint pœnitentiam agat : non enim est major ratio cur uno tempore magis quam alio præceptum hoc urgere dicendum sit. Consequens autem videtur valde durum, et majori theologorum parti refragatur, quin et Fidelium praxi ; nec enim pœnitentes in confessione hujus criminis se accusant, nec sacerdotes id curant quando pœnitentes examinant ; cum tamen nullus peccator fere sit, qui hujus præcepti reus non haberetur, et innumera peccata mortalia hujus præcepti transgressione committeret. Ergo homo ad pœnitentiam agendam naturali præcepto non obligatur.

Respondeo in hujus difficultatis explicatione tam varias, tamque inter se dissidentes esse doctorum sententias, ut eas enumerare molestum, et fortassis inutile fuerit. Placet tamen gravissima adversarum duarum sententiarum fundamenta proponere, et judicio lectoris permittere, ut semota pugnaci pertinacique contentione, quam veriorem judicaverit sententiam libere tueatur, eamdem postea simili libertate retractaturus, si melior forsitan opinionis adversæ ratio occurrat. Te enim, lector optime, ita comparatum crediderim ac optarim, ut apud te non tantum opinio præjudicata possit, ut etiam sine ratione valeat auctoritas. Ego vero ita me paratum sentio, ut in re momentosissima, si quid melius quispiam ad hujus difficultatis lucem afferre poterit, id me sane volente et gratulante facturus est.

Prima ergo et communior sententia fert, non teneri hominem statim atque peccavit, vel quoties peccata memoriæ occurrerint, de peccatis suis conteri et pœnitentiam agere. Tum quia cum præceptum de pœnitentia affirmativum sit, in quo positivus virtutis actus præcipitur, aliorum præceptorum affirmativorum conditionem habet : ergo, sicut reliqua præcepta affirmativa semper quidem obligant, sed non pro semper ; ita non est cur ab hac generali regula præceptum contritionis excipiamus, si nullus instet specialis necessitatis articulus. Tum quia non minus ad salutem desiderantur fides, spes, baptismus, et Dei dilectio, quam pœnitentia. At præceptum fidei, spei, dilectionis et Baptisma non ita obligat, ut protinus in

actus fidei, spei et dilectionis exire teneamur, vel Baptismum sine mora suscipere : ergo pœnitentiam confestim agere non tenetur qui peccavit. Nec urget illa obligatio occurrente peccati memoria ; quia vis, obligatioque præceptorum non ex memoria aut intelligentia nostra, sed ex necessitate rei sumitur : non enim quia intelligimus aut meminimus, obligamur ; sed quia obligamur, dare operam debemus, ut legem memoria teneamus. Tum denique, quia cum nullum jus humanum, divinum, aut Evangelicum proferri possit, quo præceptum adeo durum asseratur, qua facilitate lex illa ab aliquibus inducitur, eadem quoque ab aliis rejicitur.

His tamen non obstantibus Alexander de Hales, D. Bonaventura, Sylvester, Paludanus censent præceptum esse pœnitere de peccato simul atque homo peccavit, vel saltem quoties peccata memoriæ occurrerint ; eique assertioni, fateor, non parum favet S. Thomas paulo post referendus. Nec desunt rationes longe gravissimæ, quibus hæc sententia confirmetur. Primo, quia non minus tenetur homo injuriam Deo illatam resarcire quam proximo illatum damnum reparare ; nec minus saluti animæ providere, quam ægrotanti corpori subvenire. Atqui homo damnum proximo in pecunia vel fama importatum illico compensare tenetur restitutione bonorum, et honoris læsi instauratione : idem etiam homo postquam in morbum incidit, illico medicinam corporalem omnino necessariam, si occurrat, adhibere astringitur. Ergo a fortiori Deo per peccatum læso, ejusque amicitiæ per injuriam violatæ pœnitentia satisfacere, et animæ per peccatum gravissime ægrotanti succurrere ex præcepto justitiæ et charitatis tenemur. Nec potest dici, non imminere nobis a peccato grande periculum : non, inquam, id a Christiano dici posse videtur, qui norit peccato mortali æternitatem miseriarum esse paratam, quive attente Gregorii illud veridicum pronuntiatum attenderit : « Peccatum quod per Pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit. » Velle autem periculum, est profecto velle perire ; nam *qui amat periculum, peribit in illo*, juxta Ecclesiastici oraculum cap. III. Secundo, quia non ita affirmativum est de pœnitentia agenda præceptum, ut aliquid præcepti negativi non habeat : negativo quippe præcepto, Deo ne simus inimici astringimur, cum esse Dei hostem ita intrinsece malum sit, ut nullo queat colore honestari, et nullo eventu velle Dei inimicitiam citra gravem culpam valeamus. Ergo quandiu homo in peccato mortali perseverat, tandiu præcepto negativo adversatur, præsertim cum peccatorum memoria menti se offert, et pœnitentiæ consilium sacra cogitatio inspirat ; tunc enim interiorem pœnitentiam in aliud tempus qui rejicit, eo ipso interpretative vult in Dei inimicitia perdurare, cui non curat statim se contritione conciliare. Denique non commentitium, aut gratis invectum esse istud præceptum, ex illo Ecclesiastici V. confirmant hi auctores : *Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem ; subito enim venit ira ejus.* Ergo pœnitentiam in aliud non reservare tempus, et contritionem de die in diem non protrahere præceptum est, cujus neglectus quam grave peccatum sit, ex eo patet, quod ei divinam iram Dei nomine Ecclesiasticus interminatur. Cui affine est illud Apocalypseos II. quod Angelo, id est episcopo Ephesi dicitur : *Age pœnitentiam, et prima opera fac ; sin autem venio tibi, et movebo candelabrum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Affine etiam illud quod ibidem Angelo Pergami Ecclesiæ præcipitur : « Similiter pœnitentiam age ; si quo minus, veniam tibi cito. »

Neque ab hac sententia alienus est S. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæst. 4, et habetur in *Supplemento* 3. p. quæst. 6. art. 5, ubi licet doceat contra nonnullos theologos, non teneri peccatorem ad peccatum confestim confitendum, quamvis periculosum sit differre ; de contritione tamen ita censere videtur, ut homo ad pœnitendum obligetur, cum peccata memoriæ occurrunt, et præceptum pœnitendi nullas moras in peccatore permittat, vel inducias, si peccati memoriam et conscientiam habeat : « Respondeo dicendum, » inquit Doctor Angelicus, « quod cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur, scilicet quando peccata memoriæ occurrunt. » Ne autem dicas S. Thomam olim juvenem hanc austeram nimis sententiam docuisse, quam si *Summæ Theologicæ* extremam manum imposuisset, vel retractatione, vel certe moderatione aliqua correxisset : audi quid scripserit 2. 2. quæst. 62. art. ultimo, ubi utrumque pariter affirmat, et teneri homines ex præcepto pecca-

tum deserere, et ad pœnitentiam confestim agendam non minus obligari, ac qui rem alienam furto abstulit, restituere protinus sine mora aliqua debet. « Manifestum est autem, » inquit, « quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere, secundum illud Ecclesiastici XXI : *Quasi a facie colubri fuge peccatum ;* et ideo quilibet tenetur statim restituere, si potest. » Et in responsione ad 1. argumentum, oppositæ sententiæ fundamentum sic convellit : « Dicendum quod præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen præceptum negativum, quo prohibemur rem alterius detinere. » Non ergo retractasset in *Summa* S. Thomas sententiam olim traditam, cum eam 2. 2. loco memorato satis aperte tradat. Est ergo de mente D. Thomæ hæc conclusio, quæ articulo 5. quæst. 6. *Supplementi* laudati habetur : « Quanquam statim omnes de suis dolere peccatis teneantur, et confessionem differre periculo non careat; de necessitate tamen salutis non est ut statim peccata sua quis confiteatur, sed habita copia confessoris, et statutis ab Ecclesia pro pœnitentia temporibus. » Vides S. Doctorem discrimen inter contritionem et confessionem illud statuere, quod, licet præceptum confessionis aliquas moras in peccatore admittat, peccatum tamen speciale est pœnitentiam confestim internam non agere ac mortale peccatum vel commissum est, vel certe dum memoriæ occurrit, vel conscientia stimulat, cujus dictamini homo tenetur obnoxius.

Equidem in re vehementer ambigua, ut verum fatear, non mihi plane satisfacio, nec quidquam audeo contra tot hinc inde motivorum urgentium momenta, nondum mihi perspecta veritate definire. Nam contra occultam mihi veritatem frustra niti, et nihil aliud quam gravissimorum doctorum urgentibus rationibus ultro citroque pugnantium odium quærere, extremæ, ut verbis Salustii utar, dementiæ est. Ex illo tamen opinionum conflictu duo elicio non minus utilia quam vera. Primum est, periculosissimum esse pœnitentiam post lapsum protrahere, cum sententia affirmans dari speciale de peccato confestim contritione dolendo præceptum, iis rationum ponderibus, iis muniatur auctoritatum momentis, iis præsertim S. Thomæ verbis satis apertis doceatur, quibus (ut mea opinio vel imbecillitas fert) satisfacere nequeo, et si tuum judicium (lector cordate) ita adhibeas, ut alienum non nisi cognita causa sequare, ultro fateberis, talia esse posterioris sententiæ argumenta, ut eis evidenter responderi posse plane diffidendum esse censueris. Dices ergo cum magno Leone epist. 91. *ad Theodorum :* « Oportet unumquemque Christianum conscientiæ suæ habere judicium, ne converti ad Dominum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in finem vitæ suæ constituat, quem periculose ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum se reservet incertum. » Sed de his plura videsis in reflexione.

Secundum quod elicio est, tunc saltem contritionis urgere præceptum, quando vel mortis periculum instat, vel quando opus agendum est, ad quod interna sanctitas desideratur, puta cum recipiendum aut ministrandum est aliquod Sacramentum. Cum enim præceptum affirmativum aliquo tempore obliget, nullum certe assignari potest, quo magis præceptum illud implere debeamus. Quantaquanta porro sit istius præcepti necessitas, illud tamen improbabile mihi semper visum est, quod nonnullis doctoribus, et in iis Scoto et Gabrieli placuit, præceptum istud diebus festis, et potissimum Dominicis urgere specialius, cum illius mandati nullum jus afferri possit. Licet enim corporalis quies, et bonorum operum, orationis præsertim praxis nobis divino et ecclesiastico præcepto diebus festis præcipiatur, ut Deo vacare possimus ; præceptum tamen illud implet qui ab operibus servilibus cessans actibus religionis incumbit, tametsi finem Legislatoris, qui sub præceptum non cadit, minime assequatur : alioquin cum finis legis omnis sit caritas, et finis imperati jejunii sit elevatio mentis in Deum, præceptum nullum impleret, qui propter Deum summe dilectum mandata cætera non servaret ; nec legi jejunii satisfaceret, qui diebus Quadragesimæ sacris ad Deum contemplationibus mentem non attoleret. Nec opponas illud Levitici cap. XVI : *In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini : Sabbatum enim requietionis est, et affligetis animas vestras religione perpetua.* Et cap. XXIII : *Affligetis animas vestras, omne opus servile non facietis in tempore diei hujus : omnis anima quæ afflicta non fuerit in die hac, peribit de populo suo.* Non, inquam, illa opponas,

non solum quia lex vetus abolita est, vimque obligandi ea solum parte habet, qua Legis naturæ præcepta continet: sed etiam quia lex illa de certo quodam die festo, nimirum propitiationis loquitur, in quo Sacerdos semel in anno pro peccatis populi peculiares ad Deum orationes fundebat, hostiasque expiationis mense septimo offerebat, cui Legi annuæ confessionis præceptum successit, ut quod nunc Ecclesia semel in anno facit, in vetere illo populo, cui omnia in figuris contingebant, præsignaretur. Porro nullibi exstat lex, quæ hanc singulis festis, et Sabbatis afflictionem præscribat.

Dices tertio: Si daretur speciale de contritione præceptum, opus esset de singulis peccatis singulari pœnitentia dolere, cum sit par de singulis ratio. At præceptum non est, quo homo pluribus criminibus involutus totidem elicere contritionis actus teneatur. Ergo nullum exstat speciale de contritione præceptum.

Respondeo illud in difficultate hocce argumento indicata certissimum esse, non mediocriter ad pœnitentiæ perfectionem conferre, si ad singula mortalia crimina proprium contritionis, distinctumque dolorem adhibeamus; ita enim Ezechias apud Isaiam cap. XXXVIII. contritionem describit, cum ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Etenim recogitare omnes annos, ut Catechismus Romanus interpretatur, est sigillatim peccata excutere, ut de eis ex animo doleamus. Sed apud Ezechielem quoque cap. XVIII. scriptum legimus: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet.* Hinc per « discussionem, collectionem, et detestationem recogitantem peccata in amaritudine animæ suæ, » parari contritio dicitur in Tridentino sess. 14 cant. 5. Hac etiam de causa in sacris Litteris pœnitentia *judicium* nominatur. Ezechiel. XVIII: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, et fecerit judicium;* Psalm. CXVIII: *Feci judicium et justitiam.* Ut intelligeremus, quod, sicut judex, cui est judicandi auctoritas demandata, reorum delicta inquirit atque examinat speciatim, ut juxta culparum modum sit moderatio pœnarum; ita peccatores, ut pœnitentis munus fideliter exequantur, non debent esse contenti peccata si solum in genere detestentur, sed seipsos serio interrogantes singularia debent expendere peccata, ut ex qualitate culparum imponant sibi doloris et pœnitentiæ modum. Sic Apostolico parebunt monito, quod tradit I. Cor. XI: *Probet seipsum homo.* Sic pœnitentem Davidem imitabuntur, Psal. LXXVI. aientem: *Recogitavi dies antiquos, et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum.* Vel, ut Augustinus legit, « *scrutabar spiritum meum,* » id est, ipse « exponit, seipsum interrogabat, seipsum examinabat, in se judex erat. » Consentiunt huic veritati sancti Patres. « Consideret peccator, » inquit Augustinus, vel auctor libri *de vera et falsa Pœnitent.* c. 9. 14. et 17, « qualitatem criminis in loco, in tempore, in varietate personæ. Versum puto, qui dolet de crimine; conversum qui dolet de omni ejus, quam exposuimus, varietate. » Adstipulatur Chrys. in fine lib. 1 *de Contrit. cordis,* ubi: « Hoc est, » inquit, « quod exposcitur a nobis, ut semper recordemur mala nostra, et ad animum revocemus, et conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, ut pro iis supplicemus Deo. Oportebat nos semper (addit libro 2. circa finem) non solum scire exomologesin, et confiteri, quia in nobis multa delicta sunt; verum et unumquodque peccatum, et majus, et minus, quasi in libro, ita in corde nostro habere descriptum, idque frequentius recognoscere, atque ante oculos ponere, et tanquam hæc nuper admissa lugere. » Sed adhuc manifestius hom. 4. *de Lazaro,* circa finem: « Singulis horis et diebus renovemus apud nos hoc judicium, sententiam adversus nos ipsos feramus, omnique modo conemur confiteri Deo. Nam si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur a Domino. Ut igitur nec puniamur, nec pœnas demus, in suam quisque conscientiam ingrediatur, vitamque explicet, cunctisque commissis diligenter excussis, condemnet animam quæ hæc patravit, puniatque cogitationem, affligat, crucietque suam ipsius mentem, supplicium a seipso exigat pro peccatis. »

Videri etiam debet Magnus Gregorius lib. 4. *Moral.* cap. 17. et lib. 8. cap. 11. Priori enim loco sic scribit: « Dum ad mentem male gesta pœnitendo reducimus, gravi mox mœrore confundimur; perstrepit in animo turba cogitationum, mœror conterit, anxietas devastat, in ærumnam mens vertitur, et quasi quodam nubilo caliginis obscuratur... Nam dum peccatum quisque quod fecit intelligit; dum pravitatis suæ nequitiam subtiliter pensat, mœrore mentem obnubilat, et

quasi concusso serenæ lætitiæ aere, omnem in se tranquillitatem cordis pœnitentiæ turbine devastat. » Posteriori vero sic habet Doctor sanctissimus : « Confabulabor cum amaritudine animæ ; pavore namque divini judicii afflicti, dum quædam male gesta plangimus, ipsa vi nostræ amaritudinis ad discutiendos nos vigilantius excitati, alia in nobis etiam quæ amplius defleamus invenimus. Nam sæpe quod torpentes latuit, flentibus subtilius innotescit : et afflicta mens certius invenit malum quod fecerat, et nesciebat, eique rixa sua verius aperit, quantum a veritatis pace deviavit ; quia reatum suum, cujus secura non meminit, hunc in se commota deprehendit. Succrescens quippe amaritudo pœnitentiæ, verecundanti cordi importune ingerit illicita quæ commisit, districtum contra hæc judicem ostendit, suppliciorum minas incutit, pavore animam ferit, pudore confundit, motus illicitos increpat, quietem noxiæ securitatis turbat. Quæ ei Conditor bona contulit, quæ ipse bonis ipsius mala rependit, enumerat ; quod mire ab eo conditus, quod gratuito nutritus, quod rationis substantia in conditione ditatus est ; quod conditoris gratia vocatus, quam sequi ipse et vocatus noluit ; quod vocantis misericordia, nec surdum hunc, renitentemque despexit ; quod illuminatus donis, quod sua sponte pravis actibus etiam post dona cæcatus est ; quod a cæcitatis suæ erroribus paternæ sollicitudinis flagellis expiatus, quod a flagellorum doloribus ad salutis gaudia misericordiæ medicamento reductus est, quod quibusdam culpis, etsi non gravibus, subditus, peccare tamen et inter flagella non desinit ; quod peccatorem suum superna gratia nec contempta derelinquit. Cum igitur afflictam mentem modo per replicationem donorum, modo per improperia actionis suæ tanta severitate increpat, habet in corde justorum amaritudo animæ linguam suam, quæ tanto eis subtilius loquitur, quanto et interius auditur. » Hactenus Gregorius, cujus verba longiuscula licet, referre visum est, quia modum excitandæ contritionis piis omnibus pernecessarium egregie declarant.

Quamvis autem hæc ita sint, non arbitror tamen necessarium, ut ad singula peccata mortalia totidem singulares et individuæ contritiones requirantur speciei vel numero peccatorum correspondentes, cum uno eodemque actu de multis specie, numeroque peccatis conteri valeamus. Debet quidem homo singula quæ commisit peccata inspicere, inspiciendo deflere ut ea detestetur quæ confessione aperit, ne ficta sit fraudulentaque confessio, ut cuncta destruat, pro cunctisque satisfaciat quæ patravit : sed ad hoc tamen unica contritio sufficit, si ad cuncta feratur. Et hæc est genuina S. Thomæ sententia, qui eatenus specialem atque distinctam ad salutem et conversionem desiderat pœnitentiam, quatenus præter generalem, confusamque contritionem, qua peccatorem se fuisse dolet pœnitens, de singulis insuper peccatis ad memoriam revocatis, dum saltem per angustiam temporis licet, unica contritione peccata singula post accuratum examen sibi ante oculos mentis expansa detestatur. « In tempore præcedenti justificationem, » inquit Doctor sanctus 1. 2. quæst. 113. art. 5. ad 3 : « Oportet ut homo singula peccata quæ commisit, detestetur, quorum memoriam habet. Et ex tali consideratione præcedenti subsequitur in anima quidam motus detestantis universaliter omnia peccata, inter quæ etiam includuntur peccata oblivioni tradita : quia homo in statu illo sic est dispositus, ut etiam de his quæ non meminit, contereretur, si memoriæ adessent. » Quod et repetit 3. p. quæst. 87. art. 1. his verbis : « Ad remissionem peccati mortalis requiritur ut homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, ut scilicet quantum in ipso est, diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. » Et ratio a priori horum omnium est, quia vera contritio eo motivo cietur, quo excluditur omne peccatum, cum de peccato, ut est injuria Deo illata, et per pœnitentiam sarcienda doleat. Ergo unica contritio singula peccata delet, nullumque compatitur, si sincere una ratione injuriæ Deo illatæ singulis peccatis communi moveatur. Quod usqueadeo verum esse existimavit S. Doctor, ut quæst. 28. *de Verit.* art. 5. ad 4. scripserit, sine speciali peccatorum recogitatione justificationem posse contingere, si præcedat vel sequatur memoria peccatorum, pro quibus satisfaciendum est : « Ad justificationem » (verba sunt ejus) « non requiritur, quod in ipso justificationis momento aliquis de peccatis singulis cogitet. Recogitatio autem singulorum peccatorum debet vel præcedere, vel saltem sequi justificationem. »

Secunda Pœnitentiæ pars, Confessio.

Confessionem esse partem sacramenti Pœnitentiæ, definit Tridentinum sess. 14. can. 4 : « Si quis negaverit, » inquit, « ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, et satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit. » Et can. 6 : « Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam jure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit. » Quam veritatem non solum ex perpetuo Ecclesiæ usu, cujus initii nulla memoria habetur, sed etiam ex Patribus sacrum Concilium accepit. Nam confessionis auricularis meminit S. Dionysius epist. 8. *ad Demophilum*, et Origenes hom. 1. et 2. *in Psal.* XXXVII. et hom. 10. *super Numeros*, et Tertullianus initio hujus dissertationis relatus, ex lib. *de Pœnitentia*, quam vocat, « disciplinam prosternendi et humilificandi homines, » quave « presbyteris advolvimur, et charis Dei adgeniculamur. » Et Irenæus lib. 1. *adversus hæreses*, cap. 9. et lib. 3. cap. 4, ubi exomologesin seu peccatorum confessionem commendat. Et Cyprianus serm. 5. *de Lapsis* : « Apud sacerdotes Dei dolentur et simpliciter confitentur, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt. » Et paulo post : « Confiteantur singuli, quæso vos, fratres, delictum suum, dum adhuc qui delinquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per Sacerdotem apud Dominum grata est. » Et Basilius in *Regulis brevioribus*, regula 228 : « Iis, » inquit, « peccata aperire debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. » Et Ambrosius lib. 2. *de Pœnit.* cap. 6 : « Si vis justificari, fatere delictum tuum; solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum. » Et Augustinus lib. 50. *Homiliarum*, hom. 41. hortatur Christianum abstinere a peccatis : « Quia, » inquit, « si ad ultimum vitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo et Sacerdoti peccata sua confiteri poterit. » Et homil. 49. cap. 3 : « Nemo sibi dicat : occulte pœnitentiam ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est, quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo. Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei. Frustramus Evangelium Dei : frustramus verba Christi. » Et Chrysostomus, qui lib. 2. *de Sacerdotio*, docet debere « ultro sibi persuadere Christianos, Sacerdotum curationi sese submittere oportere. » Et lib. 3. cap. 5. et 6. aperte, uti supra retulimus, docet omne judicium suum Sacerdotibus Christum contulisse, eisque animæ sordium purgandarum potestatem esse concessam. Id etiam in plerisque veteribus Conciliis definitum est, quorum syllabum recensere prolixum esset.

Quare intolerabile est Calvini mendacium, quod contra omnem veritatis speciem in suo Tridentini supra omne venenum pestifero antidoro scripsit, nullum scilicet per annos mille fuisse in Ecclesia Confessionis usum, « donec, » inquit, « Innocentius III, cum pauculis cornutis bestiis laqueum hunc populo Christiano induxit, quem Tridentini Patres adstringunt » O damnandæ vocis temeritatem ! o hominis post hominum memoriam, impudentissimam audaciam ! o stultiloquium satis nunquam animadvertendum ! Itane tandem sterquilinio, mille ducentorum Patrum Lateranensium augustissimam coronam, » pauculas cornutas bestias, » appellare licebit ? Hæccine flagitia evomere, hæc effutire indigna homine bene morato ? Sed de hæresiarcha bonorum extortore, legum omnium contortore finem faciam dicendi mihi, peccandi licet ipse de se finem non fecerit. Maxime cum ejus mendacium his sancta Synodus loci citati cap. 5. verbis contriverit : « Cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata ; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque a Patribus in concilio Lateranensi congregatis initium habuisse docere non verentur. Neque enim per Lateranense concilium Ecclesia statuit, ut Christi Fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat ; sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis perve-

nissent, impleretur. Unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimæ. Quem morem hæc sancta Synodus maxime probat et amplectitur tanquam pium et merito retinendum. » Irrideret, scio, sacratissimæ Synodi voces morosissimus et supra Luciferum superbus hæresiarcha : sed ad hæc Augustini verba hom. 50. quid responderet non tam hominis quam belluæ petulcitas : « Cum ipse » (peccator) « in se protulerit severissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam » (qua nimirum judicat se indignum participatione Corporis Domini) « veniat ad Antistites, per quos illi claves in Ecclesia ministrantur ; et tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito a propositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum. » Quid ad hæc Gregorii fulmina, lib. 3. *in I. Reg. cap.* v : « Afflictionem illam pœnitentiæ ad delenda peccata tum demum idoneam, cum sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus ei decernitur afflictionis. » Ratio vero theologica hujus catholicæ veritatis a sacro Tridentino mox relato capite tradita est. Ubi ex institutione sacramenti Pœnitentiæ legitime concludit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem. Cum enim Christus Dominus sacerdotibus suis vicariis remittendorum retinendorumque peccatorum facultatem eximiam tradiderit, atque proinde judiciariam de peccatis sententiam ferendi potestatem contulerit, liquido et veluti sponte sua ex eo præcepto detegendorum sacerdoti peccatorum obligatio cunctos fideles astringens fluit, et non fluere revera non potest. Quomodo enim causam incognitam judicabunt constituti a Deo ministri ? Quomodo in pœnis pro modo et gravitate peccatorum injungendis æquitatem servare poterunt æqui prudentesque judices, si in genere duntaxat, et non etiam in specie et sigillatim peccata sibi declarata pernoscant ? Quomodo ignorata vulnera, latentesque morbos eo periculosiores quo occultiores, spiritales medici curabunt ? Ergo admissa remittendorum retinendorumque peccatorum sacerdotibus concessa facultate (non admitti porro non potest ab admittentibus Evangelium) et una necessitatem confessionis pernegare, est in media luce voluntarie cæcutire : lumine enim naturali, quod obscurare hæresis quidem potest, extinguere certe non potest, manifestum est, non posse æquos judices de peccatis sibi ignotis ferre judicium; nec scire illos posse, utrum solvere debeant, an ligare; remittere, an retinere, nisi judicantibus delicta patrata innotescant. Certe qui finem necessarium instituit, media etiam præfinivit quæ sunt ad finem illum necessaria, nisi velimus Legislatorem imprudentem in necessariis deficiendo extitisse. Ergo ex potestate clavium ministris Evangelicis concessa, peccata confitendi necessitas invicte demonstratur ; frustra enim Christus Apostolis eorumque successoribus claves regni cœlorum contulisset, si aliunde quam per illas claves pateret cœlestis januæ introitus, ut Augustinus superius laudatus hom. 49. argumentatur. Aliter enim nullus plane clavium usus in Ecclesia videbitur; ac frustra is, cui clavium potestas data est, quempiam cœli aditu prohibebit, si tamen alia via introitus patere queat. Ergo, ut locum aliquem munitum ingredi nemo potest sine ejus opera cui claves commissæ sunt : sic nullus admittetur in cœlum, nisi fores a sacerdotibus, quorum fidei claves regni Dominus credidit, aperiantur.

Dices : Confessionis necessitatem Patres antiquissimi inficiati sunt. Nectarius enim Archiepiscopus Constantinopolitanus, Gregorii Nazianzeni successor et Chrysostomi antecessor, confessionem quæ Sacerdotibus fit, abrogavit, ut lib. 9. *Historiæ tripartitæ*, cap. 35. ex Sozomeno refertur, et videri potest Socrates lib. 5. cap. 19. ac Sozomenus lib. 7. cap. 16. Eam autem non abrogasset, si sacramentalis confessio medium esset ad salutem necessarium; in mediis enim ad salutem necessariis nemini patrocinatur ignorantia. Admittitur quidem in hujusmodi mediis excusatio ne homo peccet, quando sine culpa desunt; non admittitur tamen ut sine illis homo salvetur. V. g., quia fides Christi est ad salutem necessitate medii necessaria, etsi ille qui non audivit Evangelii prædicationem, non peccet ex eo quod in Christum non credit; vitam tamen æternam minime consequetur, quæ sine fide Christi, sicut nec sine baptismo, a nullo unquam obtinebitur. Nectarii successor Chrysostomus confessione coram uno Deo facta contentus fuit, sacramentalis confessionis usum reliquit arbitrarium hom. 2. *in*

Psal. L : « Peccata tua dicito, » inquit, « ut deleas illa : si confunderis alicui dicere qnia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua ; non dico ut confitearis conservo tuo qui exprobret, dicito Deo qui curat ea. » Et in oratione *de Beato Philogonio :* « Ego testificor, » ait, «ut si quisque nostrum recedens a pristinis malis ex animo vereque promittat Deo, se postea nunquam ad illa redituruni, nihil aliud Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem. » Idem docere videtur in serm. *de pœnit. et confess.* et hom. 20. *in Genesim*, et hom. 31. *in epistolam ad Hebræos.*

Respondeo Melchiorem Canum relectione *de pœnitentia*, part. 5. mihi 897. fateri Nectarium Chrysostomi antecessorem confessionem secretam de medio sustulisse, Novatianorum pœnitentiæ hostium, quos sibi in rebus fidei consiliarios, teste Socrate, frequenter adhibebat, fraudibus deceptum. Cui succedens Chrysostomus de confessione auriculari verba facere noluit, eamque noluit statim restituere, ne apud populum, apud quem nondum sedatum erat scandalum per occasionem secretæ confessionis exortum, turbæ concitarentur. Nec propterea tamen inde confessionem eliminandam subinferre modernos hæreticos jure merito posse, quia quemadmodum baptismus non statim a passione Christi cœpit esse medium omnibus ad salutem necessarium, sed duntaxat post sufficientem Evangelii baptismique evulgationem ; ita confessionis Sacramentum ex eo tempore cœpit omnibus hominibus esse necessarium, quo fuit sufficienter promulgatum : unde non mirum, si Græci, nondum explorata et clare definita confessionis necessitate, eam abjecerint. Verum tanti Magistri, cujus veneratione nihil mihi antiquius, venia dixerim, eum non satis aculate locum illum *Historiæ tripartitæ* inspexisse ; nec meam ingenuitatem improbaret Canus, qui eam in dicendo et propriam privatamque sententiam tuendo libertatem in Magistro suo Francisco Victoria tantopere commendavit, tum in ejusdem relectionis parte 4. fere a principio, tum initio libri duodecimi *de Locis*, qui, ut ipse ait, nihil pugnaciter pertinacique contentione defendere solebat, sed suam interim sententiam libere tueri, eamdem postea simili libertate retractaturus, si melior forsitan opinionis adversæ ratio succurrisset. Hanc eruditissimi viri modestiam imitari avens Canus : « Si minus, » inquit, « imitatione tantam ingenii præstantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus, magistrumque conamur exprimere. In hoc enim sumus docti, prudentes, facundi, si has egregias dotes animi moderatio comitetur : et parum valet ingenium, quamlibet exellens et eximium, nisi definita animi moderatione gubernetur. »

Quare locum illum historiæ tripartitæ subtilius pervestigavit Joannes Hesselius, et ipse eximius theologus, qui in sententia sua de hoc Sozomeni loco Patribus Tridentini exhibito, erudite ex ipso contextu ostendit, a Nectario non articularem confessionem, sed ejus appendicem quamdam, publicam nimirum peccatorum recitationem, vel publice impositione pœnitentiæ indicationem, qua peccatum nobilis matronæ cum Diacono patratum pervulgatum fuerat, prudenter fuisse sublatam, quæ juxta ejus temporis morem a quodam instituto Pœnitentiario coram universo populo veluti in theatro fiebat. « Visum est antiquis Pontificibus » (verba sunt Sozomeni) « ut velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur ; et ad hanc causam presbyterum bonæ conversationis, servantemque secretum, ac sapientem virum statuerint, ad quem accedentes ii, qui deliquerunt, delicta propria fateantur. »

Nec obest, ibi Sozomenum asserere, presbyterum illum debere esse « servantem secretum », unde de confessione occulta loqui illum infert Canus, quia si non essent occulte recitata peccata, non oporteret servare secretum. Non, inquam, obest ; quia, licet occulte peccata presbytero exponerentur, peccatoribus tamen publica et nota pœnitentia veluti e theatro imponebatur ; unde ne graviora scelera patefacta pœnitentia patefierent, neve detrimentum externum lapsis importaretur, voluerunt Patres presbyterum illum esse discretum, et secreti in impositione pœnitentiæ tenacem : quia tamen id difficillimum erat, si præsertim more illius temporis servarentur canones pœnitentiales, ideo solemnem illam pœnitentiæ impositionem, publicæ peccatorum recitationi interdum fieri solitæ æquivalentem Nectarius, aliique deinde Pontifices abrogarunt.

Ad cujus evidentiam sciendum, canones in primitiva Ecclesia servari solitos pœnas etiam externas pro diversitate criminum

præscripsisse. V. g., Clericos in fornicationem lapsos ab executione Ordinum Canones antiqui suspendunt, eosque in sortem laicorum redigunt, ut patet in constitutionibus Apostolicis can. 24 et can. 9. Neocæsareensis Concilii et Basilii Magni can. 3. 32. 51. 68. Aliæ etiam pœnæ aliis sceleribus præscribebantur; unde Pœnitentiarius ille pœnitentes designatos propalam in locis pœnarum statuebat (varia quippe loca, et variæ pœnitentiæ in illis primitivis fervoribus delinquentibus erant præscriptæ) unde pœnitentium peccata facile vulgabantur. Hinc Basilius de uxoribus adulteratis et peccatum suum confitentibus canonem in ordine trigesimum quartum edidit in hæc verba : « Adulteratas mulieres, et pio animo ob timorem futuri judicii confitentes publicare Patres nostri prohibuerunt, ne confessis mortis causam præberent. » Ubi « publicare » ex græco, non hoc significat, ut optime Arcudius post Zonaram et Balsamonem exponit, quasi licitum unquam fuerit sacerdotibus peccata in confessionem excepta divulgare ; sed pro eo accipitur quod est in locis pœnarum secreto confessos statuere. Exempli gratia secundum 58. Basilii canonem adulteri quatuor annos cum flentibus stabant, quinque cum audientibus, et duos cum iis qui communione orbabantur. Qui ergo vidisset alicujus uxorem extra divinos Ecclesiæ ambitus ex prescripto Pœnitentiarii, quantumvis alioquin « secretum servantis », ut loquitur Sozomenus, profecto absque laborioso discursu intellexisset, eam illi peccatrici ob adulterii crimen pœnam esse injunctam. Nectarius ergo, Chrysostomus, et alii deinde Præsules publicam confessionem, et publicam etiam pro peccatis occulte confessis pœnæ impositionem ab Ecclesia arcendam esse censuerunt, ne gravia inde fidelium scandala vel detrimenta pœnitentium sequerentur. Hinc Magnus Leo epist. 80 tum ea præcavens damna quæ ex hujusmodi publicatione per se nasci solent, tum timens ne hac praxi ex fervore et plenitudine fidei aliquando frequentata multi a pœnitentiæ remediis arcerentur : « Illam, » inquit, « contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri : ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta... Sufficit enim illa confessio qui primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. »

Hæc non improbabiliter et ad solutionem argumenti abunde dicta fuerint. Si tamen veritatem penitus indagemus, aliquid certius et ad profligandam Calvini audaciam fortius occurret. In primis cum Socrates ejusque exscriptor Sozomenus Novatianorum pœnitentiæ hostium juratorum errorem sectati sint, quis in materia pœnitentiæ quam ad nihilum redigere volebant, inimicis pœnitentiæ fidem indubiam dabit? Quis ex hæreticorum suspectissimo testimonio, et in hoc potissimum articulo in quo singularis eorum hæresis sita erat, fidem Ecclesiæ Catholicæ non nisi iniquissime adorietur? Certe nullus, nisi fuerit in Ecclesiastica historia peregrinus, ignorare potest Socratem et Sozomenum fide græca, id est suspectissima, litteris commendasse apertissima mendacia, quorum specimen dat auctor modernus dominus Armant in opere aureo et accurato vitæ Chrysostomi. Si in alienis et per se indifferentibus magnifica compertaque mendacia venditarunt, quanto magis indulsisse illos pro domo sua, seu pro cardinali suæ hæreseos capite falsis narrationibus instillandis credendum est? Ipsa etiam Socratica narratio mendaciis scatet : unum seligo omnibus in meridie non cæcutientibus manifestum.

Etenim falsissimum est, praxim illam constituendi presbyterum super pœnitentes, sive privatos sive publicos, tum incœpisse, cum Novatiani ab Ecclesia sunt divisi, quod nollent communicare cum his qui deliquerant sub persecutionibus imperatoris Decii, ut Socrates ait. Etenim longe ante illum Novatianorum schismatis prætextum, regnante Alexandro Severo, et florente Origene praxis illa vigebat, ut patet ex hom. 2. Origenis *in Psalm* CXVII, ubi sic habet : « Oportet peccatum non celare intrinsecus : fortassis enim sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut aliquid humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste imminentia, si vomuerint relevantur ; etiam hi qui peccaverint, si quidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum atque

omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam : ut ita demum si quid ille dixerit, qui se prius eruditum medicum ostenderit et misericordiam, si quid consilii dederit, facias et sequaris. Si intellexerit et præviderit, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari, ex quo fortassis cæteri ædificari poterunt, et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, et satis perito medici illius consilio procurandum est. »

Hoc illustri Origenis testimonio non solum evanescit impostura Socratis, qui praxim confessionis, sive privatæ, sive publicæ, a tempore persecutionis Decii vigere incœpisse scripsit, sed etiam multa hinc elicere est ad revincendos modernos hæreticos, præsentemque difficultatem enodandam peropportuna. In primis enim clarum est, confessionem sacramentalem et privatam verbis illis apertissime declarari, quibus docet peccatori quærendum diligentius esse medicum, « cui debeat confiteri peccatum suum, cui debeat causam languoris exponere. » Arrige aures, Calviniane : itane confessio vigere cœpit a tempore concilii Lateranensis sub Innocentio III ?

Secundo perspicuum etiam est in quibusdam casibus sacerdotes post exceptam peccatorum confessionem secretam, pœnitentes interdum obligasse ad exponendum in conventu totius Ecclesiæ peccati languorem. Hic mos Constantinopoli Nectario eam Ecclesiam regente frequentabatur ; hinc Pœnitentiarius Constantinopolitanus post audita nobilis matronæ delicta, quorumdam ei peccatorum publicam recitationem in pœnitentiam imposuit, ut illa salutari pudore suffunderetur. Hæc pœnitentiæ impositæ limites transiliens, turpem cum ejusdem Ecclesiæ Diacono congressum propalavit. Hinc turbæ, hinc scandala, hinc populum contra Clerum queritari, clamitare, et vehementer offendi. Quibus ut malis Nectarius mederetur, publicam illam peccatorum recitationem vel penitus, vel certe ad tempus abolevit. Dico, « certe ad tempus ». Nam tempore S. Leonis Magni morem illum in quibusdam Ecclesiis fuisse Nectario superstite ex præfati Leonis epistola 80. ad universos Episcopos per Campaniam. Samnium et Picenum constitutos scripta constat, cujus verba superius retulimus. Cæterum nunquam abrogatam fuisse in Ecclesia Græca confessionem sacramentalem, patet ex pervetustis Ecclesiæ Orientalis ritualibus, quos doctissimus P. Joannes Morinus publici juris fecit.

Illud denique diligenter observandum et cavendum est, ut ne confessionem publicam cum pœnitentia publica confundamus. Publicam confessionem, etsi eam in nonnullis ultro et prompto animo ob peccata publica sua suscipientibus tolerarit permiseritque raro Ecclesia, nunquam tamen eam absolute probavit, nunquam etiam publicam pœnitentiam acturis imposuit. Quia, ut ex Magno Leone alias diximus, « sufficit reatus conscientiam solis sacerdotibus indicari confessione secreta ». Publicam vero pœnitentiam etiam in privatorum et occultorum criminum vindictam viguisse, testatur Ambrosius lib. 1. *de Pœnit.* cap. 16 : « Si quis, » inquit, « occulta crimina habens .... volo veniam reus speret, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, » et cætera quæ alibi retulimus. Idque ex Tertulliano, Chrysostomo, aliisque Patribus patet.

Et hoc modo intelligendus venit Chrysostomus, quod ipsa contextus verba subindicant, cum eam tantum confessionem non consulat, ex qua erat opprobrium pœnitentibus nasciturum : « Non dico, » inquit, « ut confitearis ea conservo tuo, ne exprobret. » Quod apertius ostendit hom. 4. *de Lazaro*, ubi et alludit ad consuetudinem illam adducendi peccatores in publicum theatrum : « Cave homini dixeris, ne tibi exprobret. Neque enim conservo confiteris ut in publicum proferas.... Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes. »

Observat etiam erudite Arcudius libro 4. cap. 2. quod, quando Chrysostomus soli Deo ait exponenda peccata, ipsi soli explicanda vulnera, ab eoque pharmaca postulanda, non excludit propterea ministrorum peccata sibi exposita judicantium sententiam, quam infinitis locis vir divinus non solum commendat, sed ad cœlos usque supra Angelicam potestatem evehit, ut de Sacramento Ordinis agentes referemus ; sed quia concursus causæ instrumentalis non impedit quominus effectus causæ principali unice

asseratur, ideo quod ministris exponitur, quod ministrorum opera fit, uni Deo Sacramentorum præcipuo auctori jure merito ascribit. Sicut ergo propter hanc rationem de Eucharistia loquens hom. 50. *in Matth.* ait : « Cum Sacerdotem videris tibi exhibentem, ne sacerdotem id facere putes; sed Christi manum esse existima, quæ se extendit. Minister enim est sacerdos. » Quod et confirmat exemplo Baptismi his verbis : « Quemadmodum quando baptizat sacerdos, non ipse te baptizat, sed Deus est.... Ipsius solius est donum. » Ita in eodem plane sensu soli Deo asserit recitanda peccata, ab eoque solo vulnerum curationem flagitandam; quia sicut qui baptizat, non ut homo et conversus, sed ut Christi nomine baptizat, ita et eodem nomine peccata remittit. Noverat enim vir in sacris Litteris versatissimus, secundum consuetudinem Scripturarum nonnunquam hominem tum agere cum agit, ubi Deus causa est agendi præcipua. Hinc Exodi x : *Nec contra nos est murmur vestrum*, ait Moyses, *sed contra Dominum :* tametsi paulo ante dictum sit : *Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaron ;* quippe qui personam Dei gerebant. Et I. Reg. VIII : *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos,* dixit Dominus ad Samuelem, loquens de populo illius vices Dei gerentis imperium detrectante. Et Princeps Apostolorum Act. v. Ananiæ agri divenditi pretii partem sibi servanti dixit : *Non est mentitus hominibus, sed Deo.*

Cæterum confessionem sacerdoti factam, qua patefiant errata, quave pro varietate peccatorum satisfactiones et mulctæ imponantur, variis locis, sed nominatim in præclaris *de Sacerdotio* libris apertissime docuit his aureis verbis, et quæ a sacerdotibus observentur dignissimis : « Non simpliciter pro delictorum modo pœna infligenda est, sed delinquentium simul spectantus est animus ; ne cum vis rupturam sarcire, deteriorem eam facias ; et cum erigere prostratum studes, graviorem casum efficias. Imbecilles enim ac dissoluti, quique majori ex parte mundi deliciis dediti sunt, præterea etiam generis nobilitate ac potentia gloriari possunt, sensim quidem ac leniter ad bonam frugem se colligentes possunt, et si non perfecte, saltem ex parte a malis liberari, quibus detenti sunt. Quod si quis nimia disciplinæ severitate utatur, minore etiam eos disciplina et emendatione privabit. Nam postquam animus pudorem deposuerit, in desperationem cadit, nec blandis cedit admonitionibus in posterum, nec minis deterretur, nec beneficiis incitatur, verum multo pejor redditur ea civitate, quam vituperans Propheta dixit : *Frons meretricis facta est tibi, desiisti erubescere apud omnes.* Quamobrem pastori multa opus est prudentia, et oculis innumerabilibus, ut undique circumspecte animæ habitum intueatur. Quemadmodum enim animum despondent multi, et in salutis propriæ desperationem cadunt, quod acerbiora remedia perpeti non potuerint : sic sunt alii, quibus quod par delicto pœna non irrogatur in contemptionem convertuntur, et multo fiunt deteriores, ut gravius quandoque peccent. Horum igitur nihil inexploratum relinquendum, sed exacte omnia perscrutando adeunti conveniens emendatio adhibenda, ne frustra se laborasse comperiat. » Non potest autem « spectari animus », nec « innumerabilibus oculis undique animæ habitum intueri » valet sacerdos, nec « omnia scrutari », nisi interiores ægri animi recessus confessione pandantur. A ium non minus egregium Chrysostomi locum in responsione ad proxime sequentem objectionem referemus.

Denique quando Chrysostomus variis locis auditores hortatur ut peccata Deo confiteantur, manifeste loquitur de quotidiano conscientiæ examine ab unoquoque bono Christiano singulis diebus constanter peragendo. Quin et confessionem sacramentalem satis iis in locis indigitat, est enim ejusmodi Chrysostomi sensus : Si erubescis peccata homini confiteri, si times conservo tuo privata aperire delicta, illa saltem non prætermittas coram Deo recogitare quotidie in amaritudine animæ tuæ, ab animoque tuo dictorum atque factorum singulis diebus rationem reposcere ; quia coram illo non confunderis fateri delicta, cujus oculi imperfectum tuum noverunt, nec est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, sed omnia nuda sunt et aperta oculis ejus. Hanc esse perspicuam et planam Chrysostomi mentem inde aperte colligitur, quod homiliæ illæ, unde Calvinistæ errorem suum confirmare nituntur, Antiochiæ a Chrysostomo dictæ sint, ubi abrogatam exemplo Nectarii confessionem sacramentalem nullus sanæ mentis dixerit.

Dices rursus : Sacræ Litteræ nobis alia sanandorum peccatorum remedia, ad eaque delenda efficacia, a confessione onerosa dis-

tincta subministrat. Nam amore Dei remitti peccata tradit Veritas Luc. VII : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et Princeps Apostolorum cap. IV. suæ primæ : *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Martyrio etiam remittendorum criminum, et ad cœlum perducendi efficacitatem asserit Salvator, Matth. X : *Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo : et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Eamdem virtutem eleemosynæ ascribit Tobias cap. VIII. asserit et Christus Luc XI : *Eleemosyna*, inquit ille, *ab omni peccato et a morte liberat. Date eleemosynam*, inquit iste, *et ecce omnia munda sunt vobis.* Remissionem etiam peccatorum remittentibus privatas injurias Veritas spopondit, Matth. VI : *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester cœlestis dimittet vobis delicta vestra.* Sed id saltem contritioni cordis, et sinceræ pœnitentiæ denegari non potest, postquam Ezechiel. XVIII. dictum est : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Ergo gratis durum et permolestum, et vix infirmitati humanæ tolerabile confessionis onus imponimus, et conscientiarum carnificiam invehimus.

Respondeo, enumerata, illa virtutum opera ad pœnitentiam non parum conferre, pleraque etiam illorum desiderari, sed sine Pœnitentiæ sacramento divinitus instituto minime sufficere. Unde, sicut sine fide Christi explicita, sine lavacro regenerationis ; ita sine Pœnitentiæ sacramento in re vel certe in voto suscepto nemo lapsus salutem consequitur, quia sine mediis ad salutem divinitus constitutis nemo salvatur : unde, sicut nemo sine baptismate salvus efficitur, quantumvis sive occupatus circa res alias, sive oblitus baptismatis esse fingatur ; ita sine confessione voto saltem suscepta, quavis excusatione prætensa nullus salvabitur, quia sine clavibus non patet aditus januæ cœlestis. Hanc doctrinam præclare exponit os Chrysostomi aureum hom. 9. *in epist. ad Hebr.*, ubi quæ enumerata sunt, ad peccatorum remissionem juvare, et pœnitentiam ipsam munire docet ; sed illa tamen pietatis et compunctionis opera obsignare Sacerdotis absolutionem.

Verba Chrysostomi sunt hæc : « Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur in vobis Christus, attingamus tantum pœnitentiam. Nam vide Dei benignitatem et clementiam. Oportebat nos omni modo puniri.... et non solum non puniit, sed etiam bona impertit innumerabilia, idque perinde ac si res magnas et præclaras gessissemus : iterum lapsi sumus, et ne sic quidem punit, sed dedit medicamentum pœnitentiæ, quod sufficit ad delenda et abstergenda omnia nostra peccata, si modo viderimus cujusmodi sit medicamentum, et quomodo id sit applicandum. »

« Cujusmodi ergo medicamentum pœnitentiæ, et quomodo conficitur ? Primum ex suorum peccatorum condemnatione, et ex confessione. *Delictum*, inquit, *meum cognitum tibi feci, et peccatum meum non abscondi. Pronuntiabo contra me iniquitatem meam Domino, et ut remisisti impietatem cordis mei.* Et iterum : *Dic peccata tua prior, ut justificeris.* Et *: Justus est sui accusator in primo sermone.* Secundo ex multa humilitate ; est enim velut quædam catena aurea, et si initium acceperit, sequuntur omnia. Nam, si peccatum fueris confessus, ut oportet confiteri, fit humilis anima ; eam enim versans et agitans conscientia, efficit ut sit contracta. Oportet autem alia quoque addere humilitati, si talis sit qualem beatus David habebat dicens : *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Nam quod est contritum non exsurgit, non ferit, sed est paratum ad male patiendum, ipsum autem non exsurgit. Talis est cordis contritio ; etiamsi affecta fuerit contumelia, etiam male passa quiescit, nec concitatur ad vindictam. Post humilitatem vero opus est intensis precibus, multis lacrymis et interdiu et noctu. *Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis tratum meum rigabo : laboravi in gemitu meo.* Et iterum : *Quoniam cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.* Et post orationem adeo intensam multa opus est eleemosyna. Hoc enim est quod reddit admodum validum medicamentum pœnitentiæ et quomodo in medicorum adjumentis est medicamentum quod multas quidem capit herbas, sed unam quæ obtinet principatum : ita etiam in pœnitentia, ipsa est herba quæ principatum magis obtinet, et ipsa est universum. Audi enim quid divina dicat Scriptura : *Date eleemosynam, et omnia erunt vobis munda.* Et iterum : *Eleemosynis et fide mundantur peccata.* Et : *Ignem flammantem extinguet aqua, et eleemosyna compescet magna peccata.* Deinde non irasci,

neque injuriæ acceptæ meminisse, omnibus peccata remittere. *Homo homini*, inquit, *reservat iram, et apud Dominum quærit medelam? Remittite*, inquit, *ut remittatur vobis.* Et fratres ab errore convertere. *Vade*, inquit, *et converte fratres tuos, ut remittantur tibi peccata tua.* Et se in Sacerdotes ut convenit gerere. *Et si fecerit*, inquit, *quispiam, peccata remittentur ei.* » Vides in tam accurata medicamenti pœnitentiæ confectione non omisisse Chrysostomum confessionem, qua peccator se in sacerdotes ut convenit gerit, ut sibi peccata sacerdotis potestate remittantur.

Quod vero dicitur, præceptum illud confessionis durum esse et grave, respondeo cum Tridentino sess. sæpe memorata, videri id quidem posse, nisi tot tantisque commodis peccatorum detegendorum verecundia levaretur, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur. Etenim, ut recte prosequitur Catechismus Romanus, confessionis beneficio facilius peccatorum veniam obtinemus : peccata namque extra confessionem non nisi acri intensoque dolore, qui cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit, remitti possunt ; unde cum pauci admodum ad tantæ perfectionis gradum perveniant, a paucissimis etiam peccatorum venia speranda foret. At vero per confessionem faciliori ratione communi hominum saluti consultum est; nam etsi, quis eo profecto dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, modo tamen sincere in Deum convertatur dolens de præterito, cavens de futuro, vi clavium peccata remittentur et condonabuntur. Deinde nihil tam ad solatium animi conferre experimur, quam si interdum occultas animi cogitationes, facta, dictaque omnia prudenti et fideli amico patefaciamus, qui nos opera et consilio juvare possit. Quare ad eamdem rationem maxime salutare existimandum est iis, qui scelerum conscientia agitantur, ut sacerdoti tanquam Christi Domini Vicario, cui perpetui silentii severissima, et nullo unquam casu violanda lex imposita est, animæ suæ morbos quosvis, et vulnera, vulnerumque recessus ac sinus omnes aperiant. Præterea hac humili et clancularia peccatorum recitatione, multa inveniunt infirmi spiritales parata sibi remedia, quæ non solum præsentis ægritudinis sanandæ, sed etiam futuris prævacendis, vitandis præsertim recidivis opitulantur. Denique, aliis omissis, ex recto confessionis usu tota Christianismi reformatio pendet : si enim pœnitentes ea cordis contriti humiliatione accederent, si Confessarii convenientia apponerent medicamenta salutis, et moderante Christiana prudentia vinum cum oleo more Samaritani vulneribus apponerent vinum Ecclesiasticæ disciplinæ ne putrescant vulnera, oleum consiliorum, et paternæ, quin et maternæ teneritudinis curas, hac forti suavique temperatura totum Christianum orbem mutatum iri certissimum est. Illud etiam addo, quod, sicut quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis, et religionis in Ecclesia summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum est : ita ad Christianæ vitæ conjunctionem, societatem, et securitatem confessio magnopere juvat; non solum quia confitendi verecundia delinquendi cupiditati frena injicit, et licentiæ improbitatem vel cauterii ustione coercet ; sed etiam quia ejus frequentia occulta nefandaque scelera externis sæpe graviora cohibentur, quæ nulla exterior disciplina curare valet. Unde nihil mirandum est, si humani generis hostis fidem Catholicam funditus evertere cogitans, hanc Christianæ Religionis arcem, superædificatam super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, totis viribus per impietatis suæ ministros et satellites oppugnare conatur.

Tertia sacramenti Pœnitentiæ pars, Satisfactio.

Cum ex dictis constet satisfactionem esse partem integralem sacramenti Pœnitentiæ, evidens est, quod quemadmodum judicium in quo probatus reus sine mulctą absolvitur, perfectione caret, ita mancum et imperfectum est sine satisfactione Pœnitentiæ sacramentum : ergo necessaria est satisfactio, non solum illa quæ ex arbitrio pœnitentis proficiscitur, sed quæ est judicii sacramentalis complementum, quæve, ut ait concilium Florentinum, « secundum arbitrium Sacerdotis », imponitur. Debet tamen absolutionis beneficium votum satisfaciendi præcedere, quo se pœnitentes Ecclesiæ potestati subjiciant, ut juxta ejus arbitrium peccata compensent. Unde non est liberum pœnitenti impositam pœnitentiam prætermittere, alioquin frustra essent sacerdotes judices

divinitus constituti, si eorum sententiæ parere non esset necessarium : inanis quippe est illa judicandi auctoritas, imo et ridicula, et in nullos futura usus, quæ impune pro judicatorum arbitratu rejici potest, in eo præsertim judicio, quod non ad litigandum, sed ad vindicanda scelera institutum est. Certe, sicut judicibus necessarium est pœnam reis indicare, ne iniqui judices habeantur et sint ; ita judicium illud exequi peccatores tenentur, falsi pœnitentes ne videantur et reipsa sint. Quem enim, quæso, dolorem de peccatis, quem emendandæ vitæ animum ille habere potest, qui pœnitentiam a judice Dei locum tenente justam et æquam non acceptare vult, nec implere ? Quodnam cordis contriti et humiliati verum signum dabit, qui pœnam in compensationem injuriæ Deo factæ subire detractat ? Sicut ægrotus medico salubriter præcipienti parere nollens, nolle se sanari convincitur : ita nulla salutis spes infirmo spiritali inest, qui præscripta a sacerdote remedia curationis animæ negligit. Si in humanis justitiæ præpositis a Principe ad judicandum de criminibus delegatis obtemperare rei tenentur, quin si in privatis negotiis judicis vel arbitri propria voluntate delecti æquæ sententiæ non parere iniquum est, et judici injurium, qua æquitatis specie judici divina auctoritate constituto obedire reluctabimur ? Nonne sacri ministri sicut solvendi, ita et ligandi accepere potestatem ? At quæ tandem illa erit ligandi potestas, quam licet impune rejicere ? Quare, sicut sacerdotes, cum formam Sacramenti proferunt, vice Dei absolvunt ; ita cum mulctam pro peccatis indicunt, vice Dei ligant ; quorum proinde sententiæ non minus in ligando, quam in absolvendo eamdem habere vim censendæ sunt, ac si a Christo, cujus vicarii sunt, latæ fuissent. Quare probari mihi nunquam potuit sententia Scoti vel Cajetani, quorum ille nullum pœnitentem ad injunctam pœnitentiam acceptandam obligari asserit, tametsi semel acceptam implere teneri velit : iste vero existimavit, pœnitentem nec injunctam pœnitentiam acceptare, nec acceptatam implere teneri. A quorum sententia non videtur alienus Gabriel in 4. dist. 16. quæst. 2, ubi affirmat, quod quoniam pro peccato puniendo duo remedia sunt, alterum in hac vita per fructus pœnitentiæ, alterum in futura per peculiares purgatorii flammas, potest pœnitens negleeta injuncta pœnitentia eligere unam futuri sæculi satisfactionem. Sed hæ sententiæ non solum nulla ratione convenienti nituntur quæ accurate solvatur digna, sed, ut præmisimus, judiciariam ligandi potestatem omnemque satisfactionis rem et nomen ipsum de medio tollunt, et ad nihilum redigunt.

Quapropter præ oculis habenda est doctrina concilii Tridentini sess. 14. cap. 8, ubi satisfactionis necessitatem et fructus stabilit contra Novatores, qui culpam a Deo nunquam remitti, quin tota simul pœna absque satisfactionis ullius onere condonetur, affirmarunt. Quam orthodoxam veritatem tot illustribus Scripturarum exemplis et perpetua traditione satis perspicuam confirmat : tum primo, quia justitiæ ratio exigit, ut aliter a Deo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerunt ; aliter vero qui semel a peccati et Dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono scienter templum Dei violare, et Spiritum sanctum contristare non formidarunt. Tum secundo, quia divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in diem vindictæ. Tum tertio, quia et ad futura peccata præcavenda, et ad pravos habitus exstirpandos pœnitentia omnino necessaria est. Unde concludit : « Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones injungere : ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem : nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed ad ligandum concessas etiam antiqui Patres et credunt et docent. » Hinc can. 12. et 13. sic pronuntiant : « Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam

temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit. »

Eamdem satisfactionis necessitatem præclarissime illustrat Catechismus Romanus non solum præfatis Tridentini verbis, sed etiam quia manifestis Scripturæ locis constat, dimissa culpa non semper pœnam certo tempore defunctam remitti, ut patet clarissimo Davidis exemplo, cui etsi Nathan dixerat II. Reg. XII : *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris ;* attamen gravissimas pœnas ultro dedit, divinamque misericordiam noctu et interdiu inenarrabilibus lacrymis exoravit. Et adhuc post tantæ humilitatis pœnitentiam, eum tamen Dominus ultionum, tum filii ex adulterio suscepti morte, tum quem unice diligebat Absalonis rebellione et nece, tum antea illatis innumerabilibus calamitatibus mulctavit. Idem exemplo populi Israelitici claret, etsi enim Dominus Moysis precibus exoratus populo idololatriæ nefandum scelus pepercisset, minatus est tamen se tanti flagitii graves pœnas repetiturum esse : ipseque Moyses testatus est fore, ut illud Dominus severissime in tertiam et quartam usque generationem ulcisceretur, ut legere est Exodi XXXII. Accedit quod hujusmodi dolorosæ satisfactionis perpessione consequimur, ut capitis nostri Jesu Christi tantopere pro nobis in carne passi similitudinem et imaginem geramus : ut enim a S. Bernardo veridice scriptum est, nihil tam deforme videri potest, quam sub spinoso capite delicatum membrum vegetari. Nam, teste Apostolo, cohæredes sumus Christi, si tamen compatimur : et si commortui sumus, et convivemus ; si substinebimus, et conregnabimus. Ergo quemadmodum sanato vulnere, emissoque pute, cicatrices quædam remanent, quæ et ipsæ curandæ sunt, ita in anima, culpa condonata, purgandæ peccatorum reliquiæ supersunt : et, ut ait Chrysostomus, non satis est sagittam e corpore extrahi, sed plaga quoque a sagitta inflicta sananda est ; sic per contritionem extracto e corde peccati telo lethifero pœnitentiæ satisfactione, quæ superest plaga sanatur. Hinc ab Augustino *in Psal.* LXXX. dictum est, misericordiam et justitiam in pœnitentiæ tribunali obviare sibi, pacem et æquitatem se invicem osculari, misericordiam, quæ peccatorum maculas et illis debitas æternas pœnas condonat ; justitiam, quæ pœnis tempore definitis hominem punit.

Dices : Nequit homo pro pœna peccatis debita condigne satisfacere : tum quia homo peccando meretur pœnam æternam, quam nulla hujus vitæ pœna compensare potest : nam pretium ordinis inferioris, debitum superioris ordinis digna solutione sarcire non potest. Tum quia Christus passionibus suis pro nobis satisfecit : unde ne Christus gratis passus, gratis mortuus esse dicatur nullum pro peccatis suis hominem satisfacere posse dicendum est. Ergo inter partes pœnitentiæ falso enumeramus hominum pœnitentium satisfactionem, qua virtus crucis Christi evacuatur, et immensum satisfactionum Christi meritum obscuratur, et prorsus elevatur.

Respondeo quod, licet non possit homo peccatis de condigno satisfacere, ut in tomo superiori operose demonstratum est, nec subinde pœnam æternam peccato mortali debitam compensare : posse tamen pro pœna temporali, quæ etiam post culpæ et pœnæ æternæ condonationem danda est, de condigno satisfacere. Non enim sine causa opera satisfactoria *dignos* pœnitentiæ *fructus*, Scriptura appellat. Indicare nimirum voluit, pœnam temporalem peccatis debitam pœnitentiæ fructibus compensari, ut sicut illis gloriam de condigno meremur, ita et impedimenta gloriæ, pœnas scilicet Purgatorii gloriæ introitum remorantes, de condigno possumus semovere. Dignum ergo est, ut misericors Deus pœnis voluntarie assumptis Christi passionibus unitis, et a Christi gratia proficiscentibus moveatur, ut pœnas Purgatorii non infligat. Unde nequaquam Christus frustra pro nobis satisfecit, nequaquam gratis pro nobis mortuus est, quia passionibus suis gratiam nobis promeruit salutarem, qua et meritoria et satisfactoria opera possimus elicere. Satisfactio Christi, ut tomo superiori diximus, quamlibet infinita, nostras etiam satisfactiones exigit; nam, sicut prima causa ex abundantia bonitatis causas secundas sibi cooperari facit ; ita satisfactionis Christi plenitudo postulat, ut cum ipso compatiantur qui voluerint cum ipso regnare. Utilis ergo et plane necessaria fuit satisfactio Redemptoris, quæ nostras qualescumque pœnas

sibi unitas perficeret, ad eas sancte suscipiendas permoveret, et omnes justitias nostras, quæ sunt sicut pannus menstruatæ, in quibusque reperit pravitatem, veluti illitis meritorum suorum ornamentis condecoraret. Sed certe si eas non invenit, eas utique non sanctificat, nec sibi copulat, nec Patri reddit acceptas. « Poculum quippe immortalitatis, » uti ex Prospero alibi diximus, « quod confectum est de infirmitate humana et virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur. »

Perperam ergo inferunt moderni hæretici hac nostra de satisfactionis necessitate doctrina evacuari crucem Christi, et immensa satisfactionum ejus merita ad nihilum redigi. Nam, ut præclare a Tridentino sess. 14. cap. 8. dictum est, « neque ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum : nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes dignos fructus pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre. » Quamobrem, ut Catechismus jussu ejusdem Concilii editus egregie prosequitur, totum nostrum meritum, tota nostra satisfactio a Christi cruce proficiscitur, neque perfectissimam et cumulatissimam Christi Domini satisfaciendi virtutem obscurat, sed illam potius multo clariorem et illustriorem reddit. Eo namque copiosior et longe efficacior Christi gratia censenda est, quo vim nobis satisfaciendi profundit, et a se redemptos sui efficit adjutores. Si quid ergo ponderis, si quid dignitatis operibus pietatis inest, quantumquantum est, totum ab illo salutis fonte derivatur. Quid ergo derogari a nobis meritis Salvatoris hæretici pœnitentiæ hostes queritantur; a nobis, inquam, ultro aperteque prædicantibus, Christum Jesum tanquam caput in membra, tanquam vitem in palmites, vitam, gratiam et omnem pietatis motum in eos qui sibi caritate conjuncti sunt, continenter effundere ? Illine gratiæ Servatoris detrahunt, qui nulla bona opera agnoscunt, nisi quæ gratia e vulneribus Christi effluxa antecedat, comitetur, et consequatur, sine qua proinde nec mereri prorsus, nec satisfacere ullatenus possumus?

Instabis : Si posset homo susceptis laboriosæ pœnitentiæ operibus pro pœnis peccatis suis debitis satisfacere, posset etiam satisfacere pro pœnis quæ peccatis alienis debentur, cum sit par utriusque ratio, nec magis repugnet aliquem opera illa pro se quam pro alio offerre, et a Deo pro utraque peræque acceptari : atqui non potest homo pœnitens pro alio satisfacere, sicut nec unus infirmus pro alio medicinam accipere. Ergo nequit homo pro pœnis peccatis suis debitis satisfacere.

Respondeo satisfactionem, ut est pars Sacramenti, ab illo solum posse et debere peragi, qui recipit Sacramentum, ut convincunt rationes omnes quas pro stabilienda satisfactionis necessitate protulimus. Et cum satisfactio pœnitentis sit pars, sin essentialis, certe integralis Sacramenti, mancum erit mutilumque Sacramentum, nisi pœnitens ipse injunctam sibi a sacerdote pœnitentiam exequatur. Cum his tamen stat, unum posse pro pœnis alteri debitis, et in purgatorio luendis satisfacere, et alterius nomine quod Deo debetur persolvere, ut sic quodam pacto alter alterius onera portet. Neque de hac veritate cuiquam Fidelium dubitandi locus ullus relictus est, qui in Apostolorum symbolo Sanctorum communionem confitetur. Id enim exigit membrorum ejusdem corporis communio, ut bona Fidelium opera ad omnes quandantenus pertineant. Quemadmodum enim pectus non pro suæ tantum, sed etiam oculorum utilitatis causa munere suo fungitur ; neque rursus quod oculi videant, ad illorum propriam, sed ad communem omnium membrorum utilitatem referendum est : ita communia inter Fideles satisfactiones officia censenda sunt. Qua spe fretus aiebat Psalmographus Psalm. CXVIII : *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.* Favet etiam Apostolus ad Coloss. I : *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia.* Vide infra corollarium 3. circa secundum effectum Pœnitentiæ.

REFLEXIO.

Si usqueadeo necessaria est pœnitentia ut et materiam essentialiter constituant

actus pœnitentis, formam vero compleat impositio pœnitentiæ, profecto post peccatum vita hominis perpetua pœnitentia, spiritus perpetuæ compunctionis est. « Ingemisce igitur, » ait Chrysostomus hom. 4. *in II. epist. ad Cor.*, « neque unquam id facere intermitte. Etenim hoc demum est confessio. Non nunc lætum, cras autem mœstum, ac rursum lætum te præbe. Verum perpetuo in luctu ac tui contritione mane. *Beati enim*, inquit, *qui lugent, hoc est qui assidue hoc faciunt.* Itaque sic te compara, ut semper hoc facias, tibique ipsi animum intendas, ac pectus tuum conteras, non secus ac si quis amisso filio unice charo in luctu versetur. *Scindite enim*, inquit, *corda vestra, et non vestimenta vestra.* Porro quod fractum est, haudquaquam se in altum extulerit; quod contritum est, haudquaquam exsurrexerit. Ob eamque causam alter ait: Scindite; alter autem, cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Quantumvis sapiens sis, quantumvis dives, quantumvis Princeps, pectus tamen scinde, nec ipsum alte de se sentire, atque inflari sine. » Si magnus Apostolus, ut argumentatur idem Chrysost. homil. 22. in eamdem epistolam, peccata ante Baptismum admissa, etsi prorsus extincta, recogitavit, si se peccatorem, blasphemum, contumeliosum appellavit, prioremque vitam invectiva oratione proscidit: « Quam nos veniam consequi possimus, qui ea etiam quæ post Baptismum perpetravimus, oblivione delemus? Quid ais, homo? Deum offendisti, et oblivisceris? Altera jam est hæc offensio, altera inimicitia. Quibusnam ergo peccatis solvi petis? An iis quæ ne tibi quidem nota sunt? Ita sane: non enim laboras, anxioque animo es, quo pacto corum rationem redditurus sis, qui ne memoria quidem ea tenere cures, sed ludas in minime ludicris. Verum aderit illud tempus, cum non jam ultra nobis ludus hic procedet. »

Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Terreant nos hæc verba, ne res conturbent. Præveniamus judicii districtissimi æquitatem. Peccata pœnitentia deleamus, ne in finem reservemus. Audiamus Eucherium: « Dominus, « inquit, « delet peccatum, sed sine ultione non deserit: aut enim ipse homo in se punit, aut Deus percutit. » Audiamus et Augustinum tract. 124. *in Joan.*: « Productior est pœna quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et pœna. » Ergo, si sapimus, si nobiscum est lumen oculorum nostrorum, si cum timemus qui corpus et animam in gehennam mittere potest, si peccati mortalis granditatem, injuriæ gravitatem, Dei læsi majestatem apprehendimus, spiritu pœnitentiæ ea opera suscipiamus, quæ natura sua dolorem et molestiam afferunt; iis actionibus incumbamus, quæ præteritorum scelerum compensationes sint, et, ut S. Cyprianus loquitur, « peccatorum redemptrices, » orationibus, jejuniis, eleemosynis insistamus, quibus Deum placemus, proximo satisfaciamus, nosmetipsos castigemus: multas variasque ærumnas et calamitates, quibus dum in hac vita sumus, undique premimur, patienti animo perferamus, ut laboribus illis et incommodis a divina providentia immissis amplam, minusve suspectam satisfaciendi et merendi materiam nanciscamur. Denique tanta sit, tamque connaturalis evadat pœnitentiæ consuetudo, ut in illis molestis operibus, quæ natura sua aliquid acerbitatis habent, omnem voluptatem nostram ponamus, omne situm esse verum gaudium existimemus, quin et felicitatem inchoatam inveniamus, juxta id quod a Veritate Matth. v. et Luc. vi. dictum est: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Id tibi, lector, id mihi victrix divinæ gratiæ delectatio præstet, ut caritate divina, et sacro in præterita peccata zelo accensi, quæ perpessu gravissima sunt, ne sentiamus quidem: ita divino amore inflammemur, ut in acerbis operibus et pœnitentiæ fructibus nos exercentes, aut nihil ferme incommodi sentiamus, aut omnia lætissimo animo filiorum Dei more perferamus. Unde illud Augustini, vel alterius auctoris lib. *de vera et falsa Pœnit.*: « Semper doleat pœnitens, et de dolore gaudeat. » Et verus Augustinus, lib. 5. *Confess.* cap. 2: « Ecce ibi es in corde confitentium tibi, et plorantium in sinu tuo post vias suas difficiles, et tu facilis terges lacrymas eorum, ut magis plorent, et gaudeant in fletibus. »

Ad hanc continentem perpetuæ compunctionis praxim facile permovebimur, si summum et maximum dolorem ex commissis peccatis suscipiendum esse, ita ut nullus major excogitari possit, suadeamur: suadebimur autem, si cum Catechismo Romano attendamus, quod cum perfecta contritio sit caritatis fructus, ab eoque casto timore, qui filiorum est, proficiscatur, liquidum est

eumdem caritatis et contritionis modum statuendum esse. Cum enim caritas, qua Deum diligimus, perfectissimus amor sit, hinc fit ut contritio vehementissimum animi dolorem conjunctum habeat; quia, sicut Deus maxime diligendus est, ita quæ nos a Deo alienant maxime detestari debemus. Hinc sacræ Litteræ eodem loquendi genere caritatis et contritionis magnitudinem significant; ut, sicut de caritate dictum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* ita quoad contritionem hortatur Dominus per Prophetam : *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Ergo Deum summum bonum super omnia non diligimus, si peccatum summum malum super omnia odio maximo non prosequimur. Unde illud etiam sequitur, ut sicut vita Christiani perpetuus est ad Deum summe dilectum motus, ita et perpetua de patratis peccatis pœnitentia *Ergo de propitiato peccato noli esse sine metu*, ut dicitur Eccles. v. Quia, ut optime D. Thomas quæst. 4. *Supplem.* art. 1, « quamdiu aliquis est in statu viæ, detestatur incommoda, quibus a perventione ad terminum viæ retardatur, vel impeditur : unde cum per peccatum præteritum vitæ nostræ cursus in Deum retardetur, quia tempus illud quod erat deputatum ad currendum recuperari non potest ; ideo oportet quod semper in vitæ hujus tempore status contritionis maneat, quantum ad peccati detestationem, similiter etiam quantum ad sensibilem dolorem; quia enim homo peccando pœnam æternam meruit, et contra æternum Deum peccavit, debet pœna æterna in temporalem mutata, saltem dolor in toto hominis æterno, id est in statu hujus vitæ manere. Et propter hoc dicit Hugo de Sancto Victore, quod Deus absolvens hominem a culpa et pœna æterna, ligat eum vinculo perpetuæ detestationis. » Hinc Bern. lib. *de triplici custodia :* « Volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens quid amittat ; tempus quo divinam repropitiare tibi debueras pietatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. »

SPECULATIO III.

Legitima sacramenti Pœnitentiæ forma est hæc : Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; quæ proinde non precatoria duntaxat, sed judicialis est : ac ejus minister est solus sacerdos, ad secretum omni jure adstrictus.

Supponit hæc speculatio, ad formam hujus Sacramenti verba omnino desiderari, nec solos sufficere sacerdotis nutus; illud enim discrimen formam Matrimonii inter et formam Pœnitentiæ et aliorum sacramentorum Florentinum et Tridentinum concilium statuunt, quod ad illam sufficiunt nutus, cum Matrimonium a mutis legitime contrahi possit; at in aliis sacramentorum formis verba prorsus et indispensabiliter requiruntur, ut ex dictis de sacramentis in genere satis superque liquet. Hoc præmisso,

Probatur prima pars non solum perpetuo Ecclesiæ Catholicæ usu, sed hoc etiam discursu : Illa est legitima Pœnitentiæ sacramenti forma, quæ effectum Pœnitentiæ sacramenti optime et aptissime significat; ad hoc enim formæ sacramentorum sunt institutæ : et certe cum sacramentum sit signum gratiæ, illa germana habenda est sacramenti forma, quæ collatam a sacramento gratiam aperta significatione declarat. Atqui verba ista, *Ego te absolvo*, etc., effectum sacramenti Pœnitentiæ perspicue significant, remissionem nimirum culparum, et solutionem peccatorum, quæ vincula sacris in Litteris appellantur. Proverb. v : *Funibus suorum peccatorum quisque constringitur;* Psalm. CXV *: Dirupisti vincula mea;* Psalm. CXVIII : *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Ergo quam retulimus convenientissima est hujus sacramenti forma. An autem omnia illa verba sint essentialia, videtur D. Thomas exigere solum priora, nimirum *Ego te absolvo*, quibus effectus sacramenti significatur. Et, quamvis S. Doctor quæst. 84. art. 3. eodem modo dicat verba ista, *Ego te absolvo*, in sacramento Pœnitentiæ, ac ista, *Ego te baptizo*, in sacramento Baptismi desiderari, ut patet legenti textum, quibus non excluduntur a forma Baptismi verba sequentia, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : verumtamen hanc ipsemet difficultatem in responsione ad 3. occupavit his verbis : « Sacerdos potius dicit, *Ego te absolvo*, quam ego tibi peccata remitto ; quia

hoc magis congruit verbis quæ Dominus dicit, virtutem clavium ostendens, per quas Sacerdotes absolvunt. Quia tamen sacerdos sicut minister absolvit, convenienter apponitur aliquid quod pertineat ad primam auctoritatem Dei, scilicet ut dicatur : *Ego te absolvo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, vel per veritatem passionis Christi, vel auctoritate Dei. Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in Baptismo, talis appositio relinquitur arbitrio sacerdotis. » Vides ergo ex D. Thoma verba illa omnia non esse formæ sacramenti Pœnitentiæ essentialia. Quod vero addit, eorum appositionem relinqui arbitrio sacerdotis, verum erat tempore D. Thomæ, sed cum Florentinum et Tridentinum concilium ea omnia verba proferre saltem implicite præcipiant, hoc ipso quod dicunt, formam hujus Sacramenti esse hæc verba, *Ego te absolvo, etc.*, quæ particula, *etc.*, alia saltem tacite requirit, non est modo relictum arbitrio sacerdotis verba illa, *a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, silentio præterire. Maxime quia usu Ecclesiæ ubique recepto, qui optimus est legum interpres, patet ut tametsi aliquando orationes precatoriæ absolutionem præcedentes vel sequentes, in magno præsertim populi concursu prætermittantur, nunquam tamen verba præfata missa facere quispiam præsumat : quamvis in rei veritate sola potiora vocabula proprium hujus sacramenti effectum, solutionem nimirum a peccati vinculis sicut significant, ita et efficiant, satisque ex intentione proferentis, et prævia pœnitentis confessione determinentur.

Secunda speculationis pars, quæ ait formam sacramenti Pœnitentiæ non esse precatoriam, sed judicialem, id est, auctoritate judicis, Deo tamen subordinata, a sacerdote proficiscentem, ex nuda formæ propositione per se verba penetrantibus conspicua est. Cum enim forma illis verbis exprimatur, *Ego te absolvo, etc.*, ut Concilia œcumenica ultimum celebrata definierunt, quibus ut patet, non deprecatio vel oratio ulla funditur, sed auctoritas delegata executioni mandatur, manifestum est formam sacramenti Pœnitentiæ non deprecatoriam illam quidem, sed judicialem esse dicendam. Id ipsum confirmat S. Thomas opusc. 22, tum ex verbis Salvatoris, ex quibus constat Christum sacerdotibus absolvendorum suo nomine peccatorum potestatem contulisse ; « Præsumptuosum ergo est, » inquit, « ne dicam erroneum, ut Sacerdos dicere non possit, Ego absolvo te, quem Dominus absolvere confitetur. » Tum ex Apostolo II. Cor. II. scribente, *se donasse peccatum in persona Christi*. « Quasi dicat secundum Glossam, se absolvisse a peccato. » Tum testimonio sanctæ Ecclesiæ : « Quia, » inquit, « non est parva autoritas ejus quod in Ecclesia canitur. Jam, bone Pastor Petre, clemens, accipe vota precantium, et peccati vincula resolve tibi potestate tradita. Potestas autem tradita Petro est potestas clavium : potest ergo habens claves dicere, *Ego te absolvo.* » Tum quia « verba Scripturæ, quæ maxime spectanda sunt, non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, sed magis ipsa verbo indicativo utitur. Non enim dicit, quæcumque petieris esse solvenda, erunt soluta ; sed *quæcumque solveris*, etc. Si ergo illa tantum dicuntur esse soluta, quæ habens claves solverit ; qui autem petit aliquid esse solvendum, non solvit : miror qua temeritate aliquis asserat, esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum. » Tum quia id nedum conveniens, sed plane necessarium esse videtur, quia sacramenta novæ legis efficiunt id quod significant : verba autem a sacerdote prolata pertinent ad sacramentum Pœnitentiæ, cum sint forma illius : ergo gratiam absolutivam a peccato efficiunt, nec illam solum deprecationibus obtinent. Denique quia id ex perpetua traditione constat : nam neque Magister sententiarum, nec ullus Sanctus alia verborum forma legitur usus : legitur autem quod Legislator noster et sacramentorum institutor Christus Dominus dixit : *Quodcumque solveris*, quod est majus omni auctoritate. Ergo forma Pœnitentiæ sacramenti non precatoria est, sed judicialis. Hæc omnia fere D. Thomas, quæ sancta Synodus Tridentina consecrasse videtur, dum sess. 14. can. 9. sic pronuntiat : « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata, anathema sit. » Certe non tam magnifica Christus verba protulisset, nisi effectivam remittendorum peccatorum potestatem sacerdotibus contulisset.

Sed dices : Sæpe contingit pœnitentem esse vere a peccatis absolutum, cum profertur sacerdotis sententia his verbis expressa,

Ego te absolvo, puta cum pœnitens est perfecte contritus, vel peccata alias confessa et soluta Sacerdoti exponit, ut beneficium absolutionis iterato recipiat : Ergo tunc saltem forma a sacerdote prolata non est judicialis, sed mere precatoria, alioquin forma tunc verificari minime posset.

Respondeo hoc argumento etiam adversam sententiam peti, ut vel inde pateat quantum a soliditate destituta sit : si enim pœnitens antequam ad sacramentum Pœnitentiæ accedat, a peccatis solutus quacumque tandem ratione sit, profecto absolutionem sacerdos pro illo deprecari non potest, sicut eam juxta adversarios efficere nequit. Quamobrem ad communem omnibus sententiis difficultatem dicendum, verba illa, ut optime docet S. Thomas quæst. 84. art. 3. ad 5. hunc sensum facere, *Ego Sacramentum absolutionis tibi impendo*, id est, gratiam per se peccati remissivam auctoritate mihi divinitus concessa tibi impertio. Potest autem in hoc Sacramento conferri gratia solutiva et remissiva peccati, tametsi peccatum, quia non est, non remittat : sicut Baptismi forma catechumeno per votum Baptismatis et amorem Dei regenerato gratiam regenerativam confert, tametsi regeneratum præcedentium operum apparatu supponat. Unde in utroque casu non sunt inania, sed efficacissima Sacramenta, quia gratiam non perfecte contritis conferunt; in iis vero qui sunt perfecte contriti, novis eam cumulant incrementis. Atque huic proposito ea omnia peropportuna sunt, quæ speculatione prima disputantes contra Lutheranos et Calvinistas operose ex Scripturis et Patribus protulimus.

Instabis : Forma Ecclesiæ Orientalis, in qua verum peragitur Pœnitentiæ sacramentum, est tantum precatoria, nec veteres Patres aliud ad formam hujus sacramenti requirunt, quam preces sacerdotum. Unde Magnus Leo epist. 99. ait, « indulgentiam Dei nisi supplicationibus Sacerdotum obtineri non posse. » Quæ verba referuntur de pœnitent. dist. 1. canone *Multiplex*. Quibus consentanee Guillelmus Parisiensis *de Sacrament. Pœnit.* cap. 19. sic habet : « Non more judicum forinsecorum pronuntiat confessor, Absolvimus te, sed magis orationem facit super eum, ut ei Deus absolutionem, remissionem, et gratiam tribuat. » Ergo forma hujus sacramenti non est absolute judicialis, sed potest esse precatoria.

Respondeo falsum esse, formam sacramenti Pœnitentiæ per modum meræ precationis, non ad modum judicii in Ecclesia Græca proferri. Quia, ut refert Arcudius lib. *de Pœnit.* Rutheni sacerdotes in fine suarum orationum sic concludunt : « Ego quoque Pater tuus spiritualis potestate mihi a Deo et a superioribus meis concessa absolvo te ab omnibus peccatis tuis. » Et in libello *de Sacramentis* a Gabriele Antistite Philadelphiæ edito, assignatur hæc forma : « Gratia Sanctissimi Spiritus per meam humilitatem habet te venia donatum et absolutum. » Et in formula Patriarchæ Antiocheni sic habetur : « Mediocritas nostra habet venia condonatum spiritualem filium suum.... Omnipotentis potestate, gratiaque Sancti et adorandi Spiritus eum solvimus, et habemus liberum et venia donatum. » Et Ecclesiastici Græci passim ea forma utuntur : « Habeo te solutum, et venia donatum. » Quod idem est ac, Absolvo te, et condono tibi peccata; sicut a simili quando ligant et excommunicant, dum aiunt, « Habeo te segregatum, » idem plane est ac, Segrego te. Et quamvis Arcudius dicat non exstare ejusmodi formam in *Euchologio* Græcorum, nihilominus P. Goar in Oriente diu versatus, et linguæ Græcæ peritia nulli secundus in illo præclaro suo *Euchologio*, seu *Rituali* Græcorum, pag. 678. profert *Euchologium* apud eos jam passim receptum, in quo hæc verba habentur : « Dominus noster Jesus Christus et Deus, qui mandatum ligandi et solvendi peccata discipulis tradidit, prætereat omnia peccata tua : ego vero indignus ejus servus absolvo te ab omnibus peccatis tuis. » Item : « Dominus justus, qui propter nos carnem assumpsit et universi orbis peccatum tollit, delicta tua deleat. Ego vero condono tibi omnia peccata tua. » Quod si in aliis Græcorum Ritualibus verba tantum in speciem deprecatoria legantur, puta ista quæ apud Græcos familiariora sunt, « Domine Jesu Christe, qui dedisti nobis potestatem, absolve hunc a peccatis suis ; « vel ista : « Dominus noster Jesus Christus, qui dedit Apostolis suis potestatem, quæ per illos transiit ad nos, absolvat te, sive condonet tibi peccata tua; » dicendum, vel verba illa pertinere ad orationes sacerdotis, quæ etiam in Ecclesia Latina solent absolutioni sacramentali præmitti : vel ut aliqui ingeniose explicant, formam eo verborum tenore expressam non omnino deprecativam, sed applicativam esse. Cum enim his verbis agnoscant

Græci sacerdotes se potestatem habere, eo dicendi modo intendunt virtutem et actionem principalis agentis applicare : unde practice, et, ut ita dicam, in actu exercito verba illa istis æquivalent, *Ego te absolvo;* cum se personam Dei in terris gerere, atque adeo se Dei virtute operari fateantur. Et ecce cum nulla unquam extiterit Græcos inter et Latinos hac de re controversia, non est verisimile sacramenti Pœnitentiæ essentialem formam ullibi esse mutatam ; ac proinde consequens est, ut ea, quam Latini usurpant, æquivalenter contineatur in illa qua Græci utuntur.

Ad id quod dicitur, sanctos Patres, et in his Magnum Leonem orationes duntaxat desiderasse, ex supra adductis speculatione prima Patrum testimoniis patet quam sit falsum. Ideo enim Patres Novatianos tanquam hæreticos ea potissimum de causa exploserunt, quod remittendi potestatem sacerdotibus concessam pertinaciter negarent, et, ut aiebat Acesius Novatianus Episcopus a Socrate Scholastico in 1. lib. *Ecclesiast. histor.* relatus, « remissionis spem non a Sacerdotibus, sed a Deo expectandam. » Cui Magnum Constantinum, ut alibi retulimus, respondisse ferunt : « Erigito tibi scalam Acesi, et ad cœlum solus ascendito. » Quamobrem cum Patres orationes sacerdotum desiderant, non propterea auctoritatem absolvendi iis tanquam instrumentis delegatam excludunt, sed ad eas orationes alludunt, quas solent sacerdotes prolationi formæ præmittere, et cœleste Numen ante vel post absolutionem fusis precibus invocare ; eo spectantes, ut Deum principalem gratiæ causam et sacramentorum Auctorem esse significent. Sane quemadmodum formam Eucharistiæ invocationem sancti Numinis et gratiarum actionem, ob preces consecrationem circumstantes dicere solent, ita eamdem ob causam supplicationibus sacerdotum remittendorum peccatorum tribuunt potestatem.

Hanc esse Magni Leonis mentem ex homilia *de Transfiguratione* clare patet, ubi sic fatur : « Nec in solvendis et ligandis quorumcumque causis aliud ratum esset in cœlis, quam quod Petri sedisset arbitrio. » Quibus affinia sunt quæ habet Chrysostomus hom. 5. *de verbis Isaiæ :* « A terra judicandi principalem auctoritatem sumit cœlum. Nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum, et quidquid hic in inferioribus judicarit, hoc ille in supernis comprobat. »

Eodem modo exponi debet Ambrosius libro 3. *de Spiritu sancto.* cap. 19 : « Ecce, » inquit, « quia per Spiritum sanctum peccata donantur, homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in Patris, et Filii, et Spiritus sancti nomine peccata dimittuntur; isti rogant, divinitas donat. Hominum enim obsequium, sed munificentia supernæ est potestatis. » Quibus verbis precum earum meminit, quas Ecclesiæ jussu sacerdotes absolutionem impertientes frequentant; vel principalem absolvendi potestatem soli Deo eximiam sacerdotibus negare duntaxat intendit. Eam fuisse Ambrosii mentem ex iis perspicuum est, quæ lib. *de Abel et Cain*, cap. 4. his verbis scripsit : « Remittuntur peccata per officium sacerdotis, sacrumque ministerium. »

In eumdem scopum collimavit Augustinus lib. 4. *de Baptis. contr. Donatistas*, cap. 3, dum dixit : « Quid est aliud manus impositio » (id est administratio sacramenti Pœnitentiæ, in qua manus imponi pœnitentibus solemne erat; loquitur namque ibi Augustinus de manuum impositione quæ iterari potest, quæ utique solius sacramenti Pœnitentiæ est propria) « quam oratio super homine ? » Nam, si Augustinus in fonte legatur, perspicuum erit, eam duntaxat remittendorum peccatorum potestatem S. Doctorem reprobasse, quam hæretici propriis sacerdotis meritis ascribebant, ait enim : « Daturus erat Dominus hominibus Spiritum sanctum, et ab ipso Spiritu sancto fidelibus suis dimitti peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata. »

Denique ne nobis opponatur cum M. Joanne Launoio, viro alioquin erudito et antiquitatis Ecclesiasticæ scrutatore acerrimo, D. Thomæ sententiam a Patrum vetustate recedere, quædam placet selectiora Patrum testimonia in medium producere, quibus nostræ doctrinæ antiquitas ab omnibus objectionibus vindicetur. « Non solum sacerdotes cum regenerant, » inquit Chrysostomus lib. 3. *de Sacerdotio*, « sed etiam postea condonandorum peccatorum obtinent potestatem. » Ergo non solum deprecandi, sed etiam absolvendi facultas et auctoritas sacerdotibus nostris concessa est. Ergo, sicut

in Baptismo forma absoluta, non deprecatoria est, ita et in administratione sacramenti Pœnitentiæ eadem utuntur, cum ex Chrysostomo non minorem ad absolvendum condonandumque peccata, quam ad regenerandum potestatem acceperint. « Duobus modis, » inquit Cyrillus Alexandrinus lib. 22. *in Joan.* cap 56. vel cap. 22. et 23. modernæ editionis, « Dei spiritu pleni vel afflati homines peccata remittunt, ac retinent, vel cum dignos admittunt ad Baptismum, ac indignos excludunt; vel cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, ac pœnitentibus ignoscunt. » Ubi non secus ac Chrysostomus eamdem sacerdotibus ad peccata pœnitentibus remittenda, ac ad Baptismum conferendum potestatem concessam agnoscit. « Non interest, » inquit eodem plane sensu Ambrosius lib. 1. *de Pœnit.* cap. 7, « utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus » (remittendi peccata) « sibi datum vindicent sacerdotes : idem in utroque mysterio est.» Quam doctrinam a veteribus esse depromptam declarat Magnus Basilius in regulis fusius disputatis, interrogat. 288. his verbis : « Necessario iis aperiri peccata debent, quibus est credita dispensatio mysteriorum Dei : hanc enim rationem et in pœnitentia secuti sunt veteres. »

Ad auctoritatem Guillelmi Parisiensis dicendum, verum esse, non eadem tamque principali auctoritate sacerdotem pœnitentem absolvere, quanta absolvit judex forinsecus accusatum; quia ista potest esse absoluta, ut in Principe vel supremo Senatu, qui nullas precationes præmittere, uti nostri sacerdotes, solent. Quamvis præfati Guillelmi testimonium non sit cogens, vel tanta sit ejus auctoritas, ut a viri alioquin illustris sententia non recedere sit necessarium theologo, qui solis Patribus, vel Ecclesiæ doctoribus illud reverentiæ obsequium debet, ut eorum verba vel simpliciter recipiat, vel consentanea expositione interpretetur.

Instabis iterum : Formam sacramenti Pœnitentiæ esse absolutam, et ad modum judicii et non solius precationis, potissimum colligitur ex illis magnificis Salvatoris verbis : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo ;* ex hoc enim quod Christus non dixit, quodcumque solutum ostenderitis, vel pro quibus solvendis oraveritis, inferimus quod sententiam sacerdotum non præcedit, sed subsequitur sententia cœli : quia, si nihil aliud facerent sacerdotes, parum esset de hujusmodi declaratione curandum, vel saltem non plus facerent sacerdotes quam laici, qui utique pro fratribus peccatoribus orationes ad Deum fundere possunt. Atqui hic discursus nihil efficit; nam eisdem verbis a Christo prolatis promissa etiam et data est ab excommunicatione absolvendi facultas ; et tamen concors theologorum sententia fert, aliquem posse ab excommunicationis vinculo forma precatoria, puta *absolvat te Deus a censuris*, eisdem irretitum absolvere. Ergo forma hujus sacramenti non est necessario judicialis, sed potest etiam esse precatoria, ruitque totum nostrum fundamentum ex verbis et promissis Christi a nobis cum D. Thoma firmatum.

Respondeo quod, licet illis verbis, *quæcumque alligaveritis*, data sit superioribus Ecclesiasticis sententiam excommunicationis ferendi, et ab eadem absolvendi facultas, potestatem tamen remittendi peccata, et consequenter sacramentum Pœnitentiæ, potissimum colligunt Patres et theologi ex illis Joan. xx. verbis : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus Veritas non solum orandi pro peccatoribus, vel eos absolutos declarandi, sed ipsa peccata remittendi facultatem largitus est, quæ proinde forma judiciali auctoritatem a Deo datam præferente necessario exprimitur, ut potestas illa executioni mandetur. Sed utut sit, et quibus tandem verbis Christus potestatem ferendi censuras, ab eisque solvendi largitus fuerit, fateor absolutionem a censuris posse esse precatoriam, non tamen absolutionem a peccatis. Et ratio discriminis non solum ex usu Ecclesiæ petitur, quæ, ut bene ait Arcudius, vocem sponse audit et intelligit, ejusque verba legitime interpretatur; sed etiam quia cum absolutio a censuris non sit sacramentalis, ejus forma arbitratui superioris Ecclesiastici permissa est, modo tandem intentionem suam exprimat; exprimit autem eam non solum verbis absolutis, sed etiam deprecatoriis, quin et signis et nutibus, imo et familiari cum excommunicato consortio, quod a superiore quacumque tandem ratione libere toleratur. At vero absolutio peccatorum est sacramentalis, ac proinde non hominum quorumcumque permissa optioni, sed juxta institutionem Christi perenni traditione ab Apostolis ad Patres, a Patribus ad posteros transmissa in-

violabiliter observanda. Ut enim de sacramentis in genere ostensum est, formæ sacramentorum nulli sunt mutationi obnoxiæ, quia non juxta solam sacerdotum intentionem (quæ tamen alioquin in ministro necessaria est), sed juxta Christi voluntatem gratiam producunt, quam significant.

Urgebis : In sacramento Extremæ-Unctionis sacerdotes orationibus suis formulisque precatoriis non solum remissionem peccatorum ægrotis a Deo petunt, sed etiam illam impertiunt : ergo similiter in sacramento Pœnitentiæ forma precatoria gratiam remissivam peccati rite contritis et confessis sacerdos impendet. Maxime quia ideo nos post D. Thomam formam indicativam et auctoritatem exprimentem desideravimus, ut minister sacramenti instrumentaliter concurrat, efficiatque quod significat. At illa ratio infirma est; nam minister Extremæ-Unctionis verbis suis vere concurrit ad gratiam sacramenti Extremæ-Unctionis producendam, eamque efficit, quam significat; et tamen forma illa verbis deprecatoriis exprimitur. Ergo etiam precatoria forma peræque potest gratia sacramenti Pœnitentiæ peccatoribus dispositis impendi.

Respondeo non recte iniri comparationem inter sacramentum Pœnitentiæ et sacramentum Extremæ-Unctionis : disparitas enim toto cœlo intercedit. Etenim sacramentum Extremæ-Unctionis non exercetur per modum judicii, sed per modum solatii, quod maxime præstant orationes divinam misericordiam interpellantes, et cœlestis suavitatis lenimenta sacris orationibus aptissime significata, a Patre misericordiarum et Deo totius consolationis impetrantes, ne infirmus morbi gravitate, vel tentationum mole oppressus fatiscat. At vero sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii ministratur, in quo reus accusator sui corrigitur, punitur, absolvitur, vel ligatur. Patet autem nullam judicis ullius sententiam verbis precatoriis ferri ; sed unis verbis indicativis, vel imperativis, quibus judicantis auctoritas exprimitur, pronuntiatur. Alia ratio ex ipsa sacramentorum institutione petita satis superque sufficeret, etiam si mox allata ex intimis utriusque sacramenti, ut ita dicam, visceribus desumpta careremus. Cum enim ex sacris Litteris constet, formam sacramenti Pœnitentiæ his verbis indicari, *quæcumque solveritis*, etc., *et quorum remiseritis*, etc. Ecclesia divina institutione formata optime judicavit, quod, sicut ex verbis Christi Baptismum instituentis recte dicimus in Baptismo conferendo, *ergo te baptizo ;* ita ex eisdem non minus perspicuis Veritatis verbis recte colligi, in sacramento Pœnitentiæ hanc esse formam, *Ego te absolvo.* At vero ex eisdem sacris Litteris, Jacobi cap. v. tam luculenter expressis habemus, quod *oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus ;* ideo consequens est ut forma sacramenti Extremæ-Unctionis precatoria formula exprimatur, et ita Ecclesia Catholica a Spiritu sancto continenter gubernata perpetuo existimavit.

De ministro Pœnitentiæ.

Tertia speculationis pars, quæ tradit solum sacerdotem esse ministrum sacramenti Pœnitentiæ, fere patet ex dictis de institutione et forma hujus sacramenti, et definita fuit in concilio Tridentino sess. 14. cap. 6. his verbis : « Circa ministrum autem hujus sacramenti declarat sancta Synodus, falsas esse, et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter episcopos et sacerdotes, Clavium ministerium perniciose extendunt ; putantes verba illa Domini : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cœlo ; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo ;* et : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt*, ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue contra institutionem hujus sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata ; publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit ; secreta vero per spontaneam confessionem cuicumque factam. » Quod et canone 10. adjuncto anathemate repetit. Idque fuerat antea in concilio Florentino definitum, et in omnibus antiquioribus tanquam indubium præsupponitur.

Convenientiam adducit S. Thomas quæst. 8. *Supplementi*, art. 1. Quia, cum solus sacerdos ministerium habeat super corpus Christi naturale, illi soli etiam competit potestas in corpus Christi mysticum seu Fideles, qui sunt membra Christi et corpus Ecclesiæ integrant. Et potest confirmari, tum quia solis sacerdotibus in persona Apostolorum concessa est peccatorum remittendorum potestas, atque auctoritas judicialis, quæ in republica bene ordinata non omni-

bus communis, sed quibusdam debet esse eximia ; et hi sane in Republica christiana sacerdotes sunt, qui cum ratione officii mediatores inter Deum et homines constituti sint, ad illos pro peccatis orare, pro peccatoribus sacrificium Deo offerre, eosque a peccatis mundare pertinet. Præsertim cum Fideles hoc Pœnitentiæ sacramento ad sacram Eucharistiam sumendam apti idoneique reddantur, ad illos remissionem peccatorum Dei auctoritate impendere spectat, quibus competit verum Christi corpus conficiendi, ministrandique potestas. Tum quia summa semper religione in antiquissima Ecclesia jus ordinarii sacerdotis conservatum fuit, ut ex veteribus illis Patrum decretis perspicuum est, quibus cautum est ne quis Episcopus aut Sacerdos in alterius Parochia aliquid gerere audeat sine ejus auctoritate qui illi præesset, aut nisi magna necessitas cogere videretur. Quod et ab Apostolo ad Titum v. sancitum est, cum illi præcepit, ut in singulis civitatibus sacerdotes constitueret, qui scilicet verbi et sacramentorum cœlesti pabulo fidelem populum alerent atque educarent.

Denique hujus veritatis signum juxta Patres dedit Dominus, cum Apostolis id negotii demandavit, ut Lazarum a mortuis excitatum a vinculis solverent, quibus constrictus erat : confessio enim in mortui Lazari resurrectione præfigurata est, ut docet Magnus Gregorius lib. 22. *Moral.* cap. 9 : « Mortuo Lazaro, » inquit, « qui magna mole premebatur, nequaquam dicitur, revivisce, sed *veni foras :* ex qua scilicet resurrectione quæ gesta est in illius corpore, signatur qualiter nos resuscitamur in corde ; ut homo in peccato suo mortuus, et per molem malæ consuetudinis jam sepultus, quia intra conscientiam suam absconsus jacet per nequitiam, a seipso foras exeat per confessionem. » Sicut autem per resurrectionem Lazari confessio, ita per vinculorum solutionem Apostolis commissam absolutio a peccatis significatur. Unde Augustinus vel auctor libri *de vera et falsa Pœnitentia*, ait ipsos sacerdotes plus jam posse proficere, plus confitentibus parcere, quibus crimen remittunt. Quam ob causam Dominus Lazarum, quem jam suscitaverat, obtulit discipulis solvendum, per hoc ostendens potestatem solvendi sacerdotibus esse concessam. Quod idem notat verus Augustinus sermone , *de verbis Domini.* Quo etiam pertinet, quod iis qui a lepra in itinere curati sunt, præceperat ut sacerdotibus se ostenderent, illorumque judicium subirent ; ad quod factum alludens Venerabilis Beda relatus a Magistro Sentent. in 4. dist. 17. ait : « Porro gravioris lepræ immunditiam sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter et quanto tempore jusserit, purificari curemus. »

Nec obest, si opponas illud Jacobi v : *Confitemini peccata vestra ;* quæ verba Augustinus lib. 50. homil. 12. de confessione sacramentali interpretatur. Illo autem Jacobi loco cuicumque peccata confitendi videtur libertas permissa. Unde auctor libri *de vera et falsa Pœnitentia*, inter opera Augustini, « Tanta vis est confessionis, » inquit, « ut si deest sacerdos confiteatur laico ». Et extra *de furtis*, cap. *Fures*, dicitur : « Fures si furando comprehensi vel vulnerati presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus. » Quod ex Triburiensi concilio, atque ex Cypriano lib. 3. epist. 17. desumptum esse videtur.

Respondetur enim cum D. Thoma art. 8. ad 1 : « Quod Jacobus loquitur ex præsuppositione divinæ institutionis. Et quia divinitus institutio præcesserat de confessione sacerdotibus facienda, per hoc quod eis potestatem remittendi peccata in Apostolis dedit, ut patet Joan xx. ideo intelligendum est, quod Jacobus sacerdotibus confessionem esse faciendam monuit. » Quare his verbis solum B. Jacobus intendebat ipsos sacerdotes non esse a sacramentalis confessionis lege immunes, et ideo confiteri alterutrum præcipit, non ut omnibus excipiendarum confessionum conferat facultatem, sed ut omnes sive sacerdotes, sive episcopos, sive ipsum Ecclesiæ Hierarcham confessionis declaret lege teneri. Unde quod Jacobus ait *alterutrum*, idem est, ut exponit Hugo, ac alter alteri, id est homo homini, supple potestatem habenti, ad significandum quod non sufficit hominem Deo confiteri. Cui interpretationi favet Origenes homil. 2. *in Leviticum.*

Id vero quod ex auctore libri *de vera et falsa Pœnitentia* subjungitur, solum significat posse quempiam interdum laico vel clerico non sacerdoti peccata per modum commutationis et humilitatis exercendæ gratia, in articulo præsertim necessitatis, absente sacerdote, confiteri. Qui usus erat in primitiva Ecclesia familiaris, et nunc etiam in

quibusdam sacrarum Virginum monasteriis viget, in quibus inferiores superioribus internum animi statum, passionum prædominantium impetus, imperfectionum quotidianarum radices, tentationum conflictus humiliter detegunt, ut citius sanentur, et tutius in via Dei sub aliorum regimine procedant. Sed tunc non est confessio sacramentalis, sed humiliatio salutaris, in qua eximia prudentia opus est, quæ sæpe deest mulieribus natura sua plus justo curiosis, et imperii amantibus. Quare superiorissæ iis in locis, ubi mos ille servatur, nec peccata graviora inquirere, nec libertatem ulla prorsus ratione adigere, nec aliud quidpiam exigere quam generalem interioris domus notitiam debent, ut infirmas suscipiant, consolentur pusillanimes, excitent tepidas, ferventiores moderentur. Cætera sacerdotibus et confessariis omnino relinquant. Quia scriptum est: *Altiora te ne quæsieris.* Et juxta tritum adagium : « Ne sutor ultra crepidam. » Nec mulier fortis in Proverbiis Salomonis cap. XXXI. commendatur, quod conscientias direxerit, vel quod sibi hoc ultro sumpserit, ut internis morbis medeatur ; sed quia *quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. Et de nocte surrexit deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum.* Apostolus etiam mulieribus in Ecclesia, id est de rebus Ecclesiasticis et in Ecclesia celebrandis silentium arctissimum imposuit.

Ad caput *Fures*, dicendum, optime observasse P. Nicolai locum esse mendosum, atque ita legendum esse, « si comprehensi et vulnerati, Deoque et Sacerdoti confessi, » etc., ut ex tomo 3. Conciliorum, parte 1. perspicuum est. Et, quamvis ita legeretur ut objectum est, exponi deberet locus ille non de confessione sacramentali apud solos sacerdotes habenda, sed de confessione publica et reconciliativa, in primitiva Ecclesia frequentari solita, ut sensus sit, posse diaconum absente sacerdote ei peccatori publico, puta furi comprehenso, communionem Eucharisticam ministrare, qui peccatum suum publicum publica detestatione confessus fuisset. Et ita interpretandus venit S. Cyprianus, qui revera loquitur de infirmis in pœnitentia publica constitutis, animamque fermc agentibus, quorum publice reconciliandorum provinciam sacerdotibus, et ob penuriam ministrorum absentibus, vel, non existentibus sacerdotibus, diaconis Episcopus demandabat.

Oppones rursus : Si sacerdotes ex vi potestatis in ordinatione per impressionem characteris susceptæ essent ministri sacramenti Pœnitentiæ, et possent a peccatis absolvere, non indigerent ad eam exercendam nec Parochi licentia, nec Episcopi approbatione. Atqui utrumque sacris canonibus et conciliis repugnat : primum quidem, tum quia in celebri Decretali Innocentii III. in magno concilio Lateranensi edita, cap. 21. expresse præcipitur : « Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti.... Si quis autem alieno sacerdoti voluerit juxta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit solvere vel ligare. » Tum quia, sicut Episcopus se habet ad diœcesim suam, ita sacerdos ad suam parochiam : non licet autem uni episcopo sine licentia alterius episcopale officium exercere in ejus diœcesi, secundum sacra canonum statuta, ut legere est in decretis, causa 26, ubi ex Arausicano concilio I. dicitur : « Si quis episcoporum in alienæ civitatis territorio Ecclesiam ædificare disponit, non præsumat dedicationem facere ; quæ illius est in cujus territorio Ecclesia assurgit. » Et causa 9. quæst. 2. can. 3 : « Nullus episcoporum alterius adeat civitatem super cujusquam dispositione, nisi vocatus ab eo cujus juris esse dignoscitur ; aut quidquam ibi disponat, vel ordinet, si sui gradus honore potiri voluerit. » Et cap. *Nullum*, ex concilio Antiocheno cap. 13. sic legitur : « Quod si nullo invitante inordinate superveniat, et quoslibet actus illi Ecclesiæ competentes, qui ad se minime pertinent, usurpare tentaverit, vacua quidem et inania erunt omnia quæ gesserit : ipse vere hujus indisciplinati ausus et irrationabilis cœpti dignas cau as excipiat, tanquam depositus a sancta Synodo, et propter hujusmodi præsumptionem jam prædamnatus. » Secundum vero, quia ad valide absolvendum requiri jurisdictionem ab episcopo approbante concessam, nemo Catholicus inficiatur.

Respondeo ad rite valideque absolvendum præter potestatem Ordinis e manibus episcopi in ordinatione receptam, desiderari etiam potestatem jurisdictionis, quam ordi-

nariam habet parochus in sua parochia, episcopus in sua diœcesi, summus Pontifex in universo orbe Christiano. Unde Tridentinum sess. 14. cap. 8. sic habet : « Quoniam natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos tantum feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse hæc synodus confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse, quam sacerdos in eum profert, in quem non habet ordinariam aut subdelegatam potestatem. » Quam rationem prius tradiderat S. Thomas quæst. 8. art. 4. *Supplementi :* « Oportet, » inquit, « quod ille, qui dispensator hujus Sacramenti constituitur sit talis qui possit imperare aliquid agendum : imperium autem non competit alicui in alium, nisi qui habet super eum jurisdictionem. » Ex quo infert ad 3 : « Quod electio discreti sacerdotis non est nobis commissa ut ex nostro arbitrio facienda, sed de licentia superioris, si forte proprius sacerdos esset minus idoneus ad apponendum peccatis salutare remedium. » Et ad 5 : « Quod in illis casibus, in quibus probabiliter timet pœnitens periculum sibi vel sacerdoti ex confessione quam ei faceret, debet recurrere ad superiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi. Quod si licentiam habere non possit, idem est judicium quod de illo, qui non habet copiam sacerdotis. » Observat etiam S. Doctor ad 6. debere esse Parochum admodum facilem in ejusmodi licentiis alteri confitendi concedendis : « peccaret sacerdos, » inquit, « si non esset facilis ad præbendam licentiam alteri confitendi ; quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, et per consequens sibi ipsis. »

Sed ad pleniorem eorum intellectum advertendum est, quod, licet ante sacrum concilium Tridentinum de jure vel consuetudine probata sacerdotes Parochiarum rectores possent alios sacerdotes suorum inferiorum confessionibus audiendis sufficere, et in propria Parochia approbare ; facultatem tamen illam cuicumque et quavis ratione olim assertam sancta Synodus abrogavit sess. 23. *de Reformatione*, cap. 15 : « Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant ; decernit tamen S. Synodus nullum (etiam regularem) posse confessiones sæcularium (etiam Sacerdotum) audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis detur, obtineat : privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemoriali, non obstantibus. » Supposita ergo Episcopi approbatione potest sacerdos sive sæcularis, sive regularis pœnitentem invito parocho absolvere, quia tunc a principaliori rectore animarum jurisdictionem obtinet : unde, sicut Episcopus potest confessionem ejus, qui est de aliqua suæ diœcesis parochia, invito parocho, audire, ita et alteri sacerdoti ejusdem audiendæ facultatem impertiri valet : tum quia, ut arguit D. Thomas art. 5. quidquid potest inferior, potest superior, ut vulgare axioma fert, dicente Boetio lib. 5. *de Consol.* prosa 4 : « Superior vis amplectitur inferiorem ; inferior vero ad superiorem nullo modo assurgit. » Si ergo sacerdos parochus potest suo parochiano dare licentiam ut alteri confiteatur, multo fortius superior prælatus id potest. Tum quia potestatem quam habet sacerdos in populum, eam totam ab episcopo habet. Ergo, si ex illa potestate valet confessiones audire et confessos absolvere, eadem id ratione alius poterit, cui episcopus facultatem concesserit. Nec propterea parocho damnum vel detrimentum creatur, quia, ut sapienter ait S. Thomas art. 5. ad 1, « præjudicium non fit alicui, nisi ei subtrahatur quod est in favore ejus indultum : jurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in favorem suum, sed in utilitatem plebis et honorem Dei. Et ideo si superioribus prælatis expedire videatur ad salutem plebis et honorem Dei promovendum, quod aliis quæ sunt jurisdictionis committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis, nisi illis qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi ; et qui gregi præsunt, non ut eum pascant, sed ut ab eo pascantur. » Quam doctrinam gloriæ Dei casti sectatores præ oculis habere debent.

Nec obest quod divino mandato rectoribus animarum præceptum est Proverb. XXVII, *ut diligenter vultum pecoris sui agnoscant :* hoc est, ut ibi Beda interpretatur, ut diligentem adhibeant iis curam, quibus ipsos præesse contingerit, agnoscendo animos actusque singulorum, et quidquid in eis vitii sordidantis invenerint castigando. Quod impe-

diri videtur, si alius quispiam ad audiendas confessiones admittatur. Non obest, inquam, quia, ut recte ait S. Doctor ad 2, « Rector Ecclesiæ debet vultum peccoris sui, » id est statum animarum sibi subditarum, « agnoscere dupliciter : uno modo per sollicitam exterioris conversationis considerationem, quia invigilare debet super gregem sibi commissum ; et in hac cognitione non oportet quod credat subdito, sed certitudinem facti inquantum potest inquirat : alio modo per confessionis manifestationem ; et quantum ad hanc cognitionem non potest majorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat, quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius ; unde in foro confessionis creditur homini et pro se, et contra se, non autem in foro exterioris judicii. Et ideo ad hanc cognitionem sufficit quod credat subdito dicenti se alteri absolvere valenti fuisse confessum. Et sic patet quod talis cognitio peccoris per privilegium alteri indultum de confessione audienda, non impeditur. »

Instabis : Illud non debent ab episcopis sacerdotes de novo accipere, quod in ordinatione sua per manuum impositionem receperunt. Atqui jurisdictionem audiendi confessiones episcopi sacerdotibus contulerunt, cum eis manus imponentes dixerunt : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis retenta sunt.* Ergo non indigent nova Episcopi approbantis et jurisdictionem impertientis facultate.

Respondeo propter hoc argumentum graves theologos, Armacanum, Cajetanum, Navarrum, Petrum Ledesmam, et Vasquem existimare, sacerdotem ex vi suæ ordinationis totam jurisdictionem, et completam a peccatis absolvendi facultatem ab Episcopo manus imponente recepisse ; illam tamen ab Ecclesia ligari et arctari, ut propriorum sacerdotum jura salva consistant : unde nequit sive licite, sive valide facultas illa in actum exire, propter Ecclesiæ id non permittentis et subditos denegantis prohibitionem. Verum cum sacrum Concilium declaret, illam absolutionem esse nullius momenti, id est nedum illicitam, sed etiam invalidam, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam vel subdelegatam non habet jurisdictionem, argumento satis manifesto est, sacerdotes jurisdictionem ex vi ordinationis minime recepisse. Quamvis ad eorum doctorum, quos aliqui in ferendis censuris liberales varie et plus justo notant, defensionem dici posset, ideo absolutionem illam esse nullius momenti, quia fit transgressione præcepti sacrilega, subindeque nulla : quia hæc est summe observanda differentia inter sacramenta imprimentia characterem, et illa quæ gratiam solum sacramentalem producunt, quod priora, modo adsit forma, materia, et intentio faciendi quod facit Ecclesia, semper valida sunt, nec ullo possunt ministrantium, vel suspicientium quamlibet sacrilego obice impediri. Sic episcopus titularis, vel alterius diœcesis valide confirmat, valide ordinat sibi etiam non subjectos, et proprio etiam episcopo reclamante, quamvis hoc nefario ausu in grande incidat scelus, et variis pœnis juxta sacros canones obnoxius maneat. At vero sacramenta unam gratiam sanctificantem et sacramentalem efficientia eo ipso nullius momenti sunt, quo sunt illicita, quia cum illicite ministrantur vel recipiuntur, gratiam non efficiunt ; unde nullum sortiuntur effectum, sed potius ob recipientium vel conferentium malitiam scelera augent, et mortem inferunt. Quamvis, inquam, ad eorum Doctorum apologiam id satis probabiliter dici possit, veritas tamen est, jurisdictionem a potestate Ordinis esse distinctam. Unde, quando episcopus sacerdoti in sacra ordinatione dat potestatem remittendi peccata, non propterea dat illi jurisdictionem, quia subditos non designat, in quos talem auctoritatem exerceat : est autem jurisdictio subditorum designatio in quos sacerdos spiritale imperium exerceat, unde se habet sicut approximatio causæ ad effectum : potest ignis, v. g., lignum comburere ; illud tamen non comburet, nisi fiat indistans : ita potest Sacerdos peccata remittere, sed exigitur subditorum designatio, et deputatio quibus potestas illa applicetur.

Urgebis : Summus Pontifex potest quemcumque orbis sacerdotem in confessarium eligere, et quivis episcopus quemlibet suæ diœceseos sacerdotem : atqui illi sacerdotes non habent jurisdictionem distinctam a potestate in sua ordinatione recepta ; neque enim jurisdictionem in se papa vel episcopi dare possunt, qui in se nullam habent, et nemo dat quod non habet. Ergo potestas jurisdictionis non est a potestate Ordinis sejuncta. Cujus etiam signum est, quod quilibet sacerdos, etiam hæreticus, præcisus, degradatus, et nominatim excommunicatus, potest quemcumque in articulo mortis con-

stitutum confitentem audire, et confessum absolvere.

Respondeo confessorem summi Pontificis et aliorum episcoporum habere jurisdictionem super ipsos, quidquid subdubitans dicat doctissimus Cajetanus quæst. unica *de ministro Pœnitentiæ*. Cum enim sacramentum Pœnitentiæ sit judiciale, necesse omnino est ministrum illius judicem esse : judex autem sine jurisdictione nec quidem intelligi potest. Quare, sicut summus pontifex saltem in casu hæresis notoriæ subditur Ecclesiæ in foro exteriori, sic per quodlibet peccatum mortale eidem in foro interiori subjicitur; unde coram sacerdote comparere, se apud illum humiliter accusare, illiusque judicium et impositam pœnitentiam subire jure divino, quod sub dispensationem Ecclesiæ non cadit, obligatur. A quo autem confessarius tunc jurisdictionem accipiat, variant auctores : alii a tota Ecclesia variis in Conciliis congregata, et Pontificum oraculis in jure locuta; unde ait D. Thomas in *Supplem.* quæst. 9. art. 4. ad 4 : « Prælatis concessum est a jure, quod possint sibi eligere proprios Sacerdotes confessores, qui quantum ad hoc sunt eis superiores : sicut etiam unus medicus ab alio curatur, non in quantum medicus, sed in quantum infirmus. » D. Bonaventura et Cardinalis Turrecremata docent, summum pontificem eligendo confessorem eidem conferre sui absolvendi facultatem, quam tamen ipse exercere non potest; sicut diaconus in episcopum electus et confirmatus absolutionem a peccatis aliis demandare potest, cum tamen ipse peccatores absolvere non queat. Et, quamvis Episcopus directe in se jurisdictionem non habeat, potest tamen eam alteri impertire : sicut, licet nullus possit suus esse superior, suum tamen superiorem legitime et canonice eligere potest, quia ad hoc sufficit quod possit seipsum alteri supponere, quod nemo non potest. Paludanus, Capreolus, et Melchior Canus sentiunt, jurisdictionem qua sacerdos a summo Pontifie electus eum ipsum absolvit, a Christo summo et æterno sacerdote proficisci; quia cum ex una parte Deus Ecclesiæ Pastori in necessariis non defuerit, ex alia vero Papa nec sui pastor, nec judex sit, providit Christus ut sacerdos ab eo electus totam jurisdictionem necessariam jure divino habeat, sicut et eodem jure in articulo mortis constitutos ab omnibus sceleribus quilibet sacerdos absolvit, et venialia justorum peccata remittit, et semel rite confessa iterum exposita condonat.

Ad id quod de articulo mortis dicitur, respondeo certum esse, in articulo mortis posse quemvis sacerdotem quemcumque peccatorem a quovis peccato quamlibet gravi et reservato absolvere, ut sacrum Tridentinum Concilium sess. 14. cap. 7. his verbis declarat : « Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. » A quo autem hanc sacerdos jurisdictionem obtineat, existimant Durandus, Paludanus, Capreolus, quorum doctrinam probabilissimam censet Canus, quemlibet sacerdotem in mortis articulo habere auctoritatem absolvendi jure divino; quia cum Dei provida gubernatio in necessariis non deficiat, quemadmodum providit ut in articulo mortis quicumque posset licite baptizare, non obstante quacumque Ecclesiastica censura et prohibitione : ita statuit ut in eodem articulo Pœnitentiæ sacramentum non minus lapsis, quam nondum regeneratis Baptisma, necessarium quilibet sacerdos ministraret. Et sane quod universa tenet semperque tenuit Ecclesia, nec a Pontificibus aut Conciliis tempore aliquo post Apostolos definitum invenitur, traditione Christi et Discipulorum ejus, teste Augustino lib. 4. *de Bapt. cont. Donastitas*, cap. 24. rectissime creditur constitutum. Atqui quod quilibet sacerdos in extremo mortis impendentis articulo quemlibet possit a quovis sive peccati, sive excommunicationis vinculo absolvere, semper in Ecclesia retentum est, semper creditum, semper observatum, nec invenitur nova aliqua Prælatorum constitutione sancitum. Ergo a Christo et Apostolis mos ille profectus est et inviolabiliter institutus.

Alii volunt, sacerdotem quemcumque in illo articulo tantæ necessitatis ab Ecclesia auctoritatem et jurisdictionem habere; quia nulli filiorum in tanto periculo deesse pia Mater vult : et cum necessitas non habeat legem, non est existimanda amantissima Mater legem qua præcisos amovet a Sacramentorum ministerio, ad extremum necessitatis articulum extendere voluisse. Maxime quia odia restringi, favores convenit ampliari; tum præsertim cum id Dei honos po-

pulique fidelis spiritalia commoda postulant. At quod sacerdos in urgenti mortis imminentis necessitate quemcumque possit absolvere, gratia est et favor populi Christiani. Ergo ad omnem omnino sacerdotem favor ille ampliandus et sine restrictione ulla est dilatandus. Quod autem excommunicati, penitusque præcisi a Sacramentorum ministerio arceantur, in odium scelerum ipsorum est, et peccatorum eorum pœna ; unde in aliorum fidelium emolumentum, non in præcisorum favorem pœnam illam legum interpretatione mollire, non vero exasperare decentissimum est.

Ex omnibus hactenus dictis patet, posse sibi Prælatos Ecclesiasticos quosdam casus reservare. Nam, cum jurisdictio ab eis tota pendeat, tota proficiscatur, eam possunt, prout in Domino expedire judicaverint, limitare. Hinc Tridentinum sessione 14. sæpe laudata, cap. 7. ait : « Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin episcopis omnibus, in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen non in destructionem, id liceat pro illis in subditos tradita super reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. » Et can. 11 : « Si quis dixerit episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit. »

De sigillo Confessionis.

Tertia pars speculationis, quæ asserit ministrum confessionis ad sigillum seu secretum omni jure teneri, facilis est probatu. In primis ad secretum tenetur sacerdos jure naturæ, quidquid dicat P. Vasques : tum quia jure naturali secretum non prodere tenemur; si enim commissum nobis violare depositum sacrilegii damnant omnia gentium jura, quanto magis secretum peccatorum sibi creditum violare nefarium et proditorium censendum est? Tum quia jure naturali alienæ famæ consulere jubemur, et multo magis alium infamare prohibemur; revelari autem aliena peccata in confessione audita sine famæ violatione non possunt. Tum quia mentiri est contra jus naturæ : qui autem revelat confessionem, mentitur ; revelans enim significat se scire ut hominem, quod non nisi ut Deus, id est, vices Dei agens, cognovit. Tum quia qui revelat confessionem, alteri facit quod sibi fieri nollet ; unde principium et præceptum jure naturali omnibus obviam transgreditur.

Jure etiam humano id vetitum est, ut patet ex canone *Sacerdos*, dist. 5. *de Pœnit.* et in capite *Omnis utriusque sexus*, ubi dicitur : « Caveat autem omnino sacerdos, ne verbo aut signo aliquatenus prodat peccatorem. Sed si prudentiori consilio indiget, illud absque expressione personæ caute requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium detrudendum. » Unde Catechismus Romanus part. 2. num. 75. explicans quantum confessa revelare peccata strictissime cautum sit, sic ait : « Sed quoniam nemo est, qui non vehementer cupiat, scelera et turpitudinem suam occultari, monendi sunt fideles, nihil esse quod timeant, ne ea quæ ipsi confessione patefecerint, a sacerdote ulli unquam indicentur, neve aliquod ex ea periculi genus sibi ullo tempore creari possit. Sacræ enim sanctiones gravissime in eos sacerdotes animadverti voluerunt, qui peccata omnia, quæ aliquis eis confessus fuerit, perpetuo et religioso silentio compressa non tenuerint. Quare in concilio Lateranensi magno ita legimus : Caveat omnino sacerdos, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem. »

Denique jure divino sigillum illud constat. Tum quia sacramentum istud divinitus institutum significat deleta esse peccata; et oblivioni a Deo tradita, secundum illud Ezechielis XVIII : *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Unde, cum is, qui revelat, ita se gerat ac si peccata confessa non essent deleta, nec

oblivioni tradita, manifeste divinæ institutioni contradicit, ac proinde præceptum divinum violat. Tum quia præcipiens finem, præcipit etiam media quibus finis ille fortiter et suaviter obtinetur. Ergo ex præcepto divino imperante confessionem, imperata intelligitur sigilli confessionis inviolabilis observantia, sine qua præceptum de confessione executioni mandari minime, posset, sed potius ab eo observando homines deterrerentur, ac proinde sigillum Christus præcepit, ut esset quoddam levamen oneris confessionis. Unde præceptum illud est negativum, semper et pro semper obligans, in quo nulla dispensatio quovis imaginabili prætextu locum habere potest.

Unde nec specie boni communis servandi vel augendi, vel hæresis impediendæ, vel propriæ vitæ defendendæ unquam vel usquam, directe vel indirecte peccata in confessione audita revelare licet. Quia nullum est bonum commune non solum anteponendum, sed ne quidem cum observatione sigilli comparandum : nullum etiam bono communi detrimentum majus creabitur, quam si confessio exosa, invisa, et intolerabilis reddatur, illique odium et invidia secretorum revelatione confletur. Non vetat tamen religiosa sigilli custodia actiones de se indifferentes, et ex aliis motivis communiter fieri solitas, ob grave periculum præcavendum prætermittere. V. g., licite potest sacerdos a sacro faciendo abstinere, ne vinum quod ex confessione toxico imbutum novit, exsorbeat : potest hominem colloquiis, vel aliis honestis artibus secum retinere, ne in hostes, quorum ex confessione paratas insidias pernovit, incidat. Tunc enim nulla fit secreto, vel pœnitenti confesso injuria.

Hinc etiam inferunt doctores, non licere uti scientia in confessione accepta, vel ad regimen, vel ad aliquem ab officio arcendum, vel ad indignum non promovendum ; quia magna inde sacramento Pœnitentiæ crearetur invidia, et onus confessionis grave nimis redderetur : licet tamen officia externi regiminis, ad quæ alioquin tenetur Prælatus, accuratius et cautius obire, puta licet rectori horis indebitis fores Ecclesiæ occludere, ne turpibus colloquiis, quæ fieri ex confessione novit, pateat : potest etiam vitia illa exaggerare, quæ ex confessionibus perviderit esse communiora ; tunc enim nec onerosa efficitur confessio, nec ullius privatum scelus indigitatur. Qua etiam ratione D. Thomas quæst. 11. art. 1. ad 4. docet, posse aliquem ei denegare suffragium, quem ex confessione novit prælatione indignum ; quia ex multis aliis causis redditur quis indignus prælationis officio, puta ex defectu scientiæ, ætatis, et aliorum hujusmodi. Unde potest Confessarius ex confessione in regimine cautior, prudentior, et diligentior esse ; si tamen hoc non sit pœnitenti ullatenus incommodum, nec habeat vim occultæ reprehensionis culparum. Sed in his magna prudentia opus est, semperque habendum præ oculis, illa omnia cavenda esse, quibus confessio invisa vel gravis efficitur, debetque omnis omnino occasio funditus tolli, unde possit pœnitens vel conqueri, vel diffidere, vel suspicari, vel ab integritate et candore in confessione tantopere necessario alienari. Unde nec defectus naturales, nec imperfectiones personales, nec facinoris conscios aut consortes, nec aliud quidpiam sine expressa et liberrima pœnitentis licentia ullatenus sive directe, sive indirecte, sive durante vita, sive post mortem, sive mortale, sive veniale, uno verbo nunquam et nusquam retegere citra grandem injustitiam, tetram infidelitatem, et nefarium sacrilegium, neque sacerdoti, nec alteri cuivis confessionem ex industria, vel casu auscultanti licet. Sed ad quæcumque interrogata a quovis facta respondere debet, imo et jurare potest Confessarius se nescire, seque officio suo, prout Dominus dedit, perfunctum esse. Nec debet patratis vel impendentibus malis aliter quam hortamentis, imperiis, absolutionis denegatione, vel pœnitentis habita licentia subvenire.

Observent ergo diligenter confessarii, ne in dubiis suis proponendis aliquid dicant, unde personæ aliquæ per discursum tandem dignosci possint. Unde cum magna cautela hi sermones sunt frequentandi. Tale peccatum viget in tali Ecclesia; si omnibus pensatis ad notitiam vel rationabilem suspicionem alicujus personæ viri ingeniosi devenire possint. Porro quam sit imprudens et temerarius eorum jocus, qui de peccatis in confessione auditis etiam citra periculum infamiæ vel pœnitentium verecundiæ, nugandi vel ridicula jactandi occasionem nanciscuntur, nemo pius non videt. Caveant etiam pœnitentes ne dicta a sacerdote propalent, quando id sacramenti reverentia, confessarii honor, aut alia id genus vetant, quæ se-

creto naturali celare tenentur. Possunt tamen et debent confessarium vel ad hæresim inducentem, vel sollicitantem ad turpa Superioribus revelare, ut ex Pontificiis diplomatis liquet. Monet etiam S. Carolus part. 2. *Instruct.* cap. 20, ne sacerdos quavis necessitate coactus cum ipso pœnitente de peccatis in confessione auditis extra confessionem loquatur, nisi præhabita ipsius venia, quæ libere et sponte concedatur. Unde, si peccatum usqueadeo esset occultum, ut non nisi ex prævia confessione constaret, nihil extra confessionem præstare tenetur, quam ferventi oratione peccatorem Deo commendare; et si ad sacram communionem se præsentem sistat, nullo eam pacto ei negare potest. Hac de causa secretum confessionis appellatur sigillum, per metaphoram a similitudine litterarum, quæ obsignari sigillo solent, ut quod in illis continetur, sacrum et inviolatum remaneat, nec aperiri a quopiam possit.

VARIA, QUÆ OBSERVENTUR, DIGNISSIMA

COROLLARIA DERIVANTUR.

Ubi etiam de virtute et effectibus Pœnitentiæ disseritur.

Ex dictis in dicursu hujus capitis quædam sponte sua fluunt consectaria ad hujus materiei claritatem et complementum penitus necessaria.

Corollarium I.

Actus pœnitentis a virtute speciali proficiscuntur.

Sequitur enim primo actus interiores pœnitentis, qui materiæ hujus sacramenti rationem habent, a virtute pœnitentis procedere, imo nisi ab ea proficiscantur, parum admodum prodesse. Ad cujus evidentiam sciendum, pœnitentiam esse virtutem. Tum quia de actibus pœnitentiæ est præceptum legislatoris, eisque respondet promissum præmium. Matth. IV : *Pœnitentiam agite;* Lucæ VI : *Beati qui fletis, quoniam ridebitis.* Lex autem de iis tantum actionibus præcipit, quæ cum virtute suscipiuntur; ut enim 2. *Ethic.* Philosophus dixit : « Legislator cives intendit facere virtuosos. Legumlatores, » inquit, « assuefaciendo cives faciunt bonos ; et hæc porro est uniuscujusque Legumlatoris voluntas. » Tum quia facilitas de peccato dolendi est habitus electivus, secundum rectam rationem in mediocritate consistens ; recta namque ratio dictat ut dolor de peccatis eo fine modoque fiat, quo debet : dolere ergo de peccato quando, quomodo, et quatenus oportet, virtutis est. Interdum enim evenit, ut ex admissis sceleribus minorem quam par est dolorem capiamus; et rursus alii ita se animi mœrori et ægritudini dedunt, ut de salute etiam prorsus desperent : qualis sine dubio Cain fuit, dum Genes. IV. dixit : *Major est iniquitas, quam ut veniam merear;* et qualis etiam Judas fuit, qui nimia et desperata pœnitentia ductus suspendio vitam et salutem amisit. Ut igitur modum in dolore teneamus, ea virtute egemus, quam pœnitentiam dicimus. Et, quamvis sit contra rationem virtutis quod aliquis præsenti turpi facto sordeat, de quo eum verecundari oporteat; non est tamen contra perfectionem virtutis, ut ait S. Thomas 3. p. q. 85. art. 1. ad 2, quod aliquis turpia prius facta admiserit, de quibus eum pœnitere oporteat, « cum ex vitioso fiat aliquis virtuosus ». Fateor tamen pœnitentiam non esse virtutem absolute, sed ex suppositione peccati necessariam ; unde non nisi eo modo quo medicina appetitur, desiderabilis est, quamvis etiam dici possit pœnitentiam ante peccatum elicere posse actum ex parte subjecti absolutum, ex parte tamen objecti conditionatum, eligendo nimirum de peccato, si committatur, moderate affligi. Et, licet in hoc patiatur voluntas dolorem et tristitiam, delectationem tamen virtutis experitur, ab habitu facilitatem, et promptitudinem invehente proficiscentem : unde et beatitudo lugentibus promittitur, Matth. V. et auctor libri *de vera et falsa Pœnit.* apud Augustinum ait : « Semper doleat pœnitens, et de dolore gaudeat. »

Dices, ideo verecundia secundum S. Thomam 2. 2. quæst. 144. art. 1. non est virtus, quia est passio habens immutationem corpoream, quæ ex turpi facto apprehenso proficiscitur. Sed pœnitentia est dolor de turpi facto, qui sensibus etiam percipitur, et in lacrymas funditur. Ergo pœnitentia non est virtus.

Respondeo pœnitentiam non esse virtutem ut est passio et dolor sensibilis, sed prout est electio voluntatis, unde etiam dolor sensibilis promanat. Adde quod verecundia non est tam de turpi facto, quam de ignomi-

nia ex illo secuta ; unde est tristitia proveniens ex fantasia et imaginatione confusionis : pœnitentia autem est voluntarius de peccato dolor, quo pœnitens de crimine ut est offensa Dei torquetur, et ita eum errati piget, ut animum voluntaria castigatione maceret, confirmetque subinde ad rectius vivendum.

Sciendum rursus, pœnitentiam esse specialem virtutem, quia, cum secundum species actuum distinguantur species habituum, ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem, inquit D. Thomas 3. p. quæst. 85. art. 3. quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem actus præteriti, inquantum est offensa Dei; quod non pertinet ad rationem alterius virtutis : ergo pœnitentia est virtus specialis. Quare, licet quælibet virtus sicut amat proprii objecti honestatem, ita odium peccati suo objecto oppositi elicere nata sit ; nulla tamen ratione injuriæ Deo per quod vis peccatum intentatæ ex propria ratione sarcit ; unde hæc ratio a virtute speciali, quam pœnitentiam nominamus, attingitur. Cui etiam speciales difficultates, quod specialis virtuti, signum est, evincere incumbit, dum ea nimirum fugit quæ carni et sanguini pergrata, ea assumit quæ ipsi molesta sunt.

Quod, ut clarius percipiatur et una profundius penetretur, considerandum est, varias esse in peccato lethali rationes diligenti accuratione distinguendas. Primum enim peccatum mortiferum est quoddam malum morale honesto ut sic repugnans ; et, quia ab eodem principio amor boni et oppositi mali odium proficiscuntur, ideo dolor et odium peccati sub ratione mali moralis spectati a sola voluntate procedit; supposita tamen ea D. Thomæ sententia, quam in materia de virtutibus stabilivimus, voluntatem ad prosecutionem boni ut sic satis esse natura comparatam, satis vi sua instructam, nec habitus ullius additamento egere. Secundo peccatum est malum divinum divinæ bonitati adversum, divinam amicitiam dissolvens, rationem ultimi finis affective a Deo submovens, illamque in vilissimam creaturam nefanda perversitate transferens ; et sub hac ratione peccatum odit caritas, iludque, quantum Deum diligit, tantum detestatur. Tertio peccatum est malum ipsius hominis, quem bono rationis nudat, jure ad beatitudinem spoliat, omnique virtutum infusarum et cœlestium donorum suppellectile privat, et sic peccatum odio habet vel voluntas in amorem sui satis sua sponte propensa, vel charitas proximi, quæ bene ordinata incipit a seipsa, vel certe spes bonum divinum et æternam beatitudinem amore concupiscentiæ amans, æternam proinde miseriam et peccatum hujusmodi miseriæ causam germanam detestata. Quarto peccatum est aliquod speciale malum alicujus virtutis honestati repugnans ; puta ebrietas honestatem temperantiæ, adulterium honestatem castitatis, furtum honestatem justitiæ extinguit : sub hac ergo ratione singulari spectatum peccatum quælibet virtus odit, et fugit, sive præsens, sive præteritum, sive futurum. Denique peccatum est injuria Deo non solum qua summo bono, sed etiam qua supremo Domino et Legislatori illata, quæ ab homine pro virili sarcienda est et reparanda : et sub hac ratione peccatum immediate respicit pœnitentia, quæ tamen ab omnium maxime regina caritate imperari potest : sed illos actus elicere, quibus Deo satisfit, seseque opponentes difficultates vincere ad specialem pœnitentiæ virtutem pertinet, quæ proinde singularis virtus censenda est, tametsi ad objecta omnium virtutum se extendat, quatenus omne peccatum, sed motivo tamen proprio, detestatur.

Dices : Virtus theologica non consistit in medio, id est non versatur inter duos excessus et defectus extrema. Atqui pœnitentia nullum pati potest in peccati dolore excessum ; etenim quo magis Deum diligimus, eo amplius Dei offensam detestamur, quo fit ut quemadmodum S. Bernardo teste modus diligendi Deum est ipsum sine modo diligere, ita detestationi peccati nullus modus definiatur ; subindeque contritio, quæ est præcipuus Pœnitentiæ actus, vehementissimum animi dolorem conjunctum habet, ut superius dictum fuit : ut enim maxime diligendus est Deus, ita quæ nos a Deo alienant, maxime detestari debemus ; quia, sicut ille summum bonum est inter omnia quæ diligenda sunt, ita peccatum summum est malum inter omnia quæ odisse homines debent. Ergo pœnitentia non specialis virtus est, sed ad theologicas reducitur, et ad caritatem præcipue spectat : unde eodem loquendi modo caritatis et contritionis modus et magnitudo sacris in Litteris significantur : nam, sicut Deum ex toto corde diligere præ-

cipimur, ita ad eum toto corde converti mandamur.

Respondeo, quod, licet non possit esse vitiosus de peccato, ut opponitur amicitiæ divinæ, dolor, de peccato tamen ut est offensa Dei satisfactione pœnitentis resarcienda dolor nimius contingere potest; talis enim potest esse tristitia quæ inducat in desperationem, ut Cain et apostatæ Judæ exemplis supra relatis claret : potest etiam esse in remissiore et molliore dolore defectus.

Nec valet si replices, hunc excessum se tenere ex parte subjecti, non ex parte objeti; qui excessus in theologica virtute contingere potest, ut cum quis amore Dei illectus plus juxto contemplationis ardoribus incumbit; vel divinis promissis fretus, beatitudinem sine meritis et labore obtinere præsumit. Verumtamen, sicut nimia esse non potest dilectio, attenta infinita Dei amabilitate; nec nimia spes, considerato bonitatis Dei hominem beaturæ auxilio : ita nec nimius de peccato voluntatis dolor concipi potest, si offensa Dei majestatis ex talis et tanti objecti dignitate appendatur. Non valet, inquam, hæc replica : hoc enim discriminis virtutes theologicas inter et morales interest, quod istarum actiones prudentia humana saltem infusa metitur, et definit : illæ vero ex se nullis prudentiæ humanæ regulis subjacent, sed omnes transiliunt, nullasque in objecti infiniti prosecutione sibi præscribi metas patiuntur. At pœnitentia ex meritis objecti, peccati scilicet ut reparandi, pensata humanis supponitur normis, quibus et locus, et tempus, et modus satisfaciendi pro numero et gravitate criminum præstituuntur. Unde patet quod pœnitentia non sit virtus theologica, cum ejus materia et objectum formale non sit Deus, sed actus humani, quibus Deus offensus placatur.

Instabis : Pœnitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo et offensa Dei perpetrata, ad hoc enim sufficeret charitas : sed ex eo quod pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei per satisfactionem emendanda, quæ emendatio offensæ, ut ait S. Thomas art. 3. non fit per solam cessationem offensæ, « sed exigitur ulterius quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut et retributio. » Et, ut scite dixit Augustinus lib. 50. *Homiliarum*, hom. 50, « non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis, » etc. Atqui hoc totum pertinet ad justitiam, ut patet. Ergo pœnitentia non est virtus specialis, sed a virtute justitiæ proficiscuntur actus pœnitentiæ : justum enim est ut qui offendit alterum, ipsi emendatione, retributione, et punitione satisfaciat. Unde idem Augustinus ad justitiam sic pœnitentiam revocat epist. 55 : Nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod mali fecerit, impunitum esse non sinat : eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cujus altum justumque judicium nullius contemptor evadit. »

Respondeo certum esse, pœnitentiam esse partem justitiæ; nec tamen propterea sequitur pœnitentiam esse ipsam justitiam; licet enim omnis virtus quæ est ad alterum, et debitum ei reddit, justitiæ pars sit, et ideo justitia virtus generalis dicatur quia tamen in materia justitiæ diversa sunt objecta formalia partialia, diverse etiam distinguuntur partes justitiæ, sive integrales, sive, ut loquitur S. Thomas, potentiales, id est quæ a perfecta ratione justitiæ deficiunt : quæ quidem in hoc sita est, quod alteri reddatur quod ei debetur secundum æqualitatem. Dupliciter autem aliqua virtus ad alterum existens, ut erudite ostendit S. Thomas 2. 2. quæst. 80. art. 1. a ratione justitiæ deficit : uno quidem modo, inquantum deficit a ratione æqualis : alio modo, inquantum deficit a ratione debiti. Sunt enim quædam virtutes quæ debitum quidem alteri reddunt, sed non possunt reddere æquale. Et primo quidquid ab homine Deo redditur, debitum est, æquale tamen esse non potest, ut scilicet tantum homo Deo reddat, quantum debet, secundum illud Psalmi : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et ideo adjungitur justitiæ religio, quæ divinæ naturæ cultui studet. Secundo parentibus non potest secundum æqualitatem compensari quod eis debetur, ut patet per Phylosophum 8. *Ethic.* cap. ultimo, et sic adjungitur justitiæ pietas, per quam, ut Tullius ait, sanguine junctis patriæque benevolis officium et diligens tribuitur cultus. Tertio non potest secundum æquale præmium recompensari ab homine virtus, ut patet

per Philosophum in 4. *Ethic.* et ideo adjungitur justitiæ observantia, per quam homines virtute præcellentes et aliqua nos dignitate antecedentes quodam specialiori cultu et honore dignamur. A ratione vero debiti deficit homo, cum id quod necessarium est non persolvit : porro dupliciter aliquid est necessarium, vel quia sine eo honestas morum conservari non potest, vel quia ad majorem honestatis abundantiam confert. Primum debitum exigit ut homo talem se exhibeat alteri in verbis et factis, qualis est. Et ideo adjungitur justitiæ veritas, per quam ea quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, immutata dicuntur. Exigit etiam hujusmodi debitum ut bona in nos collata gratitudine muneremus, mala vero propulsemus : prius præstat gratia seu gratitudo, qua amitiarum et officiorum alterius memoria, et illius remunerandi voluntas continetur : posterius præstat justa vindicatio, per quam vis aut injuria et omnino quidquid obfuturum est, defendendo aut ulciscendo cum moderamine inculpatæ tutelæ propulsatur, non animo nocendi, sed unius nocumenti duntaxat præcavendi gratia.

Quia ergo inter hominem pœnitentem et Deum offensum non invenitur æqualitas et aliunde bonum quod homo pœnitendo reddit Deo est particulare, et infinitis titulis Deo debitum ; bonum vero divinum quod auferre nisus est universalissimum et infinitum est, subindeque diversi immensum ordinis, manifestum est pœnitentiam a perfectæ justitiæ ratione deficere. Nec valet si respondeas, ad justitiam commutativam et perfectam non esse necesse quod peccator de facto satisfaciat, vel possit satisfacere ad æqualitatem, sed quod eligat satisfacere, si fieri potest quemadmodum liberalitas in paupere invenitur qui sincere bona et pecunias honesta largitate profunderet, si per facultates liceret. Non valet, inquam, hæc responsio; quia ad rationem virtutis requiritur electio efficax alicujus possibilis, tum ex natura objecti, tum ex conditione subjecti secundum se considerati. Cum enim virtus sit habitus electivus, et electio non nisi ad possibilia feratur, manifestum est virtutem non circa impossibilia nugari, sed possibilia appetere, et consona, sibique proportionata eligere : satisfacere autem Deo ad æqualitatem est quid cuivis puræ creaturæ impossibile, et pœnitentis statui repugnans : unde qui eligeret Deo ad æqualitatem satisfacere, non tam virtutis actum eliceret, quam superbæ præsumptionis conatum suæ paupertatis nescius pertentaret, Non ergo sibi persuadeat peccator, se æquale posse Deo reddere, sed gratia et meritis Christi Redemptoris adjutus si non reddit quod debet, reddat certe quod potest. Unde D. Thomas sic erudite discurrit art. 3. p. 3. quæst. 85 : « Sciendum est quod secundum Philosophum in 5. *Ethic.* dupliciter dicitur justum, scilicet simpliciter et secundum quid : simpliciter quidem justum est inter æquales, eo quod justitia est æqualitas quædam ; quod ipse vocat justum politicum vel civile, eo quod omnes cives æquales sunt quantum ad hoc quod immediate sunt sub Principe, sicut liberi existentes. Justum autem secundum quid dicitur, quod est inter illos, quorum unus est sub potestate alterius ; sicut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro. Et tale justum consideratur in pœnitentia. Unde pœnitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut servus ad dominum, secundum illud Psalm. LXXXII : *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Et sicut filius ad patrem, secundum illud Luc. XV : *Pater peccavi in cœlum, et coram te.* Et sicut uxor ad virum secundum illud Jeremiæ III : *Fornicata es cum amatoribus multis, tamen reverte ad me, dicit Dominus.* »

Urgebis cum Cajetano existimante pœnitentiam non distingui a virtute religionis : ejusdem virtutis est respicere bonum et malum ipsi oppositum : at pœnitentia respicit malum virtuti religionis adversum; religio quippe circa cultum et honorem Dei occupatur ; pœnitentia vero injuriam honori divino intentatam sarcire conatur. Ergo, si pœnitentia ad aliquam speciem justitiæ pertinet, profecto ad religionem reducenda est, cum tota quanta est ad honorem divinum reparandum connitatur, et ejusdem virtutis sit jus et honorem illæsum servare, et læsum reparare.

Respondeo pœnitentiam respicere peccatum non præcise prout divino cultui opponitur, sed quatenus est satisfactione compensandum ; unde, licet possit a religione, quæ est quædam virtus generalis, imperari ; ab ea tamen actus pœnitentiæ non eliciuntur, sed intra proprium objectum religio sistit, quod est cultus Deo ut supremo Domino omniumque creatori et gubernatori ratione

infinitæ excellentiæ debitus, a qua ratione et aliæ virtutes, et ipsa pœnitentia abstrahunt. Quia nimirum objectum pœnitentiæ est jus divinum læsum per satisfactionem et compensationem quamdam reparabile, quod Religio per se non attendit. Hanc rationem tradit S. Thomas in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 5. dicens : « Aliquis efficitur Deo debitor per hoc quod ab eo aliquid recipit, et hac ratione Deo reddit debitum honorem latria sive religio : alio modo ex hoc quod contra Deum peccavit, et sic reddit Deo debitum pœnitentia. » Quibus in verbis rationem fundamentalem a nobis traditam insinuat, quia nimirum religio et pœnitentia objectum suum sub diversa formali ratione respiciunt; religio enim respicit cultum Deo ut supremo Domino tribuendum, qui utique tribuendus est ab innocente, tametsi nullis sit peccatorum maculis sordidatus, nec Deum peccando offenderit; pœnitentia vero peccatum ut expiandum, jusque divinum læsum ut resarciendum attendit. In quo sane specialem difficultatem patitur, quam religio non emollit ; proclive enim est supremi Domini excellentiam omnibus venerationis obsequiis prosequi ; at in satisfactionem juris divini læsi animum corpusque macerare, et voluntario se dedere mœrori, ex quo digni pœnitentiæ fructus proficiscantur, hoc opus, hic labor est. Quod vero dicitur, ejusdem virtutis esse jus et honorem illæsum servare, et læsum resarcire, verum est sistendo intra præcisam materiam et veluti lineam honoris ; eadem religio, v. g., et Deum honorat, et inhorantes detestatur : si tamen ad restituendum jus læsum præter cultum Deo exhibendum desideratur punitio et vindicatio rei, ratione novæ illius difficultatis specialis exigitur virtus, quæ ad Deum vindicandum arma capessat.

Insistes : Eadem virtute justitiæ commutativæ in humanis constituitur æqualitas in emptionibus et venditionibus, in offensis et injuriis. Ergo similiter eadem virtute religionis exhibere Deo cultum pro beneficiis, et satisfacere pro offensis absque novæ virtutis adjumento possumus.

Respondeo esse disparitatem, quia in humanis invenitur æqualitas, secus inter Deum et creaturas : unde eadem virtute possunt sibi homines invicem tam pro rebus acceptis in commutationibus, quam pro injuriis illatis satisfacere. At vero nequit pura creatura nec pro beneficiis acceptis, nec pro injuriis importatis Deo æquale reddere : unde non datur una virtus illam perfectam æqualitatem intendens et præstans. Si replices, eamdem id præstare virtutem, tametsi sub rationem inæqualitatis ; unde deficiet quidem a perfecta ratione justitiæ, sed non ab ejusdem virtutis, puta religionis, unitate, respondebo inæqualitatem illam diversimodis a distinctis virtutibus servari : alia enim ratione religio reddit, etsi inæqualiter, Deo cultum, alia ratione pœnitentia satisfactionis debitum inæquale persolvit : prior uni Dei reverentiæ studet, posterior ejusdem offensi placationi operam dat.

Persistes : Eadem pietate filius patri reddit debitum, et injuriis patri illatis satisfacit, jus paternum ubique respiciens, ubique servans. Ergo eadem religione et cultum Deo exhibemus, et irrogatas ei injurias compensamus.

Respondeo discrimen multiplex a variis assignari. Primo, quia pietas, sive dum patrem honorat, sive dum patrem placat, semper idem debitum, jus nimirum paternum respicit ; at vero virtus reddens debitum Deo cultum pro beneficiis, jus divini dominii respicit ; virtus autem satisfaciens pro injuriis, jus proprietatis, ratione cujus omnia in Deum referri debent, attendit. Sed hæc disparitas non multum satisfacit : nam etiam pater habet non solum jus dominii, sed etiam proprietatis in filios, tanquam in rem suam, quam potest etiam in necessitate vendere, locare, et commodare : maxime quia filius etiam innocens patrem venerari tenetur, filius vero ingratus insuper tenetur injurias patri illatas sarcire : ergo, si eadem pietas utrumque præstat, quidni utrumque erga Deum eadem præstabit religio. Secundam rationem discriminis ex eo petunt alii, quod offensa filiorum in parentes non alia labe sordescit, quam impietatis et ingratitudinis, quam proinde opposita pietatis aut gratitudinis virtus sufficienter compensat. At vero peccatum mortale præter turpitudinem oppositam cuilibet virtuti cui adversatur, importat insuper specialis injustitiæ labem, virtute proinde speciali a religione et alia quavis distincta reparandam. Sed hæc etiam differentia vim argumenti non evacuat ; nam peccatum et injuria filii in patrem, nedum impietatis, sed etiam specialis injustitiæ rationem habet ; gravius enim est non reddere parentibus quæ debentur a filiis, quam aliis debita sua non

persolvere : hanc ergo specialem injustitiam si una pietas sarcit, cur injustitiam peccati in Deum commissi non compensabit illa virtus, cujus est divino honori consulere et cultu antequam lædatur, et pœnitentia ac sacrificio spiritus contribulati, postquam læsus est, et per peccatum ablatus ?

Verum ergo discrimen non est aliud præter id quod a D. Thoma paulo ante memorato positum est, in hoc consistens, quod religio et pœnitentia jus quidem Dei, sed diversa tamen ratione respiciant : nam religio jus divinum attendit ut omni obsequiorum et cultus genere promovendum ; pœnitentia vero jus illud, sed ut læsum et debita satisfactione compensandum considerat : unde utraque virtus circa peccatum diverso etiam motivo versatur ; religio namque peccatum qua divinum dominium coarctat et quadantenus usurpat, detestatur ; pœnitentia vero peccatum ut destruendum et debita castigatione puniendum insectatur. At vero pietas filii idem jus paternum, sive dum cultum exhibet, sive dum injuriis patri illatis satisfacit, intuetur ; nec peccatum in patrem admissum detestatur, nisi quia infanda impietatis labe conspurcatur.

Pro solutione aliarum objectionum præ oculis habenda est præclara D. Thomæ doctrina quam habet art. 3. ad 4, ubi tradit quod, licet pœnitentia sit directe species justitiæ, comprehendit tamen quodammodo ea quæ pertinent ad omnes virtutes. In quantum enim est justitia quædam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quæ sunt virtutum theologicarum, quæ habent Deum pro objecto ; unde pœnitentia est cum fide Passionis Christi, per quam justificamur a peccatis ; et cum spe veniæ, et cum odio vitiorum, quod pertinet ad caritatem. Inquantum vero est virtus moralis, participat aliquid prudentiæ, quæ est directiva omnium moralium virtutum. Sed ex ipsa ratione justitiæ non solum habet id quod ex justitia est, sed etiam ea quæ sunt temperantiæ et fortitudinis, inquantum scilicet ea quæ delectationem causant, ad temperantiam pertinent, vel quæ terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in communionem justitiæ veniunt. Et secundum hoc ad justitiam pertinet et abstinere a delectabilibus, quod pertinet ad temperantiam ; et sustinere dura, quod pertinet ad fortitudinem.

Observa rursus, quod, quia pœnitentia punit peccatorem reum ad vindicandam Dei injuriam quam hominis afflictione et satisfactione resarcire intendit, ideo pœnitentia quemdam justitiæ vindicativæ modum præ se fert : deficit tamen a perfecta ratione justitiæ vindicativæ, quia hæc non est in reo, sed in judice, in quo habet rationem justitiæ commutativæ, quatenus respicit æqualitatem inter reum satisfacientem et personam offensam ineundam : et vocatur vindicativa, quia satisfactionem per modum pœnæ imponit. Ergo quia pœnitentia est in ipso reo, magisque intendit Deo satisfacere quam peccantem plectere, ideo enim eum punit, quia Deo læso satisfacere concupiscit ; ideo pœnitentia non est justitia vindicativa proprie dicta, uti Scotus arbitratus est, sed pars potentialis commutativæ, ut sæpe dixit D. Thomas, quia nimirum Deo nunquam satisfacit ad æqualitatem. Quamvis enim actus perfectæ contritionis ad Deum perfecte convertat, sicut peccatum mortale a Deo avertit, proindeque Deo restituat quod peccatum abstulerat : non tamen propterea tantum satisfacit contritio, quantum peccatum fuit injurium ; tum quia contritio id Deo reddit quod debet homo, etiamsi non peccet : plus ergo ab eo exigitur postquam peccavit ; nec ex æquo satisfacit offensæ per id quod deberet, etsi nulla offensa præcessisset. Tum quia, etsi contritio non minus habeat bonitatis moralis quam peccatum turpitudinis et malitiæ moralis, quia utraque ex objecto consono vel dissono regulis morum respective derivatur ; attamen valor satisfaciendi in contritione minor est, quam sit injuria peccati, quia valor et dignitas satisfactionis ex conditione personæ satisfacientis æstimatur ; gravitas vero injuriæ ex personæ læsæ gradu et dignitate expenditur. Quia ergo pura creatura quamlibet virtutibus opima et gratiis ornata, finita est, dignitas vero majestatis divinæ infinita est, nulla creaturæ satisfactio injuriam Deo illatam æquare ullatenus potest, ut libro de Deo homine operosius demonstravimus. Unde confutatum manet Durandi et Suaris placitum, pœnitentiam ad perfectam justitiam commutativam revocantium.

Observa tertio, quod, licet pœnitentia justitiam distributivam quadantenus imitetur, quatenus pro qualitate, gravitate, numero et modo criminum pœnas præscribit et distribuit ; a ratione tamen perfectæ justitiæ distributivæ recedit, quidquid in contrarium

dicat Gabriel ; tum quia perfectam proportionem inter satisfacientem et læsum servare non potest, cum pœna quæcumque imponatur finita sit, injuria vero Deo illata infinita, et finiti ad infinitum nulla sit proportio. Tum quia justitia distributiva nullum distribuenti debitum imponit, et ideo in Deo puniente et præmiante formaliter inveniri alibi ostendimus : in pœnitente tamen Deo læso satisfaciendi debitum inest, a quo nulla potest ratione eximi, donec Deo fecerit satis. Denique justitia distributiva in superiore præmia vel supplicia pro meritorum vel demeritorum modo disponente, dividente, et ex proportionis legibus metiente duntaxat invenitur : pœnitentia vero non nisi in inferiore superiorem offensum placare pro virili satagente reperitur. Ergo pœnitentia, tametsi modum justitiæ distributivæ æmuletur, perfecte tamen virtutis illius naturam non induit, nec ejusdem habet essentiæ consortium.

Observa demum, quod, licet theologos omnes recentiores pervaserit hæc opinio, in eamque mentem cuncti veniant, pœnitentiam esse ab omnibus aliis distinctam et specialem virtutem ; si tamen, lector, meam rogare aves sententiam, fateor a pervulgata illa sententia, qua omnes moderni imbuti sunt, recessisse nonnihil D. Thomam, me quoque tanti Magistri vestigia prementem nonnihil recedere, qui sancto doctori, ubi aperte suam mentem aperit, indivulse adhæreo. Quamvis enim Angelicus Præceptor docuerit et probaverit, pœnitentiam esse virtutem specialem, id est non consistere eam in aggregatione multarum virtutum, nec esse conditionem generalem virtutes cæteras vel comitantem vel transcendentem, ut olim Altisiodorensem, Majorem, et Alensem arbitratos fuisse ferunt, quorum placitum recte refellit S. Thomas ex specialibus actibus speciale objectum speciali motivo inspicientibus pœnitentiæ eximiis : attamen S. Thomam non intellexisse specialem virtutem, prout distinguitur contra aliquam peculiarem virtutem, sed prout uni omnium virtutum acervo et aggregationi opponitur, manifestum videtur ex articulo 5. q. 85 tertiæ partis, ubi inquirit de principio pœnitentiæ. Ibi enim postquam dixit habitum pœnitentiæ immediate a Deo infundi sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus, enumerat deinde actus quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur, aitque in conversione pœnitentis intervenire tum motum fidei, qua remissionem peccatorum in Ecclesia fieri certissime credit ; tum motum timoris servilis, quo quis timore supplicio rum a peccatis retrahitur ; deinde motum spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ, emendandi se, et ad meliorem frugem recipiendi propositum assumit ; postea motum caritatis vel perfectæ, vel certe inchoatæ, quæ propter Deum summe dilectum, vel certe quem ut omnis justitiæ fontem diligere incipit, omnem ejus offensam detestatur ; quove, inquit, « peccatum displicet secundum seipsum, et non jam propter supplicia. » Quibus omnibus succedit motus timoris filialis, « quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert. » Ex quibus sic concludit : « Sic igitur patet quod actus pœnitentiæ a timore servili procedit sicut primo motu affectus ad hoc ordinato ; a timore autem filiali sicut ab immediato et proximo principio. » Ergo virtus pœnitentiæ ex D. Thoma non distinguitur a timore filiali ; cum exerte doceat timorem filialem nedum imperare pœnitentiæ actus, sed esse eorum « immediatum et proximum principium. » Quia ergo timor filialis est specialis virtus, ut in tractatu de virtutibus, dissert. 3. cap. 2, ostensum est, pœnitentia etiam erit virtus specialis. Et certe hanc sententiam tum exemplum pietatis supra memoratum, tum ratio supra facta, ex eo petita, quod ad eamdem virtutem pertinet Deum revereri, ejusque jus illæsum servare, et læsum resarcire, valide confirmant. Et certe hoc testimonium D. Thomæ ita luculentum et expressum est, ut mirum sit recentiores Thomistas tam splendentem et oculis se ingerentem locum non advertisse.

Corollarium II.

Subjectum immediatum Pœnitentiæ est voluntas ; remotum est quivis peccati reus, vel capax.

Sequitur secundo, quod, licet pœnitentia, prout est passio et dolor sensibilis a mœrore non disjuncta, sit in appetitu concupiscibili, quod est sedes tristitiæ, vel in irascibili prout vindictam de peccato sumere intendit ; ira vero est appetitus vindictæ : tamen pœnitentiæ virtus cum sit justitiæ species, voluntati ut subjecto, sicut ipsa justitia inest,

ex quo deinde dolor in appetitum, et lacrymæ in oculos derivantur. Hinc Propheta pœnitentiam Psalm. L, *Sacrificium spiritus contribulati*, id est appetitus spiritalis, qu voluntas est, appellat; unde et a voluntate proficisci ait Psal. LIII : *Voluntarie*, inquit, *sacrificabo tibi.* In quo sacrificio, ut Cassiodorus ibi observat, spiritus superbiæ confessionis humilitate mactatur; unde non sanguis egreditur, sed lacrymarum fluenta decurrunt, quas Augustinus « Sanguinem cordis » nominavit. Hoc lacrymarum rore holocaustum voluntatis pingue fit. « Holocaustum siccum, » inquit Magnus Gregorius homil. 5. *in Ezechielem,* « est bonum opus, quod orationis lacrymæ non infundunt : pingue est, quando hoc quod bene agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur. » Hoc lacrymarum sacrificio dirigitur oratio nostra sicut incensum in conspectu Dei, et cœlum ipsum lacrymis rigatur, ut S. Chrysologus serm. 13. expendens illud Magdalenæ, *lacrymis rigabat pedes ejus*, observat : « En mutatur ordo rerum, » inquit, « pluviam terræ cœlum dat semper; ecce nunc rigat terra cœlum, imo super cœlos et usque ad ipsum Dominum imber humanarum prosilit lacrymarum : ut juxta Psalmistam et de aquis fletuum cantetur illud : *Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini.* O quanta vis in lacrymis peccatorum ! Rigant cœlum, terram diluunt, extingunt gehennam, delent in omne facinus latam divina promulgatione sententiam. » Hinc tantam vim lacrymis voluntarie susceptis sancti Patres asserunt, ut iis Deum cogi, invincibilem vinci, omnipotentem ligari, inclinari Dei majestatem, extingui iram contestentur. « Nemo ad Deum aliquando flens accessit, » inquit os Chrysostomi aureum, « qui non quod postulavit acceperit; nullus ab eo beneficia dolenter optavit, qui non impetrarit. Ipse enim est qui consolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat. » Et, quamvis in illis nonnihil mœroris et tristitiæ permixtum sit, solent tamen illæ animum pascere, mentem allevare : et, sicut post vehementes imbres mundus aer, fudus ac purus efficitur, ita et post lacrymarum pluvias serenitas mentis atque tranquillitas instauratur. Hinc lacrymas fuisse sibi panes die ac nocte Regius Propheta testatur, quia nimirum aquæ illæ in vinum optimum commutantur, dum in fervorem prodeunt caritatis. Quid ergo dulcius pane animarum, cibo mentium, corroboratione sensuum, absolutione criminum, lavacro culparum, in quibus odor vitæ, refectio spiritus, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis jucunditas, serenatæ conscientiæ juge convivium sensibiliter percipiuntur.

Dices : Ibi virtus ponenda est, ubi difficultatem experimur. Sed difficultatem operum pœnitentiæ appetitus sensitivus experitur, utpote in delectabilia a quibus pœnitens abstinet, nimis propensus; in ardua, quæ pœnitens vindicandorum scelerum causa aggreditur, nimis mollis et remissus. Ergo in appetitu sensitivo residet virtus pœnitentiæ.

Respondeo quod, cum objectum virtutis pœnitentiæ sit quid spiritale, nimirum jus divinum læsum justitia imperfecta compensandum, in subjecto spirituli, in quo justitia residet, pœnitentiam subjectari tenendum est. Porro difficultatem appetitus tam in deferendis delectabilibus, quam in tentandis suscipiendisque difficilibus, satis superque evincit virtutum moralium passiones moderantium instructissimum satellitium. Fateor tamen ex virtute pœnitentiæ in voluntate residente redundare in appetitum sacrum illum mœroris motum, et cordis compunctionem salutarem, sicut ex voluntatis plenitudine in passiones effluunt passionum illarum motus, qui voluntatis affectibus consentanei sunt; nam flante spiritu fluunt aquæ compunctionis et devotionis. Fit autem illa inundatio vel motus alicujus impressione, vel certe ex naturali facultatum sympathia et colligatione, qua vires animæ in eadem essentia radicatæ sibi mutua consensione respondent Et, quamvis voluntas non eliciat actus aliarum potentiarum, eos tamen imperat, et sæpe ex sui affectus abundantia inundat : unde cor resolutum in lamentis liquefit, tuncque percipitur ille sacer fluminis impetus qui civitatem Dei domum interiorem lætificat. Et, quamvis S. Thomas duplicem liberalitatem admittat, unam in voluntate, alteram in appetitu ; idem tamen de pœnitentia objici non debet, quia ad appetitum non spectat Deo satisfacere, jusque divinum læsum sarcire; pertinet tamen ad liberalitatem inordinatum pecuniarum amorem a nulla alia virtute frenatum moderari, sicut ipsius est res et pecunias cum lætitia, et facili parataque celeritate erogare; quæ prompti animi executio passione appetitus,

cupiditate nimirum temporalium frequenter retardatur.

Secunda pars corrollarii, quæ ait subjectum remotum pœnitentiæ esse quemcumque peccati vel conscium, vel certe capacem, docetur a S. Thoma art. 6. quæst. 85. his verbis : « Aliæ virtutes per se videntur esse necessariæ ad bonum hominis : pœnitentia autem supposito quodam, scilicet peccato præexistenti, » vel saltem possibili : ergo subjectum incapax peccati, pœnitentiæ virtute nec eget, nec instruitur. Unde infertur in Christo non fuisse habitum pœnitentiæ ; non enim datur virtus cujus actus sit impossibilis : Christus autem essentialiter impeccabilis, sicut peccare, ita pœnitere prorsus non potest : ac proinde non per actum pœnitentiæ, sed per actum justitiæ pro peccatis hominum condigne et de toto rigore satisfecit. Infertur etiam pœnitentiam in Angelis esse non posse, quia Angeli immobili et inflexibili libertatis arbitrio post deliberatam electionem gaudent, ut in tratatu *de Angelis* ostensum est : unde pœnitere non possunt, qui priorem voluntatem revocare non possunt. Infertur quoque, pœnitentiæ habitum fuisse Adamo ante peccatum cum gratia et virtutibus infusum. Cum enim in illo statu Adamus peccati capax esset, ut funesta experientia compertum est, pœnitentiæ etiam habitualis dono perfusus est. Infertur rursum, pœnitentiæ habitum cum cæterorum comitatu parvulis in baptismate infundi, quia ratione libertatis in utramque partem flexibilis, et peccare, et de peccatis dolere possunt. Infertur pariter, manere pœnitentiam in Beatis non solum quoad ornatum, sed etiam quoad actus secundarios, sive gratitudinis pro peccatis condonatis, sive gaudii de satisfactione alias Dei honoris reparandi gratia exhibita et peracta. Nec est simile de fide, aut spe, quia illam extinguit visio, istam ad nihilum redigit sperati boni æterna possessio.

An autem fuerit in B. Virgine pœnitentia, affirmant multi ; quia, etsi ex privilegio nunquam ne quidem venialiter peccaverit, potuit tamen ratione status viatoris, et conditione libertatis creatæ peccare. Negat Nugno cum aliis, quia non datur virtus ad impossibile, si præsertim ejus actus, sive primarius, sive secundarius nunquam proditurus est. In Beata autem Virgine peccatum erat impossibile, quia fomes peccati ab instanti primæ infusionis gratiæ vel extinctus omnino fuit, vel certe ligatus, et in conceptione tandem divini Verbi penitus evulsus : unde, sicut peccare non potuit, ita nec pœnitere. Et, quamvis Beatis insit pœnitentia, quibus tamen repugnat peccatum, non continuo idem de Deipara subinferre licet ; quia, licet peccare non possint, alias tamen in statu iræ peccaverunt ; unde potest in illis manere et exerceri actus voluntariæ displicentiæ peccatorum, et gratiarum actionis pro liberatione a peccato, et gaudii pro satisfactione idonea Deo læso persoluta. Sane, cum habitus dentur propter actus aliquos exercendos, quando actus omnis est impossibilis, undecumque impossibilitas illa proficiscatur, habitus etiam vel non est possibilis, vel certe non est consentaneus, sed potius inanis et supervacaneus censendus. Huic secundæ sententiæ, nisi meus me fallit animus, probabiliori, et Matrem honorificatam magis decenti libens subscribo. Nec eam aliquo virtutis ornamento spoliamus, cum eo careat Christus citra honoris vel decoris illius immutationem ; quia, ut bene dixit D. Thomas, pœnitentia non per se, sed supposito peccato appetibilis est, similis medicinæ quæ morbum vel præteritum sanat, vel futurum præcavet. Sicut ergo in Maria nec fuit, nec potuit de potentia ordinaria esse peccatum, ita frustra et otiose in ea poneretur pœnitentia ; quæ, ut aiunt Patres, est medicamentum vulnerum, spes salutis, peccatorum remedium ; qua spiritus contribulatus cruciatur, et caro sacro timore configitur : qua ligata solvuntur, clausa reserantur, contrita sanantur, confusa lucidantur ; qua peccatorum causæ exciduntur, et peccandi suggestionibus aditus præcluditur ; qua a malefactis recedimus, mores in melius commutamus, Deoque satisfacimus per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium ; qua peccata diluuntur, languores sanantur, leprosi curantur, mortui suscitantur, sanitas augetur, gratia reparatur, claudis gressus, aridis copia, cæcis restituitur visus : qua denique, ut Magnus Gregorius scite dixit, « anima lacrymis baptizata renovatur. »

Corollarium III.

Varii Pœnitentiæ effectus ordine recensentur.

Sequitur 3° varios esse Pœnitentiæ tam virtutis, quam sacramenti effectus, ut patebit accurata inductione.

Primus effectus, remissio peccati mortalis.

Primus Pœnitentiæ effectus est remissio peccati mortalis, unde nullum est peccatum lethale tam grave vel immane, nullus tantus peccatorum numerus, qui vera pœnitentia non deleatur. Hanc veritatem docent sacræ Litteræ, Ezechiel. XVIII : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur : omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor : in justitia sua quam operatus est, vivet. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* Et infra : *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus ; revertimini, et vivite.* Et cap. XXXIII : *Vivo ego, dicit Dominus Deus : nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini, domus Israel?... Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.*

Eamdem veritatem inculcat Isaias cap. I : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur : et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Et cap. LV : *Derelinquat impius viam sum, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus ; et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Idemque clamat Jeremias cap III : *Revertere adversatrix Israel, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis : quia sanctus ego sum, et non irascar in perpetuum.... Convertimini filii revertentes, et sanabo aversiones vestras.* Et cap. XVIII : *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo ; quod loquutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.* Item Joelis II : *Convertimini in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum ; quia benignus, et misericors est, patiens, et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia ;* id est, cujus clementia malitiæ humanæ immensum præstat : adeo ut, sicut exponit Hieronymus, si nos egerimus pœnitentiam super peccatis, ipsum quoque comminationis pœniteat, et mala quæ comminatus est, non inferat, nostræque mutatione sententiæ ipse mutetur. Denique Zachariæ I : *Hæc dicit Dominus exercituum : Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.... Revertar ad Jerusalem in misericordiis.*

Astipulantur SS. Patres. Cyprianus lib. *ad Demetrianum* : « Quando istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus ; in isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est, patet ad indulgentiam Dei aditus. » Chrysostomus epist. V : « Tanta est Dei benignitas et erga nos amor ; nunquam aversatur pœnitentiam sincere factam : si quis ad malitiæ fines olim penetrarit, illinc eum ad virtutis viam reducere conatur, et recipit redeuntem. » Denique pleni sunt hac veritate omnes Patrum libri, eorum præcipue qui adversus crudele Novatianorum dogma pugnarunt. Unde concilium Lateranense cap. *Firmiter*, sic definit : « Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam semper reparari potest. »

Ratio vero sequitur ex dictis : Sacramenta enim id efficiunt quod significant. Cum ergo sacramentum Pœnitentiæ significet peccata saltem mortalia remitti, ut patet ex verbis formæ, *Ego te absolvo*, manifestum est per pœnitentiam peccata lethalia remitti : alioquin sine causa dixisset Christus Joan. XX : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Unde Tridentinum sess. 14. cap. 1. et can. 1. et 3. definit sacramentum Pœnitentiæ esse ad remittenda peccata post baptismum commissa institutum. Et Catechismus Romanus part. 2. num. 23. optime dixit, nullum esse tam grave et nefarium scelus, quod Pœnitentiæ sacramento non quidem semel, sed iterum, et sæpius non deleatur. Unde S. Joannes cap. I. suæ primæ epistolæ : *Si confiteamur*, inquit, *peccata nostra, fidelis est, et justus ut remittat nobis peccata nostra.* Et paulo post : *Si quis peccaverit*, inquit, *advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris ; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Hinc etiam num. 42. recte observat, quod, licet pleraque alia pietatis studia, veluti beneficentia in pauperes, jejunia, orationes, et alia id genus sancta et honesta opera, hominum culpa, a quibus proficiscuntur, a

Deo interdum repudientur ; ipsa tamen contritio nunquam illi grata et accepta esse non potest, juxta illud Prophetæ Psal. L : *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Quin etiam statim ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui declarat idem Psalmographus Psal. XXXI : *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Unde patet veræ pœnitentiæ eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim a Domino impetremus.

Id ipsum optime confirmat ratio S. Thomæ 3. p. quæst. 86. art. 1. ex libertate humani arbitrii et divinæ gratiæ efficacitate petita. Si enim peccatum pœnitentia deleri non posset, ideo esset, quia vel homo de peccato pœnitere nequiret, vel quia Deus hominis pœnitentis peccatum delere non vellet : utrumque autem est erroneum ; primum quidem, tum quia libertatem voluntatis enecat, tum quia gratiæ divinæ per se efficacem virtutem eliminat, per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad pœnitendum, juxta illud Proverb. XXI : *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud.* Secundum etiam divinæ misericordiæ injurium est. « Vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, » inquit D. Thomas, « si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet. »

Argumenta Novatianorum divinæ clementiæ hostium supra diluimus : supersunt quædam Scripturarum et Patrum sententiæ, quibus videntur affirmare aliqua peccata remitti non posse, nec eorum veniam peccantes impetrare ullatenus potuisse ; nam de Esaü ait Apostolus Hebr. XII. quod *non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisiisset eam.* Et de Antiocho II. Machabæor. IX. dicitur : *Orabat scelestus Deum, a quo non erat misericordiam consequuturus.* De peccato etiam in Spiritum sanctum dicitur Matth. XII : *Qui dixerit contra Spiritum sanctum verbum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Et clarius Marci III : *Omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiæ, quibus blasphemaverint. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Idem docet Augustinus lib. 3. *de serm. Domini in Mont.* cap. 22. de peccato illo quo quis post acceptam agnitionem Dei oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam invidiæ facibus agitatur.

Verum hæc omnia ita cum Ecclesia Catholica interpretari oportet, ut difficilem admodum esse hujusmodi peccatorum veniam intelligamus ; quia, sicut quidam sunt morbi quibus non solum gravatur infirmus, sed etiam quibus affectus ægrotus salutaris medicinæ vim oderit : sic quoddam est peccati genus, quod non solum gratiæ adversatur (id enim omni sceleri lethifero commune est) sed etiam gratiam ipsam repellit et odio habet, rebelle lumini, scientiam viarum Dei nolens, et gratiam veluti importunam et infensam cupiditatibus, quas adorat, detestans. Verumtamen quia misericordiæ divinæ nec modus est ullus, nec numerus, possunt illa quamlibet immania scelera, accedente sinceri cordis Pœnitentia remitti omnipotentissima gratiæ potestate, quæ etiam interdum *in profundum maris convertit*, ut dicitur Ps. LXXVI, ubi Augustinus : « Convertit eos qui in profundo hujus sæculi jacent demersi pondere peccatorum. Intelligitur hoc dixisse Dominum nostrum, quod sua misericordia converteretur etiam in profundum maris, ad eos liberandos qui sunt desperatissimi peccatores. » Nihil autem mirum, si Esaü vel Anthiochus peccatorum veniam non impetrarint, quia vera utrique defuit Pœnitentia ; Esaü quidem, ut patet ex hoc quod dixit Genes. XXVII : *Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum.* Unde internam peccati voluntatem nefarius retinebat. Antiochus vero, quia, ut ait D. Thomas ad 1, « dolebat de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem quam patiebatur. » Unde non erat in illo nisi simulacrum et larva Pœnitentiæ, quam sane, vereor equidem, ne Christianorum perpetuo relabentium paschalis Pœnitentia, vel in horam mortis dilata imitetur. Et idem dicendum est de peccato in Spiritum sanctum, quod utique nunquam remittitur, si de finali impœnitentia intelligatur, cum post hujus vitæ finem nulla contingat remissio peccatorum. Vel si intelligatur de peccato malitia, vel de blasphemia in ipsam sancti Spiritus personam prolata significare Salvator voluit, non nisi difficillime peccatum illud condonari ; tum quia excusatione caret malitia, proditque velut ex adipe iniquitas

transiens in affectum cordis ; tum quia peccatum illud gratiam et pietatem, totiusque gratiæ et pietatis fontem Spiritum sanctum fastidit, floccifacit, et temerario ausu repellit : ægre autem sanari potest ille morbus et ferme desperatus censendus est, quo ægrotus medicinam odit, et medicum ipsum execratur.

Porro usqueadeo verum existimat S. Thomas Pœnitentia vera, adjuncto præsertim Sacramento, omnia deleri peccata lethifera, ut articulo 3. quæst. 86. concludat, fieri ulla potentia non posse, ut per virtutem Pœnitentiæ unum peccatum sine alio remittatur. Quod breviter contra Scotum et Suarem existimantes Deum per extrinsecam condonationem posse unum sine alio peccato remittere, demonstratur. Impossibile est peccatum, quod est privatio gratiæ, sine ejusdem gratiæ infusione deleri ; sicut impossibile est aerem tenebrosum sine lucis perfusione illuminari. Atqui gratia sanctificans nullum peccatum mortale compatitur, nec cum illo sociari unquam potest, ut in tractatu *de Gratia* fuse ostensum est : quia per gratiam sanctificantem fit homo sanctus, mundus, Deo acceptus ; quæ omnia ne vel unum peccatum mortale compatitur, cum repugnet eumdem hominem esse simul amicum et hostem Dei. Igitur per Pœnitentiam non potest unum mortale sine alio remitti.

Id confirmat S. Thomas, quia peccatum mortale non potest sine vera Pœnitentia remitti, « ad quam pertinet deserere peccatum, inquantum est contra Deum ; quod quidem est commune omnibus mortalibus : ubi autem est eadem ratio, est et idem effectus. Unde non potest esse vere pœnitens, qui de uno peccato pœnitet, et non de alio : si enim ei displiceret illud peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum (quod requiritur ad rationem veræ pœnitentiæ) sequeretur quod de omnibus peccatis pœniteret. Unde sequitur quod impossibile sit unum peccatum per pœnitentiam remitti sine alio. » Denique id esse contra perfectionem misericordiæ Dei, ait Angelicus Doctor ; cum enim ejus perfecta sint opera, cujus miseretur, totaliter miseretur. Unde auctor libri *de vera et falsa Pœnitentia*, c. 9 : « Quædam impietas infidelitatis est, ab illo qui justus et justitia est dimidiam sperare veniam. » Quin in humanis « ridiculum videtur, » verba sunt D. Thomæ ad 4, « quod etiam ab homine aliquis veniam peteret de una offensa, et non de alia. » Potest quidem homo, qui plura peccata committere consuevit, cessare ab uno, et in alio patrando perdurare, sed culpa et macula relicta deleri nequit, nisi omnis prorsus abstergatur. Nec obest quod peccata non sint connexa, quia, ut optime ait S. Thomas ad 3, peccata quamvis non sint connexa quantum ad conversionem ad bonum commutabile, sunt tamen connexa quantum ad aversionem a bono incommutabili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia : et ex hac parte habent rationem offensæ, quæ gratia sanctificante remittitur, et vera pœnitentia deletur. Unde is cui peccatum in justificatione remittitur, est in Christo Jesu : nihil autem, teste Apostolo Rom. VIII, *damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu ;* et « in renatis nihil odit Deus », ut ait Tridentinum sess. 5. can. 5. quod ad justificatos sacramento Pœnitentiæ reconciliatos extendendum est.

Secundus Pœnitentiæ effectus : Remissio pœnæ æternæ, ac etiam temporalis pro ratione pœnitentiæ.

Secundus Pœnitentiæ effectus est remissio reatus pœnæ æternæ, atque etiam temporalis pro ratione Pœnitentiæ susceptæ. Remissio quidem pœnæ æternæ, reatus enim pœnæ æternæ consequitur peccatum in quantum est aversio a bono incommutabili ; justum quippe est, ut qui contra æternum bonum peccavit, æternum puniatur : atqui per gratiam tollitur hujusmodi aversio, quæ est de essentia peccati, et se habet sicut formale in illa, ut docet D. Thomas, et nos in tractatu de actibus moralibus ostendimus, ubi malitiam moralem in privatione esse sitam cum S. Præceptore monstravimus. Ergo per gratiam pœnitenti collatam pœna æterna tota remittitur.

Et obiter observari velim verba D. Thomæ art. 4. ad 2, ubi sic habet : « Culpa mortalis utrumque habet, et aversionem a Deo, et conversionem ad bonum creatum : sed, sicut in 2. parte habitum est, eversio a Deo est ibi sicut formale ; conversio autem ad bonum creatum est ibi sicut materiale : remoto autem formali cujuscumque rei tollitur species, sicut remoto rationali tollitur species humana. Et ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur aversio mentis a Deo simul cum reatu pœnæ æternæ. » Quibus in verbis non solum habes rationem, cur remissa homini culpa, pœna quoque æterna remittatur : sed etiam quam

sibi constans sit S. Doctor in illa assertione, qua ubique docet malum morale in aliquo privativo essentialiter esse situm. Et, quamvis impræsentiarum loquatur de peccato habituali, idem tamen manifeste censet de peccato actuali, cum ex his quæ de peccato actuali in secunda parte, id est 1. 2. quæst. 71. art. 6. dixit, infert hic quid de culpa habituali dicendum sit. Unde quod in illa quæstione 71. quod pertinet ad substantiam actus humani « quasi materiale », illud vero quod ad rationem mali pertinet « quasi formale » appellarit, non officit, quia illud *quasi* diminutive accipiendum non est, ut accipiunt positivæ malitiæ assertores : nam illud subterfugium vel offendiculum sui interpres removet S. Præceptor in præsenti, declarans eodem sensu se illi dixisse « quasi », quo hic dicit « sicut ». Utrumque vero ideo dixit S. Doctor (ut bene notat P. Nicolai positivæ deformitatis acerrimus passim impugnator, quam etiam absurdum et indignum figmentum appellat, a nonnullis velut ipsa D. Thomæ doctrina venditatum, cui tam evidenter adversatur tamen) : ideo, inquam, dixit S. Doctor, quia in moralibus non potest esse verum materiale, nec verum formale, sicut est in physicis. Maxime quia, si præter illud « quasi formale », agnovit D. Thomas aliam positivam iniquitatem, quæ sit vere, et si dicere licet, « formaliter formale », alicubi, vel aliquando rerum Doctor accuratissimus quæstionem illam millies versans illud verum formale expressisset, et proprio nomine designasset : at illud hactenus invenire adversarii non potuerunt. Sed de his satis alibi.

Secunda pars corollarii, affirmans per pœnitentiam remitti etiam pœnam temporalem pro ratione et fervore pœnitentis, supponit pœnæ temporariæ reatum etiam remissa pœna æterna remanere posse, et sæpe, imo ordinarie solere : quia, ut recte augmentatur S. Doctor, in peccato præter aversionem a bono incommutabili est etiam conversio ad bonum commutabile, cui pœna debetur ; justum est enim, ut qui voluntati suæ plus indulsit quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur. Unde Apocalypsis XVIII. dicitur : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum et luctuum.* Quia tamen conversio illa ad bonum commutabile finita est, non habet ex hac parte peccatum cui debeatur pœna æterna, sed tantum temporalis. Hoc supposito facile probatur secunda hujus consectarii pars ; sacramentum Pœnitentiæ, quamvis remittat peccata virtute passionis Christi, non tamen ea delet nisi secundum modum propriorum actuum, qui sunt hujus sacramenti materia ; et ideo non statim post primum actum Pœnitentiæ, quo remittitur culpa, solvitur reatus totius pœnæ, sed completis omnibus Pœnitentiæ actibus, id est non tantum contritione, vel etiam confessione, sed etiam satisfactione actuali, sive in hoc sæculo, sive in purgatorio exsolvenda. In quo a sacramento Baptismi differt Pœnitentia ; in illo enim, ut ait S. Thomas ad 3, homo participat totaliter virtutem passionis Christi, utpote per aquam et Spiritum commortuus peccato, et in eo regeneratus ad novam vitam ; et ideo in Baptismo homo consequitur remissionem reatus totius pœnæ : at vero in sacramento Pœnitentiæ passio Christi non nisi mediis pœnitentis actibus applicatur. Quamvis autem passio Christi suo pretio sit reconciliandis omnibus hominibus, totique pœnæ statim remittendæ sufficientissima, suum tamen non sortitur effectum, nisi in illis quibus applicatur, et pro modo applicationis pœnitentium. Nec est contra legem amicitiæ, si ab amicis suis, condonata ipsis pœna æterna, satisfactionem temporariam exigat supremus Judex et publicus Legislator, ut publicæ juris læsi justitiæ fiat satis. Unde Macchabæorum lib. II. c. XII, pro illis etiam qui cum pietate dormierunt, et optimam habuerunt repositam gratiam, sacrificium ad eorum reatum expiandum offertur ; et pro eis exorare ut a peccatis solvantur, id est a pœna quæ temporaliter luenda remanet, liberentur, sancta et salubris cogitatio nominatur. Hinc Tridentinum sacrum Concilium sess. 14. cap. 8. sic habet : « Sancta synodus declarat falsum omnino esse et a verbo Dei alienum, culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem hic error quam manifestissime revincitur. » Sed de his satis egimus supra tum cum de satisfactione sermonem habuimus. Ergo quo satisfactio fuerit perfectior, et pœnitentia major, eo minuetur reatus, seu luendarum pœnarum temporalium peccato debitarum obligatio : unde, si ea satisfactio imponatur, vel sponte suscipiatur, quæ gravitati criminum respondeat, ac prout oportet impleatur, toll

per eam poterit pœnæ omnis temporalis reatus.

Idem dicendum est de reliquiis peccatorum, pravis nimirum dispositionibus ex præcedentibus peccatorum actibus relictis, eas nimirum pro ratione fervoris pœnitentis evelli. Ad cujus evidentiam sciendum, vires animæ eo fieri debiliores et in peccatum propensiores, quo plus, vel diutius, vel frequentius homo peccavit; unde et in intellectu cæcitas, et in voluntate infirmitas, quibus animi ad bonum operandum robur magis magisque frangitur, consequuntur : pravas has ex peccato ortas, et in peccatum inclinantes reliquias non solet statim a principio pœnitentia curare, vel penitus exstirpare, quia, ut bene dixit Origenes hom. 8. *in Levit.*, « intuere quomodo anima, quæ peccati vulnus accepit, etsi curetur, tamen habet peccati cicatricem in loco vulneris residentem. » Nihilominus tamen cum pœnitens vehementissima animi contentione, singulari studio, et inusitato sacri caloris æstu, atque Spiritus sancti fervore concepto sit, ut ait alicubi in officio Ecclesia, in fide stabilis, in opere efficax, tunc vel omnes, vel certe plures peccatorum reliquiæ persanantur. Nam, sicut socrui Petri statim perfecta sanitas restituta est, ita ut surgens ministraret illis, ut dicitur Luc. IV, ita etiam quandoque tanta commotione convertitur cor pœnitentis, ut subito perfectam consequatur sanitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed etiam sublatis omnibus peccati reliquiis, ut patet, inquit D. Thomas de Magdalena Luc. VII. Non quod inde colligatur evidenter, sed attentis Magdalenæ doloribus, fletibus, atque modo pœnitendi toto vitæ decursu retento, id omnino consentaneum videtur. Et, quamvis Lucas pœnitentem illam, non Magdalenam, sed mulierem, quæ erat in civitate peccatrix, appellet, eam tamen fuisse Magdalenam constantissimum est, et bene ostendit P. Nicolai ad art. 5. Nam Maria illa quæ dicitur Lazari soror, quasi speciali quadam nota significatur, quod unguento Dominum unxit, Joan. XI : *Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis.* In Græco autem habetur, quæ « unxerat » et « exterserat », ut indigitaret Evangelista se non loqui de unctione futura, quam deinde cap. XII. recenset, sed de præterita, de qua Luc. VII. mentio fit. Hinc B. Gregorius hom. 33. *in Evangelia :* « Hanc vero, » inquit, « quam Lucas peccatricem, Joannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus septem dæmonia ejecta fuisse testatur. » Illam autem a septem dæmonibus liberatam, esse Magdalenam peccatricem ostendit S. Doctor subjungens : « Et quid per septem dæmonia, nisi universa vitia designantur ? Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ universis vitiis plena fuit » Nec mirum, nomen Magdalenæ a Luca premi, quia, ut optime ex Beda notat D. Thomas in *Catena aurea :* « Pulchre Evangelista, ubi eam cum Domino iter facere commemorat, noto hanc vocabulo manifestat ; ubi vero peccatricem, sed pœnitentem describit, mulierem generaliter dicit, ne nomen tantæ famæ prisci erroris nota fuscaret. » Gloriosum ergo Mariæ Magdalenæ nomen tunc solum debuit exprimi, quando potuit in ejus gloriam redundare.

Dices : S. Thomas ad probandum remissis culpa et æternæ pœnæ reatu remanere reatum pœnæ temporalis, atque etiam peccati reliquias, fundamento innititur quod infirmum vel caducum videtur, dum ait remissa culpa, « remanere tamen illud quod est materiale scilicet inordinatam conversionem ad bonum creatum, pro qua debetur reatus pœnæ temporalis. » Quod art. 4. in corpore et ad 1. et art. 5. inculcat. Id autem videtur difficile, tum quia per pœnitentiam et gratiam justificantem tollitur omne id quod habet rationem peccati, sive aversio a Deo sit, sive ad creaturam conversio. Tum quia pœna satisfactoria et temporalis non solum debetur peccato ratione conversionis ad bonum, sed potissime ratione aversionis a Deo : cujus signum est, quod longe gravior pœna peccati mortalis consciis quam sola in venialia prolapsis, non tantum in futuri peccati remedium, sed etiam in injuriæ Deo illatæ compensationem injungitur. Tum quia conversio illa inordinata in uno duntaxat peccato actuali amplectente stercora, et in objectum dissonum regulis morum tendente invenitur, non autem in peccato habituali, quod transacto actu manet, cum non semper habitus per actum producatur. Ergo nutat doctrinæ hactenus traditæ fundamentum.

Respondeo varie a variis S. Thomæ interpretibus verba illa per se satis nitida et aperta obscurari magis quam illustrari. In primis aliqui, quos sequitur Baptista Goné-

tus, dicunt S. Thomam loqui per quamdam analogiam et accommodationem ; nam, quia conversio est quædam inordinata adhæsio voluntatis plus æquo temporalibus addictæ, ideo illi attribuitur pœna sensus mediis creaturis inflicta; aversioni vero respondere dicitur pœna damni, qua homo divino bono æternum privatur, a quo sponte recessit ; revera tamen utrique illi malitiæ in peccato repertæ utraque pœna respondet, licet una uni, alteri altera per appropriationem assignetur. Verum hæc responsio difficultatem succumbit, dum S. Thomam accurate semper et formaliter loquentem ad sensus metaphoricos et analogicos sine necessitate detorquet. Alii, quibus idem Gonet astipulatur per conversionem illam intelligunt delectationem, quam quis ex objecto illicito sibi nimium indulgens percipit. Sed hæc expositio videtur a sensu D. Thomæ aliena ; tum quia delectatio illa nonnisi in actu peccati percipitur, qui transactus est et præteriit ; tum quia in pœnitente, in quo tamen remanere conversionem illam ait S. Thomas, delectatio illa non permanet, sed potius ob illam dolor contritione sentitur.

Alii cum Sylvio intelligunt, conversionem inordinatam manere quoad aliquem effectum, qui est inter Deum et hominem inæqualitas tandiu manens, donec fuerit justa pœnæ temporalis solutione satisfactum ; rectus namque ordo postulat, ut per satisfactionem ea inæqualitas ab homine pro virili parte compensetur. Unde inferunt pœnam gehennæ, cui homo peccato mortali obnoxius fit, complecti pœnam damni, pœnam sensus, et æternitatem utriusque : pœna damni aversioni, pœna sensus conversioni, æternitas utriusque pœnæ injuriæ et inimicitiæ adversus Deum respondet : primum et tertium vera pœnitentia tolluntur, sed secundum justo Dei judicio permanet ; non enim divina justitia pari cum Christianis lapsis atque cum recens baptizatis liberalitate, sed paulo strictiore agendum censuit, statuens ut non nisi adjuncta satisfactione pœna tota remittatur. Nam et justitiæ divinæ ratio exigere videtur, inquit Tridentinum sess. 14. cap. 8, « ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint ; aliter vero qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, et Spiritum sanctum contristare non formidaverint. » Unde eamdem plenariam indulgentiam non consequitur pœnitens, quam consecutus fuerat in baptismate, de quo ait S. Chrysostomus hom. 24. *in Joan.*, quod « in aqua baptismi tanquam in sepulcro caput immergentibus vetus homo sepelitur, emergentibus inde novus resurgit. » Verum hæc doctrina, licet multa commoda et vera contineat, difficultatis tamen punctum fugere videtur : nam illa inæqualitas, quam dimissa culpa remanere ait, non minus conversionem quam aversionem consequitur ; unde pœnæ satisfactoriæ pro utraque sustinentur, imo pro injuria Deo aversione illa intentata pœna potissimum imponitur.

Vera ergo, et plana D. Thomæ intelligentia ex ipso sancto Doctore eruenda est. Mentem autem suam dilucide aperit S. Præceptor art. 5. his verbis : « Dicendum quod peccatum mortale ex parte conversionis inordinatæ ad bonum commutabile quamdam dispositionem causat in anima, vel etiam habitum, si actus frequenter iteretur. » Ad quorum evidentiam sciendum, actus sive virtutum, sive vitiorum, vel procedere ab habitu, vel habitum aut certe dispositionem in principio generare; cum enim actus tendat in objectum, sitque actualis illius prosequutio, subjectum in quo est ad tale objectum inclinat, vel impressione habitus cum est vehemens, vel frequenter iteratus ; vel saltem insitione dispositionis, quando actus non est ita plenus et efficax, uti non solet esse in principio : igitur ex actu peccati, quo homo in bonum commutabile conversus est, sin habitus pravus, certe inordinatio perversa inseritur, qua voluntas in malum et alias dilectum objectum veluti pondere fertur. Et hanc conversionem vel in habitu, vel in dispositione sitam appellat S. Doctor « reliquias iniquitatis », quia a peccato relicta est, et in peccatum a quo manavit, sponte sua proclivis est. Illi ergo conversioni respondet pœna sensus, non quod illa mala et peccatum sit in justificato, sed quia ratione peccati actualis unde profecta est, justa ei debetur afflictio ; æquum est enim ut qui voluntati suæ plus indulsit quam debet, unde et voluntatem suam ad bona sensibilia nimium deflexit, contra voluntatem suam aliquid patiatur, quo, ut ait Tridentinum sessione citata, medeatur peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus pravasque dispositiones, quas male vivendo comparavit, contrariis actibus tol-

lat. Conversio ergo in bonum commutabile, D. ipso Thoma interprete, nihil aliud est, quam remanentes dispositiones ex præcedentibus actibus causatæ, quibus ratione actus quem connotant, debetur pœna temporalis. Quæ quidem dispositiones in justificatione non statim a principio funditus, sed sensim et pedetentim evelluntur : unde, ut alibi dixit D. Thomas, sunt « in via corruptionis » ; et hic remanere eas ait « debilitatas et diminutas, ita quod homini non dominentur, sicut etiam remanet fomes post baptismum. »

Tertius Pœnitentiæ effectus : Remissio peccatorum venialium.

Tertius Pœnitentiæ effectus est remissio peccatorum venialium. Ratio sequitur ex dictis : nam per Pœnitentiam homo convertitur ad Deum, vel imperfecte cum eum diligere incipit, vel perfecte, cum illum ex toto corde una Dei bonitate inescatus amat : sed tunc remittitur peccatum veniale (cum enim per peccatum veniale retardetur affectus hominis, ne prompte feratur in Deum, ubi primum voluntas Spiritus sancti fervore concepto sincera conversione ab amore indivulsa in Deum fertur, corrigitur et remittitur inordinatio illa e peccatis venialibus orta). Ergo per Pœnitentiam remittuntur peccata venialia. Accedit, quod per veram Pœnitentiam gratia infunditur : in habentibus autem usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum, quo sacro motu peccata venialia remitti necesse est, cum eo expellatur et veluti excutiatur animi creaturis plus æquo, etsi non contra Deum adhærentis torpor, rumpanturque funiculi affectionum, quæ sunt veluti vulpeculæ demolientes perfectionis spiritalis vineam. Ergo per Pœnitentiam remittuntur peccatorum venialium maculæ. Quod ita erudite de more explicat S. Thomas 3. p. quæst. 87. art. 2. ad 3 : « Dicendum quod sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter, uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem, puta debiti caloris, aut debitæ proportionis membrorum ; alio modo per superinductionem alicujus impedientis decorem, puta luti, aut pulveris. Ita etiam animæ inducitur macula ; uno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale ; alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale ; et hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiæ : sed ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus præcedens ex gratia, per quam removetur inordinata adhæsio ad rem temporalem. »

Observat etiam idem S. Doctor art. 1. in corpore, et ad 1. illud discriminis mortale inter et veniale interesse, quod ad remissionem peccati mortalis requiritur perfectior Pœnitentia ; ut scilicet homo actualiter detestetur peccatum mortale quantum in ipso est, diligentiam adhibendo ad memorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad peccatorum venialium remissionem, sed requiritur et sufficit quædam virtualis displicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc affectu retardaret, displiceret ei, et doleret se hoc commisisse, etiamsi actu de illo non cogitet Quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem. Unde infert ad primum, quod quia potest justus vitare singula peccata venialia, sed non omnia, ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas humana non patitur. « Debet tamen » (verba sunt S. Doctoris quæ a viris spiritualibus observentur dignissima) « habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda ; alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quæ sunt peccata venialia. »

Patet igitur ex Angelico Doctore, ad remissionem peccatorum venialium sufficere pœnitentiæ vel actualis, vel virtualis motum, et illum etiam omnino requiri. Sufficit quidem ; quia per actualem vel virtualem pœnitentiam homo conjungitur Deo : inordinatio autem voluntatis, vel potius impedimentum prompti et expediti in Deum motus per veniale peccatum positum, actuali ordinatione, seu contrario animi in Deum contendentis impetu tollitur, animique flexus in terram incurvatus ad Deum sacra contentione recurrit, et veluti retrograditur.

Quod vero hujusmodi actus requiratur, ex eo patet, quod ad remissionem venialis tolli debet macula ex inordinata animi plus nimio creaturarum diverticulis distenti conversione proficiscens : tamdiu autem manet illa macula, quamdiu remota illa captus animus in via salutis suspensus hæret et subsidet. Quod explicat S. Thomas quæst. 7. *de Malo*, art. 2. ex eo quod mortale et veniale finis consecutionem impediunt ; mortale quidem per destructionem ponderis quo homo fertur in Deum, jacturam nimirum caritatis ; veniale vero per positionem obicis impedientis quominus pondus illud concitato cursu feratur in Deum : sicut igitur primum lapidis impedimentum non nisi nova gravitatis productione tolleretur ; nec secundum, nisi vehementi impetu medium interpositum expellente, removeretur : ita nec mortale nisi novæ caritatis infusione, nec veniale nisi fervido Pœnitentiæ actualis vel virtualis motu remittitur. Quorum omnium radix est, quia non tollitur privatio, nisi accessu formæ qua privat : peccatum autem veniale in ratione maculæ nihil est aliud quam privatio fervoris caritatis et virtutum ; in ratione vero offensæ est divini dominii ad omnia justi opera actu non se extendentis contractio et coarctatio : ergo sine fervore caritatis vel aliarum virtutum a caritate imperatarum moras illas rumpente non deletur. Unde ad remissionem venialium sacros illos motus exigit Bernardus serm. 40. *in Cantica*, his verbis : « Intendere in aliud quam in Deum, non Mariæ otium, sed Marthæ negotium est. Absit autem ut quæ hujusmodi est, quidquam illam dixerim habere deforme, nec tamen ad perfectum affirmaverim pervenisse decoris : quippe quæ adhuc sollicita est, et turbatur erga plurima, et non potest terrenorum actuum vel tenui pulvere non respergi, quem tamen cito facileque deterget vel in hora sanctæ dormitionis casta intentio, et bonæ conscientiæ interrogatio in Deum. » Idem docet Augustinus libro 50. *Homiliarum*, hom. 50. dicens : « Quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, tamen omnia simul congregata velut scabies nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ desecentur. Quod si falsum est, unde quotidie tundimus pectora ? quod nos quoque Antistites ad altare assistentes cum omnibus facimus. Unde etiam orantes dicimus : *Dimitte nobis debita nostra?* Non enim ea dimitti precamur quæ in Baptismo dimissa sunt ; et nisi dimissa credimus, de ipsa fide dubitamus : sed utique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, jejuniorum, et ipsarum orationum, ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cessat. »

Ex quibus inferes, tria ad remissionem peccatorum venialium omnino requiri. Primum est status gratiæ, sine qua nullum opus quamlibet ex objecto insigne, Deo acceptum esse potest, nec proinde meritorium vel satisfactorium : nam « donum iniquorum non probat Altissimus », ut dicitur Ecclesiastici IV. Secundum est auxilium divinæ gratiæ. Nam, ut ait S. Thomas art. 4. ad 2, « licet ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio habitualis gratiæ, requiritur tamen aliquis gratiæ actus. » Unde improbatur opinio Scoti existimantis ad remissionem venialium sufficere actum virtutis naturalis. Cum enim peccato veniali retardetur motus ad Deum ut auctorem supernaturalem, ad quem in hoc statu provecti sumus, non potest hæc mora nisi motibus in Deum supernaturalem, id est fide supernaturali cognitum et dilectione supernaturali diligendum rumpi : motus porro supernaturales sine gratiæ supernaturalis adjutorio non posse ab infirmo voluntatis arbitrio prodire manifestissimum est. Unde Concilium Arausicanum can. 7. et 14. definit : « Nos sine gratia Christi nihil veræ, sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere posse. Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præveniatur. » Tertium est motus virtutis supernaturalis virtualem peccati venialis offensæ displicentiam importans ; quia nec sine sacro motu excitatur dormitantis voluntatis torpor, nec sine illa saltem virtuali et generali displicentia tollitur affectus in objectum peccati venialis, tamdiu perseverans, quamdiu non retractatur. Ut enim veridice scripsit S. Thomas 3. p. quæst. 87, art. 1, « sicut peccatum mortale remitti non potest quamdiu voluntas peccato adhæret, ita etiam nec peccatum veniale, quia manente causa manet effectus. » Unde patet non sufficere motum attritionis seu doloris peccati ex metu pœnæ concepti ad remissionem peccati venialis, ut Suarez, Coninchus, et

Cardinalis de Lugo censuerunt. Tum quia motus ille attritionis invenitur in peccatore, in quo nondum inhabitat Spiritus sanctus, ut sacrum concilium Tridentinum declaravit : veniale autem nunquam remittitur nisi in statu gratiæ existentibus, ut dictum est. Tum quia peccati venialis macula non tollitur, nisi accedente forma qua privat : privat autem non metu pœnæ, sed fervore caritatis et virtutum infusarum, quæ gratiam sanctificantem indivisim comitantur. Tum quia attritio est dolor de peccato, non propter offensam Dei, sed ob unam pœnam infligendam : hic autem dolor non destruit offensam sub ratione offensæ. Ergo illam non remittit : tamdiu namque non remittitur, quamdiu manet, quia ut mox dicebat S. Thomas, manente causa manet effectus. Imo nec ad remittenda venialia sufficeret actus fervidæ caritatis, nisi formalem vel virtualem peccati venialis detestationem includeret, cum non possit remitti peccatum, donec retractetur affectus in illud.

Dices : Multis in casibus remittuntur peccata venialia absque ullo pœnitentiæ formalis vel virtualis motu. Nam primo sacramenta ex opere operato per infusionem gratiæ peccata venialia remittunt, ut docet D. Thomas art. 3. quæstionis mox citatæ. « Per Eucharistiam, » inquit, « et Extremam unctionem, et universaliter per omnia sacramenta novæ Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. » Secundo eamdem remittendorum peccatorum potestatem asserunt multi theologi quibusdam actionibus sacris, quas sacramentales vocant, puta benedictioni episcopi, aspersioni aquæ benedictæ, confessioni generali, quæ fit in choro vel in principio Missæ ; tunsioni pectoris, inclinationibus, genuflexionibus, et aliis id genus actibus religiosis. Tertio baptisma et martyrium omnia mortalia et venialia remittunt, « nisi, » ut ait D. Thomas art. 1. citato ad 2, « actualiter voluntatem invenerint peccato inhærentem. » Quarto peccata venialia justis in eis decedentibus in alia vita sine actibus pœnitentiæ vel satisfactionis remittuntur, cum extra viæ statum nulli sint actus meritorii, vel satisfactorii. Quinto peccata venialia in inferno remittuntur, ne pœna æterna ipsis indebita puniantur : in inferno autem nullus exercetur pœnitentiæ vel pietatis motus. Ergo varii sunt casus, in quibus peccata venialia sine pœnitentiæ formalis vel virtualis actibus remittuntur.

Respondeo nunquam, et nusquam peccata venialia sine actibus pœnitentis condonari, juxta illud Augustini epist. 43 : « Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque seu magno, seu parvo peccato ad correctionem sine pœnitentia posse transire. » Ad primum in contrarium dicendum, fatendum esse quidem sacramenta novæ Legis remittere peccata venialia ex opere operato, cum absolutio sacerdotis ex opere operato, quem significat effectum producat; significat vero remissionem peccatorum venialium tum maxime cum pœnitentes nullius mortalis conscii sola venialia (quæ materia sunt sufficiens hujus sacramenti, ut superius ostensum est) in confessione aperiunt, de quibus fertur judicialis sententia et absolutio confertur. Sed tunc sine actibus pœnitentis venialia non remittuntur, sine contritione nimirum, quæ et affectum ac complacentiam ipsorum excludit, et eorumdem detestationem conjunctam habet. Sine qua contritione qui sola peccata venialia nullum eorum detestatus aperiret, non solum gratiam ex opere operato non reciperet, sed in grande sacrilegium incurreret, utpote sacramentum Pœnitentiæ mutilans, eique materiam debitam non ministrans.

Sed instabis : Hinc quidem sequitur, peccatum veniale actibus pœnitentis in confessione deleri, sed quomodo a sacerdote ex opere operato remittatur, non explicatur : non enim potest tolli privatio nisi per formam qua privat, atqui peccatum veniale est privatio fervoris caritatis et virtutum. Ergo non nisi actibus caritatis vel virtutum, adjuncta eorumdem detestatione, peccata venialia delentur : sed sacerdos non infundit actus illos. Ergo sacerdos ex opere operato peccata venialia non remittit.

Respondeo huic instantiæ sane difficili solvendæ multa a variis subtiliter esse excogitata. Probabilioribus selectis, quæ magis ad veritatem accedunt referemus. Dici ergo debet, explicari id posse per ea quæ alibi de gratia sacramentali diximus. Sicut ergo per sacramenta infunditur novus non solum gratiæ gradus gratiam habentibus, sed etiam novus modus gratiæ, novumque jus habendi auxilia opportuna ad certos virtutum actus eliciendos : ita in remissione peccatorum venialium et gratia augetur, et novus

modus illi adjungitur, quo peccatorum venialium pulvis abstergitur, quo languor ille ex venialibus relictus vel persanatur plane, vel certe roboratur, et una jus datur ad auxilia quibus permotus animus antea tepidus, in motus prorumpit salutares, quibus mentis acedia excutitur, et expedita ad bonum habilitas, cujus peccatum veniale habitualis privatio est, restituitur. Experiuntur enim viri spiritales, se ex peccatis venialibus et quotidianis in illam incidere cordis dejectionem, qua nec legere licet, nec orare delectat, nec in meditatione exardescit ignis. Quid ergo tunc præstat a sacramento devote suscepto auxilium proficiscens? Præstat ut tædio illo affectus nec deficiat, nec a studio sanctitatis desistat, sed potius inchoatum bonum fortiter, tametsi non fortassis suaviter consummet; ac tandem in ipsis piis fletibus jubilus in pavore tentationis, et admissis peccatis venialibus amissus, et quasi evacuatus erumpit; et mens, quæ prius cæca torpensque jacuerat, ad inspectionem interni fulgoris, ad sensum cœlestis saporis suspiriis vegetata convalescit. Hinc ineffabile gaudium mente concipitur, quod nec abscondi potest, nec sermonibus aperiri: et tamen, ut Gregorius alicubi dicit, quibusdam proditur moribus, quamvis nullis proprietatibus exprimatur. Tunc cum mentis serenitate reddit animæ nitor peccatisvenialibus non extinctus, sed obnubilatus; non obtenebratus, sed obscuratus; cum verum ac summum gaudium non de creatura, sed de Creatore, non de iis quæ videmus, sed de iis quæ expectamus sentitur. Quod solidum gaudium nemo tollit a nobis, si nos ipsi iterum peccando non tollamus: gaudium, inquam, cui omnis humana jucunditas comparata mœror est; omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum est, omne decorum fœdum; omne denique quod delectare solebat, molestum evadit. Novo ergo illo modo gratiæ et caritati impresso tollitur peccati venialis fœditas, et novis auxiliis a sacramento manantibus torpor concitatur, tepor inflammatur, animique languentis et tædio contabescentis spiritus instaurantur. Si autem quæras quænam et quot peccata venialia per sacramenta remittantur, cum non videatur esse potior ratio de uno quam de alio, respondebo pro ratione dispositionis voluntatis sacramenta venialia remittere; unde ea potissimum delent, quæ voluntas magis detestatur, ad eaque destruenda efficacius operatur. Unde rarissime omnia peccata venialia remittuntur; quia raro contingit homines hanc mortalem vitam agentes ab omnibus affectibus liberos esse. Illa ergo peccata venialia sacramentum ex opere operato delet, quæ pœnitens cum dolore et vero emendationis proposito clavibus Ecclesiæ subjicit.

Ad secundum casum de sacramentalibus, volunt aliqui, in quibus noster Gonetus, nonnulla sacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato, quia eis mentem purgari et sanctificari, a quibusdam Patribus dictum est, et id ad magnificentiam Christi et Ecclesiæ decorem et majestatem conferre videtur. Sed hæc doctrina et S. Thomæ repugnare, et a veritate, meo quidem et gravium theologorum judicio, videtur aliena. Sanctus namque Doctor 3. p. quæst. 87. art. 3, ubi hanc materiam accurato examine expendit, apertissime declarat, sacramentalia non nisi ratione actus detestationis peccati vel motus reverentiæ in Deum peccata venialia remittere. Angelica verba sunt hæc: « Triplici ratione aliqua causant remissionem peccatorum venialium. Uno modo inquantum in eis infunditur gratia, quia per infusionem gratiæ tolluntur venialia peccata, ut supra dictum est » (scilicet art. 2. superiori, ejusque ibi rationem assignavit: « Quia in habentibus « usum liberi arbitrii, in quibus solis pos- « sunt esse venialia peccata, non contingit « esse infusionem gratiæ sine actuali motu « liberi arbitrii in Deum et in peccatum; « ideo quandocumque gratia de novo infun- « ditur, peccata venialia remittuntur »). « Secundo inquantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum: et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris, et oratio Dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum. Tertio modo, inquantum sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, et ad res divinas: et hoc modo benedictio Episcopalis, aspersio aquæ benedictæ, quælibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et si quæ alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum. » Vides ex D. Thoma, sacramentalia non nisi ex opere operantis, ratione nimirum detestationis et reverentiæ in Deum peccata venialia dimittere. Idem docet ad 1. et ad 3: « Reatus pœnæ, » in-

quit, « remittitur per prædicta secundum motum fervoris in Deum, qui per prædicta excitatur, quandoque magis, quandoque autem minus. »

Ratio etiam idem persuadet. Tum quia sacramentalia sunt ex institutione Ecclesiæ valentis ea pro voluntate, necessitate, vel utilitate mutare, augere, minuere : Ecclesia autem non habet potestatem talem virtutem sacris cæremoniis impertiendi, ut peccata venialia deleant, ut interiores maculas abstergant, et intra animam illapsa operentur, sed unis a Christo institutis sacramentis ad gratiam producendam uti potest. Tum quia si sacramentalia peccata venialia ex opere operato delerent, essent revera sacramenta : peccatorum enim venialium remissionem ex opere operato nequeunt efficere, nisi vel productione gratiæ habitualis, vel novi modi additamento, quo gratia sacramentalis maculas veniales abstergit; vel saltem inspirando gratiam internam actualem, quibus pii pœnitentiæ et caritatis motus delendis peccatis venialibus idonei excitentur : atqui hoc est esse sacramentum, scilicet signum visibile gratiæ invisibilis : ergo ne sacramentalia cum sacramentis confundantur, sicque utraque pariter extinguantur, ne humana instituta ab Ecclesiæ nutu pendentia immutabilibus Christi mysteriis conferantur, omniaque sus deque misceantur; ne Ecclesiam hæreticorum sannis exponamus, si tot cæremoniis virtutem interius in animas ex opere operato agendi, solis Christi sacramentis eximiam asseramus, dicendum omnino est, sacramentalis non nisi ex opere operantis veniales culpas delere. Unde Petrus Aurelius in *Vindiciis censuræ Sorbonicæ* : « Illa vero opinio, » inquit, « quam parvuli aliqui Scholastici nuper excogitarunt, non solum præter Scripturam, SS. Patrum et Ecclesiæ auctoritatem; sed etiam contra sensum, tum eorum omnium, tum omnis propemodum ipsius Scholæ theologorum, sacramentalia effectus ad quos instituta sunt operari ex opere operato, explodenda et longe amandanda est ex animis Catholicorum, eorum præcipue qui solam Scripturæ, et traditionis Ecclesiasticæ normam, non humani sensus arbitrium ad res theologicas dijudicandas adhibent. Est enim opinio mere voluntaria, nuper inventa, nullo fundamento theologico nixa, omnis auctoritatis ac testimonii expers, sine quo tamen res facti et voluntatis divinæ, qualis ista est, sine temeritate proferri non potuit. » Attamen, ut bene dixit Paludanus in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 2, « non sunt hæc contemnenda, licet non sint Sacramenta, nec per modum sacramenti habeant effectum ex opere operato : quia effectum habent per modum meriti et fidei ex opere operantis ; et non ex solo fervore et devotione utentium, sed totius Ecclesiæ. » Videsis Sylvestrum verbo *Aqua benedicta*, quæst. 1.

Porro generales illæ loquutiones, quibus significatur hoc pio sacramentalium usu mentes purificari, et mundari, facile intelliguntur de opere operantis ; quia nimirum pii illi ritus vel ad pœnitentiam, vel ad profundam erga divina reverentiam animas concitare nati sunt; et etiam crediderim eorum intuitu propter Ecclesiæ sponsæ suæ preces, quas exaudiri decet, solere Deum pie illa et sine superstitione frequentantibus gratiam aliquam actualis devotionis, vel protectionis adversus cacodæmonis insidias impertire. Unde domus aqua benedicta aspergi salubre est : benedictiones etiam Ecclesiæ pro diversis rebus institutæ non sine fructu fieri variis experientiis comprobatum est. Si enim per umbram Petri ingentia Deus miracula patravit, ut refertur Actorum v : *Ita ut*, inquit Textus sacer, *in planteas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis... Qui curabantur omnes.* Si Pauli sudaria totius sanitatis distillabant medicinam, ut eodem libro, cap. XIX. refert Lucas his verbis : *Virtutesque vel quaslibet faciebat Deus per manus Pauli : ita ut super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia; et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.* Si, inquam, tot mira Deus operatus est vilissimis illis servorum suorum rebus, ut eorum amplius gloria clareret; quidni sacris Ecclesiæ ritibus pietatem undique spirantibus, et rebus Ecclesiæ sacerdotum et pontificum ministerio benedictis gratias cum internas, tum externas edet?

Ad tertium Baptismatis et martyrii casum respondeo grandem esse disparitatem, quia in Baptismo, et similiter in martyrio pro Christo tolerato (quod vim Baptismi obtinet) producitur nova in Christo creatura, unde tota remittitur pœna; si nullus peccati obex plenæ indulgentiæ ponatur. At in sa-

cramento Pœnitentiæ materia sunt actus pœnitentis, qui nisi adsint, sacramenti effectum non confert forma, eoque perfectiorem producit, quo pœnitentis motus vehementior fuerit et purior.

Ad quartum casum de peccatis venialibus in hac vita nulla Pœnitentia deletis, et in futura duntaxat remittendis, dicendum peccata venialia justorum remitti in alia vita, tam quoad culpam, quam quoad pœnam. Id enim significavit Veritas Matth. XII. cum de peccato in Spiritum sanctum dixit : *Non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Quæ verba ponderans Augustinus lib. 21. *de Civit.* c. 24 : « Neque de quibusdam veraciter diceretur, inquit, quod non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remittatur in futuro. » Succinit Gregorius Magnus lib. 4. *Dialogorum*, cap. 39 : « In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. » Et Bern. serm. 66. *in Cantica* : « Cur hoc dixit, si nulla manet in futuro remissio, purgatiove peccati. » Hunc etiam esse Ecclesiæ Catholicæ sensum patet ex eo, quod pia mater non solum pro defunctis filiis orat, ut a cunctis reatibus absolvantur, sed etiam « ut sacrificiis purgati, et a peccatis expediti indulgentiam pariter et requiem capiant sempiternam : atque quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commiserunt, Deus venia misericordissimæ pietatis abstergat. » Et ratio est clara : multi enim justi cum affectu ad peccata venialia mortem obeunt, cum quibus maculis non ingrediuntur regnum cœlorum, in quod nihil coinquinatum intrat, ut dicitur Apocal. XXI. Ergo in alia vita maculæ illæ remittuntur. Et ad hoc institutum est Purgatorium, in quo purgantur sordes, et non solum pœnæ luuntur; non enim pœna, quæ non facit hominem sordidum ac miserum, sed una culpa purgatur. Porro remittuntur, delenturque illæ sordes fervidis caritatis, humilitatis, patientiæ, cæterarumque virtutum actibus, quas animæ patientes eliciunt, ut docet D. Thomas quæst. 5. *de malo*, art. 11, quia, licet post statum viæ non sit in termino meritum nec satisfactio, potest tamen esse remotio impedimentorum, quibus sublatis anima in igne sicut aurum probata et examinata, sicut examinatum argentum, nitescit.

Ad quintum dicendum, in inferno, ubi nulla est redemptio, nulla etiam peccata venialia remitti, quæ ibi propterea per accidens æternum puniuntur; tandiu enim pœna producitur, quandiu culpa perdurat : in inferno autem culpa æterna est, cum nulla detestatione, nulla Deo grata satisfactione deleatur. Nec propterea ulla fit damnatis injuria, qui in illum calamitosum statum, in quo nulla est venia, sponte sua prolapsi sunt. Nec etiam Deus ultra condignum punit, quia licet per se peccato veniali pœna non debeatur æterna, per accidens tamen ex conditione subjecti peccatum semper amantis sempiterna pœna infligitur. Justum est enim ut quos culpa semper inquinat, par etiam pœna semper astringat. Unde æternum punitur culpa in tempore perpetrata, quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci inflexibilis et obstinatæ mentis voluntate, quæ etsi ad nihilum redigi vellet, ne pateretur; vivere semper vellet tamen, ut semper peccare posset. Ad magnam igitur judicantis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui nunquam volunt carere peccato.

Alii Pœnitentiæ effectus breviter enumerantur.

Quartus sinceræ Pœnitentiæ effectus est restitutio gratiæ et virtutum, et quintus reviviscentia meritorum; sed quia hi effectus graviores patiuntur difficultates in hujus tractatus partem sequentem utrumque rejicimus, ut pro argumenti dignitate operosius exponantur.

Varios alios Pœnitentiæ effectus recenset S. Doctor quæst. 10. *Supplementi*, qui ex dictis ferme expositi manent. Placet tamen singulos articulos emetiri.

Articulo 1. docet confessionem rite peractam liberare a morte peccati; tum quia contritio a culpa non liberat, nisi quatenus votum confessionis annexum habet; tum quia contritio gratiam remissivam peccati auget; tum quia contritio interdum non est ita perfecta, ut sola ad remittenda peccata sufficiat, cum nimirum ex perfecto Dei amore non procedit, ut magis in sequentibus exponemus.

Articulo 2. docet confessionem liberare aliquo modo a pœna non solum æterna, quia hæc remissio est ab infusione gratiæ indivulsa, sed etiam temporali in Purgatorio luenda. Tum quia « per vim clavium in tan-

tum minuitur, quod proportionata viribus pœnitentis remanet, ita quod satisfaciendo se in hac vita purgare potest, » inquit D. Thomas. Quæ verba pie sacramentum frequentantes diligenter audire et libenter retinere debent. Tum quia peccatorum confessio verecundiam annexam habet. Et ideo quanto aliquis pluries de eisdem peccatis confitetur, tanto magis pœna minuitur. Hinc illud Augustini, seu auctoris libri *de vera et falsa pœnitentia*, cap. 9 : « Laborat mens patiendo erubescentiam : et quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, dignus est misericordia. »

Articulo 3. infert confessionem aperire paradisum, a cujus introitu peccator culpa et reatu pœnæ æternæ in confessione dimissis arcebatur. Hinc Gregorius explicans vestibulum interius mysticæ civitatis, sic habet : « Quid per interius vestibulum, nisi æternæ vitæ latitudo signatur? Quæ modo inter angustias vitæ præsentis jam spe mente concipitur. De qua per Psalmistam dicitur : *Intrate portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confessionum.* Cum enim peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ viæ portam ingredimur. Sed cum post hæc ad æternam vitam perducimur, portæ nostræ atria in confessionum laudibus intramus ; quia ibi jam angustia non erit, cum nos lætitia perpetuæ festivitatis exceperit. »

Articulo 4. docet confessionem sacramentalem spem salutis tribuere, quatenus per eam homo clavibus Ecclesiæ ex passione Christi salutis nostræ causa præcipua virtutem habentibus se subjicit. Hinc illud Ambrosii serm. 34 : « Confessio paradisum aperit, tribuit vim salvandi. » Hinc etiam illud ex Augustino tritum : « Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, expugnatrix dæmonum. Quid plura? Obstruit os inferni, aperit portas paradisi. « Hinc Bernardus lib. *de interiori Domo*, c. 1 : « Homo per veritatem stimulatus peccata sua confitetur ; Deus autem per misericordiam flexus confitentis miseretur. Felix conscientia, in qua misericordia et veritas obviaverunt sibi ; veritas confitentis, et misericordia miserentis : quia non potest illi misericordia deesse, qui se agnoscit in veritate. »

Articulo 5. docet Angelicus Doctor, per confessionem generalem deleri mortalia peccata oblita, quia sacramentum gratiam infundens omnia peccata delet, cum sit impium dimidiam a Deo sperare veniam.

REFLEXIO.

A fructibus eorum cognoscetis eos. Si hos in te effectus experiare, Christiane lector, in Domino confide, vera te pœnitentia esse donatum. Quod si contra confessionem licet identidem adhibens, vitiorum impetus non comprimi ac sedari, sed in animo tuo etiamnum insidere malarum cupiditatum æstum, et in corde tuo libidinum æstuare flammam sentis, quæ primo quoque tempore erumpit, atque acrius quam antea, ac vehementius exardescit, magna tibi est causa timendi. Suspectæ sunt illæ lacrymulæ doctæ mentiri, suspecta ea pœnitentia est, quæ vitia non urit, quæve ita ægro parcit, ut ægritudinem foveat. Unde, si percurrens omnes infirmæ conscientiæ tuæ angulos, spiritu compunctionis in animam illapso non solum te flecti et emolliri videris, sed in dies sensim consanescere, et converti funditus cor tuum, in timore quidem et tremore salutem tuam operari ne cessa, sed te in Domino reconciliatum confide, atque ad sanctum altare communionemque, Rectoris animæ tuæ consiliis frequentandam accede, ut non gratiam modo, sed omnium gratiarum fontem, nec medicinam duntaxat, sed medicum ipsum accipias, animam tuam gratiarum et virtutum beatissima copia cumulaturum.

Sed, quia non sufficit novæ vitæ inita ratio, nisi quisque etiam studeat præteritorum peccatorum injurias pœna diluere et satisfactione pensare, frequentanda illa opera sunt, quæ fructus pœnitentiæ repræsentent. Neque enim hodie minus potens, minus justus, minusve tremendus Deus quam in primitiva Ecclesia rigorosissimæ pœnitentiæ tenace ; non minor hodie Christianismi gratia, non minor peccati immanitas, sed potius tot sacramentorum violatione auctior : ergo non minor debet esse pristinæ pravitatis horror, non minus expiandorum criminum studium, non minus sincera ad Deum sese referendi voluntas. Sed dices, dura remedia non patitur humana imbecillitas benignius, remissiusque tractanda. Scio quidem quod delicatus es, sed si majorem illam pœnitentiam quam tot ætates Ecclesia filiis suis imperavit reformides, cur partem saltem non æmularis? Cur quotidianas ab

infinita Dei misericordia ministratas occasiones, quibus scelera expiare tua possis, non nancisceris? Cur pœnitentiæ austeritatem eleemosynis, piis religionis officiis, in muneribus, officiisque fungendis fide et æquitate, animi demissione, mansuetudine, animi tranquillitate, et patientia omnem irruentium contumeliarum acerbitatem exhauriente ac velut concoquente non supples? Nam in omnibus humanæ vitæ officiis et singulis fere temporis momentis multa occurrunt, quæ si pœnitentibus animis accipiantur, pœnitentiæ loco esse possint, et copiosam perfectæ satisfactionis segetem præbere. Si te antiquæ pœnitentiæ labor deterret, faciliores saltem Dei offensi propitiandi rationes ne negligas, et pro tempore natam mortificationis, humilitatis, cæterarumque virtutum praxim ne prætermittas. Causam Dei, Ecclesiæ, et proborum gravioribus quibusque temporibus tuere, veritatem oppugnatam testimonio subleva, innocentiæ oppressæ patrocinare, ab infirmis et contemptis potentiorum impetum propulsa, nihil tua professione et Christiano nomine indignum gere, occurentes quotidie tribulationes patienti animo sustine in purgationem vitiorum, in probationem virtutum, in consummationem meritorum. Intuere quæ viri sanctissimi vel nullis, vel certe levissimis peccatis maculati, ut Deo satisfacerent pertulerunt, et quod tam parum pro criminibus tuis patiare erubesce, ingemisce, contremisce. Intuere splendissima illa Religiosorum Ordinum lumina ; Brunonem, Bernardum, Norbertum, Dominicum, Franciscum, quomodo et pœnitentiam asperam ipsi fecerunt, quomodo et aliis faciendam erecto ubique terrarum pœnitentiæ vexillo præceperunt. Intuere quomodo a « Christo pœnitentiæ Principe, » ut loquitur Hieronymus *in cap.* III *Isaiæ*, « eorumque capite qui salvantur per pœnitentiam, » mis si veluti senescentis Christianismi secundarii Apostoli fideles innumerabiles violatæ baptismalis innocentiæ reos posteriore lacrymarum ac gemituum baptismate in integrum restituerunt. Intuere non solum virorum, sed delicatarum virginum turmas, quæ in media Ecclesiæ pace novum martyrii genus inducentes, castigationibus, aliisque pœnitentiæ christianæ laboribus vitam suam conterunt, et usque ad mortem se contrituras publico et solemni voto professæ sunt. Intuere quomodo isto et superiori sæculo enatis non tam hominibus quam belluis, Luthero et Calvino, unius voluptatis prædicatoribus, et Turcicam obscœnitatem in Christianismum impurissime obtrudentibus, unoque ore adversus pœnitentiæ labores, peccatorum confessionem, cœlibatum, jejunia, abstinentias carnaliter blaterantibus Deus et antiquos Ordines instauravit et novos produxit, ut Capucinorum, utriusque sexus Carmelitarum Excalceatorum, aliorumque, quorum tam austera ac pœnitens vitæ ratio et hæreticorum petulcam lasciviam, et Catholicorum mollitiem confundit. Et cum Ecclesia Catholica fatere pœnitentiam unicum esse peccatoris post ruinam perfugium, unicam Dei post offensiones placandi viam, denique cœli gaudium et terræ levamen. Sed proh dolor ! Communem Ecclesiæ sensum et hæretici blasphemiis, et mali Catholici factis delere conantur ; illi nimirum, qui, ut ait Hilarius *in Matth.*, vita gentium vivunt, qui arctissimis sæculo vinculis astringuntur, qui in voluptatibus ac deliciis consectandis toti hærent, denique qui in peccata mortifera prolabuntur, quæ, auctore Augustino serm. 29. *de verbis Apostoli*, « non facit bonæ fidei et bonæ spei Christianus : sed illa sola, quæ quotidianæ orationis penicillo tergantur. »

Ergo, si vulneribus tuis salutarem adhibere satagis medicinam, si ad teipsum rediens te primorum parentum instar turpiter nudum esse perspicias, ex quo Christum exuisti, si tibi grave est peccatorum tuorum pondus, si sordium tuarum sordes persentis, si in intimo cordis recessu sententiam adversum te feras, si corruptis ac putrescentibus animæ tuæ cicatricibus mederi aves, si denique Pœnitentiæ effectus experiri exoptas, age dignos pœnitentiæ fructus ; noli comprimere lacrymas, præcludere gemitus, secundam post naufragium tabulam repudiare : judicium Dei anteverte, et voluntaria sententia in teipsum vindictam exerce. Pristinæ ingratitudinis memor in fletibus ac lamentis jaceat, antequam ad sacrorum mysteriorum gaudia aspirare sustineat. Deploranda anteactæ vitæ detrimenta accuratis seriæ pœnitentiæ, quæ pars justitiæ est, operibus resarciat, et teterrimas scelerum maculas fluentibus compunctionis aquis abstergat. Ob oculos suos austeras illas primitivæ Ecclesiæ peccatoribus

impositas pœnitentias ponat, ut sua laxamenta deploret. Attendat eisdem criminibus, quæ tam molliter modo expiantur ; eumdem nunc atque olim violari Deum, eamdem violari Christiani hominis personam, nec minus acerba opus esse medicina, quando eadem animarum vulnera curanda sunt. Ergo quidquid ad peccatorum expiationem facere quit, toto pectore amplectere, ea fletibus merge, ea orationum ardore absume, eleemosynis redime, caritate obrue, ut ubi abundavit delictum, superabundet et gratia.

Si peccati mortalis infinitam granditatem, et talem cui suppliciorum æternitas jure debetur, corde recogites : si illud Veritatis oraculum Christiano spiritu excipias, *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, veritate coactus fatebere in eluendis criminibus, extirpandis vitiis vim atque violentiam adhibendam esse ; fatebere suaves et delicatas satisfactiones esse non oportere ; fatebere æquitatem postulare, asperioribus pœnitentiæ remediis eos esse sanandos, quos corruperant malesuadæ voluptatum nefandarum blanditiæ ; fatebere ad amovendam imminentem a Deo pœnam nullam securiorem esse viam, non sufficere Orationis Dominicæ aliquoties recitandæ laborem, sed diuturna pœnitentiæ opera ad Deum placandum quam maxime desiderari. Recogita quid fecerit Achab, ut intentatas sibi a Deo per Eliam Prophetam minas averteret ; nam, testante sacro eloquio, III. Reg. XXI, discidit vestimenta regia, operuit cilicio carnem suam, jejunavit, dormivit in sacco, et demisso capite ambulans, ne ad cœlum quidem oculos attollere ausus est. Recogita quomodo rex Assyriorum latam in Ninivem sententiam abjecto solio, deposito regali ornatu, sacco induto, cineri incubans, jejunio cum populo armatus, et ad Dominum in fortitudine clamans, ut habetur Jonæ III, iram Dei placaverit. Si pœnitere est pœnam tenere : ergo non sunt tenendæ mundi deliciæ, non appetendæ sæculi voluptates, non optandæ hominum pompæ, non conquirenda carnis oblectamenta, non ambitiosæ colligendæ opes, potentia, et gloria, non reformidanda corporis incommoda, sed unusquisque pœnitens cum Tertull. lib. *de Pœnit.* cap. 11. usurpare debet : « Deliqui in Deum, et periclitor æternum perire. Itaque nunc pendeo et maceror et excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi. » Sed proh dolor ! his temporibus ob mollem et degenerem sacerdotum cum peccatoribus agendi rationem pœnitentia ludus est, Pœnitentiæ sacramentum nudæ confessionis factum est ; ad peccatorum expiationem toto pectore non incumbunt peccatores, sed versantur in enumeratione scelerum, non in castigatione vitiorum.

Cogitent ergo peccatores pœnitentes peccata sua Ecclesiam offendere, pœnitentiam non offendere ; pœnitentiam ; inquam, quæ ab Angelis de peccatorum conversione exultantibus in cœlo celebratur, quæ a Sanctis præsentissimum vulnerum remedium, pietatis incentivum, virtutis firmamentum, divinorum munerum fons uberrimus agnoscitur ; quæ ab ipsis Ecclesiæ hostibus cum quodam admirationis et reverentiæ sensu suspicitur, quia, ut veridice scripsit Tertullianus lib. *de velandis Virgin.* cap. 3 : « Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem. Agnoscant malum suum qui de tali bono scandalizantur. »

APPENDIX.

Præcipuæ animarum Rectoris et Moderatoris dotes expenduntur.

Nihil est ad viam salutis utilius quam probum moderatorem uberiori luce cumulatum eligere, cujus consiliis pareamus. Hac via a Deo ipso constituta, nulla tutior, nulla exploratior. Hoc consilium « admonitionem admonitionum » vocat S. Franciscus Salesius in sua *Philothea*, part. 1. cap. 6. Certe, sicut in natura imperfectiora perfectioribus subjacent, sicut in mundi universitate ex mutua et continenti causarum inferiorum et superiorum colligatione stupenda illa mundi harmonia consurgit, sicut corporis humani species ac decor partium continuatione ac membrorum a capite dependentia et ordine continetur ; ita in via Dei Moderatore opus est, cujus nutum homines sequantur, ne in itinere longe difficillimo divinos calles et anfractus ignorantes viam latam quæ ducit ad perditionem ingrediantur. « Magna cura, » inquit Magnus Basil. serm. 2. *de abdicat sæculi*, « et sollicitudine operam da, ut aliquem tibi virum invenias, quem in ista quam amplexus es vitæ institutione certissimum ducem sequaris, qui probe sciat Deum requirentibus viam monstrare, qui virtutibus omnibus ornatus sit, cui facta sua idoneum caritatis suæ erga Deum dederint te-

stimonium, qui sacrarum Litterarum scientiam habeat, firmum præterea ac constantem, neque iis rebus quæ hominum mentes labefactare solent, loco suo dimovendum ab avaritia abhorrentem, a negotiis sæcularibus liberum, atque omnino alienum, quietis cupidum, Dei amantem, pauperum et paupertatis studiosum, non iracundum, injuriarum immemorem, qui lubens incumbat in instituendis atque informandis iis qui ad ipsum accedunt, quem inanis gloria non inflet, nec superbia extollat, qui adulationem et blanditias oderit, qui denique cæteris omnibus rebus Deum longe anteponat. »

Sed ubi inveniemus virum talem? Quis putas, fidelis servus, et prudens? Ex mille unum quærebat bonæ memoriæ Presbyter Avila, ex decem millibus unum ad id muneris seligendum censebat S. Antistes Salesius, quia pauciores sunt quam dici possint, qui tanto sint oneri, munerique pares ; quia, ut addebat Cardinalis Berullius, animam unam quam mundum universum regere difficilius et juxta momentosius est ; quia, ut ante illos dixerant utriusque Ecclesiæ lumina Magnus et Theologus Gregorius, ars artium est regimen animarum ; Moderatoris et idonei ductoris reperiendi quanta sit difficultas, ex dotibus et partibus a Basilio memoratis satis colligitur. Tres tantum perstringam a S. Salesio *Introductionis* 1. part. cap. 6. recensitas : « Rector animarum, » inquit, « scientiæ, prudentiæ, et caritatis plenus sit, periculosus namque ac metuendus est, quem trium istorum aliquid deficiat, » De singulis summatim dicendum est, et ni fallor clarebit, regimen animarum artem esse paucorum.

In primis eximia desideratur scientia; ut enim in bello nemo dux præficitur, nisi qui rei militaris gnarus atque intelligens fuerit, ut in corporibus sanandis medicus ille exploditur, nisi qui artis medicæ scientia instructus sit : ita animas nemo confessarius vel rector sanabit infirmas, diriget sanas, nisi scientiam Sanctorum non mediocriter teneat. *Vos estis lux mundi*, aiebat Veritas discipulis suis, et eorum successoribus : quomodo autem ignorantiæ tenebræ lucem effundent? Certe, quamvis multum utilis, multumve necessarius ductor sit, multo satius est tamen nullum habere prorsus quam eum, quia regere nesciat : qui si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent.

Oportet ergo eum, cui regendarum animarum provincia demandatur, sacræ doctrinæ copia esse refertum, et priusquam alios erudire aggrediatur, diu ac multum in seipso instituendo erudiendoque laborasse. Unde illi scientiæ navasse operam debet, et quæ ex schola petitur, et quæ e Patrum traditione hauritur, et quæ studio et meditatione orationibus accensa generatur : ut non solum sit Scholæ alumnus, et Patrum discipulus, sed etiam auditor Christi et docibilis Dei. Omnis enim qui audit, dicit, *Veni ;* id est qui Christum in oratione et meditatione Scripturarum intus loquentem, intus sine strepitu sonantem, intus coruscantem audit, alios ad Christum ut veniant vocat, vocatosque dirigit, directos custodit.

Secunda animarum rectoris virtus prudentia est ab interno Dei lumine profecta, usu etiam, atque experientia parta. Pervidenda enim sunt et curationum tempora, et morborum remedia. Ne autem medicus spiritalis artis suæ tyrocinium in aliis curandis non sine eorum periculo et damno ponat, cœlesti prius debet lumine perfundi, et operis rudimentum in propriæ animæ curatione constituere, et veluti periculum facere, quam se aliorum medicum exhibeat. Prius in abdito solitudinis recessu Deum gemitibus et orationibus consulere debet, num ab ipso vocetur qui nullo indiget, ne sumens sibi honorem, in tremenda ministeria per vim involet, et in munera Angelicis humeris formidanda sese ingerat, vel quod pejus est, spe pinguioris sacerdotii vel auctioris honoris se obtrudat, immisceat, atque implicet, et se et alios in præcipitia æternæ mortis agat.

Hac prudentiæ luce et laude caret, qui spiritualis non est, ut judicet omnia. Porro, si absit hæc cœlestis spiritualisque prudentia, scientia fit sapientia carnis, inimica Deo, et omnis sapientia insania falsa evadit, convertitur lumen in tenebras, nec nisi ignis quidam fatuus superest, quo in barathrum ruimus, aliosque deducimus. Hinc Christus discipulos suos non solum mundi lucem doctrinæ splendore, sed sal terræ incorruptæ prudentiæ discretione esse voluit, ut animabus et lucem affunderent, et eas a putredine liberarent.

Hæc prudentia spiritalis non ad opinionum humanarum regulam lesbiam et versatilem diriget, sed ad normas a sacris Litteris et Traditione præmonstratas exiget. Non enim alios probe reget qui privatarum opinionum

præjudiciis occupatus salutares morum doctrinas a Spiritu Dei per sanctos Patres quasi per diviniora quædam organa promulgatas repudiare non verctur. Proprias dubio procul tenebras pro luce obtrudet, nisi animum cum Patribus consentientissimum gerens, novas privatasque sententias a Sanctorum placitis moribusque abhorrentes fugiat. Hæc enim est vera Catholici spiritualisque Doctoris ac ductoris tessera, quod in Ecclesia invenit, tenere; quod didicit, docere; hoc filiis tradere, quod a Patribus accepit. Hac sacræ Traditionis serie et præsidio corruptelas omnes opprimet, quibus hominum vel improbitas, vel infirmitas, vel inscitia immaculatam Ecclesiæ Catholicæ et Romanæ doctrinam depravare conata est : et tum limpidissimas aquas sitientibus propinabit, cum e sacris Patrum aquæ ductibus, per quos e cœlesti Christi scaturigine fluenta salutis in nos derivantur, ipse hauserit quod effundat. Hinc præclare Tertullianus *contra Praxeam* cap. 2 : « Adversus universas hæreses jam hinc præjudicatum est, id esse verum quodcumque prius, id esse adulterum quodcumque posterius. » Hinc Chrysostomus homil. 33. *in Matth.* : « Non nostra loquimur; neque enim nobis Magister ullus est super terram, sed quæ a Christo per Apostolos accepimus, ea tradimus. » Hinc Augustinus tract. 37. *in Joan.* contestatur, « non aliam se fidem sequi, quam Catholicam fidem, venientem de doctrina Apostolorum, plantatam in nobis, per seriem traditionis acceptam, sanam ad posteros transmittendam. » Hinc denique Vincentius Lirinensis in aureo *Commonitorio* suo profitetur, nullam se aliam amplecti doctrinam, « nisi Catholicam et universalem, et unam, eamdemque per singulas ætatum successiones incorrupta veritatis traditione manentem et usque in sæcula sine fine mansuram. »

Hac prudentia spiritali instructus Confessarius omnia judicet : *spiritualia*, juxta præceptum Apostoli I. Cor. II, *spiritualibus comparet;* casus conscientiæ non in humanis fallacium opinationum probabilis, sed in Evangelii decretis penset, et, ut ait Augustinus lib. 3. *contra Parmenianum*, cap. 2, « non in statera dolosa consuetudinum humanarum, sed in statera æqua divinarum Scripturarum. » Studeat pro virili ut remedium inflicto vulneri respondeat, sitque crimini pœnitentia suppar. Pœnitentis arborem non ex solis verborum foliis, sed maxime ex actionum dignis fructibus æstimet et expendat. Scriptum est enim, a fructibus eorum cognoscetis eos; nec melius interni affectus, habitusque sinceritas quam operibus innotescit.

Eadem spiritalis prudentia intrepidam animi libertatem et magnitudinem parit, quia, teste Apostolo II. Cor XVII, *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Cum enim homo spiritualis nulla cupiditate, nullo præsentium desiderio teneatur, sed supra terrena et caduca omnia elatus solis cœlestibus atque æternis inhiet, creaturarum servitio expeditus est, uni omnium subjectus Creatori. Hinc peccatores non palpat, sed peccata generose arguit; non accipit personas, sed causas; rigidas arctæ vitæ maximas inspirat et inculcat, prorsus cogitat Christianorum alios a Baptismatis innocentia semel vel raro tantum lapsos, alios pluribus peccatis mortalibus ea excidisse, alios in peccatorum sordibus hæsisse diutius; varia denique absolutionis et Communionis impedimenta spectat, quæ pro peccatorum ratione, vel temporis quo quis in eis hæsit, graviora leviorave ducenda sunt. Absolutionis beneficium non satis paratis vel denegat prorsus, vel certe differt; arcet ab altaribus non se arcentes a criminibus, criminumque occasionibus, sibique illud Chrysostomi homil. 13. *in Matth.* ante oculos proponit : « Diabolo peculiare est, blandiri ut noceat; Dei vero maxime proprium, corripere ut prosit. » Illud etiam ejusdem Patris hom. 15. in memoriam revocabit : « Christum Dominum in Evangelio singularem pseudoprophetarum notam assignasse, si ab omnibus hominibus benedicantur. » Meminerit cum eodem Sancto, « se tanquam sal terræ a Christo datum, cujus ea virtus est, ut laxa quæque ac mollia urendo ac constringendo diffluere non permittat. Forti igitur atque acri animo opus esse, qui probris atque maledictis lacerari non refugiat, cum multo magis timendum sit, ne si adulari ac dissimulare velit, ut hominibus placeat, ipse corrumpatur salis instar infatuati, quod ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur. »

Denique plenitudo caritatis in animarum ductore inesse debet, ut sit servus bonus et fidelis, in nemine autem bonitas excellit, nisi in quo excellit caritas. Et sane qui aliis poterit instillare sanctimoniam a sanctitate desertus, et spiritum dilectionis inspirare supereminenti charitatis scientia vacuus?

« Quod tuum est spargis et perdis, » inquit Bernardus serm. 18. *in Cantica*, « si priusquam infundaris tu totus, semiplenus festines effundere. Quamobrem si sapis, concham te exhibebis, non canalem. Hic siquidem pene simul et recipit et refundit ; illa vero donec expleatur expectat : et sic quod superabundat sine suo damno communicat. Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero perpaucas. Tantæ caritatis, sunt per quos nobis fluenta cœlestia emanant, ut ante effundere quam infundi velint, loqui quam audire paratiores, et prompti docere quod non didicerunt, et aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt. Ego nullum ad salutem gradum pietatis illius gradui anteponendum existimo, quem Sapiens posuit dicens : *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Quod si non habeo nisi parumper olei quo ungar, putas tibi debeo dare, et remanere inanis? Servo illud mihi, et omnino nisi ad Prophetæ jussionem non profero. Si institerint rogitantes aliqui ex his qui forte existimant de me supra id quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, respondebitur eis : *Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes et emite vobis.* Et nihilominus caste imitans illum de cujus plenitudine omnes accepimus, disce et tu nonnisi de pleno effundere : nec manat ille in rivum, nec in lacum extenditur, donec suis satietur aquis. Non pudeat concham non esse suo fonte profusiorem. »

Sine hac dilectionis plenitudine rectoris animarum cæcutit animus. Sicut enim omnia ingrata videntur obscura, sic generaliter dilecta præclara sunt : a fortiori ergo asperæ viæ arctæque salutis semitæ non difficiles modo, sed impossibiles et falsæ a non amante vel amoris creaturarum præjudiciis occupato judicabuntur. Pulchre observavit Chrysologus serm. 78. Joannem primum vidisse Salvatorem, juxta illud Joan. XXI. Dixit ergo Petro discipulus ille quem diligebat Jesus, Dominus est; quia nimirum amor ad divina oculos aperit mentis : « Primus qui diligitur videt, inquit, quia semper amoris oculus acutius intuetur : et semper vivacius qui diligitur sentit. »

Porro illa dilectio et dilectionis sacerdotalis plenitudo quantam in veros pœnitentes indulgentiæ benignitatem, tantam adversus eos qui pœnitentiam detrectant, constantiam et similitudinem exhibere debet, ne blanda mollique facilitate abrepti rectores animarum ea foveant quæ non nisi ferro et cauterii ustione possunt cohiberi, ne præpropera facilitate eos occidant, quos nisi salutari cunctatione et imposita consentanea peccatorum gravitati pœnitentia in pristinam sanctitatem restituere non valebunt; et confitentibus in detrimentum et damnationem cedat, quod pro omnium est salute institutum. Hanc benignitatis et fortitudinis temperaturam in Cypriano videre est epist. 55, ubi Episcopi paternus amor et una heroici animi invicta magnitudo ita certatim splendet, ut nescias utra utram vincat. « Si judicium nostrum » (inquit *de Lapsis*) « voluerint experiri, veniant. Denique si qua illis excusatio et defensio potest esse, videamus quem habeant satisfactionis suæ sensum, quem afferant pœnitentiæ fructum. Nec Ecclesia istic alicui clauditur, nec Episcopus alicui denegatur : patientia et facilitas et humanitas nostra venientibus præsto est. Opto omnes in Ecclesiam regredi; opto universos commilitones nostros intra Christi castra et Dei Patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa dissimulo studio et voto colligendæ fraternitatis. Etiam quæ in Deum commissa sunt, non pleno judicio religionis examino, delictis plus quam oportet remittendis pene ipse delinquo. Amplector prompta et plena devotione cum pœnitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili et simplici confitentes. » (En ubera misericordiæ lacte manantia, et amantissimi Patris studia? cerne jam Judicis firmitatem ahenea fronte immotam animi constantiam exhibentem.) « Si qui autem sunt, qui putant se ad Ecclesiam non precibus, sed minis regredi posse, aut existimant aditum sibi non lamentationibus et satisfactionibus, sed terroribus facere; pro certo habeant contra tales clausam stare Ecclesiam Domini, nec castra Christi invicta et fortia, et Domino tuente munita minis cedere. Sacerdos Dei Evangelium tenens, et Christi præcepta custodiens occidi potest, non potest vinci. » Quod confirmat auctoritate Concilii : « Concilio, » inquit, « frequenter acto, non consensione tantum Episcoporum, sed et comminatione decretum est, ut pœnitentiam fratres agerent, ut pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret. » Ejusdem temperamenti sacri Concilii auctoritate probati meminit epist. 52. *ad Antonianum*, his verbis : « Persecutione sopita, cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros

et incolumes fides sua et Domini tutela protexit, in unum convenimus, et Scripturis diu ex utraque parte prolatis temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communionis et pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, et eo quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti sæculum gentiliter viverent. Nec tamen rursus censura Ecclesiastica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent; sed traheretur diu pœnitentia, et rogaretur dolenter paterna clementia. »

Hac ergo animi firmitate a caritate proficiscente munitus sacerdos ratum fixumque habeat, peccatori qui a Baptismi gratia eodem peccato mortali sæpe per summam negligentiam iterato excidit, ante reconciliationis obtinendæ jus esse posse, quam laboriosa satisfactione defunctus legitimis se ac dignis pœnitentiæ exercitationibus expurgarit: ne reconciliationem et Communionem invadat antequam pœnitentiæ iter emensus sit, antequam ad veniam delicti sui Dominum justis et continuis legitimæ pœnitentiæ operibus inflexerit, antequam acrioribus remediis, et ad sananda vulnera accommodatis saluti suæ consulere conatus sit : ne sacerdotes contra Evangelii rigorem et Ecclesiæ leges falsam et periculosam pacem relabentibus impertiant, nihil accipientibus profuturam, solis impertientibus et potestate sua abutentibus nocituram : ne operiant morientium vulnera, et plaga lethalis altis et profundis visceribus infixa dissimulato dolore contegatur; ne prava et præpropera absolvendi facilitas crudelis sit persecutio et nova tentatio, per quam subtilis inimicus, ut ait tract. *de Lapsis* S. Cyprianus, impugnandis adhuc lapsis occulta populatione grassatur, ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria vanescat, comprimatur pectorum gemitus, sistatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum longa et plena patientia reus deprecetur : ne Dei ministri petisfera assentatione iis conniventes qui momentaneam desiderant medicinam, Domini præcepta rescindant, Evangelicam veritatem infringant, fidei majestatem evertant, et palpationibus perniciosis mentes in fraudem impellant, si eis peccata non retineant, qui longa et austera pœnitentia crimina, quibus infernum meriti sunt, minime diluerunt. Imitetur ergo sacerdos præclaram cleri Romani fortitudinem, quam epist. 31. *ad Cyprianum* sic expressit : « Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, et nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere ; ut cum adhuc non tantum jaceant, sed et cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communionum utique non profutura præstentur, et nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad conversionem majorem eripiatur et pœnitentia. »

Peccatori lapso, sauciato, et semivivo relicto oleum infundat sacerdos, et vinum; oleum benignitatis, ne desperet; vinum severitatis, ne plaga putrescens periculosior fiat. Præ paterni cordis compassione lacrymas suas cum pœnitentis lacrymis jungat, cum ejus gemitu suos gemitus copulet; sed ne propterea illi præproperam absolutionem in ejus perniciem perversa facilitate indulgeat. Misericordia abundabat S. Carolus, abundabant sanctissimi Antistites, quorum vestigiis insistebat, compassionis visceribus graviter et gravius quam nos commovebantur, animarum sibi commissarum salutis zelo flagrabant, vel unius ovis infirmæ tuendæ causa sanguinem effundere parati erant : et tamen viri illi divini nunquam miserationis specie reos ad reconciliationem vel altaria pœnitentiæ laboribus non perfunctos ut admitterent induci potuerunt. Sciebant sacri illi doctores cœlesti lumine perfusi, se non esse Ecclesiæ Patres, ut filiorum infirmorum cupiditatibus morem gererent, sed ut eos in Christo formandos cruci Christi conformarent. Noverant paternum Episcopalis cordis amorem non in palpandis, ungendisque vitiis, sed nulla re magis quam in emendandis eorum moribus vitiisque coercendis enitescere, quia scriptum est Psal. CXL : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me ; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Et iterum Proverb. XXVII : *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.*

Non ergo severitate utitur in peccatores, sed salutari misericordiæ mansuetudine sacerdos, qui sæpe relapsis absolutionem tantisper suspendit ac subducit, ut ad illam dignius recipiendam dignis sinceræ pœnitentiæ exercitationibus se comparent : ut utili cunctatione cor interim recogitans annos suos in amaritudine animæ suæ flectatur, emolliatur, et funditus tandem liquescat et convertatur, ut in dies convalescens demum

persanescat, ut bonorum operum accessione et incremento quasi pedetentim nova creatura conformetur, paretur, instruatur, maturescat.

Itaque fallacem lenitatis speciem sibi et peccantibus exitiosam deponat, et prorsus abjiciat, ut ab officio non discedat, improvida præcocis absolutionis facilitate innumerorum sacrilegiorum particeps factus. Timeat ne dum absolvit recidivantem in terris, ipse a Deo in cœlis reus condemnetur. Timeat ne fallacem hominibus sordibus immersis pacem ingerat, quæ ipsos vitiorum sommo et cœno altius remergat. Timeat ne se alienis criminibus irretiat, dum ea degeneri clementia fovet, nec peccatorem ad eluenda sordentis vitæ iterata flagitia compellit. Timeat ne margaritas projiciens ante porcos, sanctumque dans canibus ad vomitum redeuntibus, dum relapsos ad Dei mensam inconsulte adhibet, cum pane cœlesti una propinet et venenum. Timeat ne qui Pastor esse debet, lanius fiat. « Ea enim concedere quæ in perniciem vertant, » inquit Cyprianus epist. 11, decipere est: nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam. » Timeat ne si pravis ægrotantium cupiditatibus assentiens cœlestis medicinæ præcepta negligat, nec sanitatem infirmis restituat, et eorum exitii culpam apud Deum sustineat. Nam, ut præclare tract. *de Lapsis* scripsit, « qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta illa, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul, atque instruit fratrem, promovet ad salutem. Imperitus est medicus qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, et in altis recessibus viscerum mortale virus inclusum dum servat exaggerat. Apperiendum vulnus est, et secandum, et putredinibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur, et clamet licet, et conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum cum senserit sanitatem. »

Reminiscatur ergo rector animarum, et seria secum cogitatione revolvat se peccatorum quidem remittendorum a Christo concessam potestatem accepisse, sed ejusdem potestatis usus reddendam sibi rationem tamen. Perpendat se peccatorum esse judicem, sed superiori judici militare, sibique divinitus traditam facultatem Dei voluntate, Ecclesiæque atque Sanctorum institutis dimetiendam et temperandam esse. Sit ergo in condonandis peccatis fidelis servus et prudens, id est in peccatis condonandis et dispositiones pœnitentium exploret, et fructus pœnitentiæ non præfocet. « Tunc namque, » inquit Magnus Gregorius lib. 6. *in cap* XV. *lib.* I. *Reg.*, « vere conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur quod loquendo confitetur. » Si secus se gerat, si vulnera operiat quæ secari et exuri debeant, si cum in medullis fervet morbus, per superficiem molle deducat unguentum; si levissima opera pro gravissimis delictis injungat, si pauculorum Psalmorum recitationem pro infinitis perjuriis, blasphemiis; aliquod jejunium pro multorum annorum adulteriis et libidinum monstris, profecto alienorum in se peccatorum onera suscipiet, ut Tridentinum sess. 14. cap. 8, non tam verbis quam fulminibus declaravit. Tum vero maxime arceat a sacro altari calentes adhuc recentibus flagitiis, donec juxta salubre Apostoli monitum sese probaverint, dignis pœnitentiæ fructibus sinceritatem conversionis experiendo, ne ore impuro sanctissimum cibum indigne sumentes judicium sibi manducent et bibant. Nisi hanc arctiorem viam teneat sacerdos, quomodo pœnitentia, uti Tridentinum definivit, laboriosum erit Baptisma, quo puniatur qui templum Dei violavit, et Spiritum sanctum contristare non formidavit? Quomodo metu pœnarum revocabuntur peccatores, et infrenita relabendi licentia, qua homines non minus ad scelera quam ad ludum jocumque prosiliunt, quasi fræno coercebitur? Quomodo vitiosi habitus, qui non nisi contrariis virtutum actionibus tolluntur, pœnitentiæ exercitationibus evellentur? an forte inveteratos superbiæ, avaritiæ, impudicitiæ, ebrietatis, et maledicentiæ habitus, Rosario semel aut iterum recitato, aut pauculis Psalmis evolutis exstirpabuntur? Itane solis precatoriis verbis peccandi proclivitas natura inolita, et consuetudine roborata, atque frequentatis peccatis robustissima et pœnæ invictissima facta, in bonum nisi accedat exercitatio pœnitentiæ ultricis vitiorum et altricis virtutum, sicut a Bernardo nominatur, inflectetur? Quomodo Christo Jesu qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficiemur, nisi asperrimos Capitis nostri labores et mortem acerbissimam exprimere pro virili connita-

mur, memores quod si in viridi ligno tot facta sunt, in arido quid fiet?

Non est ergo satis confiteri sæpius, ut toties beneficium absolutionis peccator promereatur; non sufficit flagitiosam vitam accusare semper, emendare nunquam, sicque perpetua vicissitudine labi, exurgere; relabi rursum, et divinæ hac inconstantiæ levitate misericordiæ illudere. Summa cautione ac diligentia opus est, ut ea vitet peccator, ex quibus certa pestis animæ imminet. Operibus et dignis pœnitentiæ fructibus probanda est voluntas, mores componendi, atque ad immutabilem Evangelicæ doctrinæ normam dirigendi. Ea vivendi via persequenda est, quam Christi Domini vestigia impresserе; amovendæ procul omnium sæcularium cupiditatum sordes, eaque animi castimonia atque integritas custodienda, quæ interim de ruinis reparandis, de vulneribus diligenter curandis sedulo cogitet, et per aliquod tempus pœnitentiæ incumbat, priusquam reconciliatione, et sacra Communione pœnitens fruatur. Mortifera peccata, quæ uno ictu animam perimunt, quæve qui agunt regnum Dei non possidebunt, penitus exstirpanda sunt et præcavenda; quia gratia semel voluntarie amissa recuperatu difficillima est. Nusquam crediderunt Patres tam facile homines e peccatorum profundissimo cœno emergere, ac e mancipiis diaboli evadere filios Dei; sicque perpetuis reciprocæ vicissitudinis alternationibus toto vitæ decursu contingentibus, nunc æterna damnatione multandos, nunc extemplo, ac nullo negotio æternæ felicitatis dignos. Quis credat ejusmodi semi-Christianos toto et sincero corde ad Deum converti, qui cor dividentes suum, partim Deo, partim sæculo inserviunt; quorum vitæ series peccatorum mortalium, inanis pœnitentiæ, et infructuosarum confessionum perpetua vicissitudine continetur, contra illud Veritatis immobile oraculum: *Nemo potest duobus dominis servire?* Sed de hac infructuosa et fucata pœnitendi ratione, quantove periculo illi præproperam absolutionem indulgeant animarum rectores, iterum et fuse dicemus, nempe pro rei momento, capitis sequentis speculatione tertia, ubi de differenda absolutione disputabimus.

REFLEXIO.

Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ, Matth. VII. Si pastores et animarum rectores ad antiquæ virtutis normam semel restituerentur, facili negotio communis fidelium disciplina reflorescerет, et plebs Christiana ad avitæ integritatis leges formamque rediret. Sicut enim Deus accenso in mundo sole terrarum orbem luce complet et influxibus ditat; sicut mari refuso regiones omnes fluviis, fontibus, rivis, aquarumve copiosissimis meatibus irrigat; sicut civitatibus et regnis ornato regiis virtutibus Principe felicitas paratur: ita per sacerdotes divino igne succensos in universum orbem caritatis incendium effunditur, et dissoluta peccatorum glacie spargitur. Ipsi enim veri sunt mundi soles, quæ oculis cerni non possunt cernenda exhibentes: ipsi illius aquæ fontes sunt, quæ a cœlo exsiliens salit in vitam æternam: ipsi Principes animarum negotiis æternitatis præfecti.

Pietatem salutarem propinare hominibus nequit qui, ut verbis Episcopi [in ultima Tridentini sessione perorantis vehementiori voce, utar « poculo salutis primum inebriatus non fuerit »; quia nemo nisi sibi plenus et affluens in alios effluere exundareque potest. Quid ergo mirum, si (quod doleamus) plurimos in Ecclesia Dei Christianos esse videamus, qui, ut ait Augustinus *in Psalm.* XXX, « paganis et Judæis pejus vivunt; » si legem et Evangelium in tam multis ita deperiisse, « ut Saraceni » (verba sunt Gregorii VII. epist. 9.) « et quilibet Pagani suos ritus firmius teneant, quam illi qui Christianum nomen acceperunt); ut namque ait Petrus Damianus lib. 2. epist. 1: « Totus mundus pronus in malum per lubrica vitiorum in præceps ruit. Et, o nefas, ab eis in veritate judaice vivitur, qui superficie tenus Christiano vocabulo palliantur. » Quid, inquam, mirum si infinita mala redundent, cum illis regamur sacerdotibus, in quibus disciplinam, ut cum Cypriano tract. *de Lapsis* loquar, « pax longa corrumpit, in quibus non religio devota, non fides integra et viva, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina viget: cum sacrorum ministrorum navim undique intrent fluctus, et putridæ naufragium tabulæ sonent; » ut Magnus Gregor. lib. 1. epist 4. loquitur, cum, ut plenius serm. 33. *in Cant.* lamentatur, serpat hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, et quo latius eo desperatius, eoque periculosius quo interius: « Ministri Christi sunt, » inquit, « et serviunt Antichristo.... Olim prædictum est, et nunc tempus imple-

tionis advenit : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Amara prius in nece Martyrum; amarior post in conflictu hæreticorum ; amarissima nunc in moribus domesticorum. » Videsis illum ibi.

Sed absit, ut ponam in cœlum os meum ; absit ut quæ a sacerdotibus patrantur eo animo observem, eaque voluntate recenseam, ut statutum divinum, cujus observantia nihil mihi antiquius, insimulem. Privatorum corruptelas non dissensionis studio incesso, sed caritate deploro ; ministrorum deliquia et defectiones animadverto, quia tam præcelsæ conditionis pulchritudinem nulla temporum vicissitudine deleri, nec minus hac quam prima ætate nitere ac florere vellem. Ne igitur, Christiane lector, veritatem in invidiam, caritatem in crimen, voces, præclare memor illius a Gregorio theologo orat. 1. vocis fusæ : « Et si proborum ac peccatorum, quæ apud Christianos vigent, impetum comprimere majus sit, quam pro virium nostrarum facultate ; at certe odisse ac pudore affici, pietatis partem esse non minimam. » Illum animi habitum induere satagimus, qui in conciliis, summorumque Pontificum decretis elucet. Non erubescunt innumerabilia pene Concilia se ad reformationem Cleri et populi Christiani coacta fateri, ut in concilio Viennensi sub Clemente V, in Lateranensi sub Innocentio III, et altero Lateranensi sub Alexandro III. et in ipsa Tridentini fronte legere est.

Rectores ergo ac Pastores animarum non increpando, sed qua par est reverentia rogando monemus ut in regendis populis suæ curæ commissis, non ad corruptam consuetudinem et putridam mollitiem disciplinæ corruptricem, sed ad illud incorruptum lumen sese applicent, quod a Christo Ecclesiæ collatum perpetua ejusdem Ecclesiæ traditione integrum ac purum continetur. Illud animo sæpe revolvant, quod Magnus Gregorius lib. 30. *Moral.* cap. 7. scriptum reliquit : « Episcopi, et si subsequentium populorum Patres sint, præcedentium tamen Patrum se filios meminisse oportet. » Hoc itaque Pastoris Evangelici officium, hæc Episcopalis regiminis administrationisque forma, hæc tuta ad salutem via, sacras pietatis ac disciplinæ leges sanctorum monumentis factisque traditas executioni pro virili mandare : « Nam, » ut ait idem Gregorius *Curæ Pastoral.* part 2. cap. 2, « tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla Patrum præcedentium indesinenter tuetur, cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat. » Sane, si ipse Dei Filius ad orbem sapientia et factis illuminandum missus, ea solum dixit et fecit quæ a Patre audivit ; si spiritus sanctus a Filio postmodum missus illa duntaxat quæ a Filio accepit inspiravit ; si Apostoli in omnem terram a Spiritu sancto missi id unum docuerunt atque fecerunt quod a Paracleto didicerunt: profecto Episcopi cæterique animarum pastores et rectores ab Apostolis missi nihil aliud sibi, aliisque agendum tradere debent, quam quod ab Apostolis traditum accepere. Non novas quasdam vias priscis virtutis Magistris plane ignotas debent incedere, sed antiquum iter prosequi ; uno verbo non mores temporum, sed Evangeliorum exquirere tenentur, qui eos ac populum Dei illis creditum ad cœlestem patriam felicitatemque perducturi sunt.

DISSERTATIO UNICA

De sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT II.

EXAMINANTUR ACCURATIUS DIFFICILIORA QUÆDAM CIRCA PARTES ET EFFECTUS PŒNITENTIÆ.

Circa partes et effectus sacramenti Pœnitentiæ cum plures controversias excitent theologi, quarum plures, utpote faciliores breviter resolvimus in capite præcedenti, insigniores quædam ac momentosiores sunt, quas visum est aut solum tantisper superius attingere, aut ex integro reservare in hoc proprio et speciali capite diligentius excutiendas.

SPECULATIO I.

Dolor de peccatis ex uno pœnarum inferni metu conceptus, bonus quidem ille est, et ad gratiam justificantem in sacramento recipiendam disponit : non sufficit tamen, si ab omni amore Dei desertus sit.

Si ad legendam ullam a nobis toto theologiæ decursu disceptatam quæstionem purum te et integrum, lector optime, desideravi, illam impræsentiarum maxime a te postulo æquitatem, ut sepositis cunctis affectibus, quos non illepide quidam amoris proprii sophismata nominavit, ad illam te redigas præjudiciorum vacuitatem, quæ Christianum et theologum decet, ne quam aggredimur rem tantam, et ad instituendam salutem dirigendamque tantopere necessariam expendas potius, ut Augustini verbis utar, præjudicio consuetudinis, quam judicio veritatis, quæ vita ipsa cuique debet esse antiquior. Si enim ita te compares, magna me spes subit fore, ut gravissimam sanctissimamque sententiam, quam tutari aggredimur, et pro tuo pietatis zelo suscipias, et pro nativo mentis acumine fide illustrato omnibus qui ad Deum sese referre ex animo student, nedum fructuosam, sed prorsus necessariam intelligas. Minus ergo soles apud te valeat privatæ vel præjudicatæ opinionis defendendæ cupiditas, quam studium percipiendæ veritatis : ne illos, amabo, imiteris, in quorum mentibus contraria hæret sententia, quia longo usu assueti sunt apertissima quæque respuere, si a præjudicatis eorum opinionibus abhorreant. Ita si te componas, nudam veritatem nudus assequere, puramque purus tenebis, quia, ut Augustinus lib. 6. *contra Julianum*, cap. ultimo, veridice scripsit, « Quando animositatem, qua teneris, viceris ; tunc veritatem poteris tenere, qua vinceris. »

Ut igitur in hujus quæstionis indagine veritatem sincerius intelligamus, attentionem mentis a præjudicatis opinionibus removeamus atque subducamus, ipsamque Veritatem omnibus circumfusam supplices invocemus, quæ manens in se incommutabiliter, nullo modo cessat occulta inspiratione vocationis loqui ei creaturæ cui principium est, ut docet August. lib. 1. *de Genesi ad litt.* cap. 50. Et præclare lib. 10. *Confess.* cap. 26 : « Ubique veritas præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diversa consulentibus. Liquide tu respondes, sed non liquide omnes audiunt. Omnes unde volunt consulunt, sed non semper quod volunt audiunt. » Non ita sum rudis et in cœlesti Augustini doctrina peregrinus, ut credam aut præsumam veritatem discere te posse a me : admonere te possum per strepitum vocis et scriptionis meæ lectionem, sed nisi sit intus qui doceat inanis fit strepitus meus. Munus Dei est intelligentia veritatis. Deum ergo loquentem audi, ut cum ipsa Veritate, Joan. v. dicere queas : *Sicut audio, sic judico : et judicium meum justum est, quia non quæro voluntatem meam.* Deus intelligibilis lux est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in qua, a qua, et per quam intelligibiliter lucent, quæ intelligibilia sunt omnia. Hanc lucem implora, quæ a te non occidet,

nisi tu ab ipsa occideris. « Nam etiam sol iste, » inquit Augustinus tract. 35. *in Joan.* « Et videntis faciem illustrat et cæci : ambobus sol præsens est : sed præsente sole unus absens est, sic et sapientia Dei Dominus Jesus Christus ubique præsens est, quia ubique veritas, ubique sapientia. »

Præjudicium autem in hac parte periculosissimum est, si quorumdam recentiorum auctoritate persuasus sententiam de sufficientia attritionis ex solo metu, absque ullo Dei amore saltem comitante conceptæ, articulum fidei ; nostram vero tanquam hæresim inconsiderate pronunties ; quia, ut sapienter a nonnullo dictum est, pessima res est falsarum sententiarum apotheosis, et pro peste intellectus habenda est, si vanis aut falsis accedat veneratio. Ex divinorum enim et humanorum male sana admixtione non solum educitur philosophia phantastica, sed etiam religio vana. Itaque salutare admodum est, si mente sobria fidei tantum dentur, quæ fidei sunt. Ad sanandam autem hujusmodi præjudicatæ sententiæ, qua nonnulli laborant, ægritudinem non solum conferet sincerus amor veritatis, quam qui videre non potest, pulsare debet non ad hominem disputatorem ; sed ad Deum Salvatorem, ut quod non valet valeat, supplexque illi qui lumen mentis accendit attendere, ut intelligat, quemadmodum Augustinus epist. 112. et *contra epist. fundam.* cap. 33. monuit ; sed etiam sanctissimi Papæ Alexandri VII. declaratio his verbis expressa in decreto sanctæ Romanæ Inquisitionis, edito feria 5. die 4. maii, anno 1667. « Sanctissimus Dominus noster Alexander Papa VII. cum acceperit non sine gravi animi mœrore, Scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo inter se contendere, an illa attritio quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ ad impetrandam gratiam in sacramento Pœnitentiæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quisbusdam, negantibus aliis, et invicem adversam sententiam censurantibus : Sanctitas sua enixe cupiens pacis vinculam inter fideles servari, omnemque scissuræ fomitem extingui, auditis votis Eminentissimorum et Reverendissimorum Dominorum Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, necnon Dominorum Consultorum et Qualificatorum sacræ Congregationis ejusdem Generalis Inquisitionis, hoc præsenti decreto in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna excommunicationis latæ sententiæ huic sanctæ Sedi reservatæ, aliisque pœnis ejusdem sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis et singulis fidelibus quocumque gradu ac dignitate, etiam episcopali et majori, imo et Cardinalitia fulgentibus, ut si deinceps de materia attritionis præfatæ scribent, vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes aut scholares cæterosve erudient, non audeant alicujus scholasticæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur ; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid in hac re definitum : statuitque præterea decretum hoc sive illius exemplar affigi ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe etc. » Quod integrum decretum referre operæ pretium duximus, ut eorum cohiberetur licentia, qui nostram de alicujus amoris Dei ad veram pœnitentiam necessitate sententiam sugillare præsumunt. Sed age ad rem veniamus, si tamen prius sacri timoris honestatem ac utilitatem tantisper commendaverimus.

Utilitas et honestas timoris ex metu gehennæ concepti.

Prior ergo pars, quæ asserit timorem ex metu gehennæ conceptum, quo perculsus peccator incipit odisse peccatum, actum esse salutarem, ex his quæ alibi agentes de sacro timore diffuse satis disseruimus, manifesta est. Eam tum concilii Tridentini definitionibus, tum Augustini testimoniis, tum ratione S. Thomæ, tum potissimum apertis Scripturæ locis demonstravimus, quæ ex integro repetere supervacaneum foret. Fundamenta etiam Lutheri occupavimus, distinguentes in timore illo substantiam actus a servilitate ejusdem : et licet ista honesta non sit, illam tamen per se, et ex natura sua esse bonam pluribus ostendimus.

Ad eorum tamen quæ ibi diximus, lucem et confirmationem advertendum est ex Augustino *in Psalm.* CXXVII, triplicem esse timorem : primus mala temporalia formidat, cum timet quis ne ægritudo, damnum, or-

bitas, alicujus amissio cari, exilium, carcer, aut aliqua tribulatio accidant. Alter timor est gehennæ, seu pœnæ æternæ, quo quis non in hac terra pati timet, sed gehennas timet, quibus terret nos Dominus, quo timore mens a peccato se continet. Tertius timor castus est, quo quis amore justitiæ timet a Deo quem diligit separari. Porro de secundo timore nondum casto, qui pœnas timet, quo quis timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi boni divini, sed timore patiendi malum, non timens ne perdat amplexus pulcherrimi Sponsi, sed timens ne mittatur in gehennam æternam, ait inibi Augustinus : « Bonus est iste timor, utilis est, » etsi non permansurum dicat in sæculum sæculi, quod solius casti proprium esse affirmat. Ejusdem distinctionis meminit S. Pater serm. 18 *de verbis Apostoli*, cap. 4, 5, et 7, ubi postquam redarguit homines timentes pœnas temporales, nec timentes æternas, quia vanum est timere amittere bona terrena peritura, quæ auferre non possumus ; de timore ignis æterni subjungit tamen : « Quare non comittis adulterium? Et respondebis : Quia timeo gehennam, timeo supplicium ignis æterni, timeo judicium Christi, timeo societatem diaboli, ne puniar ab illo, cum illo ardeam. Quid dicturus sum? Male times, quomodo tibi dicebam de adversario, quia quærebat corpus tuum occidere? Ibi enim recte dicebam, Male times; securum te fecit Dominus tuus dicens : *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Modo cum dicis gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo : quid dicturus sum : Male times, vane times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore subjecit timorem, ubi dixit : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, postea non habent quid faciant : sed eum timete qui habet potestatem et corpus, et animam occidere in gehennam ignis : ita dico vobis, hunc timete.* Cum ergo Dominus timorem incusserit, et vehementer incusserit, et repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum, Male times? Ita non dicam. Plane time. Nihil melius times : nihil est quod magis timere debeas. » Ergo ex mente Augustini timor ex metu gehennæ conceptus bonus, honestus, et lapis purus est, utpote quem S. Doctor non audet dicere malum et vanum, quem potius discernit a timore mercenario unum malum temporale formidante; quem utilem esse affirmat et peccata cohibentem, denique quem initium sapientiæ esse, et præparare ad caritatem inculcat.

Unde observat sanctus Pater, nunquam vel certe raro peccatorem ad amorem justitiæ nisi sacro illo timore extimulatum pervenire. « Rarissime accidit, » inquit lib. *de Catechis. rudibus*, cap. 5, « imo vero nunquam, ut quisquam veniat valens fieri Christianus » (et idem dicito de malo Christiano, qui veniat volens fieri bonus per Pœnitentiam Christianus) « qui non sit aliquo timore Dei perculsus. » Et *in Psalm.* CXLIX : « Nisi, » inquit, « timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem : initium sapientiæ timor Domini. Incipit ergo a vinculis ferreis, et finitur ad torquem aureum. » Hinc Doctor sanctissimus comparat timorem illum setæ, qua introducitur linum : « Si nullus timor, » inquit, « non est quo intret caritas : sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur. Seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum : sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor ; quia ideo intravit, ut introduceret caritatem. » Quapropter nihil nobis opus est in demonstranda hujus timoris utilitate et honestate, tam manifestis non modo testimoniis, sed etiam argumentis, quæ in præfatis insinuantur, a divo Augustino commendata. Major opera collocanda est in altera tituli parte, utpote inter Catholicos Doctores controversa.

Timor ex metu gehennæ conceptus sine aliquo amore et inchoatæ dilectionis motu ad justificationis gratiam recipiendam nunquam sufficit, nequidem in sacramento ullo, etiam Pœnitentiæ.

Contendunt plures recentiores, attritionem peccatorum ex solo metu gehennæ conceptam, etiam ab omni Dei amore divulsam, sufficientem esse ad gratiam in Sacramentis saltem mortuorum recipiendam : quod etiam nonnulli ad alia Sacramenta vivorum extendunt, cum quis, inquiunt, putans se esse contritum et amore Dei permotum, reapse tamen caritate et dilectione caret, soloque gehennæ timore percellitur ; quia tunc, inquiunt, Sacramenta gratiam infundunt homini, quem supponunt detestari peccata, subindeque nullo ad gratiam recipiendam obice præpediri. Nihilominus

Secunda speculationis pars, affirmans nunquam sufficienter per hominem ad justi-

ficationem sine aliquali Dei amore præparari, ostenditur. Primum iis omnibus testimoniis, quibus præceptum amoris Dei stabilitur I. Joan. III : *Qui non diligit, manet in morte.* I. Cor. ultimo : *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* At manens adhuc in morte et anathemate perculsus, utique non est ad gratiam recipiendam satis paratus. Ergo timor quivis ab omni Dei dilectione sejunctus, tametsi bonus et ad conversionem permovens, nequit esse ultima et sufficiens ad gratiam recipiendam dispositio.

Quod si dicas, præceptum amoris Dei in usu Sacramentorum non urgere, sed alio posse tempore opportuno impleri : hæc, inquam, si dicis, nihil dicis, et veritati apertissimæ contradicis. Tum quia, etsi sive præceptum caritatis tunc urgeat, sive non, de quo statim ; attamen si Sacramentum ei confertur qui est a tali præcepto penitus aversus, gratiam utique non infundet, quam impertire nequit manentibus in morte, anathemati obnoxiis, et ab amore Dei desertis, quales, sacro testante eloquio, homines sunt, qui nullo dilectionis affectu cientur. Tum quia gratia sanctificans est effusio divinæ dilectionis ; quos enim Deus ut filios diligit, muneribus suæ bonitatis adornat. At ex D. Thoma Deus in ordine supernaturali non diligit nisi diligentes se, juxta illud, *diligentes me diligo :* quin ipse amor Dei diligentes non facit. Ergo gratiam justificationis non nisi diligentibus se Deus impertit.

Sane si vera est opposita sententia, evacuari præceptum dilectionis Dei, et ad nihilum redigi necesse est. Etenim si absque ullo amoris motu justificationis gratia quocumque tandem modo obstineri potest, poterit etiam homo absque dilectione Dei salutem consequi, cum justificato et gratia habituali perfuso denegari non possit vita æterna ; gratia quippe sanctificans est germen gloriæ, constituens filios adoptivos. Filius porro hæres est, juxta illud Apostolicum : *Si filii, et hæredes ; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Ergo sine illo dilectionis actu adultus et justificabitur, et salvabitur. Ergo in lege gratiæ et caritatis non tenebitur ad dilectionem Dei Christianus. Quod profecto pius et catholicus refugit sensus, et universæ S. Thomæ doctrinæ adversatur. Affirmat enim S. Doctor, gloriam uni caritati respondere ; caritati, inquam, non habituali duntaxat, sed actuali in adultis : sic enim habet 1. p. quæst. 12. art. 6 : « Plus participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de caritate ; quia ubi major est caritas, ibi est majus desiderium. »

Res fiet exemplo planior et illustrior. Supponamus peccatorem post deperditam Baptismatis gratiam, multosque annos in flagitiis omne genus transactos, gehennæ timore concussum detestari peccata, et ad sacramentum Pœnitentiæ absque ullo amoris sensu accedere, mox post exomologesim sacro ritu peractam, et acceptum absolutionis beneficium, repentina morte correptum e vivis excedere. Quæro, vel ille salutem consecuturus est, vel non ? Si salutem obtinet : ergo inane est dilectionis præceptum, siquidem adultus nullo elicito dilectionis actu ad sortem pervenit Beatorum, et in lege gratiæ et amoris peccator sine amore salvabitur, qui nec in ipsa lege timoris sine dilectione salutem poterat obtinere : ac proinde legis amoris privilegium erit a diligendi Dei obligatione immunitas. Si dicas ipsum defectu amoris Dei minime fore salvandum : ergo etiam defectu dilectionis non fuit justificatus, cum supposito rerum cursu a divina providentia instituto, repugnet plane hominem justum, Filium Dei, amicum Sponsi, hæredem gloriæ, a regno excidere et deturbari.

Quod autem dictum est, præceptum dilectionis Dei in usu Sacramentorum non urgere, id est posse peccatorem nullo elicito dilectionis actu Sacramenta solo timore Dei perculsum usurpare, a veritate prorsus alienum esse ostenditur, et simul secundo nostra resolutio suadetur. Ille non accedit fructuose ad sacramentum Pœnitentiæ, qui non est ex toto ad Deum corde conversus ; quam conversionem omnes fere sacrarum Litterarum paginæ loquuntur et præcipiunt. At juxta Patres vera non est et multo minus totalis conversio, nisi cor Dei dilectio inspiret et immutet. « Tria », inquit Magnus Gregorius *in cap.* XV. *lib.* I. *Reg.*, « in unoquoque consideranda sunt veraciter pœnitente, videlicet conversio mentis, confessio oris, et vindicta peccati : nam qui corde non convertitur, quid prodest ei si peccata confiteatur ? Peccatum quod diligitur, confitendo minime deletur. Nonnulli quidem sunt qui peccata confitendo aperiunt, sed non se convertendo nequaquam detestantur : hi

profecto confitendo nihil agunt ; quia quod loquendo ejiciunt, amando introducunt. Unde et salubriter confiteri volentibus Scriptura intimat dicens : *Corde creditur ad justitiam, confessio autem fit ad salutem.* Quid est corde credere ad justitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? Cum ergo quis cordis intentionem ad justitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis fructum habet bonæ conversionis. » Ergo sine amore justitiæ, qui a Dei qui summa justitia est, dilectione divelli nequaquam potest, bona nequit esse conversio. Amorem porro justitiæ sine amore Dei inveniri non posse docet Augustinus epist. 144. his verbis : « Tantum porro quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit, quod non potest lege terrente per litteram, sed spiritu sonante per gratiam. » Gratia autem quæ fons est aquæ salientis in vitam æternam, quatenus alege terrente distinguitur, utique in Deum amandum permovet, dicente eadem Patre : « Inspiratio dilectionis ipsa gratia est. »

Id ipsum tradit S. Bernardus epist. 11 : « Puto », inquit, « de illa caritate dictum : *Lex Domini immaculata convertens animas*, quod sola videlicet sit, quæ ab amore sui et mundi avertere possit animum, et in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam; mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam. » Ergo ut cordis vere in Deum convertatur affectus, Bernardo auctore, dilectione Dei opus est in Deum dirigente, ab amoreque sui, et mundi avertente.

Probatur tertio. Impossibile est peccatum adultorum etiam in Sacramento remitti sine veræ pœnitentiæ motu, quia cum peccatum adulti sit macula ex actibus pravis impressa, plane repugnat, ut supra fuse monstratum est, voluntariam illam maculam abstergi, nisi sinceris pœnitentiæ actibus retractetur : unde ad contritionem, et juris divini læsi reparationem peccatores jure naturali obligari certum est, et docet S. Thomas 3. p. quæst. 84. art. 7. in corpore, et ad 1. a quo jure eximi homo nulla ratione potest. Atqui sine casto Dei amore vera nequit esse peccatoris pœnitentia ; pœnitentia enim, quæ est quædam justitiæ species, Deo læso satisfacere connititur, et revera illi satisfacit. At nemo qui Deum læsit, Deo satisfacit vel satisfacere unquam sine dilectione potest ; ille namque non satisfacit, qui quod abstulit non restituit. Porro peccator peccando a Deo quantum in ipso fuit rationem ultimi finis auferre præsumpsit, eam in creatura perversissime collocans, utendisque fruens : sicut ergo affectu a Deo rationem ultimi finis abstulit, ita affectu illam restituere tenetur : restituere autem affectu rationem ultimi finis, est finem ultimum in Deo amando quærere, cum sola voluntas in finem amore feratur. Ergo impossibile est, veram esse sine amore Dei, summique boni, et ultimi finis nostri dilectione pœnitentiam. Unde Augustinus serm. 7. *de Tempore* : « Pœnitentiam », inquit, « certam non facit, nisi odium peccati, et amor Dei. » Et S. Thomas 3. p. quæst. 83. art. 6 : « Actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei. » Et quæst. 86. art. 6. docet, « requiri ad rationem veræ pœnitentiæ, ut displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum. » Et lib. 4. *contra Gentes*, c. 72 : « Primum », inquit, « quod requiritur in pœnitentia, est ordinatio mentis, ut scilicet mens convertatur ad Deum, et avertatur a peccato, dolens de commisso, et proponens non committendum, quod est de ratione contritionis : hæc vero mentis ordinatio sine gratia esse non potest. Et præclare et juxta aperte S. Chrysostomus hom. 4. *in II. epist. ad Cor.* : « Cum peccaveris, ingemisce, non quod pœnas daturus sis, nihil enim hoc est; sed quod Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem. »

Confirmatur utraque superior ratio ex Augustino. Ad veram conversionem, et fructuosam pœnitentiam requiritur bona voluntas, ut per se notum est ; sicut enim mala voluntate peccamus, ita bona voluntate convertimur, et a commutabilibus bonis ad incommutabile revertimur. At ex Augustino sine amore Dei non est bona voluntas. « Quasi vero », inquit lib. *de grat. Christi* cap. 2, « aliud sit bona voluntas quam caritas? » et lib. 1. *ad Bonifac.* c. 9 : « Caritas sola vult bonum » ; et lib. 2. cap. 9 : « Quid est enim bona cupiditas, nisi caritas? » Et Bernardus epistola laudata : « Caritas convertit animas, quas facit et voluntarias », utique bona voluntate. Et ratio est, quia talis est voluntas, qualis et amor ; sicut talis arbor, quales fructus : porro talis est amor, quale objectum quod diligitur ; ideo impii dicuntur abominabiles sicut ea quæ dilexerunt : et juxta philosophos actus speciem ab objectis sortiuntur,

et moralitas objecti in actus refunditur voluntatis. At Deus summum et solum bonum est, solusque voluntatis humanæ finis. Ergo quæ tale bonum non amat voluntas, quomodo bona dici potest, quæ verum et unum bonum, quæve suum finem nondum diligit, sed pœnas duntaxat amore sui reformidat? Quomodo bona est, quæ summo bono nondum amore inhæret, quæ Deo frui non concupiscit, quæ quantum creaturas dilexerat peccando, tantum nunc diligit Deum pœnitendo?

Confirmatur rursum utraque ratio paulo superius proposita. Ut homo peccator quocumque tandem modo justificetur, necesse est ut ad peccatum motu detestationis, et ad Deum motu prosecutionis feratur, sicque juxta verbum S. Remigii ad Clodovæum, incendat quod adoraverat, adoret, quod incenderat : alioquin non erit nova cordis vita, nova in Christo creatura, nec fiet juxta Ezechielis cap. XVIII. præceptum, *spiritus novus, et cor novum;* quod et Deuteronomii cap. IV. apertissime injungitur his verbis : *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ.* Et Joelis II : *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Ad Deum autem motu prosequutionis fertur, et toto corde convertitur, qui ipsum diligit; amor quippe pondus est voluntatis, quo fertur quocumque fertur. Ergo ad justificationem etiam per Sacramentum recipiendam non sufficit timor pœnæ nisi adsit amor justitiæ, quo Deum amore prosequamur. Et sane si juxta veridicam Angelici Doctoris sententiam a nobis in tractatu de gratia propugnatam, tenetur puer in ipsa prima rationis aurora ad Deum sincero corde converti, ipsi ut ultimo fini se suaque subjicere, ab ipsoque sumere vitæ rationalis primordia qui est alpha et omega, principium et finis : converti autem ad Deum, in illumque se, et sua omnia referre sine amore non potest, quia sola voluntas circa finem negotiatur, nec negotiatur nisi amando : a fortiori peccator dum in novitate vitæ post patrata flagitia ambulare vult, ad Deum tenetur amore converti, qui unum sibi cor præberi petit. Nam, si puer baptizatus, qui nec peccato originali inficitur, nec ullo adhuc crimine baptismalem innocentiam violavit, in Deum se amore referre astringitur, quanto magis qui a Deo propria voluntate recessit, ab ultimo fine suo se submovit, et Creatorem creaturis postposuit? Puer non potest incipere vitam rationalem sine motu ad Deum ; quomodo ergo peccator sine illo incipiet christianam? Puer quia non peccavit, sed ne peccet, ad Deum debet amore ferri; et homo post peccatum, ut peccatum proprium sanet, non debebit ad Deum dilectione moveri? Expedire quidem se ab hoc argumento valent, qui S. Thomæ sententiam non amplectuntur, negando suppositionem : at theologus Thomista nunquam isti argumento satisfaciet, vel verisimilem afferret unquam probabilis disparitatis rationem.

Confirmatur tertio eadem ratio. Non potest esse vera cordis ad Deum conversio nisi sit dolor de peccato, ut est offensa Dei, injuria Deo illata, et privatio amicitiæ ejus : si enim quis de peccato duntaxat doleat, quia nocet sibi, non in Deum, sed in se convertetur. Atqui nemo potest dolere de peccato, ut est offensa Dei, injuria ipsi intentata, et privatio bonæ gratiæ, et amicitiæ ejus, nisi magis placeat Deus, magis placeat justitia, gratia, ac amicitia Dei; quia, ut dictum est, omnis dolor, omneque odium in amore fundatur : et, sicut nequit ullus dolere de aliquo, quod bonis temporalibus privet, nisi quia ei bona temporalia placent : ita de peccato ut injuria, et privatio amicitiæ Dei est, nemo dolere potest, nisi quia justitia Deo reddenda, et amicitia Dei voluntati placet. At voluntati Deum non amanti non placet amicitia Dei ; amor enim a complacentia in objecto amato divelli ne quidem ratione potest. Ergo sine casta Dei dilectione nulla potest esse vera cordis conversio.

Probatur quarto : Dolor ad justificationem etiam in Sacramento habendam necessarius excludit omnem peccandi affectum ; ex Tridentino enim sess. 14. c. 4. contritio imperfecta, quæ attritio dicitur ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere valet, « si voluntatem peccandi excludat; » dolor vero qui sine amore Dei ad justificationem non disponit, profecto ad justificationem sufficere nequit. Atqui sine casto amore justitiæ, seu Dei justitiæ fontis, excludi nequit omnis peccandi voluntas. Ergo sine amore Dei et casto amore justitiæ dolor ex metu gehennæ conceptus non est ad gratiam in Sacramento recipiendam sufficiens. Major propositio est evidens, et apud adversarios in confesso. Minor vero multi-

pliciter demonstratur. Tum quia, ut docet Augustinus epist. 144, « tantum quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit. Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat ; amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere ; ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit, Tunc enim vere timebit peccare. » Ergo qui justitiam non diligit, peccatum non odit ; ergo sine amore justitiæ non excluditur, nec stirpitus evellitur omnis peccandi voluntas ; et ideo « inimicus justitiæ » ab Augustino dicitur, qui uno « pœnæ timore non peccat », non quod timor malus sit, sed quia voluntatem peccati non evellit. Tum quia peccatum est privatio justitiæ, cum sit dictum, factum vel concupitum contra legem æternam : ergo non potest excludi omnis peccandi voluntas sine casto justitiæ amore ; nam, ut ait Augustinus lib. 2. *contra adversar. legis*, cap. 7 : « Desiderium peccandi non extinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur. » Et ratio est, quia omne odium in amore fundatur, odium ergo peccati, prout est privatio justitiæ, ab uno justitiæ amore proficiscitur. Hinc D. Thomas quæst. 28. *de Veritate* art. 3. « In adultis, » inquit, « requiritur immutatio actus voluntatis ad justificationem ; sunt enim per actum voluntatis ad aliquid inordinate conversi : quæ quidem conversio immutari non potest, nisi per actum contrarium voluntatis. » Ergo juxta D. Thomæ principia conversio in peccatum, quod est privatio justitiæ, « immutari non potest, nisi per actum contrarium, » videlicet per amorem justitiæ. Tum quia illud per se non excludit omnem peccandi voluntatem, quod potest annexam habere peccandi voluntatem ; dolor enim qui voluntatem peccandi excludit, ut bene observavit P. Suarez 3. p. disp. 10. sect. 4. is esse debet, cui voluntas peccandi ex se repugnet, alioquin voluntatem peccandi per se, et ex propriis non excluderet, nec proinde ad justificandum valere posset. Atqui « timor servilis potest habere annexam voluntatem peccandi, » inquit D. Thom. 2. 2. quæst. 59. art. 9, et ideo, « non est numerandus inter septem dona Spiritus sancti, licet sit a Spiritu sancto. » Ergo timor ille qui est impulsus Spiritus sancti, est bonus iste quidem, ad justificandum tamen nunquam, et nusquam sine justitiæ amore sufficit. Tum quia non excluditur voluntas peccandi nisi per bonam voluntatem ; bonam, inquam, eo sensu, quod non solum pœnas fugiat, sed quod bene afficiatur erga justitiam. Atqui, ut sexcentis locis docent Augustinus, Fulgentius, et alii gratiæ Christi defensores et expositores, tunc sane bonam inspirat gratia victrix voluntatem, quando faciat ut Deus qui est ipsa justitia, magis nos delectet, quam bona terrena quibus irretitus appetitus antea fruebatur. Sufficiant hæc præclara verba ex expositione Augustini *in epist. ad Galat. cap.* v, *vers.* 22 : « Regnant ergo speciales isti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Regnant autem ista bona, si tantum delectant, ut ipsa teneant animum, ne in peccati consensionem ruat. Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est. Ut, v. g., occurrit forma speciosæ fœminæ, et movet ad delectationem fornicationis ; sed si plus delectat pulchritudo illa intima, et sincera species castitatis per gratiam, quæ est ex fide Christi, secundum hanc vivimus, et secundum hanc operamur, ut non regnante in nobis peccato ad obediendum desideriis ejus, sed regnante justitia per caritatem, cum magna delectatione faciamus quidquid in ea Deo placere cognoscimus. » Tum demum, quia non excluditur omnis peccandi voluntas, quamdiu peccatum secundum se, et in se a circumstantiis præcisum placet ; tunc enim amor peccati intus latet, intusque rea est voluntas, ut sæpe dixit Augustinus, et nominatim epist. 144 : « Times ardere, noli peccare : non agitur foris negotium cupiditatis, ipsa tamen cupiditas intus est hostis. » Atqui peccatum tamdiu secundum se placet, quandiu non amatur justitia, et Deus omnis justitæ fons : nunquam enim, ut diximus, voluntas odisse potest unum contrarium, nisi ex amore contrarii ejus ; subindeque peccati peccator amans nunquam detestabitur peccatum qua peccatum est, nisi in justitiam et honestatem in se, et propter se feratur. Poterit quidem hic, et nunc illud odisse propter gehennam intentatam, et male agentibus imminentem, amorem tamen illius absolute retinebit, nisi ex amore justitiæ peccati turpitudinem in se spectatam abominetur. Ergo sine Dei, et justitiæ ejus amore non extirpatur omnis peccandi voluntas. Qui sane amor, licet imperfectus, talis debet esse ut ex illo quodcumque bonum dimittere, quodcum-

que malum pati potius paratus sit qui convertitur, quam a justitia quam diligit recedat; nisi enim ita sit comparatus, non excludet pœnitentia omnem peccandi voluntatem. Porro amor ille non est dilectio justitiæ humanæ, sed divinæ quæ prima dilligenda occurrit, prima per fidem monstratur, et cui primum a peccatore satisfaciendum est.

Probatur quinto, et magis confirmatur ratio præcedens. Quem ex mero timore gehennæ de peccato pœnitet, habet ille quidem voluntatem consequentem, ut ita dicam, non peccandi; id est peccare in illis circumstantiis, et periculis sibi imminenti bus refugit: retinet tamen voluntatem quam vocare possumus antecedentem peccati secundum se spectati, et præsisi a circumstantiis, quia nimirum peccatum non odit, quia peccatum est, hoc ipso quod non amat justitiam, sed illud ut causam damni hic, et nunc detestatur. Quod ex doctrina S. Thomæ 1. 2. quæst. 6. art. 7, omnium theologorum et philosophorum moralium calculo probata manifeste convincitur; nempe operationes ex metu factas esse quidem voluntarias simpliciter, et hic et nunc, esse tamen secundum quid, et secundum se involuntarias. Mercator, v. g., ingruente tempestate vult merces pretiosas hic et nunc in mare projicere; nollet tamen eas abjicere, sed retinere; unde timor mortis, ob quem illas projicit, mercium affectum non excludit: unde et illa mercium jactura voluntaria est simpliciter voluntate consequente, sed secundum quid et voluntate antecedente involuntaria; unde nonnisi ægro, et repugnante animo eas projicit, quia earum secundum se spectatarum affectum non deponit. « Qui per metum aliquid egit, » inquit S. Thomas loco citato ad 2, « manet repugnantia voluntatis ad id quod agitur secundum quod in se consideratur, et ideo quod per metum agitur quodammodo est involuntarium.... Timidus agit contra id, quod etiam secundum se vult. » Unde hoc timorem inter et concupiscentiam discrimen statuit, quod ille affectum non evellit, ista totum affectum immutat. Ergo qui mero timore pœnæ a peccato recedit, affectum peccandi non excludit, sed retinet: et tamen ad veram conversionem, ad conversionem ex toto corde ad gratiam recipiendam omnino necessariam, omnem prorsus excludi, et extirpari voluntatem peccandi necesse est: ergo solus pœnarum timor ad gratiam justificationis recipiendam nunquam sufficit, quoad divina dilectio, excluso omni peccati affectu, et voluntario gustu, cor totum in Deum commutaverit. Hinc præclare, et apposite Augustinus epist. 144: « Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat: quia, etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Domino innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri; sed ideo non facit, quia impune non facit. » Et concione 25. *in Psalm.* CXVIII. expendens illud: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*, sic habet: « Timor iste quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est, et ideo non crucifigit carnem. Venit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere quando speratur impunitas. Cum vero pœna creditur sequutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere, et dolet non licere quod lex vetat: quia non spiritualiter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit quod minatur. »

Itaque timor pœnæ bonus quidem est, sed ad justificationem etiam in Sacramento recipiendam sufficere non potest; quia impossibile est quod tollatur voluntas antecedens, affectusque peccati secundum se, nisi in se displiceat ipsa ratio peccati, et offensæ Dei: implicat vero in adjecto, ut aiunt displicere peccatum ut peccatum est, et offensa Dei, nisi ametur et Deus: cum enim peccatum sit privatio justitiæ, et offensa Dei sit veluti malum Dei, nunquam displicebit malitia, nisi placeat justitia qua privat; nunquam displicebit offensa Dei, nisi placeat bonum divinum: sicut quia malum pœnæ est privatio bene esse, in tantum displicet pœna, in quantum placet bene esse quod evertit; et eatenus displicet triste, quatenus amatur delectabile; displicet turpe, quia amatur honestum; displicet amarum amanti dulce. Ergo, ut displiceat malum ut privans justitia, ut offendens et displicens Deo, debet profecto justitia, debet Deus fons omnis justitæ sincero corde amari. Ergo nondum omnis stirpitus eradicatus est affectus peccati, quandiu sola pœna sine ullo Dei amore timetur. Hinc Augustinus sæpissime docet, conservare illum interius peccandi voluntatem, ac proinde non in toto corde

puro et optimo detestari peccatum, qui non amore justitiæ, sed timore pœnæ peccatum odit. « Quicumque faciebat, » inquit lib. *de Spirit. et Litt.* cap. 8, « quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebat, non amore justitiæ; ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere. » Unde sic timentes, epist. 120. et tract. 9. *in* I. *epist. Joan.*, comparat uxori, quæ timens virum abstinet ab adulterio, ne damnetur a viro; comparat leoni et lupo non rapientibus prædam, quia latratu canum et clamore pastorum, et terrore circumdantium revocantur a præda. Ita serm. 15. et 19. *de verbis Apostoli* : « Leo venit, leo redit; prædam non rapuit, malitiam non posuit. Numquid quia ovem non tulit, ideo lupus venit, et ovis rediit? Lupus venit fremens, lupus redit tremens : lupus tamen est fremens et tremens. »

Ex quibus S. Doctor concludit, quod hactenus stabilitum est, timore scilicet pœnæ sine amore justitiæ non converti voluntatem, nec sanari cupiditatem. « Si talis est adhuc justitia tua, » inquit serm. illo 15. cap. 6. « justitia non est, qua tibi consulis ne torquearis. Quid magnum est pœnam timere? Quis enim non timet? Quis latro? Quis sceleratus? Quis nefarius? Sed hoc interest inter timorem tuum timoremque latronis, quod latro timet leges hominum, et ideo facit latrocinium, quia sperat se fallere leges hominum? tu autem leges ejus times, pœnam ejus times, quem fallere non potest : nam si fallere posses, quid non fecisses? Ergo et concupiscentiam tuam malam non amor tollit, sed timor premit. » Ex quibus patet Augustinum non loqui de timore mere naturali (ut occupetur tacita responsio) qualis est timor latronis, sed de timore etiam illo quem dirigit fides, quo quis eum timet quem fide credit a se falli non posse; quia sane timor, sicut et fides ipsum dirigens, supernaturalis est, a Spiritu sancto immissus. Quod et aperte declarat serm. 29. *de verbi Apostoli*, his verbis : « Audeo dicere, si timore gehenna non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum Dei judicium? gaudeo fidei tuæ, sed timeo malitiæ tuæ. » Ergo timor ille qui a fide supernaturali dirigitur, quique proinde supernaturalis et ipse est, malitiam voluntatis sine amore Dei nondum evacuat : ac consequenter ad justificationem, nisi adsit amor Dei, sufficere nequaquam potest.

Probatur sexto, magisque firmantur rationes factæ : Non potest esse vera pœnitentia solidaque conversio, nisi peccator in se reversus verum habeat efficaxque divinorum servandorum præceptorum propositum, ut patet ex definitione contritionis, et per se liquet; cum enim peccatum sit contra legem, non excluditur voluntas peccandi nisi vera observandæ divinæ legis voluntate. Nec sufficit voluntas inefficax, quæ dicitur *velleitas*, quæ non vult, sed vellet : quia voluntate languida, semisaucia, quæ ex toto non vult, et ideo non ex toto imperat. Deus nequaquam contentus est, qui toto sibi corde, tota anima, totis viribus, tota contritione cordis sibi præcipit ancillari. Unde voluntatibus semivolentibus, et seminolentibus refertum esse infernum S. Bernardus veridice attestatur. Hinc suspectas esse lacrymulas doctas mentiri, et tam multas pœnitentias inanes, falsas, larvatas, Patres inculcant : quia, ut 1. part. *Pastoral.* cap. 9. ait Magnus Gregorius, « sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, fitque ut aliud in intimis intentio supprimat, et aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. » Atque adeo in peccatoribus legis Dei servandæ verum et in corde impressum consilium non habentibus impletur illud Psalmographi, Psalm. LXXVII : *Dilexerunt eum in corde suo : cor autem eorum non erat rectum cum eo.* Impletur et illud Propheticum Oseæ XIX : *Divisum est cor eorum* (inter cœlum et terram, legem et officium motibus imperfectis appetens, reapse tamen creaturis adhærens et infixum in limo profundi : conans, sed frustra; enitens, et non datur ultra; veniens ad partum, et vires non habens pariendi) : *cito interibunt.* Quia conversio illa non liberat a morte peccati, quod ad æternam mortem cito obventuram viam sternit ac munit. Atqui sine amore Dei nequit esse efficax observandæ divinæ legis voluntas : talis namque voluntas propositum observandorum omnium et singulorum mandatorum Dei efficaciter importat, quia qui peccat in uno, factus est omnium reus. Ergo talis voluntas indivulsa est a proposito efficaci observandi divinæ dilectionis mandatum, quod est primum et magnum mandatum, ex quo universa lex pendet et Prophetæ. At nequit esse efficax consilium diligendi Dei sine

amore Dei; velle enim sincere et ex corde Deum diligere, est ipsum revera amare, cum voluntas, nihil nisi amore velit. Unde Magnus Gregorius hom. 30. *in Evangelia* : « Qui mente integra, » inquit, « Deum desiderat, profecto jam habet quem amat : neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum quem diligit, non haberet. » Vere ergo Deum diligit, qui Dei amandi vera, integra et sincera voluntate tenetur. Et S. Augustinus tract. 74. *in Joan.* : « Quomodo Dominus dicit : Si diligitis me, mandata mea servate, et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, cum hoc dicat de Spiritu sancto, quem nisi habeamus, nec Deum diligere possumus, nec ejus mandata servare? Aut quomodo mandata servabimus, ut eum accipiamus, quem nisi habeamus, mandata servare non possumus ? » Et paucis interpositis sic quæstioni illi satisfacit : « Restat ut intelligamus Spiritum sanctum habere qui diligit, et habendo mereri, ut plus habendo plus diligat. » Cum ergo quis sincere vult Deum diligere, jam habet Spiritum sanctum auxiliantem, qui omnis est dilectionis fons : propositum namque diligendi, non potest a naturæ viribus, uti Pelagiani impie affirmabant, proficisci : habet, inquam, Spiritum sanctum per auxilium ad dilectionem moventem, et in Sacramento diffusa caritate habebit inhabitantem ; et tunc anima Deo donante et dilectione actibus crescente et plus diliget et Spiritus sancti donis amplioribus abundabit.

Solvuntur objectiones.

Primum adversariorum argumentum, in quo magnopere confidunt, desumitur ex auctoritate concilii Tridentini sessione 14. ubi sic habetur : « Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat (sancta Synodus) non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem ; verum etiam donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et, quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit (1). »

Verum quam minime nos urgeat hoc argumentum, ex his intelligi potest, quæ accurate superius docuimus, timorem pœnarum non excludere prorsus voluntatem peccandi, nisi quatenus aliquem initialem justitiæ amorem includit. Unde intelligenda est Concilii auctoritas de timore non destituto omni prorsus amore Dei et justitiæ, sed qui hujus amoris inchoati adjunctione adjutus voluntatem peccati radicitus extirpat. En aliam Concilii auctoritatem, ex qua liquido intelligitur, quam germana sit hæc nostra expositio. « Disponunt, » inquit *de peccatoribus* sess. 6. cap. 6, « ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt. Atque illud in primis, justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo JESU : et dum peccatores se esse intelligentes a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata*, per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet. » Et idem dicendum de sacramento Pœnitentiæ, utrumque enim similem dispositionem requirit in adultis, ut eos peccatis mortuos vivificet.

Sed ut hæc solutio magis illustretur, non abs re fuerit hic attexere quid senserint de partibus Pœnitentiæ ipsi Tridentini theologi, qui interfuere sessioni ex qua suum argumentum eruunt adversarii, referente Cardinali Pallavicino lib. 12. *Histor. concil. Trident.* parte 2. cap. 10. p. mihi 315. his verbis : « *Diego Laines ch' era il primo a ragionare fra minori teologi, condannando la seconda parte del secondo articolo, dice : Che al Sacramento si richiedevan la penitenza, il timore, la dilezione, la contrizione, l'assoluzione. Fu parimente annoverata per necessa-*

(1) Hæc scribentem auctorem mors oppressit, ut minime mireris plures et graves objectiones hic tacitas, non inopia sanæ solutionis, sed hac infelici necessitate.

ria la dilezione da Giacomo Tremisio Spagnuolo teologo del Vescovo di Segovia : e con questo riprovò il prenominato articolo, adducendo che ne' soli terrori non è la dilezione, la quale assolutamente fa di mestiere, avendo affermento Cristo : Le si rimettono molti peccati, perchè molto amò. *E disse*, amò, *in passato, perocchè la dilezione precedette la remissione. E l'Apostolo :* La tristizia, la quale è secondo Dio *(cioè spiegava il Tremisio, secondo Dio amato)* opera la penitenza in salute. *E nel capo* II. *a Romani :* La benignità di Dio vi adduce a penitenza. *Onde sant' Agostino dice : Senza l' amor non si dà la grazia. Richiedeva egli pertanto innanzi a ogni cosa un primo moto verso Dio, in significazion del quale si dicessero quelle parole della Scrittura :* Convertici, Signor, a te. *E*, Io sto alla porta, e picchio : voi sempre faceste resistensa allo Spirito santo; *E*, Sporsi la mano, e non fu chi rimirasse. *Appresso a ciò un'atto di fede, che però fu scritto :* Chi si accosta a Dio, conviene che creda. *E*, Senza la fede è impossibile il piacere a Dio. *Quindi nasce, discorreva egli, che l' uomo detesta i peccati, sorge in isperanza, e comincia ad amare; onde Iddio infonde la prima grazia. Il quale amore però non è naturale, ma è fatto dalla grazia di Dio, benchè l' amor naturale a ciò anche ajuti. Così riputava Tremisio.*

« *E Melchiore Avosmediano, che allora era teologo del Vescovo di Badaioz, e che ritornò poi al Concilio di Pio come Vescovo di Guadix, dice che prima ci dogliamo per la pena, indi per Dio, e dipoi ci confessiamo. E Bernardo Colloredo Domenicano teologo del Vescovo di Forlì, annoverò per necessario il timore, la detestazione, e la fede; dalla qual nasca la speranza, e da questa la dilezione. Lo stesso parere diè Francesco Contrera Minore Osservante. Ed in verità, per quanto io scorgo dagli atti, l' intenzione de' teologi fu di condannar l' errore degli eretici, che riprovavano come cattivo il timor della pena; e non di sentenziar la questione scolastica : se così fatto timore, non solo senza la contrizione perfetta (del che appena fu lite, come vedrassi) ma eziando senza verun eccitamento d'amore imperfetto basti alla remission de' peccati nel Sacramento. E ciò si fa chiaro dalla prova che il Concilio apporta della sua dottrina in questo articolo nel capo quarto : la quale dice che il pentimento de' Niniviti mosso da tema, giovò loro : essendo certo che a quale tempo non vi avendo Sacramento di penitenza, quel timoroso pentimento non basto per se al perdono, ma solo valse ad impetrar nuova grazia, col cui ajuto vi si aggiugnesse l' affetto della carità, da tutti confessato per necessario alla giustificazione avanti alla legge nuova.*

« *Nella Congregatione de' Padri pochi toccarono questo punto. Solo io trovo qualche cenno del' opinione, che non sia necessario l'amore nel discorso dell' Arcivescovo di Granata. Laddove Giovanni Emiliano Spagnuolo vescovo di Tuy sostenne l' altra estrema sentenza, che fosse di mestieri la contrizione perfetta : nè per tutto ciò arguirsi che il Sacramento non rimetta i peccati, dacchè li trova rimessi per l' efficacia della preceduta contrizione; imperocchè questa medesima ciò faceva in virtù del Sacramento, il cui voto ella contiene.*

« *Oltre a questo è da sapere, che di poi ne' decreti della dottrina s' erano messe tali parole :* Quella contrizione la quale i teologi chiamano attrizione, per esser' ella imperfetta, e sola conceputa per la considerazione della bruttezza del peccato, o per timor dell' inferno, e delle pene, il qual timor è chiamato servile ; quando escluda la volontà di peccare, ed esprima qualunque dolore de' commessi peccati ; statuisce e dichiara questo santo Concilio, che non solo non fa l' uomo ipocrita, e maggiormente peccatore (come alcuni non dubitano di bestemmiare) ma è bastevole alla constituzione di questo Sacramento; ed è dono di Dio l' impulso verissimo dello Spirito santo, non già ancora abitante, ma solo movente. Col quale il penitente ajutato (conciossiacosachè appena possa essere senza qualche movimento d'amore verso Dio) si fa strada alla giustizia, e per esso si dispone ad impetrar più agevolmente la grazia di Dio. *Ma il Vescovo prenominato avverti ch' era falso, appena potersi mai dare un tal dolore senza l' amore; E che intorno all' esser questa attrizione bastevole alla constituzione del Sacramento, sicchè all' attrito si rimettano i peccati in virtù dell' assoluzione sopravegnente, erano varie le sentenze degli autori; epperò doveva levarsi. Onde il decreto fu riformato come sta ora.* » Quæ cardinalis verba sic latine reddimus :

« Didacus Lainius, qui primo loco inter minores theologos sermonem habebat, damnans posterioris articuli partem dixit : Sa-

cramento esse necessariam pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, absolutionem. Dilectionem pariter tanquam necessariam enumeravit Jacobus Tremisius Hispanus, Segobiensis episcopi theologus, et per hoc eumdem articulum improbavit, causatus solis terroribus minime contineri dilectionem, quæ absolute necessaria est, cum Christus pronunciaverit : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* et, *dilexit*, inquit, per præteritum, quia dilectio remissionem antecessit. Et Apostolus : *Tristitia quæ est in Deum* (hoc est, interpretatur Tremisius, *secundum Deum dilectum*) *operatur pœnitentiam in salutem.* Et cap. II. ad Rom. : *Benignitas Dei vos adducit ad pœnitentiam.* Unde S. Augustinus ait : « Absque amore gratia non datur. » Idcirco exigebat is ante omnia primum quemdam, ut vocant, motum in Deum, ad quem significandum ea Scripturæ verba dicerentur : *Converte nos, Domine, ad te.* Et : *Ego sto ad ostium, et pulso, Vos semper Spiritui sancto resistitistis. Extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret.* Postea vero actum fidei : unde scriptum erat, *Accedentem ad Deum oportet credere. Sine fide impossibile est placere Deo.* Hinc oritur, aiebat ille, in homine peccatorum detestatio, assurgitque in spem animo et amoris initium habetur. Inde vero primam gratiam Deus infundit. Qui tamen amor naturalis non est, sed a divina gratia efficitur, tametsi naturalis amor ad id etiam conferat. Ita Tremisius.

« At Melchior Avosmedianus, tunc Pacensis episcopi theologus, postea vero regressus ad Pii Concilium Guadicensis episcopus, dixit, prius nos propter pœnæ metum dolere ; deinde propter Deum ; postea vero, aiebat, peccata confitemur. Et Bernardus Colloredus Dominicanus Foroliviensis episcopi theologus, tanquam necessaria numeravit timorem, detestationem ac fidem ex quo spes oriatur, et ab hac dilectio. Ejusdem sententiæ fuit Franciscus Contreras ex Ordine Minorum Observantium : et re vera, quantum ex actis conjicio, theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tanquam quid inhonestum, improbantium pœnæ timorem ; non item ut ferrent sententiam de scholastica quæstione : An hujusmodi timor non solum absque contritione animi perfecta (de quo controversia vix fuit, sicuti patebit) sed etiam absque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem in Sacramento. Id vero clare liquet ex ipsa probatione Concilii, qua hujus articuli doctrinam firmat cap. 4. nimirum, Ninivitarum pœnitentiam ex timore profectam ipsis profuisse, cum certum esset eo tempore, quo sacramentum Pœnitentiæ adhuc non exstabat, eam formidolosam pœnitentiam minime sufficisse per seipsam ad peccatum delendum, sed vim tantummodo habuisse ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur charitatis effectus, quem omnes necessarium fuisse fatentur ante novam legem ad justitiam recipiendam.

« In Patrum conventu id pauci attigerunt. Aliquod duntaxat vestigium reperio opinionis negantis necessitatem amoris, in iis quæ Granatensis Archiepiscopus disputavit. At vero Joannes Æmilianus, Hispanus, Episcopus Tudensis extremum oppositæ sententiæ tenuit, hoc est, opus esse contritione perfecta, nec tamen hinc argui, per Sacramentum peccata non remitti, quippe quæ sacramentum inveniret remissa præcedentis contritionis efficacitate : virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur.

« Præterea oportet scire, postea decretis doctrinam complexis hæc verba fuisse adjecta : « Illam contritionem, quam theologi « attritionem vocant, quod imperfecta sit, et « solum vel a turpitudinis peccati considera- « tione, vel ex gehennæ et pœnarum metu, « qui servilis timor dicitur, concipiatur, si « voluntatem peccandi excludat et dolorem « qualemcumque de commissis delictis expri- « mat, statuit hæc sancta Synodus et decla- « rat, non solum non facere hominem hypo- « critam, et magis peccatorem (ut quidam « blasphemare non verentur), sed etiam « sufficere ad Sacramenti hujus constitutio- « nem, ac donum Dei esse et Spiritus sancti « impulsum verissimum, non adhuc quidem « inhabitantis, sed tantum moventis, quo « pœnitens adjutus cum sine aliquo in Deum « motu vix esse quæat, viam sibi ad justi- « tiam munit, et per eum ad Dei gratiam fa- « cilius impetrandam disponitur. » Sed prænominatus Episcopus monuit, falso dici hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse. Quod autem hæc attritio satis esset Sacramento constituendo, ita ut homini attrito remittantur peccata vi absolutionis supervenientis, variare auctorum

sententias, adeoque id esse tollendum; quamobrem decretum fuit prout nunc exstat, reformatum, et prout a nobis refertur. »

Objiciunt secundo adversarii : Pœnitentia in lege nova longe majorem habet efficaciam ad justificandum hominem, quam Sacramenta quæ in veteri lege ordinabantur ad delenda peccata; proindeque longe minorem in subjecto recipiente dispositionem requirit. Atqui eamdem requireret, si non sola attritio ex metu gehennæ concepta sufficeret, sed præterea exigeretur amor Dei. Ergo in nova lege ad gratiam in sacramento Pœnitentiæ recipiendam sufficit sola attritio ex metu gehennæ concepta sine ullo prorsus amore Dei.

Respondeo hoc ipso argumento, cui tantopere confidunt adversarii, ab eorum sententia magis me magisque alienari. Quis enim credat illam esse legis amoris seu Christianæ prærogativam, ab amore Dei homines eximi ut justificentur? Sine amore non justificabatur Judæus, et sine amore Dei justificabitur Christianus? In lege timoris non satis erat ad habendam gratiam timor; et satis erit timor in lege dilectionis? Itane illud est Christianismi privilegium, pro quo Christus venerit, passus et mortuus fuerit, Sacramenta instituerit, miserit Spiritum sanctum, ut necessitatem amoris a pœnitentia excluderet, faceret Christianos solo timore justificandos? Quis hoc Evangelicæ legis amantium credat? Nolite, quæso, nolite annuntiare in Geth, neque in compitis Ascalonis: ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum. Quam longe ab ea sententia distat Augustinus! tantum enim abest ut privilegium novi Testamenti in immunitate pœnitentiæ a necessitate amoris, solo timore contentus constituat, ut potius hanc esse characteristicam utriusque Legis differentiam perpetuo asserat, quod nimirum timor pœnæ ad veteris Testamenti legem, amor vero justitiæ ad novi Testamenti gratiam pertineat. « Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur» (ait Augustinus lib. 3. *ad Bonifacium.* cap. 4 loquens de his qui solo timore acti legem servabant), « sed terrena cupiditas metusque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit : mavult enim omnino non facere, si secundum ea quæ cupit et metuit, permittatur impune. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi ipse qui præcipit, inspicit Deus. Tales erant filii terrenæ Jerusalem, de qua dicit Apostolus, servit enim cum filiis suis, pertinens ad testamentum vetus a monte Sina in servitutem generans, quod est Agar. » Et infra : « Hi ad vetus pertinent Testam., quod in servitutem generat, quia facit eos carnales timor et cupiditas servos; non Evangelica fides, spes, et caritas liberos. » Hinc perpetuo docet, eos qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ sentiunt se abstinere ab opera peccati, « sub lege, non sub gratia esse, » ut variis locis, et nominatim lib. *de Nat. et Grat.* cap. 57. videre est, quia nimirum nondum liberi sunt, nec alieni a voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate rei sunt, qua mallent, si fieri posset, non esse quod timeant, ut libere facerent quod occulte desiderant. Idem docet Angelicus Doctor vestigiis Augustini fidelissime insistens 1. 2. quæst. 107. art. 1. ad 2 : « Illi qui habent virtutem, inclinantur ad virtutis opera agenda propter amorem virtutis, non propter aliquam pœnam aut remunerationem extrinsecam; et ideo lex nova, cujus principalitas consistit in ipsa spirituali gratia indita cordibus, dicitur lex amoris . . . . Et propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas a peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus, qui amore justitiæ abstinet a peccato; et propter hoc lex nova, quæ est lex amoris, dicitur animum cohibere. » Quin usqueadeo amorem esse novæ legis differentiam, docet doctus a Domino S. Thomas, ut viros sanctos veteris Testamenti, qui gratiæ et caritatis impulsu bona operabantur, ad novam legem in antecessum pertinuisse velit; Christianos vero ad opera pietatis uno metu percitos, antiquæ legis vetustatem etiam post Evangelium retinere. « Fuerunt, » inquit loco citato, aliqui in statu veteris Testamenti habentes caritatem et gratiam Spiritus sancti, qui principaliter expectabant promissiones spirituales et æternas, et secundum hoc pertinebant ad legem novam. Similiter etiam in novo Testamento sunt aliqui carnales nondum pertingentes ad perfectionem novæ legis, quos oportuit etiam in novo Testamento induci ad virtutis opera per timorem pœnarum. » Denique juxta Augustinum : « Brevissima et aptissima differentia Legis et Evangelii, timor et amor. » Ita *contra Donatum* cap. 17, et in

expositione quarumdam propositionum ex epist. ad Roman.: « Evidentissime, » inquit, « duorum Testamentorum distincta sunt tempora : illud enim ad timorem pertinet, novum ad caritatem. » Et l. 1. *ad Simplician.* quæst. 1 : « Cum vere fit opus legis, caritate fit, non timore ; quia caritas est gratia novi Testamenti. » Quis autem credat dispositiones ad gratiam novi Testamenti in Sacramentis novæ legis recipiendam, statui illius legis non debere esse consentaneas, et conditiones illius testamenti non sapere oportere ?

Dices : Ergo difficilior erit lex Christi, utpote ad magis ardua obligans, necessitati contritionis onus adjiciens confessionis : atque adeo immerito jugum Christi dicetur suave, et onus leve.

Respondeo hoc argumentum principio et conclusione inde derivata peccare. Principio quidem, dum supponitur legem novam esse antiqua laxiorem et remissiorem, nihilque ardui aut difficilis imperare, cui principio totum Evangelium e diametro adversatur. Quid enim in eo inculcatius, quam arctam et angustam esse viam quæ ducit ad vitam ; sequentibus Christum proponendam esse crucem, sui abnegationem, corporis mortificationem ; regnum denique Christi vim pati, et violentos rapere illud ? Quid aliud indicant ingeminata non sumendæ vindictæ, hostes ex corde diligendi, bonum pro malo reddendi, ipsis malis cogitationibus resistendi, aliaque patientiæ, paupertatis spiritus, humilitatis, orationis, castitatisque præcepta ? Ad consilia quod attinet nihil necesse est recensere quam sint naturæ corruptæ repugnantia, et tamen Evangelii pars magna sunt. Non sustulit de medio Christiana Religio difficilia, sed auxit, dum intellectum in obsequium fidei mysteria rationem immensum superantia et obscurissima proponentis, et voluntatem in perpetuum corporis proprii odium et mundi contemptum captivavit, atque res præscripsit ad sperandum arduas, ad operandum laboriosas. Præceptum ergo contritionis, quod attestante sacro Tridentino fuit quovis tempore necessarium, non debet a pœnitentia in lege nova removeri. Hinc veri amoris divini eximia vi moti sancti Patres adversus illum male blandientem dicendi modum tam acriter insurrexerunt. « Tolle sententiam, » inquit Hieronymus libro *Dialogorum adversus Pelagianos* secundo, « et rade de libro tuo, facilia Dei esse mandata. » Et mox locum I Joan. v : *Mandata ejus gravia non sunt*, et præfatum ex Matth. xi. expositurus subjicit : « Levia certum est Evangelii dixisse mandata ad comparationem superstitionis Judaicæ, in qua varia cæremoniarum genera quærebantur, quæ juxta litteram, et Apostoli Petri sententiam nullus potuit explere. » Et iterum : « Vis audire facilitatem præceptorum Dei ? ausculta quod dicitur : Quam arcta est via et angusta quæ ducit ad vitam ! Et pauci sunt qui inveniunt eam. Non dixit, qui gradiuntur per eam, hoc enim difficilimum est ; sed qui inveniunt eam : pauci enim inveniunt, et multo pauciores ingrediuntur per eam. » Et Augustinus lib. *de Pastor.* cap. 3 : « Absit ut dicamus vobis : Vivite ut vultis, securi estote, Deus neminem perdit. Et si in spectaculis volueritis oblectare animos vestros, ite quid mali est ? Et festa ista quæ celebrantur per universas civitates in lætitia conviventium, et publicis mensis seipsos, ut putant, jucundantium, re vera magis perdentium, ite, celebrate : magna est enim Dei misericordia, quæ totum ignoscat. Hæc si dixerimus, forte congregabimus turbas ampliores : et si sint quidam qui nos sentiant hæc dicentes non recte sapere, paucos offendimus, sed multos conciliamus. Quod si fecerimus, non verba Dei, non verba Christi dicentes, sed nostra, erimus Pastores nosmetipsos pascentes, non oves. » Quare mirandum est et plane dolendum eorum studium, qui legis Christi suavitatem a mollita vel ablata præceptorum difficultate petunt, cum potius Patres et veri deinceps theologi eo Religionem Christianam commendabiliorem et prorsus divinam affirment, quod cum multa et ad credendum obscura, et ad sperandum ardua, et ad operandum difficilia proponat, per totum tamen fuerit orbem, repugnantibus carne et mundo propagata.

Sed longe gravius conclusione peccat hæc objectio, quasi amor Dei difficultatem legis prægravet, quo solo præceptorum omnium labor mollitur, et « dilatatis spatiis caritatis », ut loquitur Augustinus, « tota dulcescit legis amaritudo. » Præclare idem Pater serm. 47. *de Diversis*, cap. 1 : « Durum videtur quod Dominus imperavit, ut si quis eum vult sequi, abneget semetipsum. Sed non est durum, nec grave quod ille imperat qui adjuvat ut fiat quod imperat. Nam et illud verum est, quod ei dicitur in Psalmo :

Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras; et illud verum est, quod ipse dixit : *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Quidquid enim durum est, in præceptis, ut sit lene, caritas facit. » Et *in Psalm.* CXVIII. conc. 22. expendens illud Davidicum : *Quomodo dilexi legem tuam, Domine*, sic habet : « Sæpe admonuimus laudabilem latitudinem, in qua nullas, cum mandata Dei facimus, patimur angustias, intelligendam esse caritatem : propter quod etiam in magno isto Psalmo, cum superius dixisset : *Latum mandatum tuum valde*, in hoc sequenti versu ostendit, unde sit latum, dicens : *Quomodo dilexi legem tuam, Domine.* Dilectio igitur est latitudo mandati. » Non ergo in mitigando, vel minuendo, vel eliminando officiorum nostrorum rigore evangelii lenitas sita est, sed tota quanta est, ab una dilectionis dulcedine proficiscitur.

Ab eodem dilectionis fonte Christianæ legis suavitatem sacrum Tridentinum concilium hausit sess. 6. cap. 11 : « Deus » inquit, « impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. Cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, et onus leve. » Suavitatem autem illius Dominici jugi, et oneris levitatem sic probat : « Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones ejus, quod utique cum divino auxilio præstare possunt. » Concilii mentem assequutus est Catechismus Romanus ejusdem sanctæ Synodi jussu editus, et B. Pii V. opera publici juris factus. « Quin etiam, » inquit part. 3. num. 12, « legis jussa non habere difficultatem ostendat parochus : quod vel una hac ratione ex S. Augustino docere poterit, cum dicit : Qui, quæso, dicitur impossibile homini amare? Amare, inquam, Creatorem beneficum, Patrem amantissimum, deinde etiam et carnem suam in fratribus suis. At vero qui diligit, legem implevit. Quare Joannes Apostolus præcepta Dei gravia non esse aperte testatur; nihil enim justius, nihil cum majore dignitate, nihil majore cum fructu ab homine, teste B. Bernardo, exigi potuisset. » Et num. 13 : « Quod si quis eam afferat excusationem, impediri se quominus Deum amet, infirmitate naturæ : docendum est eum qui amorem requisivit, amoris vim inserere cordibus per Spiritum sanctum : hic autem spiritus bonus petentibus a Patre cœlesti datur, ut merito S. Augustinus precatus sit : Da quod jubes, et jube quod vis. Quia igitur Dei auxilium præsto nobis est, maxime post Christi Domini mortem, per quam princeps hujus mundi ejectus est foras; non est quod quisquam rei difficultate deterreatur, nihil enim est amanti difficile. »

Denique tantum abest, ut ex eo capite Christi lex difficilior et gravior censenda sit, quod amoris et contritionis necessitatem imponat quin potius sine amore Dei durissima lex Christi, sine vera contritione intolerabilis esset pœnitentiæ et confessionis praxis. Unde enim vera facilitas, nisi a dilectione sacras infundente delicias, peccati illecebras victrice delectatione superante, in eo quod amatur non laborante, aut si laboratur laborem amante? Ergo pœnitentes ab amore eximere, non est facilitatem accersere, sed dolorem super dolorem addere, dare afflictionem afflicto, et filios adoptionis in miseram Judæorum redigere servitutem. Onus quippe confessionis per se durum durius est timenti, amanti vero suavissimum : quos enim verecundia et cupiditas obruit, hos devotio sancta lætificat, ut quæ Deo non placent respuentes, divinorum potius, sicut Ecclesia canit, repleantur delectationibus mandatorum. Omnis ergo facilitas laborantibus, omnis solida consolatio mœstis eripitur, dum præceptum contritionis de medio tollitur, et a lacrymis pœnitentis divinæ dilectionis unctio removetur. Crudelis ergo est illa misericordia, vel potius misericordiæ larva, quæ pondere peccatorum, sub quo fatiscunt, oppressis, unius timoris jugum superimponit, et sarcinam Christi quæ non pondus, sed pennas habet, nempe caritatem specie lenitatis excludit. « Hæc sarcina gravis est, fides, spes caritas? » inquit Augustinus serm. 22. *de verbis Apostoli;* « istæ enim humilem, istæ mitem reddunt. Et vide, quia oneratus non eris, si ipsum audieris; jugum enim meum lene est, sarcina mea levis. Quid est, levis est? Quid si habet pondus? Sed minus : plus habet avaritia, minus justitia. Nolo sic intelligas. Hæc sarcina non est pondus onerati, sed alæ volaturi. Habent enim et aves pennarum suarum sarcinas. Et quid dicimus? Portant illas, et portantur : portant illas in terra, portantur ab illis in cœlo. Avi misericordiam velis præbere, avi, præsertim æstate, et dicas : Miseram istam aviculam onerant pennæ, et detrahas onus hoc, in terra remanebit, cui subvenire vo-

luisti. Porta ergo pennas pacis alas accipe caritatis : hæc est sarcina, sic impleatur lex Christi. » Frustra ergo in exonerandis a caritate hominibus laborat Probabilistarum dura compassio, dura plane ; sicut enim est aliquando misericordia puniens, ita et crudelitas parcens ; dura, inquam, quia pœnitentibus solatium vel unum eripit, quo laboriosi baptismi ærumnæ mitigantur ; dura, inquam, quia jugum caritatis eripit, quod, ut divine Bernardus epist. 341. scripsit, « portat potius quam portatur, et quo crescit amplius, eo portabilius fit. » Et ratio horum omnium est perspicua, quia præcepta Evangelica mortificationis, pœnitentiæ, dilectionis inimicorum, Confessionis, aliaque observatu facilia aut difficilia relative ad vires esse merito dicuntur; viribus enim valenti leve onus est, quod est invalido importabile. Ergo tunc durius et difficilius est confessionis aliorumque Christianismi officiorum præceptum, cum vires imminuuntur et franguntur; planius vero et facilius est, si vires augentur. Hæc vero Christiani hominis fortitudo in amore Dei et æterni boni sincero affectu tota sita est, eoque crescente augentur vires, decrescente deficiunt, pereunte evanescunt : hæc enim est, ut supra dicebat Augustinus, quæ latum facit mandatum Dei illi innixus Apostolus omnia in confortante se poterat, quia, sicut sine Deo nihil potest humana infirmitas, ita diffusa per Spiritum sanctum caritate nihil non potest, et, ut insignis vir Magister Avila aiebat, « alter veluti Deus efficitur. »

REFLEXIO.

Sicut exhibuistis membra vestra deservire immunditiæ et iniquitati ad justitiam, sic nunc exhibete membra vestra deservire justitiæ in sanctificationem, Rom. VI. Quæ verba sic Augustinus epist. 144. interpretatur : « Quid enim est sicut illud, ita et hoc ? Nisi quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, sed ipsius libido voluptasque peccati ; sic ad juste vivendum non vos supplicii metus urgeat, sed ducat delectatio caritasque justitiæ. » Et serm. 17. *de verb. Apost.* cap. 5 : « Quando peccabatis delectabamini in peccatis vestris : timor vos adducebat ad peccandum, an suavitas peccati? Respondebitis : Suavitas. Ad peccatum suavitas adducit, ad non peccandum timor impingit? Amate justitiam quantum amastis iniquitatem. Digna est justitia, quæ a vobis impetret, ut exhibeatis illi quod exhibuistis iniquitati. » Sit ergo in nobis timor castus, quo amore desideremus non videre cœlum et terram, sed Deum cœli et terræ, Deum nostrum videre, amare Deum cordis nostri. Videamus quid nobis in cœlo servetur, et cogitantes, et æstuantes in cogitatione boni ineffabilis, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, non quæramus hoc vel illud in cœlo, sed cum Propheta de corde bono, et casto canamus : *Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.* Cum Deus sit merces mea magna nimis, aliudne quæram in cœlo vel super terram? Cum Deus sit bonum meum, aliudne formidabo malum quam eo carere? Cum mihi servet Deus immortales divitias seipsum, ipsene volam a Deo in terra quod habent et impii, quod habent et mali, quod habent et facinorosi, quod habent et viri scelerati et fœminæ turpes, aurum, argentum, gemmas, familias? Absit ut pro magno desiderem aliquid a Deo meo habere super terram, cum servet se mihi in cœlo Deus meus. « Quid enim intendere potest qui amor est, » inquit Augustinus serm. 4. *de verbis Domini*, « nisi amare et amari? Quod est amare, vere, et plene assequutus est : restat ergo ut impleamus quod est amari. »

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit, I Cor. XVI. Quomodo ergo justificabitur pœnitens si non amat, qui quandiu non amat anathema est? « Cor, » inquit Tertullianus lib. 1. *de Anima*, « est principale in anima, et thesaurus in corporis recessu consecratus, ad quem respicit Deus; » quia, ut alibi dicit, « Creatori diligendo Deus hominem ædificavit, » ut illi se totum homo traderet, a quo se totum habet: ergo qui Deum non amant, qui *cor suum*, ut loquitur Zacharias cap. VII, *posuerunt ut adamantem*, quorum *cor induratur*, ut ait Job. XLVI, *et stringitur quasi malleatoris incus*, vel non habent cor, vel certe inane habent. Ergo purgemus pœnitentia amorem nostrum, et aquam dilectionis antea fluentem in cloacam, convertamus in hortum; et quales impetus habebamus ad mundum, tales habeamus ad artificem mundi, et vero cordis centro amore uniamur, a quo perfectionem, immobilitatem, satietatemque hauriemus. In Christi dilectione modus amoris nullus sit : sine modo nos dilexit, sine modo

eum diligere debemus : modum dilectionis expressit, nos diligendo, pro nobis moriendo : nos quantum diligere eum debemus, non possumus : diligamus ergo Deum ex tota mente, ex toto corde, ex omni anima, et ex omnibus viribus nostris : hoc tantum quærit Deus, ultra non quærit.

Si, teste Bernardo tract. *de diligendo Deo*, « inexcusabilis est etiam infidelis, si non diligat Dominum Deum suum, clamat namque intus ei innata et non ignota ratio justitiæ, quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat ; » si, inquam, inexcusabilis est etiam infidelis Deum non diligens, excusabiturne fidelis Deum non amans ? Nam, ut ait Augustinus serm. 69. *de Tempore*, « reliquis bonis operibus interdum potest aliquis aliquam excusationem prætendere ; in habenda vero dilectione nullus se potest excusare. Potest mihi aliquis dicere, non possum jejunare : numquid potest dicere : Non possum amare ? Potest dicere, propter infirmitatem corporis mei non possum a carnibus et vino abstinere : numquid potest dicere, non possum diligere ? »

Itaque qui diligitis Dominum odite malum, et peccati detestandi ratio sit Dei casta dilectio, seu, ut Tertullianus lib. *de Pœnit.* cap. 7. ait, « pœniteat amasse quæ Deus non amat, quando ne nos quidem ipsi servulis nostris ea quibus offendimur, non odisse permittimus : obsequii enim ratio in similitudine animorum constituta est. » Tunc bonum est odium, ut ait Gregorius Magnus hom. 37, « quod non de malevolentia, sed de caritate procedit. » Quandiu non est amor Dei, perseverat amor mundi : « Duo namque amores sunt, » ut ait S. Leo alibi laudatus, « ex quibus omnes prodeunt voluntates ; rationalis enim animus, qui sine amore esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. » Porro si amor mundi habitet, non est quo intret amor Dei : non potest homo amare quod æternum est, nisi destiterit amare quod temporale est : qui amat sæculum, amare Deum non potest ; occupatum habet cor, nec gratiam potest accipere quæ offertur, si non vult dimittere quod tenebat. Hinc præclare Augustinus lib. 50. *Homiliarum*, hom. 37 : « Est amor utilis, et amor noxius, amor amore impeditur ; amor noxius secedat, et amor utilis succedat. Ut non capiant, pleni sunt ; fundant, ut capiant : pleni sunt amore voluptatum carnalium, pleni sunt amore vitæ præsentis, pleni sunt amore auri et argenti. Qui ergo pleni sunt, sic sunt quomodo vasa : vis ut intret mel, unde acetum nondum fudisti ? Funde quod habes, ut capias quod non habes. »

Quomodo ergo ad Deum convertitur, qui Dei de dilectione « principale præceptum » (sic vocatur a Tertulliano lib. 1. *adversus Marcionem*, cap. 4.) non custodit ? Quomodo bona illius pœnitentis conversio est, qui bonam nondum voluntatem habet ? Nam quomodo bona voluntas dici potest, quæ Deum summum bonum non amat, quæ Deum tanquam Deum, id est super omnia non amat, sine quo amore nullus quisque bene utitur creaturis ? Nam, ut ait Augustinus lib. 4. *de Civit.* cap. 7, « recta voluntas est bonus amor, et perversa voluntas est malus amor. » Et in *Enchiridio*, cap. 117 : « Cum quæritur utrum quisque sit homo bonus, non quæritur quid credat, aut quid speret, sed quid amet : nam qui recte amat, procul dubio recte credit, sperat : qui vero non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera quæ credit ; inaniter sperat, etiamsi ad veram felicitatem doceantur pertinere quæ sperat. »

Sed elicui, inquies, actum contritionis in *Inchiridione* precum mearum conscriptum, quique in piis passim libellis circumfertur. Ergo satis compositus, satis præstructus, satis sum ad absolutionem recipiendam paratus. Bene est, de bono opere non lapidamus te, actuum illorum formulas non modo non reprehendimus, sed laudamus : sed si momento verbis illis prolatis veram te consequi dilectionem reris, erras certe, et vehementer erras. Non ad arbitrium nostrum illabitur vera contritio, veraque dilectio, statim atque Deum ore vel mente nos diligere contestamur. Multi namque sunt qui ejusmodi actuum formulas ore proferunt, menteque revolvunt, qui germani Dei amoris ne vestigium quidem vel umbram habent tamen. Piæ quidem sunt ac religiosæ hæ actuum formulæ, sed inanes sunt ac fallaces, nisi revera in voluntate verum insit pondus, quo reapse in Deum mens casta rapiatur, quo Christo inservire, ei morem gerere, ejus voluntatibus obsequi toto corde studeat ; nisi divinæ gloriæ augmento moveatur, ejus gaudiis gaudeat, ejus injuriis tabescat, nihilque adeo vereatur, ac ne qua in re ei displiceat, cujus amore tenetur ; nisi a rebus caducis et mortalibus abstractus pœnitens,

omnia arbitretur tanquam stercora ut Christum lucrifaciat; nisi peccatum mortale instar mortis et supra mortem pertimescat, peccandique occasiones plusquam loca pestifera fugiat; nisi ita comparatus sit, ut malit bona, res, parentes, et amicos conculcare, quam a Christi amabili servitute, et ab arctis Evangelii semitis discedere. Hæc nisi sentias, nisi in te factis deprehendas, teipsum ludificas; ac frustra prolatis quibusdam voculis, vel susceptis Dei amoris cogitationibus sterilibus, Dei te amoris, veræ contritionis, salutaris pœnitentiæ actus edidisse tibi gratulabere, qui nullam veræ caritatis scintillam possides. Hanc ergo a Deo continuis gemitibus dilectionem postula, quæ cordis glaciem solvat, et in splendidas sacri amoris flammas commutet; a Deo, inquam, qui gratiæ suæ munera iis est pollicitus, qui in iis ardenti studio flagitandis perseveraverint: *Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti*, testante Veritate Matth. XVII, *aperietur*. « Promissa tua sunt, Domine, » inquit Augustinus lib. 12. *Confess.* cap. 1. « et quis falli timeat, cum promittit Veritas? »

SPECULATIO II.

Gratia per Pœnitentiam restituitur, ac cum ea virtutes et merita pristina reviviscunt.

Inter alios Pœnitentiæ effectus, insignis est restitutio virtutum, et reviviscentia meritorum. Virtutes quidem restituuntur, quia per pœnitentiam dimittuntur peccata, non dimittuntur autem nisi per gratiam, nec gratia sine virtutibus ex ea ad instar proprietatum fluentibus infunditur. Idque significatur Lucæ XV, ubi pius pater filium prodigum revertentem non solum osculatur fugans crimina, expellens noxam, cunctam nequitiam propellens; non solum procidit super collum ejus, ut erigeret jacentem, ut amoris onere onus tolleret peccatorum; sed etiam ne filio cicatricem, nævumve relinqueret, cito proferri stolam primam, et dari annulum in manu ejus præcipit: quia, ut ait Chrysologus serm. 3, « paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat honorem. » Calceamenta etiam pedibus dari jubet, ut nihil nudum virtutibus appareat, sed totus homo interior munitus sit, ne rursus offendat ad lapidem pedem suum, et scandalizatus corruat. In qua Prodigi conversione, veræ pœnitentiæ archetypo, quatuor indicantur ad veram hominis cum Deo reconciliationem perficiendam necessaria, quæ etiam Psalmo L. ordine exprimuntur. Nam primo Prodigus peccatum dolendo fatetur, et remissionem postulat criminis. *Pater peccavi;* et ibi: *Averte faciem tuam a peccatis meis.* Pœnitentiam vero sequitur infusio gratiæ et virtutum: *Proferte stolam primam;* et David: *Cor mundum crea in me Deus.* Gratiam justificantem fovet præsentia sua et auxiliis Spiritus sanctus: *Et date annulum in manu ejus*, qui annulus est pignus Spiritus sancti. Et David: *Spiritum sanctum tuum ne auferas a me;* et *spiritu principali confirma me.* Denique exiguntur fructus et opera pœnitentiæ, *et calceamenta in pedes ejus*, quibus et bene incedat, et bonorum operum exemplo alios doceat, juxta illud Apostoli: *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis.* Quod etiam intendit David dicens: *Docebo iniquos vias tuas.*

Quin etiam contingit pœnitentem aliquando in majori gratia, subindeque intensioribus virtutibus ornatum resurgere, nempe cum intensiori pœnitentia percitus ad Deum revertitur; gratia enim et cæteræ virtutes, et universim omnes formæ quæ possunt recipere magis et minus, secundum diversam subjecti dispositionem intenduntur et remittuntur. Quia ergo pœnitentes lapsibus suis facti humiliores, et cautiores et ferventiores majori interdum ad Deum conatu revertuntur; ideo abundantiorem nonnunquam habitum gratiæ et virtutum consequuntur, illumque stabilius custodiunt, quia humiliores redeunt atque doctiores. « Discunt enim, » inquit Augustinus lib. *de Corrept. et Grat.* cap. 9, « in ipsa via justa cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando tanquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua: *Non movebimur in æternum;* propter quod eis dicitur: *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa...* Non habebat hunc timorem et tremorem, qui dicebat in abundantia sua, non movebor in æternum: sed quia filius erat promissionis, non perditionis, expertus, Deo paululum deserente, quid esset ipse: *Domine*, inquit, *in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Ecce doctior, et ob hoc etiam hu-

milior tenuit viam, jam videns et confitens in voluntate sua, Deum decori ejus præstitisse virtutem. » Quia ergo pœnitens lapsibus suis humilior, et in vindictam de se sumendam ferventior quandoque evadit, ideo ratione majoris dispositionis majorem etiam consequitur gratiam. Hinc Gregorius Magnus hom. 34. *in Evangelia* : « Qui errasse a Deo se considerant, » inquit, « damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Majus ergo gaudium de eis fit in cœlo : quia et dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam illum qui nunquam terga præbuit, et nunquam aliquid fortiter fecit. » Quod et alia similitudine in eamdem sententiam peridonea illustrat idem sanctissimus Pontifex, inquiens : « Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas uberes fruges profert, quam eam quæ nunquam spinas habuit, et nunquam fertilem messem producit. » Hanc pœnitentiæ superabundantis gratiam postquam abundavit delictum, pœnitentium fervori correspondentem extollit etiam os Chrysostomi aureum serm. *de Pœnitentia* : « O pœnitentia, » inquit, « quæ vitam de interitu revocas, statum restauras, gratiam abundantiorem refundis : quomodo ager frugifer, aut vinea fœcunda, aut arbor fructifera pinguescit. »

Reviviscunt etiam merita per peccatum mortificata, ut docet D. Thomas art. 5. et probatur ejus discursu amplius expenso et explicato. Quadruplex est hominis Christiani operum genus ; alia enim sunt opera viva, alia mortifera, alia mortua, alia mortificata : viva ea sunt quæ a gratia ex influxu vel imperio caritatis proficiscuntur, justus enim ex fide per dilectionem operante vivit ; mortifera sunt peccata lethalia, quibus homo spiritalis moritur, Deo qui est vita animæ, gratia et virtutum beatissima copia privatus ; mortua sunt opera ex officio et objecto honesta, sed a principio vitæ spiritalis, caritate nimirum minime enata ; mortificata sunt opera sancta et olim viva, adveniente tamen peccato mortali vi perducendi ad vitam æternam orbata, sicut plantæ et arbores asperæ hyemis algore mortificatæ, seu compressæ et coercitæ, nec fructus, nec viridantia folia edunt : vel, sicut aqua frigore nimio congelata non currit. De operibus vivis, vel mortiferis, vel mortuis nulla est difficultas ; opera enim viva non indigent vita, mortifera repugnant vitæ, mortua nunquam vixerunt, quia nunquam a principio vitæ spiritalis processerunt ; unde quam nunquam habuerunt vitam recuperare non possunt : unde ea opera quamlibet videantur eximia, comparat D. Thomas sono citharæ, quæ dicitur vox mortua : quam similitudinem desumpsit ex Apostolo I. Cor. XIV : *Quæ sine anima sunt*, inquit, *vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur?* Hinc fit illa opera nihil prodesse, ut ait Apostolus c. XIII : *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, nihil mihi prodest*, nimirum ad salutem, quamvis prodesse possint ad remunerationem temporalem, ut docet Magnus Gregorius hom. 46. *in Evangelia*, expendens illud Abrahami ad divitem epulonem : *Recepisti bona in vita tua* : « Hæc sententia, » inquit, « pavore plus indiget quam expositione. Nam si qui estis, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid accepistis, ipsum ut ita dicam donum exterius pertimescere debetis, ne vobis pro quorumdam actuum vestrorum recompensatione sit datum ; ne judex, qui hic bona exteriora restituit, a restitutione boni intimi vos repellat ; ne honor hic vel divitiæ, non adjumentum virtutis vobis, sed remuneratio sint laboris. Ecce enim dum dicitur diviti : *Recepisti bona in vita tua*, indicatur et iste boni aliquid habuisse, ex quo in hac vita quædam etiam bona reciperet. » Prosunt etiam hæc opera ad hoc quod tolerabilior fiat ipsa damnatio, juxta illud Augustini lib. *de Patientia*, cap. 26 : « Non possumus dicere, Schismatico melius fuisset ut Christum negando, nihil eorum pateretur : sed existimandum est, tolerabilius ei futurum judicium, quam si Christum negando, nihil eorum pateretur. » Quare de solis operibus olim in caritate et ex caritate factis, et per peccatum mortificatis restat difficultas, et de his quod reviviscant.

Probatur. Merita per peccatum mortificata reviviscere, est ad pristinam vitam redire ; sed merita per peccatum mortificata, sincera cordis pœnitentia pristinam vitam in Sacramento recipiunt : ergo reviviscunt. Declaratur minor. Pristina meritorum vita in hoc sita erat, ut possent ad vitam æternam perducere : id vero per pœnitentiam consequuntur ; merita enim licet actu non existant, remanent tamen in acceptatione divina, et ideo quantum est in se, vim perducendi ad vitam æternam habent, nisi

peccati posito obice impediantur, quod utique impedimentum pœnitentia removetur. Ergo sublato per pœnitentiam peccato, efficaciam recuperant perducendi illum qui bene operatus est in vitam æternam, quod est per pœnitentiam reviviscere. Ergo opera per peccatum mortificata reviviscunt; et, sicut ventus auferens nubem, nobis solem restituit, ita pœnitentiæ motus tanquam removens prohibens gratiam gratum facientem, et virtutum ornatum, et merita antiqua nobis restituit. Vel sicut tota natura frigore vel aquilone coercita et foliorum vestitu nudata, flante verno austro veluti ad vitam revocata in varia sese explicat folia, flores edit, fructus parit, undæ procedunt, prata revirescunt, et lata camporum planities nudata elegantius circumvestitur : ita perflatus compunctione et amore animus per peccatum captivus solvitur; intellectus liberatus, Deo inspirante quæ recta sunt cogitat; voluntas terrenis capta et veluti paralytica fundit pietatis affectus, assumit pennas, volat, et non deficit, manus exserit, et habilis facta evadit in operando tota sedula, tota strenua, tota actuosa et gnava : merita denique redeunt peccatis præpedita, quia factus est in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam, flavit auster et fugavit aquilonem; emisit verbum suum Deus, et liquefecit dura; flavit spiritus ejus, et fluxerunt aquæ, et aromata operum illorum. « Quomodo frigus ligat aquam, ne currat, » inquit Augustinus *in Psalm.* CXXV, « et nos illigati frigore peccatorum gelavimus. Auster autem calidus ventus est. Quando flat auster, liquescit glacies, et implentur torrentes. Gelaveramus autem in captivitate, constringebant nos peccata nostra : flavit auster Spiritus sanctus, dimissa sunt nobis peccata, soluti sumus a frigore iniquitatis; tanquam glacies in sereno, sic solvuntur peccata nostra. Curramus ad patriam, sicut torrens in austro. » Hanc gratiam postulabat Regius Propheta Psalm. CXXV : *Converte,* inquit, *Domine, captivitatem nostram* (a peccato animas nostras ligante et in captivitatem miserrimam redigente ortam) *sicut torrens in austro.* Postulabat et Sponsa Canticorum cap. IV : *Veni,* inquit, *auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius,* id est præcedentium virtutum et meritorum suavissimus odor et beatissima copia. Unde Chrysostomus hom. 6. *in Genesim :* « Per misericordiam Dei, » inquit, « si modo condemnare facta nostra, et jam sistere ignaviam voluerimus, poterimus statim ad pristinam abundantiam redire. »

Eamdem meritorum mortificatorum reviviscentiam non obscure indicant Scripturæ juxta traditum a Patribus sensum intellectæ. Ezechielis XXXIII : *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit.* Noceret autem plurimum, si veterum meritorum fructum impediret. Joelis II : *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus et rubigo, et eruca,* id est præteritarum actionum mercedem, et donorum largitatem restituam, et faciam vos novis virtutum frugibus abundare, quia præcedentia opera perire Deus non passus est, ut exponit Hieronymus, qui mox addit : « Si post pœnitentiam autem Deus tantam ubertatem pollicetur, quid respondebit Novatus negans pœnitentiam, » et reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint « opera pœnitentiæ » ? Idem colligunt theologi ex illis Apostoli verbis Galat. III : *Tanta passi estis sine causa? Si tamen sine causa.* Ubi Apostolus quorumdam a fide defectionem et in Judaismum prolapsionem exaggerat, quia tot bona opera et passiones pro Christo toleratas inania redderent, quæ propterea sine causa, id est sine utilitate pertulissent : id tamen veluti retractans ait, « *Si tamen sine causa,* » quia effectu suo non sunt illa, si resipiscant, caritura. Videatur Hieronymus in hunc locum, ubi et ait : « Quicumque ob Christi fidem laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora dicitur passus fuisse dum peccat; sic rursum non perdit ea, si ad pristinam fidem et ad antiquum studium revertatur. » Idem etiam ex illis Hebr. VI. infertur, ubi Paulus sic habet : *Confidimus de vobis meliora et viciniora saluti; non enim injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri boni, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Quibus verbis, interpretantibus Anselmo, Theophilacto, et D. Thoma, ad pœnitentiam lapsos Judæos hortatur, quia Deus pristinæ eorum dilectionis gloriam, utique essentialem, promeritæ non obliviscetur. Unde hæc verba expendens sacrum Tridentinum concilium sess. 6. cap. 16. sic fatur : « Justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba : *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino :*

non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. Et : *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda.... Nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur. » Ubi sacra Synodus pœnitentes innocentibus æquiparat, ut sicut istis recte illud Apostolicum dicitur, *abundate in omni opere bono ;* ita et pœnitentibus merito dicatur, *non injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri boni.* Ergo bonis operibus in caritate factis etiam peccato interruptis gloria respondet, quæ proinde reviviscere censenda sunt. Hinc Augustinus epist. 54 : « Deus facit etiam super tales » (relapsos pœnitentes) « oriri solem suum, nec minus tribuit quam ante tribuebat, largissima munera vitæ et salutis. »

Solvuntur objectiones.

Objicies primo : Sunt aliquæ virtutes, quæ per pœnitentiam non redeunt, puta virginitas, quæ semel amissa restaurari vel recuperari nequaquam potest, juxta illud Hieronymi epistola 22. *ad Eustochium :* « Audenter loquar, cum omnia possit Deus, virginem suscitare non potest post ruinam. » Et rationem assignat D. Thomas 1. p. quæst. 25. art. 4. ad 3. Quia omnem corruptionem mentis et corporis Deus auferre potest a muliere corrupta : hoc tamen ab ea removeri non poterit, quod corrupta non fuerit; sicut etiam ab aliquo peccatore auferre non potest quod non peccaverit, et quod caritatem non amiserit. Similiter fides per pœnitentiam non restituitur, quæ peccato mortali, nisi infidelitatis fuerit, definiente concilio Trident. sess. 6. cap. 15. et can. 28. non deperditur. Ergo non omnes virtutes per Pœnitentiam restituuntur.

Respondeo per Pœnitentiam restitui formale virginitatis, quod in proposito abstinendi ab omni venerea delectatione situm est, quamvis materiale virginitatis, nimirum integritas corporalis, omnis voluntariæ carnalis delectationis sensu et experimento perceptæ impatiens, minime restituatur ; neque enim fieri ulla potentia potest, ut qui delectationem illicitam voluntarie expertus est, eam non persenserit. Non recuperatur ergo flos virginitatis, nunquam marcescens, nunquam decolor : sed recuperatur virginitatis fructus, servandæ nimirum propositum castimoniæ. Quoad fidem vero et spem attinet, in virtutum resolutione et communi naufragio permanentes, dicendum restitui illas non secundum entitatem quæ permanet, sed secundum perfecte et christianæ virtutis statum qui periit; quia redeunte virtutum omnium forma caritate, novo splendore nitent, et pristinam perfectæ virtutis conditionem pristinumque vigorem recuperant.

Objicies secundo : Per peccatum merita extinguuntur, ad nihilumque redigitur totum præcedentium operum pretium, tota dignitas, tota satisfaciendi vis : sed quod extinctum et destructum est, de via ordinaria non redit; a privatione enim ad habitum non datur regressus : ergo merita per peccatum mortificata, vel potius ad statum mortis redacta, per pœnitentiam de via ordinaria et juxta consuetum divinæ providentiæ agendi modum non reviviscunt.

Respondeo, mortua quidem de via ordinaria non resurgere, imo nec peccata virtute supernaturali redire, quia Deus peccati causa esse nequit : sed mortificata aliquo impedimento coercita iterum redire et veluti pullulare possunt. Per peccatum autem merita non omnino ad nihilum rediguntur, sed manent in acceptatione divina : quod vero non perducant in vitam æternam : suumque proinde non sortiantur effectum, ex obice peccati oritur, quo sublato antiquam efficacitatem recuperant. Maxime quia, ut merita illa penitus morerentur, necesse esset ut omne spiritalis vitæ principium, a quo profecta sunt, ad nihilum redigeretur ; quod tamen non contingit. Etsi enim proximum earum principium, gratia nempe et caritas, peccato ad nihilum redactum sit, primitiva tamen bonorum meritorum origo, nimirum Christus Dominus, qui tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites in opera pietatis influxit, vivit in æternum.

Instabis : Peccata et demerita per gratiam dimissa, nova iteratorum flagitiorum prolapsione non redeunt, quia nimirum per gratiam priora peccata vere remissa, penitusque deleta sunt. Ergo similiter merita per peccatum mortificata, per gratiam pœnitentiæ non reviviscunt, cum non minus merita peccatum, quando demerita gratia destruat ; nec minus in destruendo efficax sit malitia peccati infinita, quam in ædificando finita pœnitentiæ virtus ; nec minus jus ad æternam gloriam aboleat peccatum, quam gratia pœnæ sempiternæ reatum.

Respondeo certum esse, peccata semel per gratiam dimissa sequenti peccato non redire, quamvis Hugo Victorinus, et Guillelmus Parisiensis id opposuerint. Cum enim, teste Apostolo Rom. XI, *sine pœnitentia sint dona Dei,* peccata dono Dei dimissa per pœnitentiam nequaquam redeunt. Unde D. Prosper ad 2. Gallorum objectionem : « Qui recedit a Christo, » inquit, « et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in preditionem vadit ? Sed non in id quod remissum est redit, nec pro originali peccato damnabitur. » Et Gelasius Papa, cap. *Finali,* de pœn. dist. 4 : « Divina, » inquit, « clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur. » Et rationem affert S. Thomas quæst. 88. art. 2. Quia peccata præterita per subsequens peccatum non revertuntur, neque quoad conversionem, quia prius peccatum potuit esse infidelitas, posterius vero avaritia, qua non fit infidelis, cum fides permaneat ; præcedens etiam peccatum potuit esse avaritia, et subsequens prodigalitas ; impossibile vero est contrarium esse causam sui contrarii, cum potius ipsum pro virili expellat et destruere moliatur : neque quoad aversionem, quæ ex conversione tanquam ex materia vel occasione causatur, quia opus Dei per opus hominis irritari non potest : priorum autem peccatorum remissio fuit opus divinæ misericordiæ ; unde per subsequens hominis peccatum irritari nequaquam potest, secundum illud Rom. III : *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit ?* Nec defectu conditionis a Deo condictæ, quasi Deus ea tantum lege remiserit peccata, ut ea iterum admittantur, adeo ut licet secundum præsentem justitiam peccata condonata sint, secundum præscientiam Dei tamen prævidentis futurum relapsum non sint absolute remissa, proindeque desinente per peccatum gratia, redeat culpa, redeat et reatus æternæ pœnæ. Non, inquam, hoc etiam modo peccata semel deleta redeunt, quia causa absolute posita, effectus absolute sequitur : per pœnitentiam vero et Ecclesiæ Sacramenta gratia absolute infunditur : ergo et absolute ac simpliciter peccata condonantur ; res enim semel destructa semper manet destructa, nisi de novo producatur : et eodem modo Deus solvit in cœlo, quo Sacerdotes in terra, qui absolute absolvunt. Unde in Tridentino sess. 6. can. 17. et 23. sic definitur : « Si quis justificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit ; reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum ; atque adeo eum qui labitur et peccat, nunquam fuisse vere justificatum, anathema sit. » Peccatum ergo in justificatione virtute passionis Christi per pœnitentiam applicatæ semel dimissum non redit, quia non vindicat Deus bis in idipsum, ut habetur Nahum I. juxta lectionem Septuaginta.

Observat tamen S. Doctor, peccata semel abolita per subsequens quadantenus redire, ratione ingratitudinis peccatoris sequenti peccato clementiam Dei et præteritæ remissionis gratiam contemnentis, et secundum duritiam suam et impœnitens cor thesaurizantis sibi iram in die iræ. Et secundum hoc intelligitur illud Jacobi III : *Qui offendit in uno factus est omnium reus.* Quia nimirum quisquis post acceptam remissionem peccatorum ad vomitum redierit, tanto gravius punitur, quanto magis benignitate Dei abusus veterum culparum acceptæ remissionis ingratus existit. Unde Ezechiel. XVIII. Dominus comminatur : *Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerit non recordabuntur.* Quia, ut exponit Hieronymus, sicut justum antea prævaricatorem non prægravant antiqua delicta ; sic peccatorem qui prius justus fuerat, non juvant veteres justitiæ. Hinc in Evangelio a servo nequam debitum Dominus repetit, qui conservo suo debitum noluit dimittere, unde et tortoribus traditus est, quoadusque redderet ultimum debitum, ut patet Matth. XVIII. Non quod aliquando debitum in inferno persoluturus sit, ubi nullum est corrigendi spatium, nullus exeundi aditus, nulla demum redemptio ; sed quia pro peccatis non remissis, et pro ingratitudine illa per modum conditionis generalis

comitante, vel per modum specialis peccati aggravante, cum in Dei et beneficii accepti contemptum peccata committuntur, sine ulla remissione ab impiis tortoribus immisericorditer per totam æternitatem solvet, et nunquam persolvet, sed semper pœnam luet, dicente Chrysostomo hom. 62. *in Matth.* : « Ad perpetuitatem supplicii eum tradidit, nunquam enim persoluturus est. » Punientur ergo et propter peccata sequentia, et proportionaliter pro modo ingratitudinis et gravitate ac intensione contemptus, qui eo censetur major, quo magis gratia floccifit, et quo peccata prius dimissa plura et atrociora fuerunt ; ut enim dicitur Deuter. XXV : *Pro mensura peccati erit et plagarum numerus.* Hoc sensu dixit Augustinus serm. 15. *de verbis Domini* : « Si non dimiseris, revocabo, et quidquid dimiseram replicabo tibi. »

Ex his ergo responderi potest ad argumentum, magnum esse discrimen merita inter et demerita : quia merita per peccatum mortificata manent in acceptatione divina, et quadantenus in Christo, ex cujus influxu prodierunt. At vero peccata et demerita per gratiam et misericordiam Dei irrevocabiliter remissa nullibi manent, unde nec physice, nec moraliter revertuntur, nec potest homo opus divinæ misericordiæ remittentis peccata irritare et annullare, quamvis quominus sibi illa remissio prosit, novis peccatis impedire possit. Et, quamvis Deus veterum justitiarum non recordetur, sicut non recordatur veterum peccatorum, cum gratiam pœnitentibus largitur, ut patet Ezechielis XVIII. quatenus merita peccato impedita nihil ad salutem prosunt, sicut demerita vere dimissa non obsunt ; illud tamen differentiæ inter utraque intercedit, quod merita impedita in Deo tamen ea acceptante manent, demerita vero dimissa in Deo indignante manere non possunt hoc ipso, quod deposita omni indignatione ea sincere dolevit. Maxime quia caput nostrum Christus Jesus, qui in opera pietatis a membris suis elicita influxit, quodam pacto jus habet ut merita illa remoto per pœnitentiam obice munerentur.

Urgebis : Si ille cui per pœnitentiam peccatum mortale remissum est, incidens in novum peccatum mortem obeat antequam pœnam temporalem veteribus flagitiis debitam luerit, in æternum non solum pro peccatis in quibus decedit, sed etiam pro antiquis quæ non expiavit plectetur : ergo reatus præcedentium peccatorum novo peccato redit, sicut pristina merita per pœnitentiam revertuntur.

Respondeo nullam esse illationem, quia dato quod antiqua peccata debita in hoc mundo satisfactione non expiata æternum puniantur, non ideo est, quia eorum macula vel reatus redierit, sed quia peccator pro illis dum potuit satisfacere noluit, sed potius in illum se statum præcipitem egit, in quo pœna temporalis per accidens evadit æterna ; quia nulla ibi redemptio, nullum levamen, nullum solatium adest, sicut etiam propter eamdem rationem peccata venialia ibi æterna pœna mulctari propter obfirmatam peccatoris malitiam superius diximus. Nulla ergo est consequentia facta. Sed nec etiam antecedens verum est : probabilius enim est quod docet S. Thomas in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. ad 5 : « Quod pœna cujus aliquis est debitor post culpam remissam, in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur, quod in inferno sit redemptio, quia pœna qua solvitur non redimitur : nec est inconveniens, quod quantum ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augetur. »

Objicies tertio : Si merita per peccatum mortificata reviviscerent, et vim eamdem perducendi ad vitam æternam recuperarent, qui centum gradus meriti olim habuit, resurgens cum uno vel altero pœnitentiæ gradu, tot gradus gloriæ obtineret, totque gradus gratiæ recuperaret, quod olim habebat ; quibus insuper adderentur novi gradus præsenti dispositioni et pœnitentiæ correspondentes : nam merita reviviscere est ad pristinam vitam redire ; pristina autem vita centum gratiæ gradibus, quibus totidem gradus gloriæ debentur, constabat ; unde, si merita reviviscant, totam gratiam antiquam recuperat, tot deinde gradus gloriæ consequuntur. Atqui consequens tam est alienum a doctrina D. Thomæ quam quod maxime, cum articulo secundo quæst. 89, ex professo probet resurgentem a peccato modo æqualem, modo majorem, modo minorem antiqua recipere gratiam pro ratione dispositionis præsentis. Ergo merita per peccatum mortificata non reviviscunt.

Respondeo huic argumento solvendo multa adhibere theologos modernos, præsertim Thomistas, qui a manifestissima sancti Tho-

mæ sententia et avita Scholæ nostræ doctrina recedere volentes, nec exerte audentes, in tot figmenta prolapsi sunt, ut quam doctrinam Thomisticam de reviviscentia meritorum suis interpretamentis mollire sategerunt, ridendam potius communibus Angelici doctoris adversariis effecerint. Ut ergo firmum fundamentum stet, age inconcussam S. Thomæ doctrinam sine ullo prorsus errore scriptam, quam qui impugnaverit semper fuerit de veritate suspectus, ut toties decantata Pontificum oracula nos docuerunt, ab interritis S. Thomæ discipulis Capreolo, Ferrariensi, Cajetano, Paludano, Bannez, omnibus denique ad unum antiquis, quos etiam eximius doctor Sylvius secutus est, propugnatam, non tremuli, sed intrepidi defendamus.

Declaratur in qua proportione merita mortificata per pœnitentiam reviviscant.

Dicendum igitur omnino est, merita quidem per pœnitentiam reviviscere, sed duntaxat juxta quantitatem dispositionis in qua peccator resurgit ; unde qui ante peccatum centum sibi gratiæ gradus et jus ad totidem gradus gloriæ compararat, si resurgat cum pœnitentia a caritate duobus, v. g., gradus duntaxat intensa profecta, non nisi duos habitualis gratiæ gradus, jusque ad duos gloriæ gradus obtinebit, ita ut gratia et gloria in se et absolute sumptæ meritis præcedentibus respondeant, sed gradus gratiæ, gradusque gloriæ uni præsenti dispositioni in qua resurgit, in quave decessurus est commensurentur.

Vel nihil unquam perspicue et distincte docuit S. Thomas, vel sententiam hanc nostram, aut potius suam tradidit Doctor sanctissimus. Etenim articulo 2. hujus quæst. 89. sic luculenter scripsit : « Motus liberi arbitrii, qui est in justificatione impii, est ultima dispositio ad gratiam : unde in eodem instanti est gratiæ infusio cum prædicto motu liberi arbitrii, in quo quidem motu comprehenditur actus pœnitentiæ. Manifestum est autem quod formæ, quæ possunt recipere magis et minus, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subjecti, ut in secunda parte habitum est. Et inde est, quod secundum quod motus liberi arbitrii in pœnitentia est intensior vel remissior, secundum hoc pœnitens consequitur majorem vel minorem gratiam. Contingit autem intensionem motus pœnitentis quandoque proportionatam esse majori gratiæ, quam fuerat illa a qua ceciderat per peccatum ; quandoque vero minori. Et ideo pœnitens quandoque resurgit in majori gratia quam prius habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori. Et eadem est ratio de virtutibus, quæ gratiam consequuntur. » Ergo manifestum ex D. Thoma est, non semper intensionem gratiæ in justificatione infusæ intensioni meritorum antiquorum, sed uni præsentis dispositionis quantitati respondere. Idem confirmat ad secundum : « Dicendum, » inquit, « quod pœnitentia quantum est de se, habet virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, et etiam promovendi in ulteriorem statum ; sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remissius movetur in Deum et in detestationem peccati. » Nihil planius, nihil luculentius his testimoniis.

Idem docet S. Doctor de gradibus gloriæ, respondere nimirum eos non toti præcedentium operum et meritorum quantitati, sed uni intensioni gratiæ, in qua pœnitens resurgit. Sic enim habet in 3. dist. 31. quæst. 1. art. 4. ad 4 : « Homo per priora merita mortificata merebatur sibi tantam gloriam, quantam caritatem habebat ; sed ipse per peccatum factus est alter, et non plenarie ad pristinum gradum restitutus ; ideo non plenarie recipiet effectum priorum meritorum, nisi quantum ad præmium accidentale. » Et in 3. dist. 18. quæst. 1. art. 2. ad 4. docet non posse caritatem moraliter in ratione meriti augeri, subindeque non illi plures gloriæ gradus respondere, nisi eadem caritas physice actibus ferventioribus augeatur, quia caritas physice sumpta est principium meriti. Verba Angelici Præceptoris sunt hæc : « Non est necesse quod omnis qui meretur, proficiat quantum ad rationem merendi ; hoc enim accidit ex eo quod radix meriti non est in suo termino ; sed oportet quod omnis qui meretur, proficiat quantum ad mercedem, ut scilicet eam faciat sibi debitam vel simpliciter, vel quantum ad aliquem modum qui prius non debebatur. » Quod repetit articulo quinto, ubi docet meritum contingere tripliciter : « Primo quando aliquis præmium de non debito facit sibi debitum. Secundo quando facit magis debitum quod erat minus debitum ; quod contingit in eo, in quo caritas augetur. Tertio quando facit sibi debitum uno modo, quod debebatur antea alio

modo. » Quibus verbis S. Thomas fundamentum adversariorum evertit, in hoc situm, non posse præmium duobus meritis respondere; et tamen D. Thomas aperte docet, tunc vere contingere meritum, quando quis facit sibi debitum uno modo, quod debebatur antea alio modo ; idque ibidem illustrat exemplis, tum pueri primo caritatis actu facientis sibi debitam vitam æternam, quæ sibi prius titulo hæreditatis debebatur : tum Christi Domini, qui gloriam corporis titulo sibi connaturalitatis assertam merito etiam passionis comparavit. Et in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 4, necnon 1. p. quæst. 12. art. 6, et quæst. 95. art. 4, et *in cap.* VIII. *ad Roman.* lect. 5, et *in cap.* III. *prioris ad Corinth.* lect. 2. docet gloriam patriæ dari secundum quantitatem caritatis viæ : « Caritas viæ, » inquit, « disponit mansionem per modum meriti. » Nec potest dici S. Doctorem hanc sententiam olim in commentariis in libros *Sententiarum* evidenter traditam, in *Summa Theologica* revocasse. Non, inquam, id potest dici ; tum quia in materia de caritate clarissime docet, actum quemlibet caritatis gloriam et gloriæ augmentum promereri quidem, illud tamen augmentum non consequi actum remissum, sed tantum actum intensum in statu viæ eliciendum, ut tomo 4. dissert. 4. cap. 2. specul. 2. et 3. late, nec minus evidenter demonstravimus : unde omnino consequens est, meritorum numero non respondere gradus gloriæ, sed uni duntaxat præsentis dispositionis fervori. Tum quia 3. parte, quæst. 89. art. 5, ubi ex professo de reviviscentia meritorum disputat, sic fatur ad 3 : « Dicendum quod ille qui per pœnitentiam resurgit in minori caritate, consequetur quidem præmium essentiale secundum quantitatem caritatis in qua invenitur ; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima caritate factis, quam de operibus quæ in secunda caritate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale. » Ex quibus verbis, tametsi per se planissimis, sic formatur argumentum : Si gradus gratiæ et gloriæ redirent juxta totam præcedentium meritorum quantitatem, ut volunt aliqui cum Nominalibus ; vel si aliquot gradus gratiæ vel gloriæ juxta proportionem præsentis dispositionis, dispositionem tamen præsentem eatenus excedentes, quatenus ex gratia restituta et de novo infusa major coalescit habitus, quam sit intensa pœnitentia ; si, inquam, hoc sensu aliquot pristinæ gratiæ gradus pœnitens physice recuperaret, uti Joannes a S. Thoma existimat ; vel moraliter in esse gratiæ, ut credunt Nunno, et alii recentiores Thomistæ, quos sequitur Baptista Gonet, ita ut post hanc vitam gradus gloriæ excederent intensionem caritatis, in qua pœnitens moritur, plane sequeretur, præmium essentiale excedere quantitatem caritatis, in qua pœnitens invenitur, sequeretur etiam pœnitentem non habiturum duntaxat præmium accidentale intuitu operum in prima caritate factorum. Atqui id totum est contra luculentam D. Thomæ mentem asserentis, resurgentem per pœnitentiam, in minori caritate consequuturum præmium essentiale, « secundum quantitatem caritatis, in qua invenitur, » et operibus in prima caritate factis respondere tantum « gaudium majus, quod pertinet ad præmium accidentale. » Ergo dicere merita reviviscere ad omnes gratiæ et gloriæ gradus, vel ad aliquot gratiam præsentem excedentes, ei tamen per modum dispositionis physicæ vel moralis respondentes, est manifeste S. Thomæ contradicere.

Ratio fundamentalis tradita est variis in locis a S. Doctore, et a nobis loco memorato de caritate operose propugnata, sicque breviter instauratur : Gratia habitualis nunquam a Deo in animam adultorum infunditur, nisi juxta voluntatis cum auxilio Dei sese disponentis conatum : justitiam « recipientes, » ut ait Tridentinum sess. 6. cap. 7, « unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem, et operationem. » Quod tam in prima gratiæ infusione, quam in ejusdem gratiæ augmento verum esse docet D. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 6. ubi ait, « quod non quolibet actu caritas augetur, » sed tunc solum quando habilitate, quæ iteratis actibus etiam remississimis disponitur, crescente, « homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conatur ad caritatis profectum. » Cujus rationem ulteriorem assignat idem Doctor sanctissimus in 2. dist. 27. quæst. 1. art. 5. quia, licet quilibet actus caritatis habeat rationem meriti, non tamen rationem causæ augmenti, nisi a toto habitus conatu proficiscatur : « Unde non oportet, » inquit, « quod quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mercatur, quia non in quolibet actu meritorio invenitur illa conditio, per quam ex actu consequatur aug-

mentum habitus, sed solum in illo actu, quo quis utitur prædicta gratia secundum proportionem suarum virium, ut in nullo gratiæ Dei desit per negligentiam. » Atqui pœnitens qui ante peccatum gratia ut viginti ornatus erat, resurgit tamen cum actu pœnitentiæ intenso ut duo, non est dispositus nisi ad duos gratiæ, duosque subinde gloriæ gradus. Ergo per pœnitentiam gratia jusque ad gloriam nec secundum totam præcedentis gratiæ latitudinem, nec secundum aliquos gradus gratiæ præsentem dispositionem excedentes recuperantur. Maxime quia, ut fatetur P. Gonet disp. 6. art. 2. §. 2. eodem modo loquendum est de meritis mortificatis et per contritionem reviviscentibus, quo de actibus remissis caritatis, augmentum habitus promerentibus, cum sit par utriusque ratio ; nam, sicut operibus mortificatis suum debetur meritum, ita et proprium asseritur actibus remissis. Atqui gratia et caritas habitualis actibus habitu remissioribus statim non augetur, sed tunc solum quando prorumpit in actum ferventiorem. Ergo similiter quando homo resurgit a peccato per actum pœnitentiæ remissum, non statim quam habebat ante peccatum gratiæ totam latitudinem recuperat, sed tum solum cum caritatem amissam actu fervido adæquabit : sed tot duntaxat gratiæ gradus acquirit, quot gradibus intensa est pœnitentia in qua resurgit. Unde Ambrosius lib. 1. *de Cain et Abel :* « Egressus malitiæ, » inquit, « virtutibus operatur ingressum : eodemque studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur. »

Confirmatur id ipsum variis signis et indiciis : tum quia, si præcedens gratia vel ex toto, vel ex parte redderetur, illique adjiceretur præterea ea gratiæ quantitas, quæ præsenti dispositioni respondet, pœnitentes magis sancti, magisque ad divina quam prius fuerant, affecti resurgerent ; cum sanctitas, et in divina pronitas a gratia proficiscantur, ac proinde crescente pietatis causa, nova etiam sacrarum affectionum incrementa pœnitentes experirentur. At quis nescit pœnitentium hominum variis præsertim flagitiis fractorum virtutem tenellam et mollem sæpe concuti, et infirmam cæspitare nedum, sed et declivitate sua corruere ? Quod tamen non contingit cum pœnitens Spiritus sancti fervore concepto, dum per indulti temporis spatium licet, magno animi æstu ad Deum revertitur, conflans in lacrymis duritiam cordis, et post fugam humilior factus ac cautior, hostes fortius premit, et post peccatorum spinas fruges uberiores e terra cordis educit. Tum quia, pœnitens non est melioris conditionis quam innocens, nisi conditionem suam majori fervore effecerit meliorem : cæteris enim paribus stantibus, dignior est et æstimabilior continuus vitæ innocentis famulatus et fidelitas perennis, quam interruptum inconstantis servi, labentis et resurgentis obsequium. Et, quamvis in Evangelio Luc. xv. affirmetur, quod *gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia ;* et ibidem filio prodigo in se reverso ad patrem clamanti, eæ lætitiæ significationes exhibeantur, quas in gratiam filii senioris, qui patri tot annis servierat, et mandatum ejus non præterierat, nunquam pater ostenderat : id tamen non convincit pœnitentiam esse absolute innocentia meliorem, alioquin quod melius est, Christo et Deiparæ defuisset ; sed gaudii affluentem copiam in reditu peccatoris minime expectato Beati magis experiuntur, quod humano more dictum putandum est, quo recentia et insperata magis delectare assolent quam vetera vel possessa : sicut pastor recuperata ove perdita sensibilius quam de toto servato grege gaudet ; et mulier habens drachmas decem, si perdiderit unam, cum invenerit, convocat amicas, et vicinas dicens : *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram.* Quamvis ergo pœnitentia sit donum innocentia secundum quid majus, quatenus indigno, subindeque magis gratis tribuitur ; innocentia tamen est bonum absolute præstantius, utpote immobilius, firmius, et nulla instabilitate obscuratum. Igitur pœnitens non est innocente melioris conditionis, nisi, ut dixi, actuum fervidorum contentione suam efficiat conditionem meliorem. Atqui innocenti gratiam habitualem non largitur Deus, nisi juxta actuum et dispositionum præsentium proportionem : ergo peccatori pœnitenti juxta unum pœnitentiæ conatum habitualis gratia tribuitur. Tum quia gratiæ habitualis quantitas pœnitentiæ infusæ quantitati respondet ; cum enim pœnitentia infusa sit gratiæ passio, eadem esse debet essentiæ, et proprietatis quantitas et mensura : sed pœnitentia habitualis infusa uni pœnitentis dolori respondet, cum secundum plures ex adversariis pœnitentia

actualis ab infusa in genere causæ efficientis proficiscatur, licet in genere causæ dispositivæ antecedat ; et secundum omnes gratia et virtutes in justificatione infusæ, gratiæ actualis et moventis intensioni correspondeant ; ergo quantitas gratiæ restitutæ et reviviscentis, subindeque gloriæ futuræ intensio, præsentis dispositionis et contritionis quantitatem non excedit.

Respondent adversarii, omnes illas argumentorum copias, duce D. Thoma in aciem productas, valere solum adversus Nominales et eorum sequaces Suarem et alios recentiores existimantes beneficio pœnitentiæ ita merita reviviscere, ut præter gratiam et gloriam dispositioni resurgentis respondentem, dentur insuper tot gradus gratiæ, totque restituendi sint post mortem gradus gloriæ, quot habebat vel habiturus esse pœnitens, si antiqua merita minime mortificata fuissent. Verum adversum eos nihil efficiunt nostra rationum et auctoritatum momenta, qui dicunt gradus gratiæ, subindeque gloriæ, juxta præsentem pœnitentis dispositionem restaurari : quia, inquit Joannes a S. Thoma, contritio qua aliquis lapsus convertitur, est dispositio ad duplicem gratiam, ad illam nimirum quæ de novo in vi præsentis intensionis confertur, et ad alteram tantam ex antiqua. V. g., qui ante lapsum centum meritorum gradus asciverat, si cum pœnitentia octo gradibus constante revertatur, sexdecim gratiæ gradus consequitur, octo quidem propter præsentis dispositionis efficaciam, et alia octo propter merita antiqua, ad quos per accidens, remotione nimirum impedimenti præsens contritio disponit. Multo minus urgent nostra argumenta in sententia Nunnii et Goneti, asserentium reviviscentiam meritorum in eo esse sitam, ut tot gradus gratiæ in esse gratiæ, et tot consequenter gradus gloriæ pœnitens assequatur, quot gradibus præsens contritio intensa est. Per gratiam autem « in esse gratiæ » intelligunt moralem ejus æstimationem, quia gratia deperdita in esse qualitatis recuperari non potest, donec voluntas in actum ferventiorem prorumpat ; et quia actum illum ferventiorem in hac vita nemo elicit, quia quamlibet sit fervens actus, sua semper illi gratia respondet, ac proinde carebit homo semper dispositione necessaria, qua se præparet ad augmentum gratiæ in esse physico meritis reviviscentibus, aut etiam remissis debitum, quousque in instanti separationis animæ, vel in primo glorificationis momento, ut cum quis Martyr vel perfecte purgatus occumbit, eliciatur actus intensior qui non erit meritorius, cum sit extra statum viæ, sed duntaxat dispositivus ad augmentum gratiæ physice producendum.

Verum utraque responsio et a D. Thoma, et a veritate remotissima est. Prior quidem, quia juxta D. Thomæ doctrinam a sacro concilio Tridentino consecratam, gratiæ habitualis infusæ quantitas uni pœnitentis dispositioni, dispositionisque intensioni respondet et adæquatur : ex quo infert S. Thomas, tunc solum ampliorem gratiam infundi, cum voluntas in actum ferventiorem prorumpet. Ergo actui intenso ut quatuor non respondent octo gradus gratiæ, quatuor ratione dispositionis præsentis, et alii quatuor intuitu gratiæ antiquæ ; quia non gratiæ antiquæ commensuratur gratia restituta, alioquin tota restitueretur, sed uni pœnitentis fervori : unde non habet majorem gratiam, neque subinde jus ad ampliorem gloriam, qui minorem elicit dilectionis et pœnitentiæ motum, cum distinctum præmium distinctum amoris fervorem exigat, nec possit esse intensior visio nisi intensius fuerit Dei videndi desiderium, quod utique defuit, si defuit amor ferventior, sed tantum remissior adfuit. Adde primo commentitium esse et nulla unquam auctoritate, nulla ratione probandum, contritionem resurgentis pœnitentis non solum ad gratiam habitualem quæ ordine naturæ sequitur, sed etiam ad gratiam præcedentem disponere, et non ad totam illius restitutionem præparare ; si enim dicatur ideo esse, quia per contritionem removetur impedimentum peccati, quo merita antiqua in acceptatione divina semper manentia suo carebant effectu ; cur, quæso, eo impedimento remoto non tota gratia restauratur ? Cum enim ex natura sua actus contritionis ut quatuor solam gratiam ut quatuor obtineat, si aliud quidpiam consequitur ; ideo tantum esse potest, quia merita sublato obice reviviscunt ; quidni ergo eo impedimento ablato, non tota reddit gratia omnibus meritis præcedentibus longe majoribus comparata ? Unde vel nihil de antiqua gratia eo depulso obice, vel tota redit, cum restitutio gratiæ unis præcedentibus meritis, non præsenti dispositioni debeatur. Adde secundo, ex ea sententia sequi justificationis gratiam lapsis pœnitentibus concessam non esse mere gratuitam, ex ea nimirum parte qua prior

gratia habitualis propter merita præcedentia redderetur ; et tamen gratia justificationis eo magis gratuita censenda est, quo magis indigno confertur. Qua de causa dixit S. Thomas 3. p. quæst. 88. art. 2. ad 3, quod, licet innocentia ex quantitate beneficii absolute sit majus pœnitentia donum : attamen si beneficium pensetur ex parte recipientis, qui minus est dignus, quodque proinde fit magis ex gratia, « hoc modo, » inquit, « beneficium remissionis culpæ est majus, inquantum præstatur totaliter indigno. »

Secunda vero responsio nihilo melior, vel S. Thomæ conformior, sed longe improbabilior apparet. Tum quia in illa distinctio gratiæ « in esse qualitatis, » et « in esse gratiæ, » omnino commentitia esset in doctrina Angelici doctoris inaudita ac peregrina. Tum quia gratia non habet esse gratiæ, nisi quatenus qualitas realis est, alioquin prævalebit, vel certe ægre hæreticorum error confutabitur gratiam in externo Dei favore, et in morali hominis justi dignitate constituentium. Tum quia si contritio sit dispositio moralis ad aliquos gradus gratiæ in esse gratiæ restituendos, cur non erit dispositio moralis ad totam gratiam in esse gratiæ recuperandam? Cur sublato peccati obice totum suum non sortitur antiqua gratia per lapsum mortificata effectum? Cum enim actus contritionis ut quatuor, gratiæ habitualis quatuor gradibus ex integro et ex æquo compensetur, et veluti numerata pecunia cumulate solvatur, non possunt præcedentis gratiæ gradus nec in esse physico, nec in essse gratiæ redire, nisi intuitu præcedentium meritorum, quæ non suo debent, ut tantopere adversarii dictitant, præmio fraudari : at præcedentia merita non minus aliquot graduum gratiæ in esse gratiæ, quam omnium restitutionem exigunt. Ergo vel nihil de gratia in esse gratiæ, vel tota instauratur. Denique quod comminiscuntur divinantes adversarii, in instanti separationis vel in primo beatitatis ingressu elici actum intentissimum præteritorum meritorum et remissorum etiam charitatis actuum gradus copulantem, figmentum est a D. Thoma ignoratum, nullibi revelatum, et a nobis dissert. 4. *de Caritate*, cap. 2. speculatione 3. valide, ni me mea fallat opinio, explosum ; quia secundum veridicam S. Thomæ doctrinam nitentissimis ejusdem testimoniis expressam, eoque loci commemoratam, gloria patriæ ejusque intensio uni caritatis viæ quantitati respondet. Et cum gloriæ, ejusque augmentum sub meritum cadant, uni caritati viæ, quæ sola libera, sola in statu merendi fuit, commensurari debet. Unde, sicut amori beato quamlibet intenso nullum meritum respondet, quia tempus merendi elapsum est ; ita nec per primam amoris illius, quantus quantus sit, productionem quidpiam anima separata meretur. Unde, ut ibidem diximus, longe plausibilior foret Nominalium positio commento illo a Recentioribus excogitato : non enim tam absurdum est, augmentum illud intuitu præcedentium meritorum fieri in statu viæ et meriti, quam si fiat in statu separationis ; cum illud voluntas in via promerita sit.

Nec valet effugium adversariorum aientium actui illi in primo beatitudinis limine elicito, non ut merito quidem, cum sit extra viam, sed ut physicæ dispositioni augmentum caritatis, subindeque gloriam respondere. Non valet, inquam, illud subterfugium, quod extremum est adversæ sententiæ vallum ; tum quia actum illum intensum gradus omnes remissos et merita quævis mortificata complectentem fingunt, non probant auctores quos impugnamus. Tum quia, si ideo volunt id adversarii (nec alia id causa velle possunt) ut actus remissi, meritaque mortificata suo non frustrentur præmio, fateri vel inviti coguntur, actum illum intensissimum omnibus meritis in hac vita retroactis respondere, ne merita illa fraudentur, utque reviviscere dicantur ; ac proinde jam merita non juxta pœnitentis dispositionem, ut ipsi contendunt, sed secundum totam suam latitudinem reviviscent. Tum quia caritas habitualis non augetur nisi per actum meritorium, alioquin fingam Beatos singulis æternitatis momentis novas meritorum divitias novis, vel continuatis æternæ dilectionis motibus accumulare. Ergo dato quod in ingressu paradisi intensior actus dilectionis eliciatur (quod aliquo sensu propter amabilissimi objecti voluntate rapientis præsentiam verum esse ibidem explicuimus) propter illum tamen actum gratia et caritas habitualis non crescet, quia si augmentum habitus actibus ut meritoriis non respondet, neque illis ut dispositionibus respondebit ; cum juxta catholicam Theologorum omnium sententiam, una ad augmentum habitualis gratiæ dispositio meritum est ab amore Dei profectum. Videsis alias ejusdem responsionis

confutationes, ubi de augmento caritatis disputavimus.

Sed dices : Meritorum reviviscentia debet cum proprietate salvari, ut tot argumentorum moliminibus in priori parte demonstravimus : sed nostra sententia reviviscentiam meritorum tanta accuratione stabilitam non salvat, sed ad nihilum redigit ; etenim si nihil antiquæ gratiæ, sive physice, sive in esse gratiæ consideratæ adjiciatur gratiæ illi quæ contritionis conatui respondet ; si nullum consequenter majoris gloriæ gradum antiquorum intuitu meritorum pœnitens obtineat, quid prodest illa reviviscentia, nisi ut gloria duplici titulo donetur? Quod est reviviscentiam evacuare, et in titulum sine re, vel rem de solo titulo, subindeque ad denominationem extrinsecam revocare. Quomodo in retributione gloriæ servabitur justitia distributiva, quæ exigit, ut habenti plura merita major quoque gloria, quæ propterea dicitur corona justitiæ, conferatur ? Quomodo impietas impio converso, contra verbum prophcticum non nocebit, si ille qui post assiduos vitæ longævæ labores in peccatum infirmitate lapsus, et in pœnitentia ut quatuor resurgens, majus præmium non consequatur eo quod homini, qui transacta in flagitiis vita per eamdem ut quatuor pœnitentiam in hora mortis ad Dominum revertitur, conferetur ? Quomodo revertentur anni antiqui, quos comedit locusta et bruchus, vel non obliviscetur operis boni Deus, vel non erunt sine causa tot labores exantlati ? Ergo secunda assertionis nostræ pars priorem convellit, et reviviscentiam meritorum una manu tam operose ædificatam, altera destruit et ab imis fundamentis subruit.

Respondeo posteriorem partem priori non officere, quia verum non est vero contrarium, sed illam duntaxat exponere et temperare. In primis illud diligenter observandum est, hoc argumento, si quid ei vis et roboris inest, peræque peti recentiorum Thomistarum nobis adversantium sententiam. Enimvero si gratia non nisi juxta præsentis dispositionis conatum restituatur, si post merita ut centum mortificata resurgenti per pœnitentiam ut quatuor, octo duntaxat gratiæ gradus vel in esse physico, vel in esse gratiæ infundantur, quomodo antiqua merita reviviscent? Quomodo ad pristinam vitam in hoc sitam, quod ad centum gradus gloriæ perducere nata erant, redibunt? Quomodo condignum antiquis meritis præmium essentiale ex justitia distributiva Deus restituet ? Quomodo exantlatorum operum et laborum Deus non obliviscetur, vel reparabuntur anni antiqui sine causa longo curriculo in sanctitate transacti ? Ergo illo suo temperamento non effugiunt adversarii difficultatem, nec salvant perfectam meritorum reviviscentiam, quam nobis opportune importune objiciunt. Unde, ut dixi, longe verosimilior est Nominalium sententia eo novo commento reviviscentiam meritorum partiente. Unde Præceptor olim meus R. P. Joannes Baptista Maderan, eruditione et subtilitate paucis secundus, et jam in Burdigalensi Academia Antecessor in non paucis celebris, merita mortificata ad totam gloriæ latitudinem prioribus meritis debitam independenter a præsentis dispositionis conatu, sed propter unam impedimenti remotionem pœnitentia partam, reviviscere me docuit, ratus id esse S. Thomæ conformius, tria duntaxat in corpore articuli quinti ad meritorum plenam reviviscentiam desideranti, quod nimirum habeant priorem vitam, seu perducendi ad vitam æternam efficacitatem ; quod maneant in acceptatione divina, et quod obex peccati, quod unum erat consecutionis gloriæ antiquæ impedimentum, auferatur ; asserebatque se ea potissimum causa in eam opinionem venire, quod moderniorum Thomistarum temperatura nec perfectam reviviscentiam, nec S. Thomæ rigorem salvaret. Sed patietur vir ingeniosissimus et juxta modestissimus, ut sicut ipse a Præceptoris quondam sui Joannis Francisci Dufaur a nobis alibi cum laude memorati, et a communis Magistri S. Thomæ, uti videtur, sententia, suam interim propriam privatamque opinionem libere tuiturus recesserat; ita nos ab ejus assertione, in oppositam sententiam vocante nos ratione et D. Thomæ auctoritate, transeamus. In unius enim D. Thomæ verba juravimus, nec apud nos opinio, quam olim docti sumus, præjudicata multum valet, nisi solida ratione, et D. Thomæ suffragio nitatur. Illos enim, inquit eximius theologus Melchior Canus in præemio libri duodecimi *de Locis*, probare non soleo, qui veluti sacramento rogati, vel etiam superstitione contricti, ut Fabius loquitur, nefas ducunt a suscepta semel persuasione discedere. Theologo nihil est necesse in cujusquam privati jurare leges : majus enim est opus atque præstantius ad quod ipse tendit, quam ut

cujuspiam theologi debeat vestigiis semper insistere, si quidem est futurus theologiæ laude perfectus.

Directe ergo respondendo dicendum, non inficiari nos reviviscentiam meritorum, sed eam tamen pœnitentis conatibus dimetiri. Neque enim eatenus merita reviviscere dicuntur, quatenus hominem per pœnitentiam reparatum ad tantam gloriam perducant; sed quia rursus pœnitens fit intuitu meritorum illorum dignus æterna vita, pro illisque, si perseveret, eo majorem vel minorem gloriam est recepturus, quo in majori vel minori caritate decedet. Ut autem tanta gratia, tantumque jus ad gloriam redeant, quanta fuere perdita, secundum D. Thomam et concilium Tridentinum, non satis est tolli peccati impedimentum, sed æqualem adesse dispositionem oportet. Unde Deus nec meritorum illorum, nec annorum antiquorum obliviscitur, quorum intuitu gratiam una et gloriam largitur : nec impietas impii pœnitenti nocet, cui tota culpa, totus æternæ pœnæ reatus condonatur; cui damnatio, et omnis gratiæ doni privatio debebatur. Unde Deus in nostra sententia perfectius justitiæ distributivæ leges servat, cum pro ratione conversionis et dispositionis gratiam pœnitentibus impertitur. Porro delicatissimo adversariorum fastidio, gloriam duplici titulo conferri non ferenti consulimus dissertatione de charitate superius relata, ubi luculentis S. Thomæ testimoniis evicimus, gloriam actibus remissis duplici titulo concedi; unde etiam intulimus, quam sit aliena a D. Thomæ mente ea sententia, quæ id contemnit quod S. Doctori fuit indubitatum. Et rationem ibi assignavimus, quia licet omnibus et singulis meritis debeatur præmium, non tamen distinctum vel majus, sed idem novo titulo confertur, quando distinctum præmium distinctam exigit in subjecto dispositionem : nam, teste D. Thoma ibi laudato, retributio gloriæ non est secundum numerum operationum, sed secundum diversos gradus charitatis; nec qui pluries meretur plus meretur, nisi ratio merendi sit major. Unde exemplum adductum de homine post centum gradus meriti lapso, et cum pœnitentia ut quatuor revertente, qui non majorem consequetur gloriam quam flagitiosissimus qui post scelestam vitam transactam in articulo mortis cum pœnitentia ut quatuor convertitur, non urgere ibidem monstravimus. Quia, sicut non est inconveniens Patremfamilias novissimos in vinea laborantes pares eis fecisse qui portaverant pondus diei et æstus, quia fervore et instantia laboris quod de tempore deerat suppleverant : ita non est mirum si flagitiosus ex omnium scelerum colluvie emersus eamdem obtineat gratiam et gloriam, si eodem ad illam conatu se disponat. Nam, ut bene dixit Hieronymus, « apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris. » Et Chrysostomus in libro *de Reparatione lapsi* : « Non temporis longitudine, sed affectus sinceritate pœnitudo censetur. » Quod ibidem exemplo boni Latronis illustrat : « Latro ille, » inquit, « qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis, ut ingressum paradisi mereretur : sed tantum ei spatii suffecit, donec unum posset proferre sermonem; ita ut intra unum momentum temporis totius vitæ sceleribus absolutus, præcedere ad Paradisum etiam Apostolos mereretur. »

Sed ne eadem cum lectorum cruce repetamus, videantur quæ loco recensito late prosequuti sumus. Quibus adde primo eamdem pati difficultatem oppositam recentiorum Thomistarum doctrinam : si enim pœnitens antiquorum meritorum intuitu illos solum gradus recuperet, qui longe minori dispositioni respondent, profecto cæteris meritis non dabitur nisi duplici titulo gloria essentialis. Adde secundo, suam etiam antiqua merita manere mercedem, majus nimirum præmium accidentale, ut ait D. Thomas, amplius scilicet de operibus in priore charitate factis gaudium non contemnendum. Adde tertio, quod illa a duplici titulo petita responsio si tibi displicet, dicito gloriam absolute, et quoad substantiam spectatam antiquis respondere meritis; gloriæ vero gradus inæquales præsentis contritionis dispositioni commensurari : igitur non fraudantur præmio vetera merita, quia pro illis datur vita beata ; beatitudinis vero differentia differenti dispositioni correspondet, sicut puero debetur gloria in se considerata, eidem vero adulto et in primo rationis diluculo Deum diligenti datur gloria pro modo et intensione dilectionis in quam prorumpit.

Instant adversarii : Gratia sacramentalis, seu ex vi Sacramenti collata, per peccatum mortale amissa, ita per pœnitentiam reparatur, ut præter gradum gratiæ et gloriæ essentialis præsenti dispositioni respondentem detur insuper aliquis gradus gratiæ propter sacramentum olim rite susceptum : si enim sacramentum ficte susceptum confert gra-

tiam sibi correspondentem, recedente fictione, a fortiori sacramentum rite susceptum gratiam sacramentalem per peccatum deperditam renovat. Ergo idem de gratia meritis olim comparata dicendum est, cum utraque sicut peccato mortificatur, ita peræque per pœnitentiam reviviscat.

Respondeo multipliciter posse hoc argumentum confutari. Primo quia easdem in adversarios, si quas habet, vires obtinet : nam, sicut gratia sacramentalis tota per pœnitentiam redit, ita redire debet tota gratia antiquis operibus comparata, cum utraque per peccatum æque mortificetur, æque per pœnitentiam reviviscat. Quam disparitatem afferent novi Thomisiæ, dabimus nos cum antiquis. Maxime vero urget hæc instantia adversus Nugnii et Goneti sententiam : nam gratia sacramentalis nedum in esse gratiæ, sed etiam in esse physico per pœnitentiam instauratur. Ergo similiter antiqua gratia mortificatis bonis operibus respondens, nedum in esse gratiæ, sed etiam in esse physico restituitur. Ergo manifeste quod in nos intorquent telum in ipsos efficacius retorquetur. Secundo antecedens valde incertum reputant theologi sapientissimi; etsi enim sacramenta ficte suscepta, ut communis opinio fert, gratiam suam recedente fictione conferant pœnitenti non bene tamen idem de sacramento rite suscepto, et gratiæ sacramentalis effectum jam sortito colligitur : quia sacramentum debet quidem producere aliquando suum effectum, sed postquam illum produxit, non debet eum reproducere, postquam effectus ille malitia peccatoris destructus est. At vero sacramentum ficte susceptum nunquam effectum habuit suum, quo carere non debet ; unde tum illum efficit, cum obex, et veluti fictionis retinaculum aufertur. Tertio admisso illo antecedente nulla est consequentia : et disparitas est aperta ; quia sacramenta novæ legis non solum ex opere operantis, id est juxta suscipientis dispositionem, sed etiam ex opere operato, id est propria sua virtute a passione Salvatoris derivata gratiam producunt, ut patet in pueris, quos baptismus sine ulla dispositione sanctificat, et in pœnitentibus contritione ab amore amicitiæ perfecto proficiscente cum voto sacramenti Pœnitentiæ justificatis, qui tamen actuali sacramenti susceptione ampliori gratia donantur ; unde, si gratia sacramentalis a sacramento pie suscepto collata et per peccatum mortificata reddit non solum operi operantis, sed suscepti sacramenti operi operato respondet. At vero alia quævis gratia, qua non est sacramentalis, uni operantis dispositioni, et dispositionis intensioni respondet, quam proinde nunquam excedit. Pœnitentia enim merita mortificata subsequens, non solum se habet ut removens prohibens ; sed etiam ut dispositio quantitatem gratiæ habitualis reparatæ dimetiens ; sicut calor non solum removet frigus a ligno introductioni ignis oppositum, sed lignum etiam ad formam ignis disponit ; et studium nedum falsarum opinationum præjudicia scientiæ vehementer adversa depellit, sed ad ipsam quoque scientiam, scientiæque majorem perfectionem eo amplius disponit, quo accuratius fuerit et profundius. Alias objectiones loco sæpe citato de caritate occupavimus.

REFLEXIO.

Vere universæ viæ Domini, sed in opere potissimum justificationis, misericordia et veritas, seu justitia. Resplendet quidem misericordia lapsuum oblita, lapsum excitans, admissa dimittens, sanctitatis gratiam toties indignata, toties provocata restituens, peccataque tanquam glaciem solvens. *Ite*, inquit, *proferte stolam primam*, primitivum scilicet innocentiæ amictum, deperditum gratiarum decus reparaturum. Non dixit : Unde venis ? Ubi sunt quæ tulisti ? Quare tantam gloriam in tantam turpitudinem commutasti ? Sed, *Proferte stolam primam*, et induite illum, ut ubi abundavit delictum, superabundet et gratia. Videtis, quia delicta non videt vis amoris, et tardam misericordiam nescit Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis. Iis ergo misericordiæ illiciis accensi, omnino propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Jesu, audientes quod non spernas pauperem, sed suscitas a terra inopem, de stercore peccatores erigis. Non horruit benignitas tua confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non publicanum a longe stantem, nec oculos ad cœlum levantem, sed percutientem pectus suum, et dicentem, Deus propitius esto mihi peccatori ; non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. Quis in odorem unguentorum illorum non

currat, quibus esurientes pane verbi et corporis sui reficit, sitientes potu sapientiæ et sanguinis sui refrigerat, errantes in domum Patris revocat, infirmos confirmat, tribulatione oppressis subvenit, compatiendo et consolando totius misericordiæ viscera effundit? Fateor, Domine, et fatebor, ut verbis melliflui Doctoris utar, multitudinem miserationum tuarum, quibus in peccata prolapsum, et in majora peccatorum pondera lapsurum, nisi omnipotens pietas tua declivem retinuisset, erigis ; nisi enim, quia Dominus adjuvit me, paulo minus cecidisset in omne peccatum anima mea. Quam benigna, quam libera, quam gratuita misericordia tua ! Ego peccabam, et tu dissimulabas ; ego non continebam a sceleribus, et tu abstinebas a verberibus ; prolongabam ego multo tempore noctu et interdiu iniquitatem, et tu, Domine, patientiam et longanimitatem. Quid plura? Visitasti cor meum, et flante spiritu tuo fecisti, ut amara fierent quæ male dulcia prius erant. Revertentem misericorditer suscepisti, quin et cum adhuc longe essem, vidisti me, Pater mi, et misericordia motus qui loco moveri non potes, accurens cecidisti super collum meum, non lapsu viscerum, sed compassionis, dedistique oscula, non quæ promerebat flagella. Nec a malo solum liberare contentus fuisset paternus amor, nisi antiquam restitueret gratiam, veterum virtutum apparatum. Et post reparatam gratiam spes obtinendæ gloriæ succedit, qua donas homini indigno de tua toties experta bonitate usque ad cœlestia speranda præsumere.

Sed non minor splendori justitiæ locus in justificatione pœnitentium datur, quæ gratiam perditam non nisi pro ratione doloris, pro fervore caritatis, pro conatu pœnitentiæ largitur ; nec per qualemcumque pœnitentiam etiam veram, sed per æqualem duntaxat præcedentibus meritis contentionem in pristinum conversos revocat gratiæ et gloriæ gradum. Ergo, si sapis, lector, ne arbitrere te comprehendisse ; nunquam dicito, Satis est ; sed semper esuri, sitique justitiam ; ita ut si semper viveres, semper pœnitere magis et justior esse contenderes. Quam bona vinea pœnitentis, imo quam bona vinea pœnitens, continua pœnitentiæ putatione fœcundior : cujus virtus, ut ait Bernardus, vitis ; cujus actio, palmes ; cujus lacrymæ, piæ sunt contribulatorum amantium uvæ, cujus lingua et confessio, torcular expressionis ; cujus denique vinum, testimonium conscientiæ, suavissimum. Igitur in tribunal mentis tuæ ascende contra te, reum te constitue ante te, noli te ponere post te, sed peccatum tuum contra te sit semper, ne Deus te ponat ante te, sicut scriptum est : *Statuam ante faciem tuam*, Psalm. XLIX. Id divina justitia exigit, ut tibi amarum sapiat in anima, quod ante dulce fuit in vita ; et quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciet in corde ; eaque sit pœnitentia, quæ respondeat gravitati ac multitudini criminum. Præclare et opportune Augustinus *in Psalm.* LXXXIV : « Justitia de cœlo prospexit, tanquam Dei dicentis : Parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit ; ignoscamus, quia ipse agnoscit : conversus est ad puniendum peccatum suum, convertar et ego ad liberandum eum. »

Fugiamus ergo de medio Babylonis, salvemus animas nostras, illatarum Deo injuriarum pœnas exsolvamus, præteritas ruinas sarciamus, atque ad pœnitentiæ tribunal convolemus, ubi possimus et præteritis satisfacere damnis, et in præsenti obtinere gratiam, et futuram gloriam fiducialiter præstolari. Non nos retardet conscientia delictorum ; quia, ubi peccata abundaverunt, superabundare consuevit et gratia : et, teste Magno Gregorio, « fit plerumque gratior Deo amore ardens vita post culpam, quam in securitate torpens innocentia. » Nec etiam nos deterreat austeritas pœnitentiæ, quia qui perfecte senserit onus peccati aut parum, aut ex toto non sentiet onera pœnitentiæ : nec grave reputabit, quo peccata noverit deleri præterita, et caveri futura. Non poterit ille pœnitentiæ sanctos detrectare labores, qui attenderit non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis, et præteritam culpam quæ remittitur nobis, et ad præsentis consolationis et pacis quæ exsuperat omnem sensum, gratiam, quæ infunditur nobis. Si verbis non credimus, credamus exemplis. Cernamus tot juvenes, tot adolescentes natura pariter et consuetudine delicatos, puellas tenerrimas ad pœnitentiam ingenti nostro probro currentes. Quid, sodes, respondebunt effrænati, delitiis diffluentes, et in omnem voluptatem effusi, qui ut a jejuniis et abstinentiis ab Ecclesia divinitus inspirata indictis, et peccatis eorum immensum inferioribus immunes sint, quæ-

runt excusationes excusantes in peccatis : quid, inquam, respondebunt non dico ad veterum Patrum vitæ asperitatem, apud quos, referente Hieronymo, languentes Monachi aqua frigida utebantur, et coctum aliquid accepisse luxuria erat; sed ad omnium oculis se ingerentem aspectabilem Carthusiensium, Cisterciensium Abbatiæ *de la Trappe*, quam non tam hominum conventum, quam Angelorum cœtum merito dixeris : Sanctimonialium sanctæ Theresiæ, et aliorum innumerorum, quibus velut respirare, ita jejunare proprium est, quique solo Dei timore confixi in tanta afflictione perseverant pœnitentiæ, virtutem humanam supra naturam, et contra consuetudinem? An nos peccatis referti nullo pretio ememus regnum cœlorum, quod illis tam carum est? Euge ergo, fervore pœnitentiæ totum quod perdidimus restauremus, rati nihil esse credentibus impossibile, nihil amantibus difficile, nihil durum cogitantibus flammas æternas, quibus insuper et gratia fit in auxilium, et fervens devotio lenit rigorem.

SPECULATIO III.

Sacerdos ne potestate sibi cœlitus commissa abutatur, peccatoribus in mortalia continuo relabentibus, atque criminosæ vitæ seriem post iteratas confessiones minime emendantibus, donec dignis pœnitentiæ fructibus suæ conversionis sinceritatem probaverint, absolutionis beneficium impertiri non debet.

Etsi superius, cum de dotibus Rectoris animarum agebamus, de differendæ absolutionis salutari ac necessaria disciplina quædam attigerimus, operæ pretium tamen visum est de re adeo momentosa diligentius fusiusque speciali titulo disserere. Neque enim hic agitur de infructuosa quadam doctrina, quam sive ignoraverimus, sive curiosius penetraverimus, nihilo propterea meliores erimus, aut ad salutem capessendam expeditiores; sed de modo et ratione dispensandi sanguinis Christi, quem cum in aliis sacramentis, tum maxime in sacro Pœnitentiæ lavacro ad abluenda crimina ineffabili Dei benignitate instituto, contentum ac nobis creditum, si præpropera ac promiscua absolutionis concessione non modo inutiliter, sed etiam perniciose profuderimus, non dijudicantes ejus inæstimabile pretium, illum in horrendo suo judicio de manu nostra requiret Deus, cujus severitas in ulciscenda unigeniti sui morte, et sacratissimi sanguinis conculcatione, tanto terribilior expectanda est, quanto in concedendo infinito illo dono mirabilior ac profusior misericordia eluxit. Age igitur, hanc salubrem ac necessariam dispensandæ absolutionis regulam, cujus ductu ab hac prodiga et indigna sanguinis Christi profusione immunes esse possimus, omni argumentorum genere pro viribus confirmemus.

Atque ut ab auctoritate Patrum probationem aggrediar, absolutionem his quos in titulo descripsimus, differendam esse, satis colligitur ex disciplina, quam in administranda peccatoribus reconciliatione et ipsi tenuerunt, et scriptis suis commendarunt, « si, » ut Tertulliani *Apolog.* cap. 10. verbis utar, « non præsumptio aut iniquitas judicet, altera quæ desperat, altera quæ recusat veritatem. » Neque enim ad salubriter impertiendam pœnitentibus reconciliationem, peccatorum confessionem sufficere existimarunt, nisi internus animi dolor sacerdoti congruis innotesceret indiciis. Atque ob id laboriosæ pœnitentiæ fructus præexigere in usu sæpe habuerunt, non quod satisfactionem absolutio præsupponere necessario debeat, cum ad eam valide impendendam satis sit satisfaciendi votum in vero conversionis proposito inclusum, ut ex usu Ecclesiæ ac Doctorum consensu constare superius dictum est; sed ut pœnitentium animos, et emendandæ vitæ sinceram voluntatem magis probarent, quæ factis longe certius se prodit quam verbis; atque hoc pacto cœleste beneficium sibi concreditum non frustra et promiscue prodigentes, sed ante probatis, ac pœnitentiæ dignis operibus, ut amara quadam medicina, pro temporum illorum severitate purgatis paratisque peccatoribus tutius atque utilius impertientes sanguinis Christi inæstimabile pretium, in animarum lucra, et utilitatem Domini sui, tanquam prudentes ac fideles servi digne impenderent. Hujus disciplinæ tam multa, tamque frequentia testimonia sunt, ut minime necessarium sit ea hic operosius attexere. Atqui peccatores, quos in titulo descripsimus, ejusmodi sunt, ut nulla congrua indicia sinceræ conversionis exhibeant, quin potius indurati cordis, et in anteactæ vitæ turpitudinem continuo relapsuri notas omnes præ se ferant. Ergo nisi veli-

mus antiquorum Patrum disciplinam funditus evertere, et sanguinem Christi Domini, quem illi tam caute dispensandum nobis commendarunt, sacrilega temeritate prodigere, tantisper differenda reconciliatio est indignis illis, imparatisque conscientiis, donec suaviter simul et fortiter adhortante Patre spirituali verba tam sæpe fallacia dignis aliquibus pœnitentiæ fructibus probantes, illius salubriter accipiendæ capaces evaserint.

Probatur præterea secundo ratione : Sacerdotes jure clavium sibi divinitus tradito possunt peccatoribus in eadem flagitia continuo relabentibus absolutionem ad tempus denegare, et in aliud differre ; illam etiam absolutionis moram adhibere expedit saluti animarum. Ergo absolutio non est impertienda peccatoribus in eadem semper flagitia relabentibus, sive relapsus ex proxima peccandi occasione retenta ; sive ex prava diuturnaque peccandi consuetudine proficiscatur. Consequentia patet. Cum enim sacerdotes sint mysteriorum Christi dispensatores, non domini, clarum est eos tradita sibi divinitus potestate prout animarum saluti expedit uti oportere : unde, si differendæ absolutionis potestatem habent, eaque tarditas et dilatio saluti animarum utilis sit, procul dubio absolutionem toties quoties impertiri hominibus eadem peccatorum catena semper irretitis, et in eadem crimina et quandoque graviora et numerosiora præ summa morum emendandorum incuria relabentibus, est concredita sibi potestate abuti, et a fidelitate in Ministris sanguinis Christi ab Apostolo tantopere desiderata descisсere.

Prima autem pars antecedentis, nimirum Sacerdotes posse jure sibi a Deo tradito peccatoribus iterata flagitia perpetrantibus absolutionem inficiari, patet ex verbis Salvatoris, qui non solum remittendorum, sed etiam retinendorum peccatorum, non solum solvendi, sed et ligandi sacerdotibus contulit potestatem : ergo manifestum est judiciaria potestate sibi Christi ore commissa posse sacerdotes vinculis ligare criminosos, antequam eos reconciliando exsolvant. « Dominus, » inquit Ambrosius lib. 1. *de Pœnit.* cap. 2, « ligandi, solvendique potestatem pari conditione permisit, ita ut alterum sine altero usurpari non debeat, et Ecclesia in utroque servet obedientiam, dum peccatum et alligat et relaxat. » Et S. Pacianus epist. 3 : « Sive ad pœnitentiam cogimus » (ante absolutionem agendam et veniæ præviam) « seu veniam pœnitentibus relaxamus, Christo id auctore tractamus. » Hinc Patres cum criminum per confessionem editorum absolutionem protrahebant, ut peccatores a gratia lapsi, et æternæ damnationis rei, pœnitentiæ Deum propitiaturi incumberent ante quam Ecclesiæ ministerio reconciliarentur, hanc præcipue sui regiminis causam afferebant, quod existimarent potestatem sibi a Christo commissam non esse cæcum in pravas hominum cupiditates obsequium, sed retinendi peræque ac remittendi peccata facultatem, ut patebit ex dicendis. Hinc Tridentinum sess. 14. cap. 8 : « Habeant, » inquit, « præ oculis sacerdotes, ut satisfactio quam imponunt non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem. Nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Pâtres credunt et docent. » Hanc retinendorum dilatione absolutionis peccatorum potestatem agnoscunt omnes fere theologi morales, seu casuistæ, inter quos constat jus esse sacerdoti ut pœnitentem ubi illud expedire judicaverit, jubeat impositam satisfactionem implere priusquam absolvatur, ut videre est apud Suarem *de Pœnit.* disput. 38. sect. 7. num. 7, Bonacinam disp. 3. sect. 3. p. 2, Reginaldum et alios.

Secunda vero antecedentis supra positi pars : illam absolutionis protractæ procrastinationem animarum expedire saluti, imo esse pernecessariam asserens, facile monstratur ; tum quia expedit ut peccatores ejusmodi congruenti pœnitentia pluribus diebus acta Deo satisfaciant, atque a divina misericordia veræ solidæque conversionis gratiam impetrent. « Ut ligandi solvendique potestas rite exerceatur, » inquit Magnus Gregorius homil. 26. *in Evangel.*, « videndum est quæ culpa præcesserit, aut quæ sit pœnitentia sequuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio Præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur Judicis. Quod bene quatriduani mortui resurrectio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia mortuum Dominus prius vocavit et vivificavit dicens, *Lazare, veni foras ;* et postmodum

is qui vivens egressus fuerat, a discipulis est solutus, sicut scriptum est : *Cumque egressus esset qui ligatus fuerat institis, tunc dixit discipulis, solvite eum et sinite abire.* Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quod illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. » Quæ verba et concilium Aquisgranense cap. 37. et S. Eligius Noviodunensis episcopus hom. 11, tanquam excellentissima referunt. Igitur expedit prorsus, ut qui a sacerdotibus veniam qua toties abusi sunt, sperant, veræ ante solidæque pœnitentiæ fructibus misericordiam Dei emereri, justitiam flectere, iram mitigare, indignationem placare studeant, et se tandem solide ac vere pœnitentes comprobent : « Quia pœnitentibus, rogantibus, operantibus, quique operam dant ut alto vulneri » (verba sunt Cypriani tract. *de Lapsis*) « diligens et longa medicina non desit, utque pœnitentia crimine minor non sit, nec sint minora remedia quam vulnera ac funera, absolutio secure impenditur. » Hinc clerus Romanus epist. 31. *ad Cyprianum*, eos presbyteros objurgans qui falsa benignitatis specie peccatoribus facile reconciliationem impertiebant : « Ubi enim, » inquit, « indulgentiæ poterit medicina proficere, si etiam ipse medicus intercepta pœnitentia indulget periculis? Si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed si verum dicere volumus, occidere. » Itaque prius expurgare vetus fermentum repetitæ ac inveteratæ malitiæ peccatores debent, quam ut beneficio absolutionis fiat nova conspersio; vulnerumque curationem supra id quod vulgo existimatur operosam, a Deo lacrymis et laboriosa exercitatione prius impetrare, quam a Sacerdotibus reconcilientur. « Multum illis proficiet, » inquit idem Clerus Romanus Apostolico primæ Sedis spiritu plenissimus « modesta petitio, postulatio verecunda, humilitas necessaria, pœnitentia non otiosa » (id est expectans absolutionis dilationem pœnitentiæ laboribus interim incumbens). « Mittant legatos pro suis doloribus lacrymas : advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis, et pudorem. Imo si dedecoris admissi magnitudinem, si pectoris et conscientiæ suæ lethalem plagam, et sinuosi vulneris altos recessus vere medica manu tractant, erubescant et petere, nisi quia majoris est rursum et periculi et pudoris auxilium pacis non petiisse. » Ex quibus ultimis verbis patet, quam sit insolens, quam impudorata eorum peccatorum audacia, qui absolutionem post iterata flagitia a Sacerdote extorquere nituntur, sibique injuriam fieri dictitant si e cœno emergentibus non confestim reconciliatio impertiatur, vel alium faciliorem Sacerdotem se adituros minantur, nisi quod inverecunde petunt, sine mora tribuatur. Quasi vero medicus ægroto, judex reo, pastor ovi subjiciendi sint, et rei in sacris tribunalibus, dejectis Sacerdotibus, collocandi. Patet, inquam, hujusmodi reos nec dedecoris sui magnitudinem, nec conscientiæ lethalem plagam, nec altos sinuosi vulneris recessus medica manu tractare, cum juxta Clerum illum sanctissimum tanto deberent esse pudore perfusi, ut præ verecundia veniam, qua se indignos reri tenentur, petere erubescendum esset, nisi majoris esset periculi auxilium pacis non petiisse. Nullum absolutionis magis indignum Sancti existimant, nullum a cordis contriti et humiliati necessaria dispositione remotiorem, quam qui præproperam absolutionem quasi sibi debitam, nulla peracta pœnitentia, nulla factis probata cordis mutatione audacter flagitat, nec se Sacerdotis arbitrio permittit. Nam, ut ait S. Prosper in *Sent.*, « quid tam dignum misericordia quam miser? Et quid tam indignum misericordia quam superbus miser ? » Præterea prorsus expedit ut pœnitentis conversio solida, stabilis et constans sit, talisque spiritali judici appareat. At non pœnitentia, sed pœnitentiæ larva et merum ludibrium censenda est illa conversio, quæ perpetua confessionum et criminum sibi alternatim succedentium vicissitudine involvitur. Irrisor namque et non pœnitens habendus est, qui commissa plangit, et plangenda iterum committit; qui in Discipulorum gregem cooptari se ait, eum mox deserturus ; quive statim post pœnitentiam agit quæ postea indigent pœnitentia. « Si cito rediret homo ad pristinam beatitudinem, » inquit Augustinus serm. 34. *de Diversis*, « ludus illi esset peccando cadere in mortem. »

Tertio expedit ut peccator ille vim acer-

bitatemque morbi sui sentiat, ut in illum denuo incidere reformidet, ut ejus metu atque horrore perculsus, violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi, ut aliqua mora debitum flagitiis suis æternum supplicium sibi repræsentet, ut aliquo spatio miserabilis status sui horrores pendat et fœtores, ut in ea seipsum salutari cogitatione et sancto proposito confirmet, quidvis prius dimittendum, priusque patiendum, quam ut in tantam peccati calamitatem se rursus præcipitem ferri sinat, ut in pia christianaque vita instituenda altiores radices agat et firmiores, ut solitudine et secessu plagas ex hominum consuetudine auraque pestifera susceptas curet, ut eleemosynis, precibus, et laboriosæ pœnitentiæ functionibus inertiam præteritorum vitiorum matrem et fomentum excutiat, ut abstinentia a licitis, multo magis ab illicitis abstinere discat, extinguatque nefandarum voluptatum sensum salubri acerbitate compunctionis; denique «ut usus doloris », inquit Ambrosius lib. 2. *de Pœnit.* cap. 10, « ableget luxuriam criminis, erroris delicias, dolendo admissa excludantur admittenda, et fiat quædam de condemnatione culpæ disciplina innocentiæ. » Atqui hos omnes tam necessarios pœnitentiæ fructus præfocat et ad nihilum redigit inconsulta peccatorum absolvendorum facilitas et lenitas omni inhumanitate crudelior, quæ dum reconciliationem prodigit, ex hominum animis memoriam peccatorum obliterat, lacrymas exsiccat, gemitus comprimit, et mortiferis ægritudinibus laborantes fallaci opinionis sanctitate illudit. Quid, inquam, illudit? Eos prava restitutæ innocentiæ, et quoties voluerint restituendæ confidentia deteriores efficit, et in turpiora flagitia procliviores. « Cito enim refricatur vulnus (inquit apposite Ambrosius serm. 4. *in Psal.* CXVIII) quod sanatum medicinæ lege non fuerit, imo etiam seriorem medicinæ sentit profectum. Ideoque si virus in interiora proserpit; medicamenta foris apposita non sentit. Exigit ergo medicinæ ratio, ut aut sectione, aut adustione curetur. Nisi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, frustra medicinæ manus adhibentur ad vulnera. Ideoque bonus medicus hujusmodi ægrum legitime dicit esse curandum, ut possit medicina proficere. Lege ergo miseretur, qui cum justitia sapientiaque miseretur, ut ea dimittat quæ scit jure posse dimitti, nec cum alterius miseretur, seipsum legi faciat obnoxium... Consideremus etiam, ne ipsum deteriorem faciamus, cujus miseremur injuste. Plerumque enim non coercere delinquentes majoris austeritatis est quam si ulciscaris. Traduntur enim in passiones ignominiæ, qui cum aliquid inhonestum commiserint, nullum culpæ pretium ferunt. » Ergo omnino expedit ut adhibitis moris et cautionibus peccator ille reconciliationi idoneus fiat.

Quarto expedit, planeque necessarium est, ut sacerdos illis solum absolutionem impendat, quos rationabiliter credit esse conversos, nec in pristina flagitia relapsuros. Cum enim sacerdos non sit nudus et simplex minister ad declaranda peccata remissa institutus, sed judex positus, ut causa cognita liget et solvat, remittat aut retineat, illos solum debet absolvere, quos ex notitia in confessione accepta judicat sincero emendationis futuræ desiderio teneri. Atqui talem sinceri cordis affectum in casu posito dignoscere et explorare non potest sacerdos, nisi factis et pœnitentiæ solidis fructibus, verisque vitæ emendatæ argumentis : non enim abdita cordis scrutari potest, quæ sibi Deus reservavit; nec solis verbis aut sponsionibus peccatoris potest tuto fidere, cum tam sæpe peccator emendationem promiserit et semper promissa violarit. Ille namque in moralibus atque in omnibus vitæ humanæ officiis non sincere velle censetur, qui sciens et prudens, quod potest et tenetur facere non facit; ubi enim nec scientia, nec potestas, nec obligatio desunt, ibi sola profecto voluntas deest. Si, v. g., a divite peterem, ut mutuo daret centum nummos, quos mihi se daturum singulis septimanis promitteret, post annum promissis non stanti veraciter dicerem, nunquam mihi dives ille centum nummos mutuari sincere voluit, cum enim nec necessitas mea latuerit, nec ipsi defuerit largiendi facultas, sola dubio procul defuit voluntas; similiter qui eadem in singulis confessionibus peccata, et sæpe cum actuario recinit, emendationem nunquam non promittens, nunquam non fallens, certe nunquam peccata vitare voluisse judicandus est; cum enim illi nec potestas defuerit, nec officii scientia, sola defuit voluntas : quomodo igitur decepturum, fidemque fracturum non merito suspicabor qui semper hactenus decepit, semper fidem sponsionesque perfregit? Inconsulte ergo et imprudenter absolutionem illi impertiam, cujus mi-

hi conversio falsa, promissio fallax, sponsio delusoria factorum testimonio longe certissimo constat. Sane in luto semper hærebit, in eadem semper scelera recurret, si una peccatorum confessione contentus illi nulla pœnitentia purgato, nulla mora ac dilatione perculso reconciliationem impendam, atque eum ad altaria convolare sinam. Quam veridice Magnus Gregorius lib. 6. *cap.* xv. *lib.* I. *Reg.* : « Quid prodest confiteri flagitia si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ? Tria quippe in unoquoque considerandа sunt veraciter pœnitente : videlicet conversio mentis, confessio oris, et vindicta peccati.... Signum ergo veræ conversionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque vere conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur quod loquendo confitetur. Unde Joannes Baptista male conversos Judæos ad se confluentes increpans ait : *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira. Facite ergo dignos fructus pœnitentiæ.* In fructu ergo, non in foliis aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba quid sunt aliud nisi folia? Non ergo nobis folia propter ipsa, sed propter fructum expetenda sunt : quia idcirco omnis confessio peccatorum recipitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Unde et Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit, quia confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis. » Ergo non soli peccatorum ejusmodi confessioni, sed eorum operibus veram conversionem pronuntiantibus credendum est. Ergo utrum peccator ille qui in peccata relabitur, jure absolvendus sit, non ex confessionis et promissionum foliis aut ramis, sed ex pœnitentiæ fructibus statuendum est. Ergo ne judiciaria criminum absolvendorum Sacerdotibus ore Christi collata potestas in servilem transeat necessitatem, peccatoribus hujusmodi illud Præcursoris antequam absolvantur intorquendum est : *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, ut cognita perspectaque causa, cordis habitus non ex verbis, quæ tam sæpe mentita sunt, sed ex factis verba confirmantibus spectetur.

Confirmatur hæc ratio : Verum quidem est homines etiam scelestissimos posse momento temporis ab improbitate ad pietatem victricis gratiæ, quæ tempore non eget, omnipotentia traduci; et ad restituendam innocentiam efficaciorem esse quandoque velocem clementiam, uti Bernardus epist. 8. prosequitur, quam diuturnam pœnitentiam. Nam et « hoc salutis compendium sanctus ille Latro consecutus est, uno eodemque die simul confessus latrocinia, et introductus in gloriam : brevi quodam contentus ponte crucis ad transeundum de regione dissimilitudinis in terram viventium, et de luto fœcis in paradisum voluptatis. Hoc etiam subitum pietatis remedium percepit felix illa peccatrix, cum repente ubi superabundaverant delicta, abundare cœpit et gratia.... Hoc quoque » (repentinæ gratiæ beneficio præventus) « paralyticus duplex atque celerrimum potentissimæ bonitatis persensit beneficium, prius mente quam carne curatus. » Hæc, inquam, vera sunt, sed rara, sed insolita, et, ut loquitur idem Bernardus, « non tam exempla, quam miracula, » mutationes dexteræ Excelsi, quæ etsi in diebus his malis abbreviata non sit, atque vim suam his prodigiis, nonnunquam nobis commendet, maxime in Sacramentis sancte susceptis et administratis ; attamen secundum communem cursum ita cœlestem conversionis novi hominis diem pedetentim adducit, ut quasi crepusculum quoddam præmittere soleat rore lacrymarum madidum ac paulatim effulgens quibusdam operibus lucis, fastidio anteactæ vitæ, desiderio melioris, gemitibus, suspiriis, et seria ad promerendam reconciliationis gratiam cordis præparatione, cujus ne vestigium quidem suspicari prudenter possumus in induratis et inveteratis illis relapsis, donec per aliquod tempus salutaribus pœnitentiæ exercitationibus probati, conversionis suæ ac veracis efficacisque propositi fidem fecerint. Non enim ita facile, crede mihi lector, formatur in corde vera contritio, sincera conversio, casta dilectio, atque ore quibusdam actuum formulis, laudabilibus illis quidem, atque ad excitandam pietatem perutilibus profertur, quasi illis mentis mutatio alligetur. Falleris, si credas verba prolata continuo animi metamorphosin sequi, eodemque momento vincula peccatorum frequentatis actibus obfirmata dirumpi, cor lapideum in carneum commutari, obtinerique conversionem, quæ non nisi petendo, quærendo, pulsando impetratur. Nam, ut ait Augustinus epist. 144. et lib. 12. *Confess.* cap. 1, « cum nos hujus caritatis, qua lex verissime impletur, pauperes egentesque sentimus, non de inopia

nostra divitias ejus exigere, sed orando petere, quærere, pulsare debemus. Longior porro est impetratione petitio, et operosior est manus pulsans quam sumens. » Confessarius ergo, cui non est datum scrutari renes et corda, peccatoribus in eadem semper flagitia recidentibus et perpetuo fallentibus non debet cito credere, quantumvis ore asserant se vitam commutaturos, et jam cordis resolvisse glaciem ob quasdam vocum piarum formulas a se prolatas, et gratia conversionis se affici, quam nec ardenter petiverunt, nec studiose quæsierunt, nec instantibus pulsationibus, lacrymis, et satisfactionibus postulaverunt. Maxime quia, licet peccator ille momento esse possit per summum miraculum conversus, attamen ut id exploret, cordibus non illabitur judex spiritalis. Est igitur et officii et prudentiæ ejus per aliquod tempus differre absolutionem, ut veris pœnitentiæ fructibus conversionis sinceritatem exploret, ne præcipiti venia et fallat et fallatur. Nec reluctabitur si vere conversus sit, cum genuinus sinceræ conversionis character sit cor humiliatum se venia indignum arbitrans, et sacerdotum judicio sine repugnantia vel exceptione ulla se permittens. Ergo ne concessa imparato pœnitenti præpropera reconciliatione vincula Confessarius implicet, quæ relaxare vult ; ne abortiones filiorum spiritualium procuret, et exorientis vitæ scintillas obruat, usitatum gratiæ cursum teneat, paulatim sensimque procedat, quem prudenter reconciliationi immaturum judicat, impositis peccandi induciis per pœnitentis vitæ aliquos labores ac dolores ad parturiendam novam in Christo creaturam disponat, et sanctissimi Ambrosii *in Psalm.* XXXVII. et lib. 3. epist. 19. monitis morigeretur : « Medicus medendi tempus expectat, ut digestis ægritudinibus medicinæ subsidia deferantur, ne acerba adhuc et immatura, ut asserunt, ægritudo curationis remediis reluctetur, et beneficium sentire non possit. Nam etiam medendi periti, cum vident notas ægritudines, ut ipsi appellant, medicinam quidem non adhibent, sed tamen medicinæ tempus expectant : nec deserunt invalidum, sed lenioribus verbis, aut quibus possunt, palpant delinimentis ; ne aut intermissa ægritudo desperatione animi gravescat, aut crudior medicinam respuat, eo quod ad maturitatem pervenire nequeat, si indigestæ insolens rerum hujusmodi Medicus adhibeat manus. »

Denique quantum id expediat, experientia rerum magistra compertum est. Plures enim cernere est peccatores, quos absolutionis habendæ confidentia in peccati cœno fixos detinuerat, hac una cunctationis et dilatæ absolutionis medicina fuisse sanatos. Qui licet initio odiosam sibi procrastinationem illam, et diuturnæ pœnitentiæ molestias, quibus absolutionis beneficium illis redimendum esset, ægre ferrent, videntes tamen se hoc uno remedio convaluisse, et medicinam amant, et medico gratias agunt. Non secus ac infirmi in medicum potiones amaras vel putridæ carnis sectiones imperantem indignantur, in cujus deinde oscula, et amplexus adepta sanitate ruunt. « Certi sumus, » inquit egregie Clerus Romanus epist. 30. *ad Cyprianum*, « quod spatio productioris temporis impetu isto consenescente, amabunt hoc ipsum, ad fidelem se dilatos esse medicinam ; si tamen desint qui illos arment ad periculum proprium, et in perversum instruentes, pro salutaribus dilationis remediis exitiosa deposcant illis properatæ communicationis venena. » Eadem quoque experientia perspectum exploratumque est, innumeros absolutionum facilitate et prodigalitate ad prolapsionis contagium provocari. « Facilitas enim veniæ, » ut præclare inquit Ambrosius *in Psal.* CXVIII. serm. 1, « incentivum tribuit delinquendi. Hoc ideo dictum est, ut sciamus secundum verbum Dei, secundum rationem dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse, si serpentis interius inveniat vulneris cicatricem, cum debeat resecare ulceris vitium, ne latius serpat ; tamen a secandi urendique proposito lacrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit : nonne ista inutilis misericordia est, si propter brevem incisionis vel exustionis dolorem corpus omne tabescat, vitæ usus intereat ? Recte ergo et sacerdos vulnus grave ne latius serpat, a toto corpore Ecclesiæ quasi bonus medicus debet abscindere, et prodere ulcus criminis quod latet, non fovere : ne dum unum excludendum non putat plures faciat dignos quos excludat ab Ecclesia. »

Salvianus considerans olim hominum in humanis et sæcularibus curandis diligentiam, in iis quæ Dei sunt peragendis incuriam : « Solus Deus, » inquiebat, « in comparatione aliorum nobis vilis est. » Ad eumdum modum de præproperis absolutionibus,

id est sanguinis Christi dispensationibus dicere licet, in comparatione aliorum negotiorum, sola Sacramentorum administratio nobis vilis est. Cum enim divina remittendorum peccatorum potestas in necessariam conversa sit absolvendorum etiam inveteratorum peccatorum servitutem, qui nec mores emendarunt, nec ulla præ se ferunt pœnitentiæ signa, nisi centies et semper violata promissa, nullum est vel levissimum humanæ vitæ negotium, in quo major prudentia majorque cautela non adhibeatur. In rebus cæteris non verba duntaxat quærimus, sed facta et effectus optamus : in mercibus, in jumentis, in bobus probandis et diligentiam adhibemus, et dum dubium suboritur, temporis diuturnitatem postulamus, nec temporis moram inutilem arbitramur, et omnibus, et semper, et ubique absolutionem post sexcenta violata promissa, nulla adhibita in dispensandis Christi mysteriis cautione impertiemur? Et, si Superis placet, crudelitatis insimulabimur, si iis absolutionem differamus, qui iteratis lapsibus firmum sibi vitæ in melius commutandæ propositum non adesse fidem faciunt? Quid superest si post innumera vitia his temporibus falsis coloribus oblita, illa etiam quæ inanium probabilitatum pigmentis velari palliarique non potuerunt, absolvendi facilitate sicut aqua bibantur? Qua tandem via scelerum frequentiæ, qua orbis laborat, medebimur, si unicum quod reliquum est procrastinandæ absolutionis remedium eripiatur? Ergo omnis Ecclesiastica disciplina labefactetur, omnis Christianorum salus nefarie prodatur, omnis conversionis spes extinguatur, omnibus vitiis aditus et impunitas aperiatur necesse est, si peccatoribus in eadem flagitia relabentibus absolutio toties quoties concedenda sit, etiamsi emendationis futuræ spes nulla probabilis, id est factorum testimonio probata appareat. Ergo in hoc casu non languidis voluntatis desideriis et commotiunculis sterilibus et vanis, quas nihil bonæ frugis allaturas tot præcedentibus experientiis convincitur, contentus debet esse Sacerdos, sed exigere facturum pignora, quibus nixus prudenter existimare possit, fractam toties fidem ac conversionis sponsionem tandem aliquando effectum sortituram. Imitentur viri Apostolici Jacobum Apostolum, et sicut iste fidem operibus vacuam, inanem et mortuam pronuntiavit; ita illi irrita et infrugifera, ac toties fallentia desideria pœnitentiam vanam, fallacem, emortuam meritissime judicent. Qualis enim sit voluntas exitus docet, consiliorumque sinceritas non verborum sonis, non lacrymis doctis mentiri, non pollicitationum nunquam exequutioni mandatarum præstigiis ab amore sui profectis, sed veris factis exploratur. Igitur relapsi peccatores antea quam absolvantur, prius debent mentem verbi divini pabulo et cœlestium rerum meditatione pascere, animæ maculas lacrymis ac voluntariis pœnis eluere, ablata restituere, cum inimicis in gratiam redire, a vitiorum consuetudine et visco se expedire, et in pœnitentiæ exercitationibus tamdiu hærere, quoad necesse fuerit, ad impuras vitiorum imagines divinarum rerum meditatione abstergendas, ad curanda gemitibus mentis vulnera, ad inveterata odia ex animo evellenda, ad opprimendos lascivientes carnis motus morum depravatione fortiores, ad exitiales denique, quibus in peccati servitute detinentur, laqueos dissolvendos.

Confirmatur ex sacris Conciliis, quæ licet concessam agnoscant Ecclesiæ potestatem lapsis remittendi peccata quotiescumque ad ipsam cum vero pœnitentiæ sensu confugerint, in ejusmodi tamen potestatis usu prudentiam, cautionemque maximam adhibendam esse censuerunt, ne indulgentia promiscua et indignis concessa non modo culpas non abstergeret, sed et peccandi audaciam ingereret ac consuetudinem nutriret. Hinc concilium Toletanum III. sub Pelagio II. can. 11. coercendam eorum præsumptionem statuit, qui quoties peccare libuerit, toties a presbyteris se reconciliari velint. « Quoniam, » inquit, « comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias non secundum canones, sed fœdissime pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties a presbyteris se reconciliari postulent : ideo pro coercenda tam execrabili præsumptione id a sancto concilio jubetur, ut secundum formam canonum antiquorum detur pœnitentia. » Gregarius etiam VII. in minori Britannia synodum haberi jussit, ad morem illum perniciosum evellendum, qui in illa regione sacerdotum ignorantia inoleverat, ut eorumdem criminum conscii absque ulla prævia emendatione absolverentur. « Sacerdotalis culminis dignitas (inquit Pontifex lib. 7. epist. 10. *ad Episcopos et Sacerdotes Britanniæ*), tum imperitia, tum negligentia sacer-

dotum, sicut vestra dilectio novit, ex longo jam tempore peccatis exigentibus fuit collapsa. Ex qua quidem re quasi ex pestifera radice innumera mala exorta sunt, adeo ut usque ad hæc nostra tempora, inter cætera quæ male pullulant vitia, falsæ nihilominus pœnitentiæ consuetudo inoleverit. Infructuosam enim pœnitentiam dicimus, quæ ita accipitur, ut in eadem culpa, vel simili, vel deteriori, vel parum minori permaneatur. Unde quisque digne vult pœnitere, necesse est ut ad fidei recurrat originem ; et quod in Baptismo promisit, Diabolo scilicet, pompisque illius abrenuntiare, et in Deum credere, videlicet recte de eo sentiendo, et mandatis ipsius obedire, sollicitus sit vigilanter custodire. Quicumque ergo taliter pœnituerit, quoniam aliter simulatio dici potest, non pœnitentia illi peccatorum suorum remissionem, Apostolica freti potestate, largimur : insuper æternæ beatitudinis gaudia de Omnipotentis Dei misericordia confisi promittimus. »

Idem docent SS. Patres, qui licet fateantur eos qui gratiam semel acceperint, ab ea posse excidere, criminum tamen et conversionum perpetuam vicissitudinem rem esse vulgarem et quotidianam, nunquam sibi, nunquam aliis persuadere potuerunt : sed eos nunquam pœnitentiæ solidum sensum habuisse censuerunt, in quorum factis nullum mutationis vestigium apparet ; rati repentinas illas conversiones, quæ punctum temporis durant, statimque evanescunt, falsas esse et fallaces, verisque conversionibus minime esse annumerandas. « Irrisor est, et non pœnitens, » inquit S. Isidorus lib. 2. *Sentent.* cap. 16, « qui adhuc agit quod pœnitet ; nec Deum videtur poscere subditus, sed subsannare superbus. Canis reversus ad vomitum, est pœnitens ad peccatum. Multi enim indesinenter lacrymas fundunt, et peccare non desinunt. Quosdam accipere lacrymas ad pœnitentiam, et effectum pœnitentiæ non habere constat ; quia inconstantia mentis nunc recordatione peccari lacrymas fundunt, nunc vero reviviscente usu, ea quæ fleverant iterando commitunt. » Idem docet Magnus Gregorius 3. part. *Pastoral.* admonit. 31 : « Considerare sollicite sciant, » inquit, « quia flendo inaniter se mundant, qui vivendo nequiter inquinant, cum idcirco se lacrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant. Et qui admissum plangit, nec tamen deserit, pœnæ gravioris culpæ se subjicit : quia et ipsam quam flendo veniam potuit impetrare, contemnit, et quasi in lutosa aqua semet-ipsum volvit : quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas lacrymas facit. » Id ipsum etiam præclare tradit Petrus Blensensis tract. *de Confessione Sacramentali*, his verbis : « Putant aliqui sibi sufficere, quod aliquandiu a sua turpitudine destiterunt, atque de primitiis arreptæ continentiæ præsumentes, veteres excessus non recolunt ; et quasi spatio temporis evanuerint culpæ, vel earum oblitus sit, aut dormiat Deus, putant de omnibus debitis brevi pœnitentiæ compendio transegisse.... Non sine dolore cordis acerbissimo, et anxia cordis afflictione sanantur, quæ longo usu inolita, et intimis animarum medullis infixa sunt. Nec horaria et levi contritione redimi possunt, quibus mors æterna debetur. » Et post plura : « Nemo itaque de momentanea contritione vel affluentia lacrymarum præsumat.... Si senseris in te gratiam compunctionis et affluentiam lacrymarum, non tamen ideo te statim arbitreris Domino reconciliatum.... Vides profecto quam gratum Deo sit sacrificium lacrymarum, et pro omnibus delictis sufficiens holocaustum. Sed quibus? Confitentibus, pœnitentibus, non revertentibus ad vomitum, sed in spiritu humilitatis et in animo contrito fugientibus ad pia viscera JESU, et continuantibus dignos pœnitentiæ fructus.

Ex quibus omnibus sic formatur demonstratio : Sacerdos non debet absolvere nisi quos veræ pœnitentiæ spiritu agi probabiliter existimaverit, nisi velit existere sibi traditæ potestatis dissipator, non dispensator fidelis : maxime cum sacramentum Pœnitentiæ non sola peccatorum recitatorum absolutione constet, sed etiam actus pœnitentis, id est « veteris vitæ odium, novæ propositum, cessationem a peccato, novæ vitæ inchoationem, laboriosamque satisfactionem, » juxta sacrum concilium Tridentinum, importet : ergo frustra eos absolvet, quos non probabiliter crediderit, velle sincere cessare a peccatis, novam vitam inchoare, satisfactionis laboribus defungi. Atque ille qui in iterata flagitia nulla emendatione interrupta relabitur, ex Patribus memoratis non veræ, sed falsæ pœnitentiæ spiritu agitur, etiamsi lacrymis affluat, quas « sordidas et lutosas » vitæ inconstantia reddit. Ergo multo minus hujus sæculi rela-

bentes, qui nec compunctione vehementi anguntur, nec lacrymis affluunt, sed sterilibus verborum pollicitationibus contenti sunt, absolvendi sunt, nec tales habendi, ut eos in eadem peccata revolvendos merito credendum non sit. Certe sanitas animæ non ex verborum foliis, sed ex operum fructibus; non ex imperfectis mollis voluntatis desideriis, quæ toties infructuosa fuisse deprehenduntur, et quibus, auctore Bernardo, inferni referti sunt, sed robustis et efficacibus, atque in opera sese fundentibus affectibus dignoscitur. Cum enim vitia voluntaria sint, nemo criminum morbis vexatur invitus. Ergo qui illis alternis vicibus sine ulla emendatione laborat, et quæ hodie deflet, cras admittit, nondum ab illis plene alienam gerit voluntatem; ad Deum converti nec fortiter vult, nec integre, nec sincere, sed ad summum, ut Augustinus loquitur, semisauciam hac atque hac versat et jactat voluntatem, partem assurgentem, cum alia parte cadente luctantem. Est igitur præscripto a prudente confessario tempore ac salubri pietatis pœnitentiæque exercitatione injuncta examinandus, ne Sacramentum invaliditatis pereculo temere exponatur.

Eamdem doctrinam exerte tradidit, verbisque et factis probavit episcoporum gemma, et Ecclesiasticæ disciplinæ archetypus S. Carolus Borromæus, a cujus vita et moribus sincera Decretorum sacri concilii Tridentini intelligentia repetenda est. Quomodo enim non esset concilii sensum germanum assequutus sanctissimus Cardinalis, qui sanctam synodum apud avunculum suum Pium IV. perficiendam curavit et impetravit; qui perneverabilis cœtus, Patres et vidit, et affatus est diligenter; qui ejus aureo Catechismo præfuit; qui Congreg. Card. sacri Concilii interpretum deligendam curavit, cujus et ipse membrum fuit; qui amplissimæ diœcesis et amplioris provinciæ suæ administrationem ad decretorum concilii amussim exegit; qui in omnibus conciliis provincialibus et episcopalibus, quibus præfuit, eo spectavit ut Tridentina jussa perficeret, et sancta vota impleret; qui ad restituendam collapsam disciplinam et pœnitentiam, exemplum toti Ecclesiæ quam late patet Catholicæ propositum a Deo est ad imitandum; qui inusitatis et ad miraculum extraordinariis dotibus in unum hominem congestis designatus est, quem in instaurando pœnitentiæ studio universa Ecclesia intueretur; qui et generis claritate, et copiarum abundantia, et archiepiscopalibus infulis, et purpuræ splendore, et Pii IV affinitate tam propinqua, et quod magis est, sapientiæ cœlestis lumine, vitæ sanctitatis præstantia, rara in tribulationibus immobilis animi firmitudine, episcopali temperato suavissima dilectione zelo et vigore, incredibilis et pene importabilis pœnitentiæ asperitate, denique eximiis omnibus et singulis ornamentis illustris fuit, quibus vel in Ecclesia, vel in sæculo summa dignitatum eminentia et majori sanctimonia conciliari queant.

Hanc autem fuisse Viri divini mentem luculenter testantur hæc verba, quibus et antiquam canonum disciplinam commendat, et observandam in concedenda reconciliatione cautionem præscribit: « Patres docuerunt, » inquit in *Instruct. pœnit. Actor.* part. 4. pag. 523, « quam necessaria admodum sit sacerdotibus, qui in audiendis pœnitentium confessionibus versantur, canonum pœnitentialium scientia. Etenim si omnia quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentia solum ac pietate, sed justitia etiam metienda sunt, certe norma hæc e canonibus pœnitentialibus sumatur oportet. Sunt namque ii quasi regulæ quædam, quibus cum ad culpæ commissæ gravitatem recte dignoscendam, tum ad imponendam pro illius ratione veram pœnitentiam sacerdotes confessarii ita diriguntur, ut ubi singula et quæ ad peccati magnitudinem, et quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accurate perpenderint, tum demum pœnitentiam judicio ac prudentia sua moderentur. » Et in *Instructione italica Confessariorum*, quæ habetur in *Actis Ecclesiæ Mediolanens.* part. 4. pag. 769: « Sacerdotes, » inquit, « canones pœnitentiales teneant. Quamvis enim prudenter et considerate pro pœnitentis dolore, hominumque varietate, aliisque circumstantiis attemperari possint et debeant, eos tamen observari atque ut formam et regulam, quantum expedire videbitur, exprimi semper laudabile est. » Hanc autem sese ad canones conformandi necessitatem non ex propria mente, sed ex Patrum fontibus hauserat B. Carolus. Sic enim decrevit Cœlestinus I. epist. 3. cap. 1: « Nulli sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod Patrum regulis possit obviare. » Et Gregorius VII. in concilio Romano

« Falsas pœnitentias pronuntiat, quæ non secundum auctoritatem SS. Patrum pro qualitate criminum imponuntur. » Unde nihil magis doctrinæ Patrum consentaneum, quam pœnitentiæ exercitationes ante absolutionem et sacram Communionem tantisper subire, et animum suum ad Sacramentorum usum excolere. Quod quidem ut omnibus peccato mortali maculatis saluberrimum foret, ita et illis toties emendationis propositum negligentibus necesse est, ut tandem verborum fidem adstruant, et conversionis sinceritatem sacerdoti compertam efficiant.

Id ipsum apertius significavit Præsul sanctissimus, dum docuit nihil ad fovendas vitiorum consuetudines esse præproperis absolutionibus conducibilius, nihil ad eas minuendas aptius, quam si peccatores ad agendam aliquandiu pœnitentiam ablegentur, neque prius absolvantur, quam veris vitæ emendatæ argumentis animi conversionem testatam fecerint. « Ut norint Confessarii » (inquit in *Instructione Confessariorum* pag. 765.) « non conferendum iis absolutionis beneficium, qui revera ea indigni sunt (quod per incogitantiam, negligentiam, vel alia ex causa plerumque contingit ; unde fit ut quamplurimi in iisdem peccatis cum ingenti animarum suarum exitio longo tempore perseverent). Nos de consilio multorum tum ex clero, tum ex variis regularium familiis theologorum, quid in iis casibus qui frequentius incurrunt, observari debeat, infra notabimus. »

Descendens autem vir sanctus ad casus singulares, ait in primis, iis differendam esse absolutionem, qui vestium immoderato luxu labuntur. « Quia, » inquit, « his temporibus luxus iste eo processit, ut jam ultra quo progrediatur non habeat : idque magnam partem culpa et negligentia Confessorum, qui sine ulla circumspectione, ac fortassis ne admonitis quidem omnino ea de re pœnitentibus, eos absolvunt. » Docet deinde iis absolutionem esse differendam qui peccandi occasiones non studiose declinant, donec postquam promissis non steterunt, reipsa ab illis illecebris se expedierint. Nec obest quod illis sine incommodo carere non possumus : immutabilis enim et æterna Dei lex non est nostris commodis dimetienda vel inflectenda ; cum voce Veritatis dictum sit, universi etiam orbis possessionem et lucrum pro nihilo putandum, ubi animæ salus agatur. *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te* (inquit Christus Matth. cap. v. et cap. XVIII. et Marci IX.) *abscinde eum, et projice abs te : bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in gehennam ignis. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te : bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quibus verbis res maxime utiles, caras, et quibus sine grandi incommodo et mentis acerbitate carere non possumus, procul amovere præcipimur, si spiritualis ruinæ occasionem afferant. « Etsi, » inquit os Chrysostomi aureum hom. 17. *in Matth.*, « tantum aliquem diligas, ut eo dextri oculi utaris vice : aut ita tibi quempiam esse utilem putes, ut eum dexteræ manus habeas loco ; et hi tamen animæ tuæ fortassis incommodent, etiam istos a te abscinde. Et quidem vim sermonis observa. Non enim dixit, a talium societate discede : sed maximam separationem indicans : *Erue, ac projice abs te.* »

Ad circumstantias adhuc magis individuas progrediens vir oculatissimus et sanctissimus peccandi occasionibus annumerat res per se et ex officio innoxias, e quibus tamen peccandi occasionem homo præ infirmitate nanciscitur, quem absolvi vetat nisi aut illa occasione dimissa, aut certe aliquo temporis spatio rebus illis ad peccandum non utatur. « Sunt, » inquit in *Instructione Confessar.* pag. 767, « aliæ occasiones, quæ suapte natura quidem tales non sunt, sed hominum quorundam ratione : velut pleræque res per se licitæ, in quibus si pœnitens hæreat, ut antea fecit, merito iisdem rursus criminibus implicandus videatur. Tales plerique sunt temporum iniquitate ac vitio, militia, mercatura, magistratus, causidicorum et procuratorum munia, aliaque hujusmodi, in quibus qui sæpe mortaliter peccare consuevit, blasphemiis, furtis, iniquis judiciis, calumniis, odiis, fraudibus, perjuriis, aliisque similibus culpis exploratum habet, si in eadem professione permaneat, easdem sibi peccandi occasiones eventuras. Neque vero credendum, plus sibi virium ad peccatum vitandum fore, quam prius habuerit ; ideoque in eadem peccata prolapsurum. Quamobrem ejusmodi homines aut vitæ rationes sibi adeo periculosas deponere debent, aut certe in iis non versari, nisi de pii prudentisque sacerdotis consilio, qui neminem sic affectum ab-

solvere debet, ut probabile censeat in eadem peccata recasurum, si in iisdem occasionibus perseveret, sed certum temporis spatium sumere ad emendationem illius explorandam. Atque hic eo magis evigilandum est, excubandumque animo, quod confessorum culpa et inertia factum videmus, ut in plerisque artibus et professionibus innumeræ corruptelæ et gravissima delicta passim vigeant sine quibus res alioquin justissimæ jam a paucis admodum factitari posse videantur. »

Ergo ex mente S. Caroli non solum peccatoribus in peccata mortifera sæpe labentibus absolutio differenda est, sed etiam eo auctore præproperæ absolutiones fontes sunt, unde innumeri abusus et infinitæ corruptelæ proficiscuntur, quibus omnes artes, omnesque professiones ita inficiuntur, ut a fere nullis sine certa pernicie tractari queant. Unde sacerdotes non debent relabentes, priusquam vitæ in melius commutatæ argumenta viderint, inconsiderata facilitate absolvere. Quam verissimam regulam a Patribus acceperat eximius Cardinalis. Ita enim docuit concilium Lateranense sub Innocentio II. can. 22. his verbis : « Falsa fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet. » Ita docuit Gregorius VII. in Concilio Romæ habito : « Quicumque miles, » inquit, « vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, cognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, nisi arma deponat, ulteriusque non ferat nisi consilio religiosorum Episcoporum pro defendenda justitia ; vel negotium relinquat, vel officium deserat. » Ita docuit Magnus Gregorius hom. 24. *in Evangelia :* « Sunt, » inquit, « pleraque negotia, quæ sine peccato exhiberi aut vix, aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est ut post conversionem animus non recurrat. »

Denique sanctissimus Antistes totam hanc doctrinam his luculentissimis verbis eodem loci confirmat : « Confessarios monitos volumus, ut iis quos peccata non dimissuros probabiliter existimabunt, quantumvis polliceantur ac spondeant ea se dimissuros, absolutionem procrastinent, quoad emendationem perspexerint. Necnon iis qui per multos annos in eadem peccata prolapsi erunt, neque operam ullam ad correctionem vitæ contulerint. » Non potest autem recte judicare sacerdos peccatorem sæpe relapsum, sæpeque promissionum iteratarum violatorem in sancto non peccandi proposito permansurum, nisi mentis ad Deum conversionem pœnitens factis testatam fecerit. Soli enim illi, ut est communis Patrum omnium vox, veram pœnitentiam agere censendi sunt, qui dignos pœnitentiæ fructus vitæ ratione ad meliorem frugem deinceps instituta exhibent, non vero qui perpetua peccatorum et confessionum vicissitudine et replicatione vitam alternant, qui sordes sacerdoti aperiunt, ad eas primo quoque die redituri, qui post Confessionem et iidem sunt et eadem operantur, quorum scelera sacramentorum usus etsi tantisper suspendat aut intermittat, non abrumpit tamen. Præclare S. Isidorus Hispalensis lib. 2. *Sentent.* cap. 13. et 15 : « Ille pœnitentiam digne agit, qui sic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat. Nam qui plangit peccatum, et iterum admittit peccatum, est quasi si quis lavet laterem crudum, quem quanto magis laverit, tanto amplius lutum facit. »

Beati Caroli vestigia secutus est S. Franciscus Salesius Genevensis episcopus, qui ut in ejus vita proditum est, S. Borromæum sibi ducem imitandum proposuerat. Et, quamvis piissimus ille Antistes ad hæreticos ad Ecclesiam revocandos divinitus electus sit, ideoque Genevæ hæreticorum Babyloni Pastor præfectus disciplinæ tamen Ecclesiasticæ et pœnitentiæ inter Catholicos restaurandæ zelo flagravit. Fuit quidem illi, fateor, cœlestis instillata lenitas atque eximia mansuetudo ad animos demulsis cordibus Deo devinciendos ; fuit in illo caritatis eximia teneritudo suavitate diffluens et redundans, qua paternis visceribus et pietate ex animo corpus velut irradiante omnibus omnia factus, peccatores omni mansuetudine et misericordia complectebatur, et vel durissimos flectebat, vel immanissimos ad benevolentiam alliciebat. Verumtamen iis quos regendos susceperat pœnitentiæ studium et praxim, arctamque mortificationis viam, quæ sola in cœlum ducit, vehementer indicebat; et quia probe noverat cor non posse divina caritate mutari quin pœnitentiæ laboriosæ exercitationibus vitiorum stirpes evellat, passiones comprimat, illicitarum anteactæ vitæ voluptatum fluxum etiam licitarum privatione castiget, ideo pœnitentiæ labores

pro gravitate criminum animabus quantum erant ad eos ferendos idoneæ imponere solebat.

Eidem sententiæ subscripsit eminentissimus *Annalium Ecclesiasticorum* scriptor, ad annum 253. num. 79, ubi cum retulisset verba Cleri Romani scribentis ad Cyprianum, quibus decernit pœnitentem morte urgente esse reconciliandum, etiam non absoluta imposita pœnitentia ; si tamen professa frequenter suorum detestatione factorum, lacrymis, gemitibus, fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodidisset, infert Baronius : « Quam ergo parum tuta, quamque dubia sit illa festinanter exhibita reconciliatio etiam petentibus eam cum lacrymis, dicta nuper sententia declaravit. » Ergo ex mente sapientissimi Cardinalis præproperæ illæ absolutiones quæ idoneos pœnitentiæ fructus antecedunt, parum tutæ et ancipites censendæ sunt.

Idem docuit eximiæ sanctimoniæ et doctrinæ Cardinalis Joannes Gropperus in præclaro *de Institutione Catholica* opere, ubi non solum pœnitentiam publicam revocari exoptat, quam « sola vel incuria, vel inscitia Præsulum Ecclesiæ exolevisse et pene abolitam esse » deplorat, quam « rem summe necessariam » esse ait, « præsertim hoc deploratissimo tempore, quando omne flagitiorum genus ita ubique sine pudore inundat, ut flagitia vix pro flagitiis habeantur ; » sed in speciali de absolutione peccatoribus danda ait pag. 231 : « Non relaxari in Ecclesia gravia crimina, nisi satisfactione suscepta et peracta. »

Illum etiam fuisse avitum confessariorum sacræ Patrum Societatis Jesu spiritum patet non solum quia P. Adornus Jesuita in condendis supra relatis S. Caroli decretis, quibus hæc nostra doctrina apertissime traditur et præcipitur, affuit, sed etiam quia S. Xaverius hanc disciplinam in primis probavit eam confessariis Societatis inspirare solitus : « Confessionem, » inquiebat referente Tursellino lib. 6. *Vitæ S. Xaverii*, cap. 17, « non continuo sequetur absolutio. » Arbitrabatur enim vir Apostolicus, peccatorum animos lacrymis, meditationibus, restitutionibus, reconciliationibus, aliisque voluntariis pœnis esse ad absolutionis gratiam præparandos : « Hæc omnia, » inquiens, « absolutionem præcurrunt rectius quam sequuntur. » Et, quamvis vir Sanctus inter confessionem et absolutionem bidui aut tridui moram exempli gratia afferret, quo magis peccatores ad pœnitentiam induceret, eosque refractarios brevi ac facili aditu allectaret ; est tamen judicio illius omnino consentaneum, ut cum opus fuerit, pœnitentibus longius temporis spatium adhibeatur. Cum enim idcirco illa intercapedine utendum censeat, ut ablata restituantur, ut simultates deponantur, ut etiam « a libidinis consuetudine, cæterisque quibus impliciti sunt flagitiis expediantur, » clarum est viri sancti judicio longius communiter temporis spatium adhibendum esse, cum tantulo tempore a depravatorum morum consuetudine rarissimi emergant, etsi aliquando id contingat, cujus illustre exemplum in vita S. Vincentii Ferrerii exstat. Idem S. Xaverii spiritus perspici potest in tractatu *de sanctissimo Sacramento* a Patre de Bonis edito, ubi sic habetur : « Utilissimum remedium est adversus iteratos relapsus, multisque probatum experimentis, absolutionem peccatoribus differre, ut se aliqua pœnitentia ad Communionem comparent. Varia igitur pœnitentiæ officia ipsis imponenda sunt, quibus ad cognitionem, dolorem, et detestationem peccatorum perducantur. Hoc autem nisi fiat, peccatores statim ad vomitum redeunt. Hoc institutum multis peccatoribus profuisse testantur graves et prudentes Religiosi. »

Primo, inquit P. Emericus de Bonis e Societate Jesu, in lib. quem *Speculum Confessionis* inscripsit, caveant qui confessiones excipiunt, ne iis temere absolutionem indulgeant, quibus negare oporteat, indignis videlicet, et imparatis omnibus, qualis est quem admissorum in se criminum non pœniteret, aut cui discedendi a pristina pravitate certa voluntas non esset, vel qui damna seu bonorum, seu famæ, seu cujuslibet alterius rei, quibus opus est, cum possit, rependere abnueret, aut qui mortiferi peccati occasiones vitare nollet ; quoniam eorum nemo ea vi doloris tangitur, qua necesse est ut absolvatur, cum vel illa imperfecta, quæ attritio dicitur, contritione careat.

Secundo, sacræ Pœnitentiæ administer pœnas non solum præteritis criminibus expiandis congruas pœnitentibus imponat, sed queis præterea tanquam salubri antidoto a futuris deinde præserventur. Nec ei muneri satisfacere putandus est, qui vel corona precaria, aut septem Psalmis Pœnitentiæ recitandis, aut levioribus etiam rebus mulctatur eos, quorum peccata multis jejuniis,

flagellis, eleemosynis, ciliciis, et peregrinationibus essent expianda. Et quia neque duræ, neque difficiles sunt impositæ pœnæ, fit ut cito ad priora flagitia relabantur.

Tertio, si confessarius ille sedulo perpenderet de animabus iis Deum a se exacturum esse rationem, procul dubio majori tum sibi, tum aliis cura provideret. Audiat concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. sibi præcipiens: « Debent ergo sacerdotes Domini quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere : ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agunt, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. »

Falsas appellat D. Gregorius, ut refertur cap. *Falsas*, de Pœnit. dist. 15, omnes piaculares pœnas justo leniores : non quod irritam confessionem putet, sed quod occasionem præbeant erroris pœnitentibus, qui impositis sibi a confessario pœnis, divinæ justitiæ se fecisse satis arbitrentur.

Pius Abulensis episcopus quæst. 49. *in cap.* XVIII. *Matth.*, Confessarium peccare ait qui non perspecta criminum qualitate pœnam irrogat.

Adrianus Papa VI. in 4. *Sent.* dist. 20. ait maleficiorum, scelerum, criminum in Deum commissorum prudenter dandam a sacerdotibus veniam esse. Et Major, non esse amici veri leviores pœnas imponere, nec prudentis et sibi recte providentis quærere, aut adeptis gaudere. His omnibus testimoniis efficitur, ut confessarius qui absque legitima causa, ob multas graviores noxas pœnas leviores infflgit, oficio suo desit, nec suscepto munere rite fungatur.

Septem annos pœnarum ob peccata quædam lethalia canones decreverunt. Et, quamvis ad solum Deum, cui interior animi pœnitentia patet, congruam unicuique peccantium pœnam assignare pertineat ; confessariis tamen pro qualitate criminum, proclivitate ad peccatum, admissorum dolore, emendationis spe, viribus, et conditionibus pœnitentium, convenientes imponendi munus incumbit. Non enim rectas prudentiæ regulas sequeretur, qui largas eleemosynas pauperibus, longa operariis jejunia, debilibus atque ægrotis flagella et cilicia imperaret.

Ipse præterea meminerit, rem esse valde utilem, et longo plurimorum confessariorum usu firmatam, absolutionem aliquando suspendere, et ut ii qui frequenter in peccata recidunt ad sacrum tribunal iterum se sistant, interimque duris et operosis quibusdam pœnis propitiando Numini operam dent, maxime si peccata lasciviæ sint, impellere. Id quia pauci præstant, multi ad meliorem frugem nunquam se recipiunt, cum e contra a peccatis absoluti, si tamen absoluti dicendi sunt, ipsa die, aut paulo post ad eadem sua crimina revertuntur. Unde non temere conjectura fit, eos qui imparati ad Sacramentum accesserant, absque peccatorum venia discessisse. Confert enim ipsa gratiam, cujus ope anima certe aliquandiu peccatis resistere potest. At ille e contra cito, nec ab ulla gravi tentatione vexati relabuntur. Sæpe etiam ipsi peccandi occasiones quærunt et sollicitant cupidines suas. Itaque optimum est eos cogere, ut iterum redeant ad tribunal, ut majori cura deinceps sibi caveant, et vitia sua accuratius perscrutentur. At fortasse non revertentur? Ergo pejori loco res ipsis erit, dabunt enim argumentum certissimum eo dolore, eaque animi præparatione caruisse, quibus deficientibus a confessariis absolutio neganda est.

Quoad ea quæ ab aliis pœnitentiæ administris ea de re afferuntur, sinite illos : præstabunt ipsi Deo illas culpas nimia sua facilitate ab iis quibus nimium indulgent admissas. Multo in peccatorum reos Confessarii crudeliores sunt, quam medici in ægrotos, quibus ne molesti sint, ab asperis unguentis et igne, cum adhibitis est opus abstinent.

Quarto etiam atque etiam videant, quinam ad sacræ Eucharistiæ sumptionem sint admittenti. Nefas enim est, abususque intolerabilis eos ad sacram Synaxim accedere, aut rem divinam facere, qui in turpium voluptatum cœno sine ulla emendatione volutantur. Sunt tamen nimium multi qui sæpius in hebdomade se inquinent, et tamen octonis, aut quinis et denis quibusque diebus Synaxim sumere, quia ita consuevere, velint. Quo fit ut tanto animi stupore occalleant, ut nec statum suum miserrimum sentire possint. Qui cum prius sancto perculsi horrore et submissa veneratione trepidi sacrosancta illa mysteria perciperent, audaces, intrepidi, et sine pietate suscipiant. Id

inde manifeste arguitur, quod eo ipso die, dictu horrendum, ad easdem suas libidines revolvantur.

Ex his omnibus intelligere facile potest lector, quam ardua sit regendarum animarum provincia, quam merito Gregorius theologus, et postea Gregorius Magnus « Artem artium » appellarunt, quæve a Cardinali Berulio pietate magis quam dignitate eminentissimo, usque eo evecta est, ut unius animæ quam regni cujusvis quamlibet amplissimi curam et administrationem magis arduam operosioremque asseruerit. Nam vel nimia remissione atque indulgentia, vel districtiori quam par est severitate non prolabi, hoc opus, hic labor est. Nec sine affuso sibi divinæ sapientiæ lumine potest quis jura Dei ita tueri, ut ne hominum infirmitatem opprimat; vel sic hominum imbecillitati obsequi, ut ne in jura Dei peccet. Utrinque angustiæ, utrinque periculum, vel si inani clementiæ umbone peccatores sacerdos decipiens non expectet, « quoad necessaria temporis remedia obducant cicatricem », ut Clerus Rom. epist. 31. *ad Cyprianum* ait; vel si rigore indiscreto « fortia tantum loqui sciat, non possibilia, » ut verbis utar Bernardi lib. 1. *de Consid.* cap. 5. « nec compatiatur naturæ, nec possibilitatem æstimet, » ut Ambrosius alioquin disciplinæ retinentissimus, *in Psalm.* CXVIII. faciendum monet. Quam difficile, quam lubricum, quam caritatis et prudentiæ plena copia indigens ministerium est sacerdotum, ne dum lapsos erigere volunt, ipsi collabantur, ne pernicioso obsequio vulnus benigna attrectantes manu, ægritudinem foveant, seque ipsos vulnerent. Hinc B. Francisco Salesio 1. part. *Introduct.* cap. 6. teste Avila ex mille unum ad directoris munus eligendum censebat; ipse vero ex decem millibus discernendum imperat, quia pauciores sunt quam dici potest, qui tantæ provinciæ sint pares. Hinc B. Theresia quantum periculum sit a semidoctis, tenui, et exigua eruditione præditis in vita sua testatur. Sed quanta præsertim in impertiendis absolutionibus discretione opus sit, ne deflectant unquam vel in acerbam severitatem, vel in dissolutionem remissionem, ne vel in retinendo sacerdotali vigore segniores aut verecundiores quam par est sint, vel contra nihil de proposito rigore remittant, vel condonent illis etiam, in quibus digni pœnitentiæ fructus visuntur, declarat his salubribus perinde ac formidolosis vocibus Magnus Basilius epist. 2. *ad Amphil.* cap. 84. et 85 : « Hæc autem omnia scribimus, ut pœnitentiæ eorum fructus probentur. Neque enim hæc omnino ex temporis spatio judicamus, sed modum pœnitentiæ attendimus. Quod si qui a propriis moribus non facile avellantur, et carnis voluptatibus potius quam Deo servire voluerint, vitamque ex Evangelio institutam non amplectantur, nulla nobis cum illis intercedit communis ratio. Nos enim adversus populum non credentem et contradicentem, illud audisse meminimus, *Salvans salva animam tuam.* Non ergo cum eis perire consentiamus, sed grave judicium reformidantes, et tremendam illam retributionis Domini diem præ oculis habentes, caveamus aliorum peccatorum ruina involvi. » Caveant ergo confessarii ne per inanem clementiæ speciem præsumptuosam confidentiam vero pœnitentia destitutis peccatoribus ingerant, ne reos decipiant miseros, ut qui possunt per sinceram ac probatam conversionem Deo misericordi precibus et operibus suis secure reconciliari, seducantur ut magis pereant, et qui erigere se possent, plus cadant. Timeant ne in se cadat quod in sui simillimos contorquet his vocibus Cyprianus tract *de Lapsis* : « Hoc sunt ejusmodi lapsis quod grando frugibus, quod turpidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas. Solatium spei æternæ adimunt, arborem a radice subvertunt, sermone morbido ad lethale contagium serpunt, navem scopulis ne in portum perveniat illidunt. »

Cum ergo S. Carolus Episcoporum gemma, et sacri concilii Tridentini de Pœnitentiæ disciplina instauranda interpres et custos hanc doctrinam luculentissime docuerit, nec in alium scopum vir divinus collimaverit quam confirmatæ vel restitutæ a Tridentina synodo disciplinæ decreta diligentissime implere, ut his verbis Ripamont. vitæ ipsius auctor lib. 2. pag. 107. 108. 111. testatur : « Sub concilii Tridentini finem statuit ingredi Apostolicæ perfectionis iter, vitæque institutis exprimere ea quæ litteris et decretis comprehensa essent. » Et iterum : « Gravissimam hanc actionem susceperat, ut Pontificatu ipso administrationeque Ecclesiæ Mediolanensis omnia concilii Tridentini decreta disciplinamque repræsentaret. » Cum,

inquam, hæc ita sint, et ita esse summi Pontifices publice agnoverint, et locupletissimi vitæ ipsius testes prodiderint, non potest hæc pravis ad sacram Tridentini decretorum et mentis amussim exacta non haberi secura et certa. Nec dici protest virum sanctum hac in parte sicut et in cæteris instaurandis Ecclesiasticæ disciplinæ regulis rigidiorem extitisse. Non, inquam, id dici potest : nam, ut in Concilio III. provinciali Archiepiscopus sanctissimus profitetur, vix aut ne vix quidem inchoarat, nedum absolverat quod aggressus fuerat. « Quod si quis nostrum, » inquit, secus fortasse existimat, quoniam in hac provincia aliquod majus Christianæ pietatis studium elucere videt quam antea solebat, quamque aliis fortasse locis apparet, næ iste plane quidem fallitur. Non est enim cur nos vel cum iis quæ proxime antecesserunt temporibus, vel cum aliorum factis actiones nostras expendamus : sed comparemus oportet cum ea sancte agendi formula nobis divinitus præscripta, quæ si ob oculos versabitur, facile cernemus quam longe ab ea distemus. » Nec rigidius existimandum quod vir divino spiritu actus necessarium existimavit : « Si quæ oves, » inquit orationibus in variis conciliis Mediolanensibus habitis, « impura vitiorum labe extabescunt, salis acrimonia sanandæ sunt. Quam inanes et pene nefariæ voces hominum, qui populum nostrum decipiunt dicentes : Pax, pax, et non est pax? Et quæ utilitas nobis existet, si iram Dei in nos concitantes, hominum benevolentiam populari quadam indulgentia conciliemus? » Unde non potest stabilita a nobis sententia reprehendi, quin eodem impetu Episcoporum hujus ætatis lumen S. Carolus reprehendatur.

Solvuntur objecta contra stabilitam de differenda absolutione, temperandaque ejus frequenter relapsis impertiendæ facilitate, sententiam.

Objicies primo : Consuetudo Ecclesiæ est in omnibus æmulanda, ne novitatis merito insimulemur. Atqui passim in Ecclesia usus absolvendi quoscumque asserentes se pœnitere, viget : ergo non est illis differendum absolutionis beneficium.

Respondeo hanc ipsam objectionem sæpe sibi S. Carolum proposuisse, et propositam contrivisse. « Nec vero est, » inquit in Concilio II. Mediolanensi, « cur a muneris nostri ratione deterreamur, vel quia his pastoralibus nostris studiis actionibusque animos eorum exulcerari videamus qui filii sunt perditionis, vel quia populares illæ, quibus quasi ficus foliis, deformes pravique mores contegi solent, voces audiantur : Non ferunt hæc tempora veterum canonum severitatem : sic jamdiu viximus ; ita vixerunt, ita egerunt qui ætate nos antecesserunt : vitæ institutum nihil est quod mutemus. At nos hæc atque alia ejusmodi contemnamus. An vero fortasse, » addit in Concilio IV, « a curatione nostra deterremur, quia hoc nostro frequenti provinciæ sanandæ studio exulcerantur quorumdam animi passim dictitantium : Non ferunt hæc tempora veterum canonum et antiquæ Ecclesiæ medicamenta? Imo ardentius progrediamur, quoniam hæc una medicina præstantissima est, maxime opportunum id remedium, ut quibus olim rationibus disciplina christiana sata et propagata fuit, iisdem ipsis et instauretur et conservetur. »

Quare adversæ sententiæ non Ecclesiæ consuetudo, sed multorum abusus favet. Neque enim Ecclesiæ consuetudinibus et moribus accensendum est quod a multis adversus Spiritus sancti doctrinam, Apostolorum instituta, exempla Patrum, leges Canonum, Tridentinas sanctiones, Sanctorum Episcoporum vota, et summorum Antistitum decreta fieri solet. Nec obest usum illum in omnes Ecclesias serpere et dilatari, hoc enim duntaxat suadet abusum ita effusum ardentius coercendum esse, et Sacerdotali vigore fortius comprimendum. Errant sane et vehementer errant qui grassantes Ecclesiasticorum abusus cum Ecclesiæ Catholicæ usibus confundunt. Nam Ecclesiasticam disciplinam hominum vitio posse depravari fatetur concilium Tridentinum, unde tot ad eam restituendam de reformatione sanctiones edidit, nec minus de restauranda collapsa disciplina, quam de opprimendis hæresibus fuit sollicitum. Hinc S. Carolus oratione habita in concilio Mediolanensi I : « Nota sunt, » inquit, « vobis Ecclesiæ vulnera, gravissima mala. Miserabiliter prolapsa institutio Ecclesiasticæ disciplinæ. Prope perierat Christianæ vitæ institutio : conciderat pene salutarium rerum usus, nulla fere Cleri disciplina, quasique nullum populi in caritatis officiis studium : prolapsus denique miserabilem in modum erat totus ille ab Evangelii luce dimanans christianarum

virtutum ornatus. Videmus provinciæ nostræ faciem deformatam, nec plane collacrymabili illi templi Jerosolymitani aspectui dissimilem. » Unde Christianum orbem, oratione habita in Concilio VI. cum nosocomio ac valetudinario confert, in quo vis infinita languentium jaceat; additque eo deteriorem esse Christianorum infirmitatem, quo cum cæcitate ita conjuncta sit, ut in tanta peccatorum, quibus mundus redundat, colluvione ne culpam quidem homines agnoscant. Absit ut inter consuetudines Catholicæ Ecclesiæ usus illos reponamus, tametsi multum vulgoque frequentatos, sed a Romanorum Pontificum, et sacrarum synodorum auctoritate, Sanctorum Patrum regulis, Beatorum etiam his temporibus ad imitandum solemni apotheosi ab Ecclesia propositorum factis abhorrentes. Illud ergo Ecclesiæ consuetudinibus annumeramus, non quod Ecclesia quandoque propter miserrimi ac luctuosissimi temporis calamitates gemebunda tolerat, sed quod Decretis probat, quod per Episcopos divini Spiritus flamma succensos operatur, quod in Sanctis Patrum instituta consectantibus extollit, quod collaudant Pontifices, quod universa demum Ecclesia cum plausu et fructu imperat, et cum religione retinet, et summo honore veneratur. Cætera quamlibet passim et a multis frequentata, inter abusus reponenda sunt, si a Patrum institutis, Canonum legibus, summorum Pontificum decretis, veteris Ecclesiæ usu abhorreant. Res enim Ecclesiasticas non moribus humanis, sed divina auctoritate et Ecclesiæ Catholicæ traditione metiri oportet.

Quare in hoc negotio singulari et pene divina constantia Sacerdotibus opus est, ut humanarum quarumcumque rationum oppositas sibi moles intrepida animi firmitate perrumpant, sintque adversus omnes obsistentium frangendosque impetus *columna ferrea, murusque æreus*, ut loquitur Jeremias cap. I. Meminerint quantum malorum in omnes hominum ordines inconsultæ ac præcipites absolutiones invexerint, et invehant incessanter. Illud præsertim præ oculis habeant, ut impertinentes quorumdam omnia sibi non probata novitatis pueriliter insimulantium criminationes despiciant ac floccifaciant, memores S. Carolum, cujus doctrinam propugnavimus, crebris tempestatibus ac procellis in omni vita jactatum, et Decreta illius « violenta, dura, iniqua, et nova » vocitata. Et certe non est discipulus super Magistrum, nec Christianus super Christum, qui, ut ex toto Evangelii decursu liquet, peccator, eversor legis Cæsaris hostis, vorax, ac vini potator, peccatorum amans, insanus, blasphemus, magus et incantatorum vel maximus, in Beelzebut principe dæmoniorum dæmonia ejiciens audivit. Quin potius ille novitatis reus merito peragendus, quia a vera Ecclesiæ tessera, antiquitate nimirum deficit, qui a Patribus, Pontificibus, et conciliis puræ et integræ disciplinæ retinentibus recedit. Quia nimirum germanus ille puri Catholicismi character est, nihil novi de suo promere, nihil quod alii de suo depromunt accipere, omnes emergentes opiniones ad initia et fontes revocare : unde Augustinus lib. 2. *contra Julian.* cap. 10. *de veris Catholicis* ait : « Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt : quod didicerunt, docuerunt : quod a Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. » Hæc erectis cordibus, intentisque animis Sacerdotes assidue spectantes solo sint Deo judice contenti, nec aliorum aut laudes petant, aut accusationes pertimescant.

Instabis : Non minus est incorruptibilis Ecclesiæ disciplina, quam fides, alioquin Ecclesia non esset peræque agendorum ac credendorum regula immobilis : sed quod multi passim ecclesiastici et sacerdotes frequentant, videtur ad Ecclesiæ disciplinam pertinere: ergo quod a multis alioquin doctis et piis frequentatur, tutum est et ab omni errandi et peccandi periculo alienum.

Respondeo Ecclsiæ fidem et ipsum generalem de disciplina sensum nulla temporum injuria, nulla depravatione corrumpi unquam posse; portæ namque inferi nunquam sunt adversus hanc petram prævalituræ : at disciplinæ praxim in plerisque Ecclesiæ membris posse corrumpi, et sæpe reapse corrumpi, prænuntiavit Christus Matth. XXIV. et Luc. XI, ubi fore ait, ut refrigescat caritas multorum ; Filiusque hominis secundo veniens vix inveniat fidem in terra : fatetur Ecclesia disciplinæ suæ deliquia et defectiones quotidie animadvertens, quotidie gemens, quotidie illius emendationem et emaculationem exoptans : agnoscunt Sancti morum peccata; et laxitates non tam orationibus quam verborum fulminibus disjiciunt et pro virili reprehendunt. Hinc Cardinalis Perronius lib. 2. *Replicæ*, obser. 4. cap. 7. ait, « Ecclesiam, si doctrina spectetur, nunquam; si mores, elui semper et expurgar

oportere. « Qui etiam ejusdem operis lib. 1. cap. 59. observat, Ecclesiam ad finem usque mundi veridice illud de se prædicaturam, Nigra sum, sed formosa; nigra nimirum membrorum moribus, formosa doctrinis. Et certe non tot et tantas de reformatione cogitationes et curas summi Pontifices, illi præsertim qui sanctitatem Pontificatus vitæ sanctimoniæ accessione cumulant, qualis fuit superiori sæculo inclinante Pius V. Beatorum fastis non ita pridem ascriptus, susciperent; non tot de instauranda disciplina sanctiones Tridentinum et posteriora deinceps Provincialia concilia edicerent, nisi probe nossent sacrum Ecclesiæ disciplinæ vigorem passim collabi posse, atque identidem excitandum restituendumque esse : quam disciplinæ restituendæ necessitatem et fatentur quotquot sunt solide pii, et lacrymis continuis postulant et fervidis desideriis exoptant, ut morum integritate sarcita errores omnes et hæreses stirpitus convellantur. Scientia namque fidei a singularibus membris cum conscientiæ naufragio sæpe quassatur; sæpe sicut extra Ecclesiam boni mores hæresum aberratione commaculantur, ita intra Ecclesiam fidei integritatem vitæ improbitas obscurat.

Urgebis : In Ecclesia Catholica singularitas quæque vitanda et amandanda est; unde et illud pervulgatum Bernardi adagium celebratur : « Qui facit quod nemo, mirantur omnes. » Ergo non a privatorum moribus, sed a communioribus usibus Ecclesiasticæ regulæ petendæ sunt.

Respondeo præceptorum Ecclesiasticorum observantiam, et castæ moralis disciplinæ custodiam esse quidem singularem, si cum illorum moribus conferatur qui laxiora sectantur; scriptum est enim, *stultorum infinitus est numerus :* et voce Veritatis asseritur, quod lata est via quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per illam. At vero si utrorumque vitæ consuetudo ad Evangelicarum Ecclesiasticarumque regularum amussim exigatur, jam quæ privata et singularis videbatur, communis jure censebitur, utpote communi Sanctorum usu probata, tametsi a paucis arctam viam ineuntibus servata. Quæ vero communis habetur, privata habebitur, utpote a communibus, verisque institutis recedens, et privatorum hominum incuria et ignavia superinducta. Soli ergo illi, quamlibet numero infiniti, novam et singularem agendi rationem captant, qui a regia communium regularum via exorbitant; illi vero, quantumvis paucissimi sint, vitæ communis æmulatores sunt, qui Evangelii leges Christi vita et factis quasi divinis quibusdam coloribus expictas, et a Patribus, conciliisque illuminatas, omnibusqus ad intuendum et imitandum propositas quam religiosissime prosequuntur. Mores ergo et usus, vel potius inclinationes et casus quacumque diuturnitate corroborati, peregrini et singulares dicendi sunt, si a primævis normis per Patres et sacras Synodos expositis illustratisque dissonent. Usus vero quamlibet singulares a paucisque observati, communes, catholicique censendi sunt, qui antiquitati, traditionibus, Patrum consensioni et priscis Ecclesiæ moribus atque institutis conveniunt. Quia antiquitas Patrumque consensio amussis est, ad quam nedum fidei dogmata, sed et mores exigendi sunt. Hinc præclare Adrianus II. in libello per Legatos lecto in Synodo VIII. act. 5 : « Prima salus », inquit, « est rectæ fidei regulam custodire, deinde a constitutis Dei et Patrum nullatenus deviare; unum quippe eorum ad fidem pertinet : alterum ad opus bonum. Sicut enim scriptum est, *sine fide impossibile est placere Deo*, sic rursus legitur, *Fides sine operibus mortua est.* » Nec minus egregie Gregorius VII. in *Apologia pro Concilio Romæ a se habito*, dixit : « Quamvis modo quidam non tam aperte cum Ario et reliquis hæresiarchis fidem sanctorum Patrum impugnent, tamen eorum moralibus statutis cum ipsa quidem fide per eosdem sanctos Patres eodem tempore, eadem subscriptione roboratis obstinate resistunt, quæ et cum eadem fide ex sacratissimo fonte Scripturarum emanaverunt. Sed et in eorum nefandissima rebellione, etiam ipsam fidem sanctorum Patrum probantur annullare, cum in authenticis sanctionibus auctoritatem illorum pro nihilo ducunt, qui et fidem sua auctoritate confirmaverunt. Nullatenus sane alicui fides Sanctorum Patrum proderit, qui eorum canonicis atque moralibus præceptis non obedire, sed pertinaciter resistere studuerit. Nam, ut Jacobus frater Domini testatur, fides sine operibus mortua est, qualem et dæmones habere fatetur. Non ergo minus est resistendum pertinacibus authenticarum institutionum impugnatoribus, quam sacræ fidei violatoribus, cum et dæmonibus assimilentur quicumque institutionem sanctorum Patrum in fide tantum,

et non etiam in conversatione pro viribus assectantur. »

Objicies secundo : Pœnitentibus peccata confessis, et se dolere et emendari velle asserentibus denegare veniam et absolutionem redolet errorem Novatianorum supra reprobatum. Ergo pœnitentibus toties quoties confitentur et emendationem pollicentur impertienda absolutio est.

Respondeo tantum distare sententiam nostram a crudeli Novatianorum dogmate, quantum a tenebris lux, ab errore veritas discrepat. Novatiani enim etiam vere pœnitentibus et pœnitentiæ veritatem factis comprobantibus veniam ac reconciliationem, reconciliationisque pignus Eucharistiam denegabant, quin et Eucharistiæ recuperandæ spem pœnitentibus præcidebant. Unde in eos sic invehitur Ambrosius lib. 1. *de Pœnitent.* cap. 16. et lib. 2. cap. 3 : « Frusta dicitis vos prædicare pœnitentiam, qui tollitis fructum pœnitentiæ. Nonne advertitis id evidenter jam a nobis expositum, quod merendi gratia Sacramenti », hoc est sacræ Eucharistiæ, « ad peccandum impellimur ; et hoc auferre vultis propter quod agitur pœnitentia. Tolle gubernatori perveniendi spem, et in mediis fluctibus incertus errabit. Tolle luctatori coronam, lentus jacebit in stadio. Tolle piscatori capiendi efficaciam, desinit jactare retia. Quomodo ergo potest qui famem patitur animæ suæ studiosus Deum precari, si sacram desperet alimoniam ! » At nos nec absolutionem nec Eucharistiam vere pœnitentibus eripimus, sed pœnitentiam sæpius in pristina peccata relapsorum, verane sit, an falsa, prudenti dilatione experimur, ut et absolutio fructuosior, et sacra Communio sit salutarior : cavemus ut ne sanguis Christi ab impiis conculcetur, ne caro ejus a porcis comedatur, ne Sacramenta a sacrilegis perpetuo relabentibus pessumdentur. Efficimus pro virili, ne frustra pœnitentia prædicetur, si ejus ante fructus conceditur, quam ad eam serio agendam peccator accesserit. Sicut enim adversus marinos labores non se instruit nauta, postquam in portum invectus est; certandi studium abjicit athleta, si ingredienti stadium deferatur corona ; jactare retia desinit piscator, ubi speratam vim piscium captaverit : ita pœnitentiæ labores et curas omnes a se amovet, qui nullo negotio, sed summa facilitate et absolutionem, et sacram Communionem statim post confessa omne genus scelera consequitur. Ergone cum Novatianis convenimus, qui eos sacerdotes non laudamus, qui crudeli conniventia id efficiunt, ut peccatores facilitate absolutionis nunquam denegatæ incensi, vel potius obstupefacti in eodem luto hæreant semper ? Videant qui hanc cum Novatianis consensionem S. Caroli purissimæ et ab omnibus et singulis Patribus probatæ doctrinæ objiciunt, num ipsi ab Audianis hæreticis recedant, quorum erroribus Theodoretus Cyri episcopus lib. 4. *Hæret. fabul.* cap. 10. annumerat eorum assertionem et morem, qui peccatores confessos statim promiscue absolvebant, plenam sibi condonandorum peccatorum absque ulla prævia probatione potestatem arrogantes. « Jubent », inquit, « unumquemque sua peccata confiteri, deinde confessis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes. » Leges autem pœnitentiæ publicæ quam rigidæ fuerint hac in parte, vel ex hoc uno decreto concilii Ancyrani intelligi potest : « Placuit eos inter audientes uno anno constitui, tribus autem aliis annis agere pœnitentiam, tertio autem (pœnitentiæ nempe) anno reconciliari Sacramentis. » Quod idem apud Gregorium Nyssenum, Thaumaturgum, Basilium, et alios Græcos Patres videre est. Præclare et opportune Theodoretus lib. 5 *Hæret. fabul.* cap. 29. Ecclesiæ doctrinam inter extremos Novatianorum et Audianorum errores, hinc denegata venia desperationem crudeliter ingerentes, hinc mala facilitate vitia pascentes, mediam sic exponit : « Medicabilia sunt etiam quæ post Baptismum fiunt vulnera. Medicabilia autem, non ut olim per solam fidem » (utique per dilectionem operantem) « data remissione, sed per multas lacrymas, et fletus, et luctus, et jejunia, et laborem commissi peccati magnitudini respondentem. A Christo enim edocti sumus, eos qui sic affecti sunt, nec desperare debere, nec illis facile sacra impertienda esse. *Nolite*, inquit, *sanctum dare canibus, nec projiciatis margaritas ante porcos.* Has Ecclesia de pœnitentia leges habet. » Nec minus apposite S. Pacianus epist. 3. *ad Sympronianum* adversus Novatianos agens docet remissionem peccatorum paucos mereri, non quod non sit Ecclesiæ omnium omnino peccatorum remittendorum collata potestas, sed quia pauci veræ pœnitentiæ labores suscipiunt :

« Labor iste paucorum est, qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt. »

Objicies tertio : Pœnitenti sicut contra se, ita et pro se credendum est, cum ipse idem fit in hoc tribunali reus, actor, testis. Ergo quando post aperta sacerdoti peccata ait se ex corde novæ vitæ rationem inire velle, illi sacerdos fidem adhibere debet.

Respondeo quod, licet in enumerandis anteactæ vitæ peccatis, in enarrandis scelerum numero, specie et circumstantiis peccatori credendum sit, quippe qui solus male gesta sua dignoscere potest : attamen quantum attinet ad cordis conversionem, cum multoties verba fefellerunt, non satis tuto illi creditur, unde prudenter ex factis probatio exigitur. Tum quia voluntas sincera non ita certo verbis ac operibus se prodit et indicat. Tum quia de dispositione ad veniam recipiendam idonea æstimare non ad reum pertinet, sed ad judicem a Deo constitutum ; non ad discipulum, sed ad Doctorem et rectorem animarum ; non ad ægrum, sed ad Medicum. Tum quia tot sunt in animis nostris recessus, tot latebræ, tot sæpe præsertim post iterata flagitia nebulæ et offusæ tenebræ, ut seipsum peccator dignoscere non possit, quia, ut frequenter in theologiæ isitius decursu ex Gregorio recantavimus, nec iterare tam utile documentum piget : « Sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, fitque ut aliud in intimis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Et fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat. » Cujus signum est quod in præcedentibus confessionibus emendationem promittebat et vero se proposito affici putabat ; et tamen mentiebatur iniquitas sibi, nec reapse mutatus erat, qui eadem peccata, eosdem iniquitatis fructus edidit, juxta commune philosophorum axioma, « idem manens idem facit idem. » Idem ergo ei intus in corde mansit, qui eadem foris protulit ; et qui seipsum toties decepit, seipsum decipere moraliter prudenterque censetur, nisi certiora argumenta producat. Hujus fallacis dispositionis illustre exemplum in Antiocho sacræ Litteræ repræsentant. Hic namque post flagitia a Deo percussus, scelerumque ante patratorum horrore, et miserabilis status imagine permotus, et peccatorum granditatem agnovit, et confessus est, et dolorem expressit, et satisfactionem, nimirum Judæorum restitutionem, urbis sanctæ libertatem, templi cultum, sacrificiorum apparatum, veræ Religionis per totum quam late patet orbem propagationem spopondit, et veniam tot verbis amatorem intrinsecum significantibus, tot conversionis indiciis, tot splendidis pollicitationibus, quibus pares non videmus in nostris relabentibus, non promeruit. Quia nimirum tunc verba sine factis, lacrymulæ etiam, quibus interdum ad horam colliquescunt peccatores, ad explorandam veram conversionem non sufficiunt, sed ad decipiendum et peccatorem et ministros valent. Ergo et peccatori et sacerdoti videndum, vigilandum, orandum : videndum num vitæ christianæ æquabilitate et constantia sit in pietate stabilis, in opere efficax ; vigilandum ut novæ vitæ firmitate contra hostis communis et amoris proprii insidias muniatur ; orandum, ut continentem in Dei famulatu animum retineat ; et interim absolutionis sententia merito pœnitentibus ejusmodi sæpius relabentibus suspendenda est, quoad sacerdos intimos ac reconditos pœnitentis motus pro sua prudentia quibusdam dignis pœnitentiæ fructibus probatos habeat.

Instabis : In quacumque die ingemuerit peccator, salvus erit, ejusque Deus miseretur, et peccatorum ejus, testante sacro eloquio, non recordatur amplius. Ergo sacerdos more Dei peccatori ingemiscenti, peccataque cum dolore confitenti veniam sine mora confestim impertiri debet.

Respondeo Deum eximia sibi potestate addita cordis scrutari, unde peccatorem sua gratia sincere pœnitentem sine mora absolvit, quia internam animi affectionem pervadit, cui latentiora cordis arcana nuda et aperta sunt. At vero sacerdos de interno hominis habitu non nisi exterioribus signis judicat, ut causa cognita et explorata liget aut solvat, remittat aut retineat peccata. Cum igitur verba fidem amiserint in peccatore illo toties relabente ac semper promissa prorsus frangente ; ideo consulte aget, si justum spatium sumat ad factorum seriem ac novæ vitæ firmitatem spectandam, utque pervideat num peccator qui toties fuit irrisor, ad Deum reverti serio meditans, quæ ad pravas affectiones exuendas, arctamque cœli viam capessendam exequenda sunt, reapse exequatur. Præclare et opportune hanc ipsam objectionem prævidens et præ-

focans Ivo Carnutensis, qui sæculo Ecclesiæ duodecimo floruit, epist. 230. sic fatur : « Quærit Fraternitas tua, quomodo inter se conveniant prophetica sententia, quæ dicit : *In quacumque hora peccator ingemuerit, salvus erit*, et Synodalis, quæ crimina sua confitentes aliquandiu a corporis et sanguinis Christi communione suspendit? Repugnare tibi videntur, dissentireque sententia Capitis et Corporis : ut quos Caput, id est Christus, celeriter a peccato liberat, eos Corpus Christi, id est Ecclesia, sub pœna peccati diu ligatos retineat. Quæ quæstio facile solvitur, si interni judicis animadversio, et humanæ fragilitatis consideratio dilligentius attendatur. Cum enim criminalis culpa delinquentem separet a Capite et Corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus judex tanto remittat celerius, quanto solus magis videt interius. Judex vero qui tantum videt in facie, usque adeo delinquentes sub peccati pœna detineat, donec per manifestum pœnitentiæ fructum quis sit pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum satisfit interno judici, et idcirco indilata datur ab eo peccati remissio, cui manifesta est interna conversio. Ecclesia vero quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licet suscitatum, nisi de monumento elatum id est publica satisfactione purgatum. Hinc est quod Ecclesia sua crimina confitentes a Sacramentorum Communione suspendit, et in cinere et in cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, si jam sunt intus vivificati, cum fuerint longa pœnitentiæ maceratione probati. Si hæc attendat Fraternitas tua, videbis nec dissentire propheticam et synodalem sententiam ; cum illa deferat quod suum est Capiti, et ista concedat quod suum est Corpori. In discretione tamen Episcoporum est, secundum affectum pœnitentiæ tempus abbreviare vel prolungare, dicente beato Augustino : « In actione pœnitentiæ, « pro qua reus ab Altari separandus est, « non adeo consideranda est mensura tem- « poris, ut doloris. » His omnibus adde verba illa : *In quacumque hora ingemuerit peccator, salvus erit*, quæ sacræ Scripturæ nomine circumferuntur, in sacris libris non exstare, neque in ulla probata versione reperiri. Et, quamvis Ezechielis XVIII. et XXXIII. aliquid subsit quod eo accedere videatur, nunquam tamen fit peccatori spes veniæ, nisi vera ad Deum conversione mutetur. Ad veram porro conversionem exigit S. Propheta, ut projiciant omnes prævaricationes suas in quibus prævaricati sunt, ut faciant sibi cor novum et spiritum novum, ut faciant pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operati sunt, et custodiant omnia præcepta Dei, et faciant judicium et justitiam, et pignus restituant, et rapinas reddant, nec faciant quidquam injustum.

Dices : SS. Patres absolutionem et communionem ægrotis periculose laborantibus et reconciliationem extremo spiritu flagitantibus non negabant. Atqui peccatores illi sola verba et promissa habere possunt. Ergo præter verba et promissa nihil est aliud necessario absolutioni etiam a relabentibus præmittendum.

Respondeo quasdam esse circumstantias a prudentia christiana observandas, in quibus peccatori etiam infinities relapso, nulla quam verborum prolatione defuncto absolutio atque adeo sacra Communio impertienda est, quia nulla est lex adeo justa, nulla regula adeo generalis, in quam exceptio non cadat. Imo quia juxta commune effatum : « exceptio firmat regulam, » eo verior est statuta a nobis de absolutione relabentibus deneganda disciplina, quo eam nonnisi cogente extremæ infirmitatis necessitate violare licet. Quia ergo absolutio moribundis nulla præter verborum et lacrymarum pœnitentia excultis, quia nullum erat pœnitentiæ factis probandæ tempus, a Patribus impensa est, quoties tutioris viæ capessendæ copia existit, toties est absolutio inveteratis relabentibus deneganda. Illud etiam diligenter observandum, Ecclesiam primis sæculis reconciliationem iis denegasse, qui instante morbi periculo, quando peccata satisfactione redimere et expiare non poterant, veniam postulabant. « Idcirco pœnitentiam non agentes, » inquit Cyprianus epist. 52, « nec dolorem delictorum suorum toto corde, et manifesta lamentatione suæ professionis testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit ; nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum. » Idem statuit concilium Arelatense I. quod a concilio Arelatensi II. vocatur « Magna synodus, et ex omnibus mundi partibus congregata. De his qui apostatant, » inquit can. 23, « et ante-

quam se ad Ecclesiam repræsentent, nec quidem pœnitentiam agere quærunt, et postea infirmitate correpti petunt Communionem, placuit eis non dandam Communionem, nisi revaluerint et egerint fructus dignos pœnitentiæ.

Et, quamvis postea Ecclesia, ne Novatiani negantis veniam, asperitatem, et duritiem sequi videretur, aliquantulum de illa disciplinæ severitate remiserit, et peccatoribus totam vitam peccatis lethalibus maculantibus in extremo vitæ periculo non solum veniam, sed etiam Communionem quasi Viaticum profecturis indulserit, eas tamen morti vicinas pœnitentias et absolutiones semper suspectas habuit. « Dico, » inquit August. hom. 4, « in conspectu Dei timori vestro timorem meum. Qui autem non timet, timentem contemnit, sed malo suo. Certus sum, quia homo baptizatus, si vitam, non audeo dicere sine peccato (quis enim sine peccato?) sed vitam sine crimine duxerit, et alia peccata habuerit, quæ quotidie dimittantur in oratione dicenti : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ;* quando vitam finierit, vitam non finit, sed transit de vita in vitam, de laboriosa ad quietam, de misera ad beatam. Baptizatus autem desertor et violator tanti mysterii, si agat pœnitentiam ex toto corde, si egerit veraciter pœnitentiam, et solutus fuerit a ligamento quo erat obstrictus, et a Christi corpore separatus, et bene post pœnitentiam vixerit, sicut ante pœnitentiam vivere debuit ; post reconciliationem quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, a populo diaboli separabitur. Si quis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, et accipit, mox reconciliatur, et hinc vadit : fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsuminus quia bene hinc exit. Non præsumo, non vos fallo, non præsumo. Fidelis bene vivens securus hinc exit : baptizatus ad horam securus hinc exit. Agens pœnitentiam et reconciliatus, cum sanus est, et postea bene vivens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum et reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Unde securus sum, et do securitatem : unde non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Vis te de dubio liberare, vis cum incertum est evadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Tene certum, dimitte incertum. »

Idem repetit Doctor sanctissimus serm. 57. *de Tempore*, his gravissimis verbis : « Ego vos, dilectissimi Fratres, hortor atque commoneo, ut si quis ex vobis conscius criminum suorum, indignum se Communione Ecclesiastica putat, dignum se esse faciat. Dicitis, quomodo aliquis dignum se facere possit? Quomodo? Nisi errores pristinos relinquat, et pœnitentiam petat ; ut qui criminum suorum sorde pollutus est, exomologesis satisfactione mundetur? Nec illud servet ut in extremo vitæ suæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando jam agere non possit. Inutilis est enim, dilectissimi, ista persuasio : parum est peccatorem pœnittere, nisi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox peccatoris sola non sufficit : nam in satisfactione ingentium peccatorum non verba tantum, sed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non potest denegari : sed auctores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolvi. Quomodo enim agit pœnitentiam lapsus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus constitutus? Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est ; pœnitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur. Et ideo, dilectissimi, quicumque invenire vult misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, si sanus esse vult in futuro. »

Si igitur juxta Ecclesiæ sensum clarissimis illis Augustini verbis expressum morientium pœnitentia ex eo parum secura et suspecta est, quod eam nulli pœnitentiæ fructus antevertant, profecto sanis, robustisque peccatoribus iteratis prolaptionibus vitam suam maculantibus post peracta sinceræ pœnitentiæ opera absolutionis beneficium tutius conceditur, ut tanta sit in vulnerum curatione devotio, quanta fuit abrupta et vegeta ad malum mentis intentio ; ut factis et operibus solide se velle pœnitere probent, qui toties verborum fidem perfregere ; ut peccata peccator dimittat, non ipsum peccata ; votisque facta respondeant, non voluntatem facta refellant, juxta illud Augustini hom. 41 : « Quare securus es? Quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo et peccare potuisti. Si

autem tunc vis agere pœnitentiam ipsam quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. » Hac de causa Patres moribundos in extremis compellente necessitate absolutos ad pœnitentiam, si forte convalescerent, adigebant, non secus ac si absoluti minime fuissent. « Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta » (inquit concilium Arausicanum I. can. 3.) « placuit sine reconciliatoria manus impositione eos communicare, quod morientis sufficit consolationi secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi Communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant. » Idem sancivit concilium Carthaginiense IV. can. 76 : « Si supervixerit » (infirmus in extremis absolutus) « subdatur statutis Pœnitentiæ legibus, quamdiu sacerdos qui pœnitentiam dederit, probaverit. »

Instabis : Vulgaris vox est, vulgarisque sententia, nunquam homines ad cœlum facilius convolare, quam e patibulo et carnificina, quibus tamen peragendæ ante obitum pœnitentiæ spatium deest. Ergo pœnitentia non est criminosis qui vitam in flagitiis contrivere, ante absolutionem diu necessario peragenda.

Respondeo alienos fuisse Patres ab illa vulgari sententia, unde pro reis damnatis tam studiose deprecabantur, ut vita diutius producta pœnitentiam factis miseri illi probarent. « Nullo modo, » inquit Augustinus epist. 54, « culpas, quas corrigi volumus, approbamus ; nec quod perperam committitur, ideo volumus impunitum, quod placet ; sed hominum miserantes, facinus autem seu flagitium detestantes, quanto magis nobis ipsis displicet vitium, tanto minus inemendatum volumus perire vitiosum. Morum porro corrigendorum nullus alius quam in hac vita locus est ; nam post hanc vitam quisquis hac habebit, quod in hac sibimet conquisierit. Ideo compellimur humani generis caritate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut non possint finire supplicium. » Rebantur nimirum Patres paucarum horarum spatio ad mortem sancte obeundam non posse nocentissimos comparari, rarum esse et arduum post longam ætatem prave et nequiter actam cum Deo reconciliari, nisi justo tempore accurata pœnitentia peragatur ; feroque illum sapere, qui de faciendo Deo satis tum demum cogitare connititur, cum ad vitæ anteactæ, innumerisque flagitiis sordidatæ reddendam tremendo Judici rationem vocatur. Quia nimirum multorum annorum debita vix ac ne vix quidem pauculis horis exsolvuntur ; sed diuturna flagitia diuturnis lacrymis elugenda, et profunda vulnera profundæ humilitatis et pœnitentiæ medicina curanda sunt.

Dices : Si absolutio sacramentalis foret relabentibus differenda quoad mentis ad meliora conversionem, spatio accepto, quibusdam Pœnitentiæ fructibus testatam fecissent, posset peccatorum salus in discrimen venire : si enim, ut humana ferunt, repentina morte interim opprimerentur, periclitaretur æterna eorum salus. Quod est magnum inconveniens.

Respondeo inanissimum esse istud terriculamentum, et longe periculosissimum : inanissimum quidem, utpote ab omnibus Patribus, tametsi de animarum salute sollicitissimis, pro nihilo habitum, a S. Carolo Borromæo absolutionem sæpe differri jubente floccifactum, a theologis affirmantibus fas esse sacerdoti in pluribus casibus ad certum tempus absolutionem differre, nihil factum. Periculosissimum vero et maligni spiritus arte confictum, ut una restaurandorum peccatorum via præcludatur. Sane miranda vel potius deploranda est peccatoris absurda calliditas, quando vita sordibus immergebatur, quando mores ethnicos et belluinos ducebat, quando in medio flagitiorum atque impuritatum cœno secura mente volutabatur, nullo tunc impendentis mortis periculo exagitabatur, nulla incessebatur judiciorum Dei cogitatione, nullum sibi repræsentabat discrimen, ut a peccatis concipiendis patrandisque abduceretur, sed omnem pellebat, extinguebatque timorem, ut in crimina et crebrius rueret et suavius. Jam vero dum crimina tantisper lugenda sunt, dum factis dignisque pœnitentiæ fructibus probanda firmandaque est mentis conversio, mortis metum opponunt, ubi timendum fuerat nihil veriti, ibique absurdissime trepidantes timore ubi non est timor. Assimilatur inanis ille metus fallaci peccatoris pudori, quem deponit ut pudenda committat, quove iterum perfunditur, ut commissa ne fateatur.

Accedit præterea primo, valde decipi miseros cæcosque peccatores et confessarios, dum putant hac præpropera præcocis absolutionis facilitate salutem contra mortis pericula in tuto collocare. Tum quia experientia rerum magistra et agendorum luce compertum est facilitate veniæ peccatorem semel absolutum, sin mox, certe post pauculos dies in scelera relabi ad plures menses. Ergo absolutione, quam ne temporis quidem momento differendam vult, non expeditur peccator ab exitiali peccati servitute, nec ejus proinde salus in tuto collocatur. Ille enim duntaxat salutem consequetur, cujus firma est et stabilis in Dei famulatu voluntas : quam utique firmitudinem non absolutionum prodigalitas, sed salutaris dilatio et diuturni pœnitentiæ labores formant.

Accedi secundo, verum pœnitentem, qui cum spe veniæ ad Deum convertitur, his terriculamentis non permoveri, tum quia iram Dei quam provocavit, placare duntaxat satagit. Tum quia jactans cogitatum suum in Domino, illique omnem spem suam committens, cujus providentiæ legibus omnia gubernantur, illius se clementiæ permittit, ab eaque lucis usuram expiandis criminibus tantopere necessariam sperat, quæ eum tum vivere sivit, cum vitæ beneficio ad multiplicanda scelera abutebatur : nec ab eo se deseri extimescit, cujus patientia in mediis criminibus peccatorem pertulit, ut eum ad pœnitentiam adduceret. Si enim coacervantem per impœnitentiam thesaurum iræ peccatorem tam amanter accepit Deus, absit ut tum iram profundere incipiat, cum ad thesaurum misericordiæ seriis pœnitentiæ fructibus properare pro virili conatur.

Accedit demum, quod si pœnitens in pœnitentiæ stadio moriatur (quod ægre prorsus advenit ob sacerdotum copiam qui in mortis articulo absolvere quemcumque possunt, et ob casus raro contingentes qui non cadunt sub scientiam, non est evertenda fundatissima et omnibus utilissima disciplina) ; de illius tamen salute bene sperare congruit, qui ad beneficium absolutionis, quam ardenter concupiscit, constitutis a Patribus modis se instruit. Felix illa mors censenda est, quæ pœnitentem in tam sancta exercitatione occupat. Supplebit sine dubio sacerdos invisibilis visibile Ecclesiæ ministerium, in gratiam eorum qui ab absolutione sacramenti Pœnitentiæ humiles recesserant, ut pœnitentiam honorarent. « Pro his, » inquit, concilium Vasense sub Leone I. can. 2, « qui pœnitentia accepta, in bono vitæ cursu satisfactoria compunctione viventes, sine Communione inopinato nonnunquam transitu in agris aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, et eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam : quia nefas est eorum communicationes excludi a salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fidei affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt, et indignos salutiferis mysteriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque Sacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putasset. » Quia nimirum semper existimavit Ecclesia, humilitatem animi divinis Pœnitentiæ legibus sese subjicientis, nulli unquam detrimento, sed singulari emolumento esse ; nec Deum ei defuturum qui a sacramentorum usu discessit, quo ad sacramenta paratior evaderet. Ut eorum exemplo posset confirmari, qui cum Baptismi sincero voto ante susceptum Baptisma mortem obeunt, de quibus, dum de Baptismo disserebamus, satis actum est ; cum tamen non minus catechumeno Baptisma, quam peccatori sacramentum Pœnitentiæ necessarium sit. Ergo ex mente Patrum certius saluti suæ consulit, qui sacramentorum puriori animo adeundorum causa stadium præscriptæ pœnitentiæ constanter decurrit, etiamsi repentina morte abripiatur ; quam qui præproperam medicinam quærens, suique judicis judicem agens, nullum veræ conversionis argumentum prius edere vult, quam ut sacramentorum usu reconcilietur. Quia a cœlesti Altari æternum illos non separatum iri credendum est, qui peccatorum suorum vero dolore ab Altari Ecclesiæ seipsos removent. Et, sicut, testante Veritate, qui se humiliaverit exaltabitur, ita qui se ab Altari secessione noluerit humiliari, in æternum dejicietur.

Objicies quarto : Præcepto Ecclesiæ in magno concilio Lateranensi edito tenetur omnis utriusque sexus fidelis ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum reverenter accipere : ad Eucharistiam vero nemo peccati conscius accedere debet, nisi prævia confessione et absolutione sacramentali munitus, si sacerdotis copia non desit, ut ex alio concilii Tridentini decreto liquet. Ergo ut relapsus post iterata flagitia præceptum

illud possit implere, debet sine cunctatione absolvi, ut intra quindenam Paschalem cœlesti cibo pasci queat.

Respondeo Magnum Lateranense concilium præceptum communionis Paschalis edicens, hanc objectionem occupasse, decretum suum hac exceptione temperans : « Nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum. » Causa autem maxime rationabilis, imo fere unica differendæ ad tempus absolutionis et communionis, est cura agendæ pœnitentiæ, qua quis non contemptu, vel negligentia, vel animo alieno, sed humilitatis, modestiæ, ac doloris causa a tremenda mensa tantisper abest, quo deinde pœnitentia purgatus ad ipsam religiosius et paratius sese referat. Cujus etiam signum est, quod Ecclesia tempus Paschali communioni definiens, confessionis tamen tempus pœnitentium arbitratui permisit, nec ad festum Paschatis confessionis itidem ut communionis præceptum astrinxit, ut nimirum integrum esset fidelibus post confessionem in pœnitentia versari, quod ad cœlestis cibi esum paratiores possent accedere. Hinc in diœcesibus admonentur peccatores, ut lethalia scelera ineunte Quadragesima confiteantur, ut illa quadragesimali jejunio, orationibus et eleemosynis munito purgantes, ad Paschalem sese communionem accingant. Hujus moris meminit Petrus Blesensis in sermone diei Cinerum : « Cum initio jejunii, » inquit, « debet esse initium confitendi. Unde in fine Quadragesimæ de ablutione pedum discipulorum legitur vel dicitur : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Non dixit qui lavandus est, sed *lotus* : nec dixit, nisi ut faciem et pedes lavet, sed tantum *pedes*. Ac si dicat : In principio jejunii debet quis criminalia peccata lavare, pure, et humiliter confiteri; in fine venialia quæ contraxit. » Meminit etiam S. Thomas in opusculo *de Sacramento Altaris*, cap. 16: « Ideo, » inquit, « statuti fuerunt ante Pascha quadraginta dies pœnitentiæ, ut his peractis in jejuniis et orationibus, et continentia, et bonis operibus, tunc possint communicare pœnitentes cum aliis bonis Christianis. » Meminit etiam sacrum concilium Tridentinum moris ejusdem sess. 14. cap. 5. aitque, « cum ingenti animarum fidelium fructu observari morem illum salutarem confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimæ, » non quidem in fine, ut abusus irrepsit, sed sub ipsis sacri illius temporis initiis, ut olim constitutum erat. Ita enim habetur in notis ad concilium Tridentinum ex Bibliotheca Cardinalis Bellarmini; ita intellexit S. Carolus Borromæus, ut in actis et Decretis ejus non semel patet ; ita synodus Cameracensis anno 1604. coacta, tit. 8. cap. 16. et Bituricensis titul. 21. cap. 21, et titul. 22. can. 5. morem illum instaurarunt : Ne quis sine contritione et confessione, et satisfactoriis operibus non digne præmunitus ad Eucharistiam sumendam accedat.

Urgebis : Opera pœnitentiæ ante gratiam justificationis elicita nihil prosunt ad salutem, quippe quæ sine caritate mortua sunt, et quia ex arbore mala (qualis est homo a caritate desertus) non possunt boni fructus proficisci. Ergo prius gratia remissiva peccati beneficio promptæ absolutionis impertienda foret et non differenda, ut fructuosa et non inania evaderent injuncta pœnitentiæ opera.

Respondeo bona quævis opera, puta jejunia, vigilias, orationes, carnis afflictationes, eleemosynas, aliasque virtutum exercitationes nihil illis quidem prodesse qui peccato mortali ita hærent, ut illius voluntatem semper foveant, nec ab eo se expedire conentur ; et in hoc sensu verum est theologorum proloquium, nihil fieri ab homine mortali culpæ addicto, quod Deo probari et gratum esse possit ; veræ etiam in hoc sensu sunt Scripturæ voces contestantes peccatorum oblationes et sacrificia Altissimum abominari, orationes quoque eorum fieri in peccatum. Et hæc est a Patribus damnata falsa quorumdam securitas, qui sceleratissime viventes, vitamque et mores corrigere non curantes, quibusdam operibus ex officio bonis peccata sua se redimere opinantur ; « rati, » ut ait S. Eligius hom. 8, « ut cum crimina quotidiana committant, quod Deus corruptorum judicum more pecuniam accipiat; et peccata dimittat. Accipit plane, » subdit S. Pater, « Deus pecuniam, et eleemosynis delectatur; ea tamen ratione, ut unusquisque peccator, quando offert Deo pecuniam, offerat illi et animam suam. Quænam enim, Fratres, justitia est, ut aliquis criminosus pecuniam suam per eleemosynam Deo offerat, et animam suam diabolo per iniqua opera tradat? Per pecuniam imaginem Imperatoris offert Deo, et in seipso imaginem Dei

tradit diabolo. » Frustra ergo qui hujusmodi sunt, confidunt cœlum emere, dum quotidianis sceleribus æternam sibi damnationem accersunt.

At longe alia de illis ratio est, qui sacro compunctionis spiritu acti, et peccatorum dolore a Spiritus sancti impulsu profecto commoti, vitam reformare, et in novitate vitæ ambulare incipiunt. Unde in illis hujusmodi opera, quæ ad gratiam viam parant et muniunt non irrita et vana, non supervacanea vel mortua censenda sunt, utpote ab auctore vitæ inspirata, et desiderio melioris vitæ effecta. « Vere enim, » inquit egregie Cardinalis Bellarminus lib. 3. *de bonis Operibus in particulari*, cap. 3 : « Ejusmodi eleemosynæ, partim ut dispositiones ad justificationem, peccatum etiam quoad culpam suo modo delent, dum gratiam impetrant justificationis. » Et cap. sequenti probat ejusmodi opera ad gratiam justificationis disponere, si fiant ab eo qui pœnitentiam agere incipit. Peccatores quidem Deus non exaudit, qui peccare et in peccato perseverare intendunt ; sed exauditur peccator, qui vult desinere esse peccator ; exauditus enim est, qui oculos in terram demittens et pectus percutiens, de corde bono aiebat : *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Videatur Augustinus tract. 44. *in Joan.* et lib. 2. *contra epist. Parmen.* cap. 8.

Insistes : Nullum bonum sine gratia homo efficere potest ; nam, ut concinit Ecclesia in prosa Spiritus sancti, « sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium. » Ergo supervacanea opera quæque sunt ante gratiam justificationis (quæ Sacramento absolutionis alligata est) elicita.

Respondeo nomen *gratiæ* (ut ex toto de gratia tractatu satis liquet, ubi rem hanc accurate distinximus) non solum pro gratia habituali et sanctificante usurpari, sed pro auxilio etiam Dei moventis, et adjuvantis accipi. Nam præter donum gratiæ habitualis, quam Scriptura et Patres vocant « gratiam regenerationis, gratiam remissionis peccatorum, gratiam adoptionis, gratiam inhabitationis, qua amici et filii Dei constituimur, qua ejusdem consortes naturæ evadimus, qua Dei templa consecramur, qua tota Trinitate specialibus inhabitante fruimur, quæve in parvulis baptizatis invenitur ; » præter illam, inquam, gratiam, aliud est auxilium ad singulos actus bonos necessarium, mentem illustrans, voluntatem movens, et ad opera sancta applicans, quod Augustinus lib. *de gestis Pelagii*, cap. 14. appellat « subministrationem Spiritus, ut ad actus singulos adjuvemur ; » et lib. 4. *ad Bonifacium.* cap. 5, « inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus. » Hanc distinctionem paucis expressit idem Augustinus epistol. 105. his verbis : « Aliter Spiritus adjuvat nondum inhabitans, aliter inhabitans. »

Itaque ut opera sint bona, non est necesse quod a gratia habituali proficiscantur, sed sat est quod a gratia actuali oriantur ; unde et opera justificationem antecedentia, ab eo auxilio manantia, bona esse, et ad gratiam justificationis disponere, sacrum Tridentinum concilium verissime contra Novatores definivit. Quia nimiram, licet tota justificationis œconomia gratuita sit, et a sola Dei misericordia dependeat ; ita tamen suaviter a Deo disponitur, ut ad majora dona homo per minora instruatur, et per auxilia, et per opera ab illis profecta ad gratiam sanctificantem præparetur. « Ignoscis confitenti, » ait August. *in Ps.* XXXVII. Deum alloquens, « ignoscis, sed seipsum punienti. Ita servatur misericordia, et veritas : misericordia, quia homo liberatur ; veritas, quia peccatum punitur. Plangenda sunt peccata, quomodo audistis plangere istum. Quoniam ego cognosco, et curam gero pro peccato meo. Ne securus sis cum confessus fueris peccatum, tanquam semper præparatus ad confitendum et committendum peccatum. » (Ecce graphice descriptam eorum falsam fiduciam, qui de peccatis duntaxat confitendis solliciti sunt.) « Sic pronuncia iniquitatem, ut curam geras pro peccato tuo ; hoc est enim curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiose et sedulo agere, ut sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed forte lacrymæ currunt, et manus cessant : fiant eleemosynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut tu gaudeas de dato Dei. Hoc est, curam geram pro peccato meo, faciam omnia quæcumque facienda sunt ad abluendum et sanandum peccatum meum. »

Argumenta etiam facta falsum supponunt, nempe peccatores invecteratos post infinitos relapsus, mox ut confessi fuerint, beneficio absolutionis gratiam obtinere, unde possint opera deinde sequentia Deo accepta et grata efici. Id autem gratis supponitur, cum juxta Patres et recentiores etiam Doctores spirita-

les, vel falsa, vel certe suspecta sit illa pœnitentia quæ semper plangenda committit, et præpropera absolutio, non remissio peccati, sed facilitate veniæ incentivum sit culpæ ; non peccati remedium, sed blandimentum, et inane, et noxium operimentum. Quod cum variis Patrum locis demonstraverimus, visum Papæ Gelasii epist. 3. testimonium satis superque sufficiet : « Remitti culpa de præterito potest, inquit, correctione sine dubio subsequente. Nam, si deinceps finitur mansura perversitas, non est benignitas remittentis, sed consentientis assensio. » Atqui innumeris experimentis constat, nullam subsequutam fuisse correctionem et emendationem, sed perversitatem mansisse. Ergo frustra sperant absolutione veniam, qui factis probant veram se non agere pœnitentiam : frustra conqueruntur sibi denegari absolutionem, qui Sacramento ad sacrilegium abuterentur ; nec ipsi absolverentur, sed Sacerdotem ligarent, ac reum efficerent male dispensati sanguinis Christi, ac Sacramenti invaliditati temere expositi. Expectanda ergo tunc est cordis pœnitentis per quædam facta probatio, sine quibus suspecta est inveteratorum relabentium conversio. « tunc bene conversum peccatorem cernimus » (ait Magnus Gregor. lib. 6. *in* I. *Regum*), « cum digna afflixionis austeritate delere nititur quod loquendo confitetur (1). »

(1) Hæc de Pœnitentia scribentem, et nihilo secius populis per Adventus conciones commendabilem Auctorem immatura mors oppressit, Creolii Diœcesis Bellovacensis, die 27. decemb. an. 1674. ætatis 34. Atque hoc acerbo casu magnæ exspectationes extinctæ sunt, et egregii Operis curs s interruptus. Jacturam tamen tantisper consolatur, quod quæ de reliquis Sacramentis hic desiderantur, ejusmodi sunt, ut Operis perfectioni non multum derogent. Partius enim in Scholis attingi solent, ut quæ casuum Tractatores magna ex parte sibi suo jure vindicant, apud quos facile legi poterunt.

THEOLOGIÆ MENTIS ET CORDIS

LIBRI XI.

DE DEO SALVATORE

PARS QUARTA ET ULTIMA

DE SACRAMENTIS EXTREMÆ-UNCTIONIS, ORDINIS ET MATRIMONII.

DISSERTATIO I

De Sacramento Extremæ-Unctionis.

Plures sunt unctiones, quæ etiam num in Ecclesia vigent ; nam ut omittam unctiones quibus altaria, templa, calices, etc. consecrantur, prima unctio quæ ad personas spectat, est unctio cathecumenorum, quos nondum baptizatos, oleo simplici benedicto sacerdos ungit in pectore, et inter scapulas ; secunda est baptizatorum, quos chrismate ungit sacerdos in vertice ; tertia est, qua qui confirmantur, ab Episcopo unguntur in fronte ; quarta ea est, qua Principes sæculares in humero, vel brachio unguntur : quinta est unctio sacerdotum, aut Episcoporum, quæ fit in illorum ordinatione ; sexta est illa quæ infirmis vita periclitantibus solet adhiberi. Hæc ultima unctio *Extrema-unctio* recte nominatur ; nam, licet olim fuerit unctio quædam mortuorum, ut videre est Marci XVI. et apud Dionysium Areop. lib. *Eccles. Hier.* cap. ult., hæc tamen ultima jam pridem abolita est, sicut etiam illa qua inungebantur olim energumeni, teste Beda *in Marc.* VI et *Luc.* VIII.

CAPUT I.

ESSENTIA ET INSTITUTIO SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS EXPLICANTUR.

Unctionem infirmorum Sacramentum esse negant nostri temporis Sectarii : an vero in eodem errore fuerint Waldenses, Albigenses, Hussitæ, et Wiclefus, non ita certum est. Quamvis enim communiter affirment scholastici, contrarium tamen videtur probabilius ; nam error iste neque reperitur inter articulos damnatos Joannis Hus, neque inter errores Wiclefi, quem præterea Thomas Waldensis ab ea accusatione absolvit. Albigenses autem in sua Fidei professione ad Vladislaum Regem, ita loquuntur : « Sacramenta septenario inclusa numero, Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus. » De Waldensibus major forsitan erit difficultas : nihilominus non tam Sacramenti hujusce naturam videntur reprobasse, quam varios

errores qui circa illius administrationem subrepserant, ut quod daretur tantum divitibus, quia scilicet plures sacerdotes adesse, atque duodecim luminaria accendi necessarium dicebatur, etc. Reprobarunt præterea olei consecrationem : verum illam non esse ad valorem Sacramenti absolute necessariam, multi etiam e Catholicis affirmarunt.

Extremam igitur Unctionem e Sacramentorum numero dum expungunt hæretici, non est quod de erroris sui antiquitate glorientur. Quod autem attinet ad abusus, quos Waldenses exprobrabant, Ecclesiæ Catholicæ tribui minime debent, cum illos semper Ecclesia condemnarit : nam in synodalibus Constitutionibus Odonis Patris Episcopi Parisiensis, sæculo duodecimo editis, hæc habentur : « Cum reverentia deferatur oleum sanctum ad infirmos, et eos ungant sacerdotes cum magno honore, et orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ, et inde nihil penitus exigatur, sive a paupere, sive a divite. » Idem legitur in synodalibus Galonis et Simonis Legatorum Sedis Apostolicæ in Galliam missorum per Innocentium III. synodus Andegavensis anni 1293. hæc habet : « Nos quoque accepimus, referentibus fide dignis, quod illud Sacramentum, sine quo, ut dicunt sancti, periculosum est ex hac vita migrare, ex quadam negligentia omittatur ; imo ut verius loquamur, ex Sacerdotum rapacitate et avaritia, qui in collatione hujus Sacramenti novas et insolitas exactiones inducunt, aliquando petendo linteamina, quibus jacens inungitur ægrotans.... Caveant quoque dicti Rectores, et Capellani, ne in dicti collatione Sacramenti illicitas exactiones faciant, si divinam et canonicam voluerint effugere ultionem. » In synodalibus Rhemensis, et Trecensis Ecclesiæ habitis circa initium decimi quinti sæculi, hæc leguntur : « Ne propter hoc aliquid exigat, nisi ex postfacto pro labore aliquid de consuetudine debeatur. » Synodus Senonensis anni 1524. idem constituit : « Moneant sacerdotes suos parochianos omnes, tam pauperes, quam divites, ut Extremam Unctionem digne, reverenter et devote petant et accipiant, quando ex aliqua gravi infirmitate se in periculo mortis existimant constitutos. »

SPECULATIO I.

Extrema-Unctio est verum legis novæ sacramentum a Christo Domino institutum.

Partem primam, nimirum unctionem infirmorum esse verum legis novæ sacramentum, probari a nobis debet adversus Lutheranos et Calvinistas, qui contrarium sentiunt. Ut autem in probationibus nostris aliquis ordo servetur, sit primus nostræ sententiæ patronus

S. Jacobus Apostolus.

Prima auctoritas erit Jacobi Alphæi, fratris Domini, et Jerosolymorum Episcopi, qui cap. 5. « suæ Epistolæ canonicæ », sic loquitur : « Infirmatur quis in vobis ? Inducat » (sive ut est in Græco, *evocet*, aut *accersat*) « Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei. » Ex his verbis apparet, unctionem infirmorum esse signum sensibile, perpetuum, collativum gratiæ sanctificantis : nam primo unctio ex oleo est signum sensibile ; secundo hæc unctio juncta orationi remittit peccata ; est igitur collativa gratiæ : tertio illa verba, *infirmatur quis in vobis*,) etc. sunt sine ulla temporis limitatione. Ergo prædicta unctio est signum sensibile, perpetuum, collativum gratiæ : est igitur verum novæ legis Sacramentum.

Objicit Lutherus, hanc Epistolam non esse canonicam, atque adeo fidem illi non debere adhiberi : id autem ex eo potissimum probant, quod de illius auctoritate quidam sancti Patres olim dubitarint.

Respondeo verum quidem esse, quosdam olim dubitasse de auctoritate dictæ Epistolæ : verum hæc dubitatio paucorum fuit, et per Innocentium Papam penitus sublata est. Quod hæc dubitatio paucorum fuerit, docet Eusebius, qui lib. 2. *Histor.* cap. 22. de ea Epistola hæc scribit : « Etsi a quibusdam tanquam adulterina ac minime germana propterea judicetur, quod non adeo multi ex veteribus illius Epistolæ, sicut nec ejus, quæ dicitur Judæ, mentionem faciunt ; tamen nos istas cum reliquis in quamplurimis ecclesiis publice receptas, approbatasque cognovimus. » Hæc autem paucorum dubitatio paulatim amovebatur : ait enim D. Hieronymus

in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, quod hæc Jacobi Epistola « paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem ». Postquam autem Innocentius Papa ad Exuperii Episcopi Tolosani rogatum definivit illam Epistolam esse canonicam, tum omnis, ut dixi sublata est dubitatio, vixque aliquem reperies qui post id tempus de Epistolæ illius auctoritate dubitarit, si Lutherum, illiusque sectatores excipias.

Objicit secundo Calvinus cum suis S. Jacobum loqui de ea unctione de qua loquitur Marcus, quæ unctio fiebat non ad remittenda peccata, sed ad sanitatem corporis conferendam. Atqui unctio quæ corporalem tantum sanitatem confert non est sacramentum. Ergo unctio de qua loquitur divus Jacobus, non est sacramentum.

Huic objectioni dupliciter occurrunt Catholici ; nam Theophilactus, et Beda credunt apud Marcum, et apud Jacobum eamdem unctionem describi ; quocirca negant unctionem de qua loquitur Marcus, solam corporis sanitatem conferre, cum idcirco tantum per ejusmodi unctionem corpora sanarentur, ut mentes miraculo curationis repentinæ crederent Evangelio. Ita Maldonatus, qui vult hoc sacramentum etiam nondum baptizatis ab Apostolis nondum fortasse presbyteris fuisse collatum.

Respondent secundo alii Catholici, et quidem probabilius, negando eamdem esse unctionem quæ describitur tum apud Marcum, tum apud Jacobum : quare concedunt unctionem quæ describitur Marci VI. non fuisse sacramentum. Primo, quia videtur præcipue collata propter sanitatem corporis ; secundo, quia non soli decumbentes, sed etiam cæci, leprosi etc. illa ungebantur ; tertio, quia non solum fidelibus, sed etiam non baptizatis tribuebatur hæc unctio ; quarto, quia probabilius est tunc Apostolos nondum fuisse Sacerdotes. Itaque unctio quæ habetur Marci VI. non fuit Sacramentum, licet fuerit figura quædam, imo repræsentatio unctionis apud divum Jacobum expositæ, quam verum esse Sacramentum superius ostendimus.

Objiciunt tertio, sermonem Apostoli superius relatum figuratum esse, ita ut S. Jacobus dum præcipit ægrum oleo ungere, nil aliud præcipiat quam ægrum illius animum verbi Dominici suavitate delinire. Ita quidam sectarii, qui ut hæreticis mos est, commentitio tropo verum Scripturæ sensum conantur depravare.

Respondeo, hanc illorum interpretationem omnino falsam esse. Primo, quia loquendi simplicitas, qua hic utitur D. Jacobus, a tropico loquendi modo est penitus aliena. Secundo, quia unctio hæc non magis tropice sumi debet quam unctio quæ habetur apud Marcum, quæ sine tropo ab omnibus intelligitur. Tertio quia tropicum hunc sensum nullus Patrum agnovit.

S. Eusebius. Origenes.

Apud Burchardum lib. 18. cap. 11. habetur canon Eusebii Papæ et Martyris, qui tertio sæculo vigebat, quo sacerdos jubetur ægrotum oleo sancto ungere.

Eodem tertio sæculo vigebat Origenes, qui homilia 2. *in Levit.* enumeratis sex modis quibus remittuntur peccata, nimirum Baptismo, martyrio, eleemosyna, condonatione offensarum, conversione cordis, et abundantia caritatis, sic deinde prosequitur : « Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam, secundum eum qui ait : *Dixi pronunciabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei;* in quo impletur et illud quod Apostolus dicit : *Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, et imponant ei manus ungentes eum oleo in nomine Domini.* » Credidit igitur Origenes, unctionem infirmorum simul cum oratione remissionem peccatorum conferre. Ergo credidit illam esse Sacramentum.

Objicies primo : Origenes loquitur hic de unctione quæ est pars sacramenti Pœnitentiæ : non ergo loquitur de unctione infirmorum, quam Catholici contendunt esse Sacramentum a sacramento Pœnitentiæ distinctum.

Respondeo Origenem loqui de unctione infirmorum, ut clarum est, cum citet verba D. Jacobi. Circa hoc vero quod eam habeat tanquam partem Pœnitentiæ, notandum est, pœnitentiam aliquando strictius sumi pro sacramento Pœnitentiæ proprie dicto, aliquando latius pro universa pœnitentia

christiana, quæ præter sacramentum Pœnitentiæ proprie dictum, sacramentum Extremæ Unctionis etiam includit : unde concilium Trid. sess. 14. initio doctrinæ quam tradit de hoc Sacramento, dicit « illud non modo pœnitentiæ, sed et totius christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum esse a Patribus. » Non dissimili etiam sensu Sacramentum Confirmationis dictum est a sanctis Patribus consummatio, et perfectio sacramenti Baptismi.

Objicies secundo, homiliam citatam non esse Origenis, sed Cyrilli Alexandrini nomine ab Hervageo excusam. Ergo non potest probare unctionem infirmorum fuisse in usu tertio sæculo.

Respondeo dictam homiliam Origenem valde sapere. Primo, quia in illa continentur errores qui solent Origeni attribui, ut quod animæ sint ante mundum creatæ, quod ob sua flagitia in corpora tanquam in vincula detrudantur, quod inferorum supplicia sint aliquando finem habitura. Secundo quod Ruffinus illam tanquam Origenianam in Latinum transtulerit. Ex quibus sufficienter indigitatur eam esse Origenis.

Sanctus Joannes Chrysostomus.

Quarto sæculo S. Joannes Chrysost. lib. 3. *de Sacerdotio*, ubi Sacerdotum dignitatem commendat, sic loquitur : « Neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. » Quod confirmat ex his Apostoli verbis : *Infirmatur inter vos aliquis, accersat Presbyteros*, etc. Credidit igitur divus Chrysost. sacerdotes habere potestatem remittendi peccata adhibendo olei unctionem, et orando super infirmum; atque adeo illam infirmorum unctionem esse Sacramentum.

Innocentius I.

Eodem quarto sæculo floruit Innocentius I. cujus hæc sunt verba in epistola *ad Decentium Episcopum Eugubinum*, cap. 8 : « Quoniam de hoc, sicuti de cæteris consulere voluit Dilectio tua, adjecit etiam filius meus Cœlestinus diaconus in epistola sua esse a tua Dilectione positum illud quod in B. Jacobi Apostoli epistola conscriptum est : *Si infirmus aliquis in vobis est, vocet Presbyteros, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et si peccata fecit, remittentur ei* : quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo. » Et paulo post : « Pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti ; nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? » Tandem hortatur Decentium, ut in sua Ecclesia Romanam de hoc sacramento consuetudinem servet. Ex quo intelligere est, hanc Ecclesiæ Romanæ consuetudinem ex Apostolorum traditione esse profectam.

Quæres cur Innocentius dicat hoc sacramentum non posse pœnitentibus concedi.

Respondeo, Innocentium illic loqui de pœnitentibus publicis, ac nondum reconciliatis, quibus scilicet prius reconciliatio concedi debet quam Extrema-Unctio.

S. Augustinus,

S. Augustinus, qui quinto sæculo scripsit, in *Speculo* inter ea quæ sunt de præcepto in lege nova, refert verba sancti Jacobi, *Infirmatur quis in vobis*, etc. Ergo existimavit in lege nova præceptum esse infirmis, ut a sacerdotibus ungantur, quo scilicet peccatorum remissionem possint obtinere.

Libro 5. *de Baptismo* contra Donatistas, cap. 20. sic loquitur idem August. : « Cur autem ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, possit tamen Deus oleum sanctificare, » etc. Et paulo post : « Si ergo ad hoc valet quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen et fiunt, et valent, etc. » Hinc manifeste apparet, Augustinum credidisse Extremam-Unctionem esse sacramentum, cujus effectus a bonitate, aut malitia ministri non dependet. Item sermone 215. *de Tempore*, sic loquitur idem Augustinus : « Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui ægrotat accipiat ; et inde corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est, impleatur in eo : *Infirmatur ali-*

quis, etc. Videre, fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, et corporis sanitatem recipere, et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. » Quo nil clarius dici potest ad ostendendum, unctionem infirmorum gratiam producere, ac proinde esse sacramentum.

S. Cyrillus Alexandrinus.

S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus lib. 4. *de adoratione in spiritu et veritate*, contra incantationes proponit duo genera remediorum, orationem scilicet, et unctionem præceptam a divo Jacobo : « Commemorabo etiam, » inquit, « divinitus inspiratam Scripturam, quæ ait : *Infirmatur quis in vobis? inducat*, etc. »

Victor Antiochenus.

Victor Antiochenus ad hæc verba Marci VI : *Ungebant oleo*, hæc habet : « *Infirmatur*, etc. Oleum inter alia et laborum molestias mitigat, et lumen fovet, et hilaritatem conciliat. Oleum igitur, quod in sacra Unctione adhibetur, et Dei misericordiam, et morbi sanationem, et cordis illuminationem denotat. Dici tamen potest, orationem hæc omnia efficere ; oleum autem eorum omnium, quæ fiunt, externum tantum symbolum esse. » Credidit igitur auctor prædictus, unctionem infirmorum esse sacramentum, licet præcipuam illius vim orationi, formæ scilicet tribuerit, sicut D. Aug. effectum Baptismi tribuit verbis prolatis, dum ait : « Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo, » etc.

S. Gregorius Magnus.

S. Gregorius, qui sæculo septimo floruit, feria 5. in Cœna Domini, in suo *Sacramentario* hæc habet : « Tunc offertur Pontifici oleum, et benedicit eum tam ipse, quam omnes Presbyteri, ad ungendum infirmum, his verbis : Emitte, Domine, Spiritum sanctum tuum Paracletum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis : ut tua sancta benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis et corporis, ad evacuandum omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis. »

Theodorus Cantuariensis.

Theodorus, quem anno 668. Cantuariensis Ecclesiæ archiepiscopum ordinavit Vitalianus Papa, Pœnitentiale composuit, cujus hæc verba referuntur a Burchardo cap. 54. et ab Ivone Decreti parte 15. cap. 36 : « Ab infirmis in periculo mortis positis pura est inquirenda confessio.... Et ideo secundum auctoritatem canonicam, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus et consolationibus ecclesiasticis, sacra cum unctione olei inuncti secundum statuta sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur. »

Beda.

Beda Presbyter Anglus, qui octavo sæculo floruit, ad hæc verba Marci VI : *Et exeuntes*, etc. hæc habet : « Dixit Apostolus Jacobus, *Infirmatur*, etc. Unde patet ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut energumeni, vel alii quilibet ægroti ungantur oleo Pontificiali benedictione consecrato. » Et in hæc Jacobi verba, *Infirmatur*, etc. ait : « Hoc et Apostolos fecisse, et nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris, et oratione comitante sanentur. » Præterea Guillelmus Malmesburg. lib. 1. *Histor.* cap. 3 scribit Bedam secundo ante mortem die sacramentum Unctionis accita congregatione suscepisse. Idem etiam refert Trithemius.

Dices : Unctio de qua loquitur Beda, tradebatur energumenis. Ergo non erat Extrema-Unctio, quæ a Catholicis dicitur esse sacramentum.

Respondeo, Bedam docere quidem, quod ungebantur energumeni, non vero eamdem fuisse unctionem energumenorum, et infirmorum.

Capitularia Caroli Magni.

In Capitularibus Caroli Magni, qui nono sæculo floruit, lib. 2. cap. 162. hæc habentur : « Ut Presbyter in Cœna Domini tres ampullas secum deferat, unam ad chrisma, alteram ad oleum ad cathecumenos, tertiam ad infirmos, juxta sententiam Apostolicam, ut quando quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ. » Et lib. 6. cap. 75. hæc leguntur : « Si infirmitate depressus quis

fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione Sacramenti olei careat. »

Concilium Cabilonense.

Concilium Cabilonense II. anno Domini 813. celebratum, canonem 48. sic condidit: « Secundum B. Jacobi Apostoli documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent; sic enim ait, *Infirmatur*, etc. Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus. »

In hoc eodem sæculo multa alia concilia eamdem catholicam veritatem stabiliunt. Concilium Aquisgranense an. 836. can. 36, Moguntinum an. 847. cap. 26, Regiaticinium an. 850. cap. 8, Wormatiense an. 868. can. 72.

Osbernus in *Vita sancti Dunstani* Cantuariensis Archiepiscopi ait, quod leguntur hæc verba cujusdam matronæ ad sanctum Dunstanum adhuc monachum: « Tantum precor, ut cras ad me venias, et mihi cum sacramento sacræ Inunctionis Viaticum Dominici corporis tradas. »

Hugo a Sancto-Victore.

Hugo a S.-Victore *Sententiarum* tractatu 6. cap. 15. ait: « Est et aliud Sacramentum, scilicet Unctio infirmorum, quæ fi- oleo consecrato per Episcopum. Hoc Sacrat mentum institutum fuit ab Apostolis, » etc.

Petrus Lombardus.

Petrus Lombardus lib. 4. *Sent.* dist. 23. veritatem Catholicam de sacramento Extremæ-Unctionis clare exponit. Petrum Lombardum omnes ferme theologiæ doctores secuti sunt, quos omnes referre si vellemus, eorum numero ceu nube quadam obrueretur potius animus, quam illustraretur. Multos etiam præcedentium sæculorum scriptores prætermisi, quia quos breviter attuli, ad victoriam de adversariis reportandam abunde sufficiunt. Itaque ex omnibus illorum Scriptorum auctoritatibus sic argumentor.

Argumentum ex Traditione petitum.

Ex allatis superius Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum testimoniis patet, nullum fuisse sæculum, quo aliquis auctor non docuerit, unctionem infirmorum esse Sacramentum, aut quod idem est, gratiæ conferendæ vim habere; eam infirmis esse adhibendam, eam non esse de novo institutam, sed ab Apostolis acceptam. Certissime igitur constat Extremam-Unctionem esse verum Legis novæ sacramentum.

Superest ut supradictis auctoritatibus accedant definitiones trium œcumenicorum conciliorum, Constantiensis sess. 15, Florentini in *Decreto Eugenii*, et Tridentini sess. 14.

Objiciunt adversarii primo, Scriptores de unctione infirmorum penitus conticuisse, idque variis allatis testimoniis conantur confirmare, et inde concludunt unctionem infirmorum non esse sacramentum.

Respondeo, vanum et futile prorsus esse hoc adversariorum argumentum; quare ut illius imbecillitas, simulque probationis nostræ vis, et pondus omnibus appareat, notandum est, quod ut aliqua doctrina ostendatur ab omnibus Patribus tanquam catholicam et universalem habitam fuisse, minime requiritur, ut omnes omnino doctrinam illam scriptis suis exposuerint, ut aliqui injuste exigunt; neque enim Patres omnes de eadem materia semper scripsere, neque omnia illorum scripta ad nos usque pervenerunt. Quapropter doctrina quæcumque satis superque catholica esse ostenditur, et ut talis a Patribus habita, si hæc duo ostendantur. Primum si præcipui e Patribus diversarum regionum doctrinam illam scriptis suis consignarint, neque ullus ex illis, modo sit ab omni schismatis suspicione liber, contrarium docuerit. Secundum est quod Patres illi, qui doctrinam hanc scriptis suis consignarunt, illam habuerint non ut novam et jam primo inventam, sed ut universalem, et ab omnibus Ecclesiis jam inde ab Apostolorum tempore creditam et observatam. Porro hæc duo cum manifeste reperiantur in probatione quam superius ex Traditione retulimus, patet quam futilis sit adversariorum objectio, qua nobis opponunt, omnes omnino Patres de Extremæ-Unctionis sacramento non fuisse locutos.

Objiciunt secundo, Extremæ-Unctionis nullam mentionem fieri ab iis qui antiquorum Patrum obitus descripserunt, ac proinde illam unctionem tunc temporis in usu non fuisse.

Respondeo primo, illos scriptores multa

etiam alia silentio prætermisisse, nimirum reconciliationem, et Eucharistiam; quæ tamen in usu tunc fuisse certissimum est. Secundo Extremam-Unctionem olim collatam fuisse ante Eucharistiam; quapropter illos eosdem Eucharistiam suscepisse narratur, quos oleo sacro inunctos fuisse credendum est, licet illud non exprimatur.

Confirmatur hæc responsio. Ille qui narratur Eucharistiam suscepisse, censetur emundasse conscientiam, et a peccatis absolutionem recepisse, nisi quis velit dicere, Eucharistiam olim nondum reconciliatis fuisse concessam. Ergo similiter qui Viaticum aut Communionem suscepisse censetur, Extremam quoque Unctionem, quæ sacramenti Pœnitentiæ complementum est, recepisse credendum est.

Sacramentum Extremæ-Unctionis est a Christo Domino institutum.

Sacramentum Extremæ-Unctionis a Christo Domino fuisse immediate institutum, de fide esse affirmant plurimi e Scholasticis, idque dicunt a Concilio Trident. fuisse definitum. Verum nescio, an hac super re concilii mentem satis assequantur, quam certe aliter exponunt Paulus Suave, et Cardinalis Pallavicinus, qui ambo in historiis, quas de prædicto concilio adornarunt, unanimiter docent synodi Tridentinæ Patres non definiisse sacramentum Extremæ-Unctionis fuisse a Christo immediate institutum : neque enim credibile est, ait Cardinalis Palavicinus *Historiæ Concil. Trid.* lib. 12. cap. 12, Concilium voluisse definire aliquem articulum non consentientibus antiquis Patribus, sed adstipulantibus duntaxat paucis, iisque non primæ ætatis, nec præcipuæ auctoritatis, ac repugnantibus e Schola Hugone a Sancto-Victore, Petro Lombardo, Alexandro Alensi, S. Bonaventura, quibus placet sacramentum Extremæ-Unctionis fuisse institutum ab Apostolis post descensum Spiritus sancti.

Quidquid sit de concilii Tridentini mente, certum est illud sententiæ nostræ multum favere; sic enim loquitur sess. 14. *de Sacramento Extremæ-Unctionis*, cap. 1 : « Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum, tanquam vere et proprie Sacramentum novi Testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem Fidelibus commendatum ac promulgatum. Et ibid. can. 4 : « Si quis dixerit Extremam-Unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit. » Credidit igitur sancta Synodus primo, sacramentum Extremæ-Unctionis a Christo Domino apud Marcum fuisse insinuatum, ac proinde in notitiam adductum, et latenter introductum. Secundo a Jacobo Apostolo fuisse promulgatum tantum : ergo non institutum; nam aliud est instituere sacramentum, aliud ab alio jam institutum promulgare. Igitur synodus Tridentina huic nostræ sententiæ plurimum favet : nimirum sacramentum Extremæ-Unctionis a Christo Domino fuisse immediate institutum.

Objicies : Nullus Evangelista hocce Sacramentum a Christo fuisse institutum narrat. Ergo Christus illud non instituit.

Respondeo negando consequentiam; multa enim Dominus fecit, et dixit, quæ in Evangeliis non continentur.

Quæres quo tempore hoc Sacramentum Christus instituerit?

Respondeo primo juxta quosdam hoc sacramentum institutum fuisse Marci VI. Verum hæc opinio minus est probabilis, propter rationes superius allatas.

Respondeo secundo alios quosdam credere illud institutum fuisse in nocte Cœnæ, quando Christus Dominus Apostolos in sacerdotes ordinavit.

Respondeo tertio alios tandem probabilius existimare Christum illud instituisse post resurrectionem, quando cum illis erat loquens de regno Dei; non enim est credibile, inquiunt isti auctores, hoc sacramentum institutum fuisse ante sacramentum Pœnitentiæ, cujus est completivum.

Materia remota Extremæ-Unctionis est oleum ex olivis expressum, et ab Episcopo benedictum.

Extremæ-Unctionis materia duplex est, proxima, et remota. Remota est res, qua fit unctio, sicut materia remota Baptismi est aqua, qua fit ablutio. Proxima est ipsamet unctio, sicut Baptismi materia proxima est ablutio.

Conclusio prima : Materia remota Ex-

tremæ-Unctionis est oleum proprium, sive oleum ex olivis expressum, et ab Episcopo benedictum.

Probatur prima pars ex illis verbis Jac. XIV : *Ungentes eum oleo*, per quod nihil aliud intellexit unquam Ecclesia, quam oleum olivæ; sicut enim aquæ nomine aqua elementaris, sic etiam olei nomine, oleum olivæ proprie significatur.

Objicies : Materia hujus sacramenti vocatur aliquando chrisma; sic enim illam vocat Innocentius primus in epist. 3. *ad Decentium*, et Glossa can. 2 dist. 95.

Respondeo Innocentium primum illic loqui de materia proxime Extremæ-Unctionis, chrisma enim est verbum Græcum, quod latine unctionem significat. Dicemus autem infra, unctionem esse materiam proximam hujus sacramenti.

Quæres, an oleum balsamo mixtum non possit esse materia sufficiens hujus sacramenti.

Respondeo, posse esse, modo post mixtionem olei natura permaneat : si vero tantum balsami admisceretur, ut mixtum diversæ naturæ exsurgeret, non esset amplius materia idonea.

Hinc collige primo, in casu necessitatis posse sacerdotem chrismate uti loco olei. Secundo eum tamen peccaturum, qui alienam materiam oleo admisceret.

Probatur secunda pars conclusionis ex traditione Apostolica, ut videre est apud Bedam, qui *in caput* VI. *Marci*, hæc habet : « Unde patet, ab ipsis Apostolis hujus sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut energumeni, vel alii quilibet agroti ungantur oleo Pontificali benedictione consecrato. » Idem expressius habetur apud concil. Trid. sess. 14. cap. 1. *de Sacram. Extremæ-Unctionis*, ubi allatis divi Jacobi verbis, hæc habentur : « Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, et effectum hujus salutaris Sacramenti : intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. »

Conclusio secunda : Non est de necessitate Sacramenti, ut oleum immediate ab Episcopo benedicatur.

Probatur conclusio ex ritu, et consuetudine totius Orientalis Ecclesiæ, in qua Presbyteri tunc oleum infirmorum benedicunt cum infirmum uncturi sunt; unde fit, ut oleum infirmorum apud illos non asservetur.

Probatur secundo ex instructione Clementis VIII. super ritibus Græcorum de oleo cathecumenorum et infirmorum, in qua hæc ad verbum leguntur : « Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta, præter chrisma ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere; cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur. »

Quando igitur concilia et theologi dicunt, materiam hujus sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, intelligi debet, benedictionem illam episcopalem esse quidem de præcepto ecclesiastico, sed non esse de essentia sacramenti, neque de jure divino : quam sententiam tuentur Victoria, Emmanuel Sa, Martinus Ledesma, et alii.

Vel intelligi debet, benedictionem illam episcopalem esse quidem de jure divino, sed quantum attinet ad ordinariam potestatem tantum; hoc autem non impedit quominus extraordinarie et ex commissione presbyteri possint oleum benedicere. Ita Arcudius; tunc enim benedictio fiet ab Episcopo saltem mediate, ut loquitur Pater Gonet, qui Arcudii sententiam amplectitur.

Quæres, an in Ecclesia Latina liceat presbyteris oleum infirmorum consecrare.

Respondeo in Ecclesia Latina id illis non licere : quando vero oleum ab Episcopo consecratum deficit, tunc potest sacerdos oleum non consecratum oleo consecrato admiscere, ut totum efficiatur consecratum; quo modo etiam aqua non benedicta misceri potest aquæ benedictæ, ut tota efficiatur benedicta.

Conclusio tertia : Ad valorem sacramenti non requiritur benedicto olei facta certo ritu et certa forma, sed sufficit benedictio quocumque modo facta. Ita Pater Gonet, qui asserit oleum cathecumenorum licet diversa benedictione consecratum, esse materiam sufficientem hujus Sacramenti.

Probatur conclusio auctoritate Innocentii III. extra *de Sacramentis non iterandis*, cap. *Pastoralis*, ubi Summus ille Pontifex ratum habet Sacramentum Confirmationis factum per solam olei unctionem; quod alii, ut Dominicus asserunt fuisse oleum cathecumenorum; alii autem censent fuisse oleum minime consecratum. Ergo similiter oleum non

consecratum, vel saltem oleum quacumque benedictione consecratum erit materia sufficiens Extremæ-Unctionis.

Posterius amplectitur Pater Gonet, ut diximus : prius autem sequuntur auctores superius citati, qui affirmant consecrationem esse tantum de præcepto : quos inter Durandus, et Paludanus dicunt Papam posse ungere oleo non consecrato.

Materia proxima Extremæ-Unctionis est unctio, quæ unica requiritur ad valorem sacramenti.

Conclusio unica : Materia proxima hujus sacramenti est unctio, quæ unica requiritur ad valorem sacramenti. Prior conclusionis pars nulla indiget probatione, posterior autem, nimirum unicam unctionem requiri ad valorem sacramenti.

Probatur primo. Ad Baptismi essentiam sufficit una ablutio cujuscumque partis. Ergo similiter ad essentiam hujus sacramenti sufficit una unctio.

Respondet Pater Gonet negando consequentiam et paritatem : quia, inquit, in Batismo sufficit quod homo dici possit ablui : at in Extrema-Unctione non sufficit quod homo dicatur unctus, sed debent præterea radices omnium peccatorum, quæ sunt in quinque sensibus, inungi. Verum illa responsio gratis affertur, ut apparebit ex probationibus quæ sequuntur.

Probatur itaque secundo ex concil. Tridentini verbis quæ habentur sessione 14. *de Extrema-Unction.* cap. 3 :« Nec profecto Ecclesia Romana aliarum omnium mater et magistra aliud in hac administranda unctione, quantum ad ea quæ hujus Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod beatus Jacobus præscripsit. » Atqui S. Jacobus nude præscripsit unctiones, ait enim : *Ungentes eum oleo.* Ergo censet Ecclesia Romana unicam unctionem esse de essentia Sacramenti.

Dices : Ecclesia Romana servat unctiones quinque sensuum. Ergo divus Jacobus censeri debet illas præscripsisse.

Respondeo negando consequentiam, quia etiam ungit pedes, et renes : quas unctiones fatentur omnes ad sacramenti essentiam non pertinere. Itaque multa observat Ecclesia Romana, quæ non præscripsit D. Jacobus, sed ea non censet esse de essentia sacramenti, et ille est sensus concilii Trid.

Probatur tertio : Multa Ritualia approbant unicam unctionem ubi urget necessitas. Ita codex Remigii Rhemensis, item Pastorale Mecliniense anni 1588. a tota Facultate Lovaniensi approbatum : item Pastorale Bartholomæi ab Aula, a Lovaniensibus Theologis itidem approbatum : item forma Ambrosiana et Veneta unius tantum unctionis mentionem faciunt : præterea huic sententiæ adstipulantur Albertus Magnus, Molanus, Serarius, Becanus, Possevinus, Arcudius, Estius, Sylvius, et Octavius Tricariensis per Germaniam et Belgarum provincias Nuntius Apostolicus. Hic enim in Directorio Ecclesiasticæ disciplinæ approbat unicam unctionem factam tempore pestis.

Respondet Pater Gonet, in rebus ad fidem vel ad ritus sacramentorum pertinentibus sequendam esse Ecclesiam Romanam, quæ etiam peste grassante quinque sensus inungit.

Verum hæc responsio probationis nostræ vim non infringit ; aliud enim est Ecclesiam Romanam quinque sensus semper ungere, quod non diffitemur ; aliud Ecclesiam Romanam credere unctiones quinque sensuum esse de essentia Sacramenti, quod negamus : primo propter illa quæ diximus in probatione secunda ; secundo, quia forma Veneta, quæ unius unctionis meminit, a Leone X. fuit approbata ; tertio, quia Octavius Tricariensis Nuntius Apostolicus unicam unctionem ratam habuit, ut diximus superius.

Probatur quarto : Mutilati qui aliquibus sensuum organis privantur, sacramentum hoc valide recipiunt ; imo quod magis est, nauseæ vitandæ causa, non lingua aut palatum, sed os, aut labia inunguntur. Ergo non est de necessitate sacramenti ut quinque sensuum organa liniantur.

Probatur quinto : Apud Græcos non unguntur oculi, nares, aures, etc. sed frons, mentum, ambæ genæ, utraque manus, pectus, et pedes ; et alicubi omittuntur et pedes. Ergo non est de necessitate Sacramenti ut ungantur quinque sensus.

Objicies primo : Concilium Florentinum dicit, quinque sensus esse inungendos. Ergo ad essentiam Sacramenti requiruntur unctiones quinque sensuum.

Respondeo negando consequentiam : Concilium enim enumerat quidem illas partes, sed ut jam usitatas, non autem ut simpliciter ad Sacramenti naturam spectantes ; ibi-

dem enim dicit, pedes et renes esse inungendos, quos inungi necessario non debere certum est : ita Arcudius, et Sylvius.

Objicies secundo : D. Thomas hic quæst. 32. art. 6. ait, unctionem quæ fit ad quinque sensus, ab omnibus observari quasi de necessitate sacramenti. Ergo, etc.

Respondeo cum Sylvio, D. Thomam affirmare quinque illas unctiones esse *quasi* de necessitate sacramenti, quia multi ita existimant : an autem D. Thomas ita senserit, non constat. Primo, quia quæst. 29. art. 2. in corpore, ait plures actiones esse de perfectione hujus Sacramenti, nihil dicens de essentia : secundo, quia ibidem in resp. ad 3. dicit unctionem in una parte factam ita esse ratam, sicut rata est consecratio unius hostiæ : tertio, quia hic, in art. sequenti, satis indicat ipsorum organorum unctiones non esse essentiales, cum censeat illis valide ministrari sacramentum hoc, qui non habent illa quinque sensuum organa.

Conclusio quinta : In unaquaque Ecclesia eæ unctiones fieri possunt, quæ in illa sunt receptæ, et approbatæ.

Probatur conclusio ex praxi et ritibus omnium Ecclesiarum, quibus semper licuit eas unctiones servare, quæ in illis erant usitatæ. Sic passim apud Latinos præter quinque sensus unguntur etiam et pedes, et renes virorum : in Ecclesia autem Herbipolensi, teste Serario , renes omittuntur. In veteri Pontificali Anglicano dictis unctionibus adduntur unctiones colli, scapularum, pectoris umbilici, et loci ubi plus doloris imminet. In codice Tiliano additur unctio cordis, labiorum, menti ; prohibetur vero ungi frontem, et verticem, quia unctio frontis ad Confirmationem, unctio autem verticis ad Baptismi cæremonias pertinet. Apud Græcos autem unguntur frons, mentum, genæ, et manus; imo etiam apud alios pectus et pedes.

Hæc cum ita sint, receptam Ecclesiæ alicujus consuetudinem nemo debet privato judicio aut permutare, aut auferre, ut prudenter monet Serarius ; et multo minus condemnare, ut addit Arcudius.

Conclusio sexta : Mutilati ungendi sunt in partibus propinquioribus partibus quæ inungi debuerant ; quia licet peccare non potuerint per illa sensuum organa quibus carent; interius tamen, et per voluntatem saltem peccare potuerunt,

Forma Extremæ-Unctionis deprecatoria est, licte probabile sit indicativam sufficere.

Hujusce Extremæ-Unctionis sacramenti tres diversæ formæ inveniuntur ; aliæ enim sunt deprecatoriæ tantum, aliæ indicativæ tantum, aliæ deprecatoriæ et indicativæ simul.

Conclusio prima : Forma deprecatoria est forma sufficiens et legitima hujus Sacramenti.

Probatur conclusio primo auctoritate Concilii Florentini in *Decreto Eugenii*, et ex praxi universalis Ecclesiæ ; nam Ecclesia Latina hac forma deprecatoria utitur, scilicet : « Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, » etc. Ecclesia autem orientalis utitur alia quidem forma, sed etiam deprecatoria utuntur enim Græci longa oratione, quam refert Arcudius qui credit orationis illius illa tantum verba esse de essentia sacramenti, nimirum : « Pater sancte, medice animarum et corporum, sana hunc servum tuum a morbo corporis et animæ, quo detinetur. »

Probatur secundo, quia forma deprecatoria est conformis verbis sancti Jacobi, qui tribuit efficaciam hujus sacramenti orationi. *Oratio fidei* (inquit) *salvabit infirmum.*

Objicies : Effectus sacramenti debet esse certus. Sed effectus certus non potest exprimi per verba deprecatoria. Ergo forma hujus sacramenti non potest esse deprecatoria.

Respondeo negando minorem, quia efficacitas Sacramentorum non dependet ex vi formæ, quatenus est opus operantis, sed ex virtute promissionis Christi ; unde impossibile est orationes Ecclesiæ non exaudiri propter promissionem Ecclesiæ factam.

Conclusio secunda : Forma mixta, sive partim deprecatoria, partim indicativa, est etiam legitima.

Probatur conclusio ex ritu variarum Ecclesiarum : ejusmodi enim formam mixtam refert Palatius ex libro *Sacramentali Venetorum*, approbato a Leone X. Item similis forma reperitur in libro *sacramentali sancti Gregorii*, in codice antiquo Halitgarii, qui vixit circa annum 820. apud Albertum Magnum in 4. dist. 23, art. 1. quæst. 2.

Conclusio tertia : Si quæ sit forma mere indicativa, probabile est illam esse formam legitimam hujus Sacramenti. Dixi, « si quæ sit forma indicativa, » quia forma Ambro-

siana, quæ ut talis solet circumferri, est partim deprecatoria; his enim verbis continetur : Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas possis superare potestates. »

Conclusionem nostram tuentur Albertus Magnus, Durandus, Paludanus, Richardus, Navarrus, Eckius, Estius, Becanus, et Pater Gonet, qui quamvis sententiam oppositam censeat esse probabiliorem, refutat tamen Nunno qui vult opinionem nostram esse omnino improbabilem : quocirca valde probabile est, ait Pater Gonet, Christum aliquorum Sacramentorum formas vel materias determinasse solum in genere, et potestatem eas determinandi in specie Ecclesiæ reliquisse : unde orta est diversitas illa formarum, diversique ritus administrandi sacramenta aliqua in Latina et Græca Ecclesia substantialiter, et specie diversi.

Ex dictis manifestum est, unumquemque teneri servare consuetudinem in sua Ecclesia receptam.

SPECULATIO II.

Animæ infirmitates sanare, peccata dimittere, et corporis morbum, si ita expedit, amovere, sunt effectus sacramenti Extremæ-Unctionis, cujus minister est sacerdos, subjectum autem infirmus periculose laborans, cui etiam in eadem infirmitate Extrema-Unctio sæpius potest concedi, secundum diversum tamen infirmitatis statum.

Prima pars, quæ scilicet effectus hujusce sacramenti recenset, probatur primo ex D. Jacobo, qui omnes effectus prædictos recenset; nam illis verbis *Ungentes eum oleo in nomine Domini*, hæc subjicit : Primo, *Et oratio fidei salvabit infirmum;* ubi notari debet vocabulum *salvabit*, quod tam de anima, quam de corpore dicitur; imo frequentius in sacris Litteris ad animam refertur, ut in fine hujus capitis, *Salvabit animam ejus a morte.* Secundo addit : *Et alleviabit eum Dominus;* alleviabit græce *eriget*, ægri scilicet mentem a torpore, mœrore, et anxietate, qua a divinorum consideratione revocatur. Tertio tandem adjicit. *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus ultimis verbis peccatorum remissio clarissima enuntiatur. Igitur juxta divum Jacobum, Extremæ-Unctionis effectus sunt primo, corpus et animam salvare : secundo mentem alleviare a nimia ægritudine qua a divinis abstrahitur : tertio, peccata dimittere.

Objiciunt hæretici : Primus effectus, scilicet *salvabit infirmum*, tribuitur orationi; igitur male a nobis tribuitur sacramento Extremæ-Unctionis.

Respondeo negando consequentiam; prædictus enim effectus non tribuitur orationi soli, et per se consideratæ; sed tribuitur orationi, quatenus oratio est pars sacramenti Extremæ-Unctionis. Cum autem oratio sit forma, ac proinde potior pars hujus sacramenti, nihil mirum si orationi potius quam unctioni sacramenti effectum tribuit Apostolus.

Quæres primo, quisnam ex illis effectibus sit primarius, et principalis effectus hujus sacramenti.

Respondeo primo, quosdam non male sentire, primarium hujusce sacramenti effectum non esse simplicem, sed ex pluribus aggregatum, quibus Patres concilii Tridentini videntur concinere; allatis enim D. Jacobi verbis, sic prosequuntur : « Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat, et confirmat, » etc.

Respondeo secundo, probabiliter etiam divum Thomam asserere, primarium hujus sacramenti effectum esse sanationem, aut medicationem, ut loquitur, illius debilitatis, aut ineptitudinis, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali.

Probatur hæc secunda opinio ostendendo cæteros effectus non esse effectus primarios hujus sacramenti; nam primo quod attinet ad sanitatem corporalem, certum est eam non esse effectum primarium, cum, juxta D. August. *Enchir.* cap. 66, « totum quod salutaribus agitur Sacramentis magis ad spem futurorum bonorum, quam ad retentionem, vel adeptionem præsentium pertineat. » Unde Patres tum Florentini, tum Tridentini definierunt effectum hujus sacramenti esse mentis sanationem; in quantum autem expedit, etiam corporis.

Quod autem peccatorum remissio non sit etiam primarius sacramenti hujus effectus, probat D. Thomas; quod sola Pœnitentia principaliter instituta sit contra actualem culpam; Extrema autem Unctio sit medicina, quæ proinde iis dari non potest, qui spi-

ritualem vitam per peccatum mortale amiserunt.

Quod etiam non ordinetur principaliter contra veniale, probat idem S. Doctor primo, quod Pœnitentia sufficienter deleat peccata venialia quoad culpam : secundo, quod ad delendum veniale non requiratur nova gratiæ infusio; unde fit, ut nullum Sacramentum novæ legis instituatur directe contra veniale.

Quæres secundo, quænam peccata hic dicantur a divo Jacobo per Extremam-Unctionem remitti.

Respondeo, varias esse hac in re interpretum mentes; nam alii censent esse peccata venialia, iique volunt illam loquendi formulam : « *Si in peccatis sit*, » non esse indicium rei dubiæ et incertæ, sed certæ et indubitatæ, ut dum Malach. 1. dicitur : *Si Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* I. Thessal. 1 : *Si tamen justum est apud Deum retribuere.* Hic apud Jacob. cap. 1 : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo.* III. Reg. VIII : *Quid si peccaverint tibi, non est enim homo qui non peccet.* Alii vero qui nolunt sacramenta novæ legis instituta fuisse ad remissionem venialium, putant per peccata hic intelligi pravas inclinationes ex peccatis relictas. Alii tandem Apostolum exponunt de peccatis mortalibus per oblivionem aut ignorantiam in confessione omissis.

Verum cum B. Jacobus generaliter nominet peccata, satius videtur illum intelligendum esse de omnibus cujuscumque generis peccatis, comprehensis etiam inclinationibus et affectibus vitiosis.

Quæres tertio, an sanitas corporis dici possit sacramentalis effectus Extremæ-Unctionis, sive an dici possit produci ex opere operato.

Respondeo difficultatem illam levem non esse; id enim quod ex opere operato producitur, remoto obice semper producitur : sanitas autem corporis Extremam-Unctionem etiam remoto obice non semper videtur consequi. Quocirca non male aliqui respondent, sacram Unctionem respectu corporalis sanitatis non tam sacramentum esse quam sacramentale quoddam, cujusmodi est aspersio aquæ benedictæ. Videtur hæc responsio conformis esse conciliis Florentino et Tridentino, quæ huic effectui conditionem apponunt; et Catechismo Romano, qui effectum hunc docet constanti et perpetuo ordine non evenire; cum tamen sacramenta, ut sacramenta, absolutum, eumque constantem effectum habere debeant.

Minister sacramenti Extremæ-Unctionis est sacerdos.

Secunda hæc speculationis pars manifeste probatur ex his Jacobi verbis : *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ*, etc. Quibus verbis Ecclesia semper intellexit veros Ecclesiæ Presbyteros aut sacerdotes, ut videre est ex auctoritatibus D. Chrysost., Innocentii I, Origenis, Bedæ, etc., quas superius fuse retulimus.

Quare explodenda prorsus est hæreticorum sententia, qui per Presbyteros intelligunt ætate seniores; hæc enim interpretatio non solum dictis auctoritatibus repugnat, verum etiam a ratione aliena est : nam juxta illam, si quis adhuc juvenis sacerdos, aut etiam Episcopus ordinaretur, sacramenti Extremæ-Unctionis minister esse non posset. Unde hunc errorem merito sub anathemate condemnavit synodus Tridentina sess. 14. can. ultimo.

Objici potest id quod superius retulimus ex Innocentio I. in epistola *ad Decentium*, nimirum : « Quo oleo ab Episcopo benedicto non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo. » Unde patet non solum presbyteros et sacerdotes, sed etiam Christianos omnes posse se aut alios inungere, ac proinde Christianos omnes esse hujus sacramenti ministros.

Respondeo primo prædicta Innocentii verba, « in sua aut suorum necessitate inungendo, » non debere sumi active, quasi scilicet omnibus Christianis liceret se, aut suos inungere; sed sumi debere passive, quatenus scilicet omnibus licitum est ut a Presbyteris inungantur. Nequo passivus hic loquendi modus apud Latinos insolitus est, dicente poeta : « Uritque videndo fœmina, » id est, dum videtur ; « Cantando rumpitur anguis, » id est, dum incantatur.

Respondeo secundo, allata Innocentii verba alia ratione explicari a Soto, ab Arcudio, et ab Estio, et cæteris, qui probant ex illo contextu omnibus licere se, aut suos inungere : verum affirmant illam unctionem Sacramenti rationem non habere. Hanc autem suam responsionem confirmant primo ex

testimonio Tertulliani, qui in libro ad Scapulam narrat Proculum Christianum Imperatori gentili fuisse charissimum, quod ipsum gravi morbo conflictantem oleo sanasset. Secundo ex vita S. Genovesæ, apud Surium tom. 1. tertia Januarii, in qua narratur dæmoniacum quemdam ad S. Genovesam allatum fuisse, ad quem sanandum ampullam illa afferri jussit, in qua sacratum oleum asservare solebat. Cum autem nihil olei eo tempore ampulla haberet, nec Episcopus adesset qui oleum consecraret, oratione impetravit ut ampulla oleo impleretur, cujus unctione dæmoniacum emundavit. Tertio ex vita S. Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani, apud Sur. tom. 1. sexta Aprilis, in qua hæc habentur : « Oleo sancto unxit manum a dæmone inflammatam, tribus diebus cæco visum restituit, absoluta precatione unxit eum tribus diebus. » Ibidem : « Solita precatione adhibita pretioso oleo laborantem oculum inunxit, » etc. Et infra : « Hydropicum cum ille precatus esset, et oleo sancto unxisset, dimisit. » Quarto ex eo quod habet idem Surius tom. 4. quarta Julii, in vita S. Udalrici Episcopi Augustani : et tom. 7. quarta Maii, in vita S. Gothardi Episcopi. Quinto ex eo quod S. Hieronymus refert de S. Hilarione in ejus vita.

Porro de hac eadem unctione quæ Sacramentum non est, interpretatur Arcudius illam unctionem qua sani etiamnum apud Græcos oleo sacro inunguntur, ut inferius dicemus.

Objici potest secundo id quod habet Beda *in caput* v. *Jacobi*, ubi dicit, « infirmas moneri ut seniorum adjutorio curari se meminerint, neque ad juniores, minusque doctos causam suæ imbecillitatis referant, » etc., unde apparet per presbyteros intelligi debere seniores, non vero Ecclesiæ sacerdotes.

Respondeo eo loci duplicem sensum verborum D. Jacobi Bedam afferre ; priorem mysticum et moralem in allatis illius verbis expositum, posteriorem litteralem, quem posteriora illius verba referunt, nimirum : « Nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a Presbyteris, » etc.

Quæres primo, an unicus presbyter sufficiat ad hoc Sacramentum administrandum, cum apud D. Jacobum habeatur, *Inducat Presbyteros*, non « Presbyterum ».

Respondeo unicum sacerdotem sufficere ad inungendum ægrotum, ut probari potest ex concil. Aquisgranensi, can. 5. ex Hincmaro Rhemensi in capitul. 10. ex *Constitutionibus Alfredi*, constitut. 32. ex iis quæ retulimus superius de Dunstano, etc., quapropter dum D. Jacobus dicit, *inducat presbyteros,* idem est ac si diceret, inducat aliquem ex presbyteris.

Quæres secundo, an plures sacerdotes possint simul hoc sacramentum administrare.

Respondeo primo, quod si unico ungente, et sacramentum administrante plures alii assistant, quorum unusquisque preces fundat, hoc esse validum et licitum, imo universalis Ecclesiæ praxi conforme, ut docet Ledesma qui affirmat, illum Presbyterum peccare, qui solus Extremam-Unctionem administrat, dum plures sacerdotes possunt adesse : quod confirmat ex Glossa in cap. *Quæsivit.*

Respondeo secundo, quod, si plures sacerdotes adsint, quorum unusquisque unam unctionem faciat, et partialem formam proferat, tunc sacramentum administrari valide non tamen licite, ut docent communiter scholastici.

Respondeo tertio, morem esse apud Græcos in usu receptum, ut plures sacerdotes, septem videlicet, aut ad minus tres accersantur, qui successive infirmum ungunt, et ungendo formam proferunt, adeo ut unusquisque illorum integrum Sacramentum reiteret : qua in re culpandine sint Græci, an approbandi, definire non ausim; ut enim ait Arcudius : « Ubi Ecclesia Græca convenit cum Latina, ibi errorem abesse omnino fatendum est ; ubi vero variat, ibi caute procedendum est, ac diligenter considerandum quænam ut bonæ consuetudines sint recipiendæ, quæ item ut improbæ rejiciendæ. » Præsertim ubi nullum exstat Ecclesiæ judicium eumdem morem olim in Ecclesia occidentali etiam viguisse, ut patebit ex dicendis in speculatione tertia hujus capitis.

Quæres tertio, an cuilibet sacerdoti licitum sit hoc sacramentum administrare ?

Respondeo hoc sacramentum posse a quolibet sacerdote valide conferri, non tamen licite, nisi ab habente potestatem, vel ordinariam, ut parochus ; vel delegatam, ut cui parochus licentiam dedit.

Probatur hæc responsio ex Clementina unica de privilegiis, et Clementina *Dudum*

de sepulturis : ubi sub pœna excommunicationis prohibetur ne absque licentia parochi ullus etiam Religiosus Extremam-Unctionem administret. Absente tamen parocho, vel eo per evidentem malitiam recusante, posset quilibet sacerdos sacrum oleum conferre in casu necessitatis ; quia non videtur fuisse intentio Ecclesiæ destituere tales moribundos hujus sacramenti beneficio, sed coercere religiosos ne invadant officium parochorum.

Quæres quarto, an parochus teneatur suis parochianis aliquo morbo contagioso laborantibus Extremæ-Unctionis sacramentum administrare.

Respondeo securiorem et verisimiliorem esse illorum sententiam qui affirmant, parochos ad id teneri, nisi id fiat per aliquem alium. Primo, quia parochus ex officio, atque adeo ex justitia tenetur parochianis suis ministrare non solum ea quæ simpliciter necessaria sunt, sed insuper quæ valde sunt ipsis utilia, et quodammodo necessaria. Secundo, quia fieri potest ut multi salventur percepto hoc sacramento, qui alioquin essent damnandi. Tertio ex usu Ecclesiæ ; parochi enim timorate illud solent observare, ut patet ex sancto Carolo et aliis. Quarto, quia magnum scandalum oriretur in populo, si parochi illud omitterent.

Subjectum sacramenti Extremæ-Unctionis est infirmus periculose laborans.

Hæc tertia speculationis pars probatur ex iis D. Jacobi verbis *Infirmatur quis*, etc. et rursum : *Oratio fidei salvabit infirmum*. Ex quibus verbis concilium Tridentinum docuit, « hanc unctionem infirmis adhibendam esse, illis vero præsertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur. »

Quæres primo, an iis Extrema-Unctio licite conferatur qui nondum sunt in statu exeuntium.

Respondeo illis hoc sacramentum licite conferri. Primo, quia S. Jacobus infirmitatem duntaxat designat, non vero vitæ exitum. Secundo ex verbis concilii Tridentini proxime relatis, quibus declarat, « hanc unctionem infirmis adhibendam esse, præsertim, » etc. Tertio, quia requirebatur olim ab infirmo, utrum vellet inungi. Canones enim Elfrici sic habent : « Nemo præsumat eum inungere, nisi exoratus. » Et beatus Lanfrancus in *Decretis pro Ordine S. Benedicti*, cap. 13. sic statuit : « Si infirmus se petat inungi. » Et codex S. Mariæ Rhemensis : « Tunc sacerdos accipiens oleum ungat infirmum, ita tamen si infirmus inquisitus hoc voluerit. » Quarto ex antiqua Ecclesiæ praxi, infirmos scilicet per septem dies et amplius, si necessitas fuerit, inungendi. Id docet Matthæus Galenus in *Promptuario Theologico*, catechesi 182. ubi : « Ad hæc, » inquit, « non fiebat illud perfunctorie ac properanter, sed ubi æger non convalescebat redibant eodem sacerdotes per septiduum ungentes, non quidem Sacramentum toties repetentes, sed statis precibus unctione curantes laboriosa membra, » etc. Idem repetit catechesi 181. et 80.

Quæres secundo, an sacramentum Extremæ-Unctionis sanis valide conferri non possit.

Respondeo, difficillimam esse quæstionis hujusce solutionem propter receptum in universa Ecclesia orientali usum ; non enim in Græcia solum, sed etiam in tota Russia, et in universa Moscovia, non solum passim presbyteri, sed ipsimet Antistites, Patriarchæ, Metropolitæ, Archiepiscopi, et Episcopi semel in anno hoc oleum benedicunt, et astantem deinde, ac circumfusum populum inungunt, nihil prorsus omittendo eorum quæ in ægrotorum inunctione solent adhiberi, ut etiam fatetur Arcudius, licet deinde insinuare conetur, unctionem hanc, quæ apud Græcos sanis adhibetur, non adhiberi tanquam sacramentum : in hoc autem ab ipsis Græcis dissentit, siquidem Job Monachus, Gabriel Philadelphiensis, Simeon Thessalonicensis, Joannes Nathanael Cretensis, Jeremias Constantinopolitanus, quorum verba ab Arcudio referuntur, aperte profitentur Græcorum morem esse Unctionem sacram etiam per modum sacramenti sanis adhibere.

Jam vero quis audeat proprio suo sensu praxim ab universa orientali Ecclesia receptam audacter condemnare, præsertim cum illa minime condemnata fuerit neque a concilio Florentino, neque ab Innocentio IV, qui in Epistola *ad episcopum Tusculanum*, in regno Cypri Sedis Apostolicæ Legatum, prohibet quidem ne sacerdotes pro satisfactione pœnitentiæ unctionem aliquam solummodo injungant, sed non vetat illam unctionem injungi, modo aliquid aliud simul injungatur.

Superest ut inquiramus an ille Græcorum ritus opponatur aut verbis divi Jacobi, aut definitioni concilii Tridentini. Nam, si hoc sit, procul dubio culpandus erit et rejiciendus. Dicit quidem D. Jacobus : *Infirmatur quis in vobis*, etc. et concilium Tridentinum definit subjectum hujus sacramenti esse infirmum. Verum aliud est asserere infirmum debere inungi, aut infirmum esse subjectum sacramenti Extremæ-Unctionis ; aliud asserere infirmum duntaxat posse inungi, aut esse subjectum validum hujus sacramenti. Prius quidem docetur a D. Jacobo, et a concilio Tridentino, sed non posterius. Unde patet neque etiam hac ratione Græcorum praxim esse condemnatam. Huc accedit quod ut diximus, multi tum e Græcis, tum e Latinis docuerint, et etiamnum doceant, sacramentum Extremæ-Unctionis non solum Jacobi v, sed etiam Marci vi. traditum esse. Patet autem unctionem quam ab Apostolis factam fuisse narrat S. Marcus, non ægrotis solum, sed etiam sanis fuisse adhibitam. Quare tutius credam Ecclesiæ judicio hanc controversiam definiendam relinquere, quam proprio et privato judicio audacius quam verius terminare.

Quæres tertio, an sacramentum hoc conferri possit furiosis, amentibus, pueris, etc.

Respondeo non debere conferri pueris qui nondum actualiter peccaverunt, neque etiam furiosis atque amentibus, qui usum rationis nunquam habuerunt : poterit tamen conferri iis qui cum usum rationis aliquando habuerint, actualiter peccare potuerunt, maxime si illud petierint, aut bonæ vitæ fuerint.

Probatur : Sacramentum Extremæ-Unctionis est consummativum, aut complementum pœnitentiæ, ut loquitur concilium Tridentinum post SS. Patres. Ergo iis tantum conferri potest qui actualiter peccaverunt.

Dices ex D. Thoma : Extrema-Unctio non potest iis adhiberi, qui actualem devotionem non habent. Ergo non debet dari iis qui amentes sunt, aut furiosi.

Respondeo divum Thomam a Sylvio, et a Sylvestro ita exponi, ut scilicet Extrema-Unctio furiosis et amentibus non concedatur dum subest periculum irreverentiæ.

Quæres quarto, quænam infirmi partes inungi debeant.

Respondeo quod, quamvis probabile sit unicam unctionem ad Sacramenti valorem requiri, convenientissime tamen inungi quinque sensuum organa, quia in illis residet morbi radix, cui sanando Unctio ceu medicina adhibetur. Neque id solum convenienter fit, sed etiam de necessitate saltem præcepti, adeo ut ille graviter peccaturus sit qui in Ecclesia Latina aliquem sensuum inungere omitteret.

Quæres quinto, utrum Fideles teneantur sub mortali hoc Sacramentum suscipere.

Respondeo, Fideles ad id per se non teneri sub mortali, quia Sacramentum hoc ad salutem non est ita necessarium, ut sine illo salvari quis non possit. Certum est tamen, illud neque negligi sine culpa, neque contemni sine mortali peccato posse, ut habetur in bulla Martini V. edita Constantiæ, et in concilio Tridentino sessione 14. *de Extrema-Unctione*, can. 3.

Extrema-Unctio etiam in eadem infirmitate sæpius potest iterari, secundum diversum tamen infirmitatis statum.

Ultima hæc speculationis pars docetur a S. Thoma, et totius Ecclesiæ praxi innititur. Rationem affert S. Doctor, quod scilicet Extrema-Unctio non infirmitatem tantum, sed etiam infirmitatis statum respiciat : unde quando durante diuturno morbo sæpius in mortis periculo æger versatur, sæpius hoc Sacramento inungi potest, quia scilicet per id tempus novæ peccatorum reliquiæ contrahi solent.

SPECULATIO III.

Extremæ-Unctionis cæremoniæ recensentur.

Primo, cum ii duntaxat Extremam-Unctionem nunc recipiant qui in lecto periculose decumbunt, patet locum, in quo sacramentum hocce administratur, esse infirmi cubiculum. Monet tamen Rituale Romanum tunc infirmos, si fieri potest, inungi debere, « cum in illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem sacramenti gratiam percipiendam ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur oleo. »

Infirmus hoc Sacramentum suscipiens, ubi vires permittebant, extra lectum olim erat, ut docemur ex antiquo codice Siculo qui servatur in bibliotheca Barberina : ibi enim observatur, quod infirmus stat ad dexteram sacerdotis, et genua flectit dum

sacerdos hanc orationem recitat : « Domine Deus, qui per Apostolum, » etc. Imo infirmos olim ad Ecclesiam ivisse ut hoc sacramentum susciperent, patet ex S. Oswaldo, qui, ut ait auctor ejus vitæ, « regressus in Oratorium, convocatis fratribus hortatur eos impendere sibi ministerium sacræ Unctionis. » Idem de S. Malachia docet D. Bernardus.

Secundo, Extremam-Unctionem post Pœtentiæ et Eucharistiæ sacramenta conferri nunc debere, docet Rituale Romanum, et universa Ecclesiæ praxis ; illam tamen ceu Pœnitentiæ appendicem ante communionem collatam olim fuisse, docet codex Tilianus, seu Sagiensis : neque antiqua hæc praxis penitus inolevit, cum etiam num vigeat in Ordine Cisterciensi.

Tertio sacerdos Extremam-Unctionem ministraturus superpelliceo, stolaque violacea indui debet, et convocatis clericis, vel saltem uno clerico, qui crucem sine hasta, aquam benedictam cum aspersorio, et librum ritualem deferat, ipse sacerdos vas sacri olei sacculo sericeo violacei coloris inclusum decenter, et caute defert. Intrans autem cubiculum infirmi dicit : *Pax huic domui.* Resp. *Et omnibus habitantibus in ea.* Deinde deposito oleo super mensam ad id paratam, in modum crucis infirmum et cubiculum et circumstantes aspergit dicens antiphonam *Asperges, etc.* Quod si ægrotus voluerit confiteri, audit illum, et postea dicit : *Adjutorium nostrum*, etc. et Orationes quæ sequuntur, quæ tamen omitti possunt cum tempus urget. Facta deinde confessione generali, Sacerdos dicit : *Misereatur*, etc., *Indulgentiam*, etc. et antequam ungere incipiat monet adstantes, ut pro infirmo orent, dicantque septem Psalmos, Litanias, vel alias preces, etc. Deinde præmissa prius oratione infirmum ungit, et post quamlibet unctionem loca uncta sacerdos vel minister, si in sacris sit, novo globulo bombycino vel rei similis abstergat, et in vase mundo reponat, et ad Ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in Sacrarium. Ita Rituale Romanum.

In codice autem S. Mariæ Rhemensis ante annos quingentos scripto, cum meminit doctissimus Morinus lib. 10. *de Pœnitentia*, cap. 15. habetur quod sacerdos indutus esse debeat superhumerali, alba, et stola ; quod diaconus Evangelii textum, et infirmorum oleum ferre debeat ; quod unus ceroferariorum debeat ferre dextra cereum, læva codicem in quo orationes hujus Officii continentur. Ubi autem sacerdos ad ægrotum pervenit, dextra se signo crucis muniens, post aspersionem domus et circumstantium ex aqua benedicta, dicit ad infirmum : « Quid me advocasti, frater ? » Ille ait : « Ut mihi Unctionem tradas. » Tum Sacerdos : « Donet tibi Dominus noster Jesus Christus veram facilemque Unctionem : tamen si te respexerit et sanaverit te Deus, custodies illam ? » Respondet infirmus. « Custodiam. » Deinde sacerdos facit crucem ex cinere cum aqua super pectus ejus, et imponit cilicium desuper dicens : *Si quis infirmatur agat pœnitentiam*, etc.

Post hæc dicebantur Litaniæ quæ in multis diversæ sunt a nostris, ut videre est in codice Monasterii S. Remigii apud Menardum pag. 345. Post Litanias fiebat sacerdoti confessio peccatorum, et dum ungebatur infirmus ab uno vel pluribus Sacerdotibus circumstantes recitare solebant psalmos, antiphoras, versiculos, et orationes. Post unctionem infirmo porrigebatur Eucharistia, et sic per septem continuos dies tam de communione quam de alio officio, id est, Extrema-Unctione quæ per septem dies repetebatur, nisi necessitas illam repetitionem impedierit. Tandem dicebatur Missa pro infirmo, quæ duplex legitur in codice S. Remigii Rhemensis : una si infirmus ad Ecclesiam ire possit, in qua fit consecratio : altera quæ dicebatur in cubiculo infirmi, in qua omnia dicebantur, excepta consecratione.

Ex iis patet etiam in Ecclesia latina in Sacramentis administrandis eosdem ritus non semper fuisse servatos ; potuit enim semper Ecclesia ritus suos aut abolere, aut novos instituere, aut in melius mutare. Verum tamen cum usus aliquis ab Ecclesia institutus est, illum servare unusquisque tenetur ; id enim sub anathemate præcipit synodus Tridentina sessione 7. *de Sacramentis in genere*, can. 13. ibi : « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit. »

DISSERTATIO II

De Sacramento Ordinis.

Sacramenta quæ hactenus exposita fuere, pro singulorum salute instituta sunt : quæ autem supersunt pertractanda bonum publicum spectant ; Ordo enim ad spiritualem, Matrimonium vero ad carnalem Fidelium propagationem destinatur.

Est autem Ordo, si vim nominis spectes, rerum parium dispariumque unicuique sua loca tribuens congrua dispositio : aliquando tamen Ordinis vocabulum sumitur pro statu, seu conditione sublimiori, sive pro gradu dignitatis quo quis aliis excellit ; et in hos sensu Ordinis nomen Ecclesiasticis gradibus per excellentiam convenit.

Non ea tamen est apud Græcos quæ apud Latinos nominis hujus usurpatio ; nam quod nos Ordinem, Græci χειροτονίαν sive manuum impositionem appellant, propterea quod spiritualis Ecclesiæ potestas per manuum impositionem solet Ministris communicari.

CAPUT I.

DE IIS QUÆ AD ORDINEM IN GENERE SPECTANT.

Dari in Ecclesia Ordinis sacramentum, quo ordinati a cæteris fidelibus discernantur, et superiorem quam illi dignitatem obtineant, negat Lutherus, qui passim docet Christianos omnes æqualiter esse sacerdotes ; sacerdotes novi Testamenti non fieri ; sed nasci ; Claves esse totius Ecclesiæ, et cujusvis membri, etc. Verum quam falsa sit hæc Lutheri opinio, cui hac in parte ne Calvinus quidem assentitur, evidenter demonstrabunt quæ inferius adducemus. Sit ergo

SPECULATIO I.

Ordo est sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum

Ut Ordo sacramentum novæ Legis dici possit, oportet ut sit primo cæremonia externa et visibilis : secundo constans et perpetua ; tertio gratiam conferens : quarto a Christo immediate, vel saltem (ut alii volunt) mediate instituta. Hæc autem quatuor in ordine reperiri probatur primo ex Scriptura. Nam I. Timoth. IV. hæc habentur : *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, per impositionem manuum Presbyterii.* Hic habes primo cæremoniam externam, nimirum impositionem manuum presbyterii, id est totius cœtus presbyterorum, sive Episcoporum, ut interpretatur Chrysostomus. Alii tamen hæc verba, *per impositionem manuum presbyterii*, sic intelligunt, per impositionem manuum qua factus es presbyter, vel episcopus. De hac eadem manuum impositione sermo fit ibidem cap. V, II. ad Timoth. I. Act. IX, 17, Act. XIII, 3. Secundo in textu superius allato habetur gratiam collatam fuisse per illam manuum impositionem.

Objicies primo : Gratia illa dicitur data fuisse per prophetiam. Ergo non fuit data per impositionem manuum.

Respondeo *per prophetiam*, ibi idem esse ac secundum prophetiam, ut sensus sit, *noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi (secundum prophetiam prius de te factam) per impositionem*, etc. Eumque esse verum hujus loci sensum agnoscit ipse Calvinus.

Objicies secundo : Gratia, de qua hic loquitur Apostolus est gratia gratis data, non vero gratia gratum faciens. Ergo male inde concluditur Ordinationem esse sacramentum.

Respondeo, gratiam hic usurpatam esse generalius, quatenus scilicet complectitur gratiam omnem ad Episcopale munus obeundum necessariam, ac proinde gratiam ipsam sanctificantem, quæ ad id est maxime necessaria. Hæc responsio confirmatur ex II. ad Tim. II, ubi Apostolus de eadem gratia sic loquitur : *Moneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per imposi-*

tionem manuum mearum. Sola autem gratia sanctificans potest suscitari, nimirum oratione, meditatione, lectione, studio rerum sacrarum, sancti propositi renovatione, etc.

Jam vero sacramentum Ordinis esse a Christo etiam immediate institutum, patet ex iis Christi verbis : *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus Apostolos creatos fuisse sacerdotes docet concilium Tridentinum sess. 21. cap. 1. Idem etiam patet ex iis quæ habentur Joan. xx, 22 : *Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

Tandem cum proxime allata Christi verba nullam temporis limitationem includant, patet potestatem illam Apostolis traditam constantem esse et perpetuam, ac proinde ordinationem sacerdotum esse verum, et proprium legis novæ sacramentum : quod erat ostendendum.

Idem secundo probatur ex Traditione, sed non multum immorabor in hac nostra conclusione ex Traditione comprobanda ; auctoritates enim omnes quæ hanc in rem essent afferendæ, opportunius infra adducentur, cum de Ordinibus in particulari sermonem habebimus. Quare satis nunc erit unicum testimonium e divo Augustino afferre, quo docetur sacram Ordinationem verum esse sacramentum; sic enim loquitur libro 2. *contra Parmenianum*, cap. 13 : Ipsi explicent quomodo sacramentum baptizati non possit amitti, et sacramentum ordinati possit amitti? Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri sacramento injuria facienda est. » Ubi maxime notari debent hæc verba, « quod nemo dubitat » ; demonstrant enim tempore divi Augustini ordinationem clericorum ab omnibus ut sacramentum haberi.

Sacramentum Ordinis unicuique fideli non convenit.

Ordinem clericorum a laicis in Ecclesia fuisse semper distinctum, tot tamque claris antiquorum testimoniis potest comprobari, ut Lutherus qui contrarium docuit, ridendus potius sit quam pluribus refutandus : iis tamen quæ pro astruenda illa Lutheri falsitate possent proponi, breviter respondebimus.

Objiciunt primo D. Petrum, qui Epist. I cap. II. vers. 45. sic loquitur : *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tanquam lapides superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.* Et vers. 9. sic : *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, etc.* Ex his D. Petri verbis, quæ ad omnes fideles spectant, concludit Beza cum aliis, fideles omnes esse Sacerdotes. Idem etiam concludit ex iis quæ habentur Apoc. I, vers. 5. et 6 : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo, et Patri suo.*

Respondeo ex iis auctoritatibus concludi tantum posse, Fideles omnes esse sacerdotes eo sensu, quo sunt lapides domus spiritualis, regnum, etc. Quare cum metaphorice tantum regnum et domus spiritualis fideles dici possint, metaphorice etiam duntaxat sacerdotes dici poterunt, quatenus scilicet orationes et preces Deo possunt offerre.

Objiciunt secundo Tertullianum, qui ex allato loco Apocalipseos concludit, fideles omnes esse sacerdotes.

Respondeo aliam plane esse Tertulliani mentem, ut ex integro illius contextu apparebit. Ait igitur lib. *de Exhortat. castitatis*, cap. 7 : « Vani erimus si putaverimus quod sacerdotibus non liceat, laicis licere. » Quibus ostendit majorem esse Sacerdotum quam laicorum potestatem. Deinde autem per modum objectionis subdit : « Nonne et laici sacerdotes sumus? Regnum quoque nos, et sacerdotes Deo et Patri suo fecit. » Statim respondet : « Differentiam inter Ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas. »

Instabis. Igitur ex Tertulliano discrimen quod inter Ordinem et plebem reperitur, ab Ecclesiæ duntaxat auctoritate profluit.

Respondeo Tertullianum hoc in loco ab aliis Ecclesiæ Patribus, imo et a seipso manifeste dissentire ; docet enim alibi Episcoporum successionem esse de jure divino ; sic enim de hæreticis loquitur *de Præscrip.* cap. 32 : « Cæterum si qui audent interserere se ætati Apostolicæ, edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit auctorem vel antecessorem. » Alibi autem docet meram esse vanitatem qua populus se Clero coæquari putabat : « Sed

quum extollimur, » ait, « et inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes ; quia sacerdotes nos Deo et Patri fecit : cum ad peræquationem disciplinæ sacerdotalis provocamur, deponimus infulas, et impares sumus. »

Quæres cur ergo distinctionem cleri a populo in loco superius allato de exhortatione castitatis, Ecclesiastici duntaxat Juris esse affirmavit Tertullianus.

Respondeo id eum fecisse ut melius persuaderet laicis, secundas illis nuptias esse prohibitas, quas clero prohibitas esse in Scripturis videbat. Verum melius nos hunc in modum ratiocinabimur. In Scripturis secundæ nuptiæ prohibentur Clero, non populo. Ergo ex Scriptura, et proinde ex jure divino clerus differt a populo.

Objiciunt tertio ea D. Pauli verba ad Galatas III : *Non est Judæus, neque Græcus : non est servus, neque liber : non est masculus, neque fœmina ; omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Ergo, inquiunt, male apud Christianos sacerdotes a laicis distinguuntur.

Respondeo Christianos omnes revera unum esse in Christo, quatenus idem dicunt, idem sentiunt, in nullum schisma abeunt, juxta illud Ephes. IV : *Una fides, unum Baptisma, unus Deus et pater omnium.* Huic autem unitati non repugnat distinctio sacerdotum a laicis, sicut unitati corporis non repugnat distinctio membrorum : ut enim habetur I. Corinth. XII : *Si totum corpus oculus, ubi auditus ? Si totum auditus, ubi odoratus ? Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus ? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.*

Objiciunt quarto quæ habentur Petri I. c. V : *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee ; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie ; neque ut dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Hic, inquiunt, D. Petrus clerum a reliquo populo non discernit. Ergo inter clerum et populum nulla est distinctio admittenda.

Respondeo primo ibi nomen cleri non ad universos fideles, sed ad eos tantum qui proprie clerici sunt, extendi debere. Ita D. Hieronymus in epistola ad Nepotianum, et Œcumenius in commentario hujus epistolæ.

Respondeo secundo cleri nomen universo fidelium gregi concedi posse, sed alia et alia ratione ; sicut etiam nunc aliter ii qui tonsuram solum habent clerici dicuntur ; aliter qui minores habent Ordines, etc. Cum enim cleri nomen sortem significet, et Ecclesia universa sit sors atque hæreditas Christi, patet Fideles omnes aliqua ratione clericos posse nominari, licet peculiari, et magis propria ratione nomen istud iis tribuatur, qui Altaris ministerio sunt consecrati. Sed hæc responsio ex infra dicendis fiet apertior.

Episcopatus est origo et plenitudo sacramenti Ordinis.

Quamvis Catholicorum nullus sacramentum Ordinis episcopis convenire eat inficias, quod scilicet episcopatus presbyteratum necessario supponat ; multi sunt tamen qui negant veram, et proprie dictam sacramenti rationem episcopatui convenire : contra quos affirmamus, sacramentum Ordinis convenire episcopis sub illa ratione sub qua episcopi sunt, sive episcopatum ex propria et interna ratione esse sacramentum.

Probatur primo, quia quæcumque ex Scriptura superius attulimus, ut ostenderemus Ordinem esse sacramentum, hæc eadem probant Episcopatum esse sacramentum ; neque enim Christus Apostolos suos presbyteros tantum ordinavit, sed etiam Episcopos : neque etiam Titus et Timotheus ab Apostolo Paulo sacerdotes simpliciter creati sunt, sed summi Sacerdotes, id est Episcopi. Cum igitur ex eorum ordinationibus probetur Ordinem esse sacramentum, necesse est, ut ex iisdem ostendatur episcopatum esse sacramentum.

Hæc ratio firmior evadet si advertatur, Christum qui Sacramentum Ordinis instituit, non tribuisse Apostolis suis omnes Ordines sensim, et successive ; sed summam sacerdotii dignitatem et plenitudinem illis simul concessisse. « Christus » (ait eximius quidam nostri hujus sæculi theologus) « perfectionem sacerdotii a Patre accepit quando ab illo missus est : perfectionem deinde sacerdotii, sive Episcopalem utramque » (Ordinis scilicet et jurisdictionis) » potestatem simul dedit Apostolis quando misit eos, sicut ipse a Patre missus fuerat. Eamdem denique perfectionem ipsi tradiderunt Episcopis, mittentes eos sicut ipsi missi fuerant a Christo, ut vera sit Pauli vox : *A quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur ;* nulla enim major in terris paternitas quam Apostolica et episcopalis, quam sibi Paulus idem sum-

psit cum diceret : Sed non multos patres. »

Probatur secundo auctoritate Patrum et Theologorum. Divus Ignatius epist. *ad Smyrn.* de Episcopis sic loquitur : « Honorate Episcopum tanquam Principem sacerdotum, imaginem Dei ferentem, principatum secundum Deum, sacerdotium vero secundum Christum, solum natura Principem sacerdotum. »

Eamdem doctrinam tradunt SS. PP. Anacletus, Leo, Gregorius, Gelasius, Epiphanius, Augustinus, etc., quos vel recensere longum esset, e Scholasticis autem Altissiodorensis, Major, Eckius, Scotus, etc. imo et divus Thomas, qui quamvis in 4. *Sent.* docuerit episcopatum non esse Ordinem, senior tamen factus sententiam mutavit ; nam in opusculo *de Perfectione vitæ*, cap. 24. hæc habet : « Quod quarto proponitur, quod episcopatus non est Ordo, hoc manifeste continet falsitatem, si absolute intelligatur. » Et postea : « Quod autem habeat aliquem Ordinem, et non jurisdictionem solam, sicut Archidiaconus, vel Curatus Presbyter, patet ex hoc, quod Episcopus potest multa facere quæ non potest committere, sicut confirmare, ordinare. » Et scribens in II. Timoth. cap. I. dicit, quod in ea manuum impositione data fuerit Spiritus sancti gratia.

Occurritur objectionibus.

Objicitur primo : In Ecclesia sunt tantum septem Ordines, quos enumerat concilium Tridentinum, in quibus Episcopatus non reperitur. Ergo Episcopatus non est Ordo.

Respondeo non ibi definitum esse, dari tantum septem Ordines, licet in Tridentina Synodo, et in decreto Florentino septem tantum enumerentur : imo Jurisperiti novem Ordines admittunt, septem enim vulgo notis Episcopatum addunt, et officium Cantoris.

Objicitur secundo : Distinctio Ordinum desumitur ex illorum ad Eucharistiam relatione. Sed Episcopatus nullam habet ad Eucharistiam relationem. Ergo, etc.

Respondeo primo, negari posse Ordines distingui ex illorum ad Eucharistiam relatione, aut saltem id tantum verum esse de cæteris Ordinibus Episcopatu inferioribus,

Respondeo secundo negando Episcopatum nullam habere relationem ad Eucharistiam ; nam præterquam quod sacerdotes qui sacrificium immolant, ab Episcopis consecrantur, peculiari etiam quadam rationem Episcopus Eucharistiam celebrat ; illam enim celebrat cum plena potestate, Presbyter autem dependenter ab Episcopo, id est, quando, et ubi voluerit Episcopus. « Non licet sine Episcopo neque offerre, neque sacrificium immolare, neque Missas celebrare, » ait S. Ignatius epistola *ad Smyrnenses.*

Presbyteratus habet veram sacramenti Ordinis rationem.

Veram sacramenti Ordinis rationem presbyteratui convenire adeo est extra dubium apud Catholicos, ut vel multi auctores doceant solum sacerdotium esse sacramentum, adeo ut juxta illorum plerosque ipsemet episcopatus sacramenti Ordinis rationem non assequatur, nisi in quantum sacerdotium, aut presbyteratum includit. Verum melius, ni fallor, docuissent sacerdotium esse vere sacramentum Ordinis ; illud autem plenarie et sine ulla limitatione in episcopis reperiri ; at in presbyteris non sine aliqua limitatione, et ab episcopis dependentia ; etenim cæteri omnes Ordines, ne presbyteratu quidem excepto, rivuli duntaxat, et radii esse videntur ab Augustino Episcopatus fonte et sole dimanantes.

Veritatem hanc, quam jam superius stabilivimus, unanimi omnium Patrum consensu innixam esse, fuse probat Ludovicus Thomassinus, Oratorii Domini Jesu Presbyter, in libris suis *de antiqua et neoterica Ecclesiæ disciplina* conscriptis : nobis autem satis erit unicum Guillelmi Parisiensis testimonium huc afferre : « Et quia, » inquit Episcopus ille doctissimus, « in solis episcopis plenitudo potestatis, et istorum officiorum perfectio est, manifestum est episcopatum plenum et perfectum esse sacerdotium ; officium enim sacramentandi plenum atque perfectum minores sacerdotes non habent, quia nec sacramentum Confirmationis, nec sacros Ordines, nec majora sacramentalia impendere possunt. Similiter autoritatem docendi, seu magistros instituendi modicam habent. »

Neque tamen aliquis ex iis quæ diximus concludere debet, parvam aut contemnendam esse Sacerdotum simplicium dignitatem ; tanta enim fuit semper eorum in Ecclesia potestas, dignitas et auctoritas, ut aliqui occasionem inde arripuerint presbyterorum episcopis coæquandorum ; in quo tamen graviter aberrarunt ut ostendemus inferius.

Ratio sacramenti Ordinis convenit etiam diaconatui.

Tanta est episcoporum dignitas, ut cæterorum Ministrorum auctoritas proberi non possit, quin simul episcopalis potestas validius stabiliatur. Diximus superius Christum Dominum Apostolis suis, et per Apostolos cæteris episcopis omnem sacerdotii plenitudinem contulisse ; nunc autem addimus, Apostolos a Christo potestatem, et mandatum accepisse, non solum plenariam suam potestatem successoribus suis, Episcopis scilicet transmittendi, sed etiam illam juxta diversos gradus distribuendi : unde factum est ut Apostoli aliquos sacerdotes simplices ordinarint, aut ordinari permiserint, quibus omnes episcopatus prærogativæ non concedebantur, aut etiam diaconos procrearint, qui episcopis et presbyteris in ministeriis sacris deservirent. Quare, licet Durandus, Cajetanus, et Maldonatus negent diaconatui concedendam esse sacramenti Ordinis rationem, contrarium tamen videtur multo probabilius, ut fuse demonstrabimus dum de Diaconatu seorsim agemus inferius.

Inquiritur an subdiaconatus, et cæteri minores Ordines sacramentum dici possint.

Qui augustam sacramenti rationem diaconatui denegant, iidem majori cum ratione eam subdiaconatui, cæterisque inferioribus Ordinibus non concedunt : neque enim in Scripturis ulla illorum fit mentio, neque antiqui Patres in illis recensendis satis conveniunt ; aliquos enim recensent, quorum usus jam inolevit ; alios omittunt, quos jam universa recepit Ecclesia. Quia tamen omnes illi Ordines a diaconatu, cujus sunt veluti portiones quædam, initium videntur duxisse, dici potest illorum institutionem esse aliqua ratione juris divini, ratione scilicet diaconatus, a quo dimanant. Sed de his fusius cum de illis Ordinibus sermonem habebimus.

SPECULATIO II.

De materia et forma sacræ Ordinationis.

Cum Sacramentum sit rei sacræ signum, Doctores omnes Ecclesiastici spatio mille et ducentorum annorum Sacramenti naturam per verba signi et rei sacræ explicarunt : centum autem annis post philosophiam peripateticam in Scholis theologicis receptam cœperunt theologi id quod signum antiqui vocabant, materiæ et formæ nominibus exprimere. Asserit Morinus se nullum legisse Guillelmo Altissiodorensi antiquiorem, qui hanc explicandi methodum amplexus sit : hunc autem auctorem, qui scribebat post annum Christi 1215. sequuti sunt Alensis, Albertus Magnus, et tota cæterorum Scholasticorum turba : imo modus iste loquendi in Orientem usque penetravit, ut colligitur ex responsione Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani ad theologos Vittembergenses.

Porro ut omnis de hacce materia difficultas clarius dissolvatur, res omnis per quasdam propositiones videtur exponenda.

Propositio prima : Apud Græcos materia sacræ Ordinationis est sola manuum impositio.

Hæc propositio facile potest comprobari ex ritibus qui apud Græcos servantur ; licet enim apud illos quædam nunc sit instrumentorum traditio, tamen neque illa apud illos semper observata fuit, neque etiamnum ab omnibus illorum episcopis observatur, neque cum fit verbum ullum pronunciatur, imo traduntur hæc instrumenta iis qui jam ordinati sunt. Ordinato enim lectori datur liber Epistolarum Apostolicarum, ut in illis legendis munere suo fungatur. Similiter subdiaconus jam ordinatus, acceptis de manu Archidiaconi vasis, statim aquam in manus Pontificis infundit : Diaconus vero, accepto flabello aerem movet super sacra mysteria : tandem sacerdos ubi ordinatus est, recitat liturgiam, etc.

Ex his autem apparet instrumenta illa non conferri iis, qui ordinantur per modum materiæ ; sed illis, peractis jam Ordinationibus, tradi, ut officio suo fungi incipiant ; atque adeo solam manuum impositionem apud Græcos esse hujusce sacramenti materiam.

Secunda propositio.

Apud Latinos materia ordinationis sacræ est in Ordinibus quidem hierarchicis manuum impositio simul et instrumentorum traditio ; in inferioribus autem Ordinibus sola instrumentorum traditio.

Hæc secunda propositio probari potest ex universa Ecclesiæ latinæ praxi, in qua

dum episcopi, presbyteri, et diaconi consecrantur, et manus illis imponuntur, et instrumenta traduntur; subdiaconis autem, et cæteris minoribus instrumenta duntaxat præbentur.

Tertia propositio.

In Ecclesia africana in hierarchicis Ordinibus sola manuum impositio est sacræ ordinationis materia, et in hoc cum Græca convenit, in aliis Ordinibus sola fit instrumentorum traditio, et in hoc concordat cum Romana.

Hanc tertiam propositionem clare docet concilium quartum Carthaginiense, a canone primo ad decimum.

Conciliantur varii illi ordinationum ritus.

Cum inferiores Ordines, ne subdiaconatu quidem excepto, non divinæ, sed ut est longe probabilius, ecclesiasticæ duntaxat sint institutionis, minor erit difficultas in variis illorum ritibus conciliandis; potuit enim semper Ecclesia eos illorum ritus, quos instituerat, aut mutare, aut ampliare, aut rescindere.

Verum longe major occurrit difficultas circa Ordines superiores, quos divini juris esse constat : non enim videtur quomodo illorum materia immutari potuerit, aut alia ab aliis adhiberi. Quid tamen verisimilius afferatur ad illam difficultatem enodandam, sequentibus item propositionibus breviter conabor aperire.

Quarta propositio.

Impositio manuum est materia essentialis, adeoque immutabilis sacræ ordinationis.

Probatur hæc propositio tum ex eo quod impositio manuum in hierarchicis Ordinibus conferendis semper fuerit adhibita tum apud Græcos, tum apud Africanos, tum apud Latinos; tum ex eo quod illa manuum impositio ab Apostolica traditione ad nos usque intemerata pervenit, imo in Scripturis sacris de sola manuum impositione fit mentio, adeo ut Maldonatus censeat fide catholica tenendum esse, impositionem manuum esse partem essentialem sacramenti Ordinis.

Quinta propositio.

Porrectio instrumentorum est solum materia accidentalis, eaque ab Ecclesia instituta.

Probatur primo, quia porrectio instrumentorum in conferendis superioribus Ordinibus non servatur apud omnes Ecclesias, ut superius docuimus.

Probatur secundo, quia porrectio instrumentorum nequidem apud Latinos semper fuit observata; antiqui enim Rituales illius instrumentorum traditionis minime meminerunt, licet multa alia diligentissime describant.

In *Sacramentario Gregoriano* ex bibliotheca Vaticana, inter S. Gregorii opera Romæ edito, reperitur ista instrumentorum traditio cum sua formula; sed in ordinatione episcopi tantum, non autem presbyteri.

In ordine Romano, qui ab Alcuino Caroli Magni præceptore allegatur, refertur in secunda parte, non solum manus ab Episcopo iis imponi qui sacerdotio initiantur, et manus inungi; sed etiam calicem cum vino aqua permixto, et patenam cum pane tradi, simulque ista eis enuntiari : « Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missamque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis. »

Illi sunt ferme antiquiores libri, in quibus hujusce instrumentorum traditionis mentio aliqua habeatur. Ex antiquis autem Scholasticis omnes ferme quotquot illius meminerunt, affirmarunt instrumenta porrigi in signum potestatis antea acceptæ. Ita Hugo a Sancto-Victore lib. 2. *de Sacramentis Fidei*, parte 3. cap. 12, et Petrus Lombardus lib. 4. dist. 24.

Porro id quod proximis duabus propositionibus stabilivimus, est sententia Becani qui hac ratione concilium Florentinum cum concilio Carthaginiensi conciliat; vult enim concilium Carthaginiense solius materiæ essentialis meminisse; concilium autem Florentinum solam materiam accidentalem, et ab Ecclesia institutam recensuisse; aliam autem, nempe impositionem manuum, omisisse, utpote ex Scripturis et antiquis Patribus satis notam. Quod autem traditionem instrumentorum dicit esse materiam accidentalem, hoc non impedit quominus credat illam apud Latinos ita necessario requiri, ut si illa omitteretur, irrita foret ordinatio : credit enim hanc potestatem Ecclesiæ

a Christo fuisse traditam, ut aliquid circa Sacramentorum collationem decernere possit, quo omisso Sacramentum reddatur irritum.

Plurimi alii, tum ex recentioribus, tum ex antiquioribus theologis, licet in aliquibus a Becano dissentiant, in eo tamen cum ipso conveniunt, quod Ecclesia possit sacramentum irritum reddere, si omittatur ritus aliquis, quem in illius sacramenti administratione necessario esse adhibendum decrevit. Ita Alexander Alensis, S. Bonaventura, Innocentius IV. Ostiensis, Panormitanus, Hallerius, Bellarminus, et cæteri.

Sexta propositio.

Valde etiam probabile est, quod quidam ex citatis auctoribus tradunt, nimirum Christum materias, et formas nonnullorum sacramentorum in genere duntaxat designasse, adeo ut in Ecclesiæ potestate relictum fuerit tale, vel aliud sensibile in individuo seligere, quod sit sacramenti materia; et juxta illorum sententiam potest Ecclesiam materiam prius essentialem, accidentalem reddere, aliamque essentialem constituere. Id docent Bellarminus, Isambertus, Gamachæus, et cæteri.

Si autem juxta illos theologos Ecclesia possit antiquam ordinationum materiam, etiam ab Apostolis introductam abolere, aut mutare, aliam substituere, etc. multo magis poterit conditiones apponere, quibus violatis ordinatio reddatur irrita et invalida ob spretam Ecclesiæ auctoritatem.

Septima propositio.

Eadem ferme ratione conciliari possint varii ritus, secundum quos forma ordinationis varie a variis profertur.

Ab antiquissimis temporibus, tam apud Latinos, quam apud Græcos, non modo in ordinatione episcopi, sed etiam presbyteri, et Diaconi invocabatur Spiritus sanctus. Ritus autem ille ordinationem conferendi per formam deprecativam apud Græcos etiamnum viget: verum apud Latinos ab annis circiter quadringentis cœpit immutari; cum enim aliqui Scholastici existimarent invocationem Spiritus sancti non sufficere, addere voluerunt traditionem Spiritus sancti modo imperativo.

SPECULATIO III.

De Institutione Ministrorum Ecclesiæ.

Institutio Ministrorum Ecclesiæ tria complectitur, nempe electionem, ordinationem, et missionem. Electio est designatio certæ personæ ad Ecclesiasticam præfecturam: ordinatio est cæremonia sacra, qua certo ritu futurus Episcopus inungitur et consecratur: missio seu vocatio jurisdictionem tribuit, ac re ipsa pastorem ac præsulem facit. Quid autem circa ejusmodi ministrorum institutionem tenendum sit, sequentibus propositionibus aperire conabimur.

Prima propositio: Christiani sacerdotes carnali successione non propagantur.

Probatur primo ex eo quod Ecclesiæ ministri ad cœlibatum servandum teneantur, ut ostendetur inferius: unde manifeste sequitur, Christianos sacerdotes carnaliter propagari non posse.

Probatur secundo ex differentia veteris et novi Testamenti: in Testamento enim veteri sacerdotium Aaronicum carnale fuit, quippe quod totum in bobus et ovibus mactandis occupabatur: in novo autem Testamento sacerdotium Christianum spirituale est, spiritualem scilicet et divinam hostiam offerens. Ex quo fit, ut sacerdotium Christianum non carnaliter, sed spiritualiter debeat propagari, et idcirco dicitur sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, qui sine patre, sine matre, sine genealogia describitur, Hebr. VII.

Probatur tertio ex convenientia; non enim decuit eo modo sacerdotium Christi propagari, quo modo pueri mali et improbi ad præcipuas Ecclesiæ dignitates necessario admitterentur: hæc autem incommoda carnalem sacerdotum successionem necessario comitantur. Ergo, etc.

Secunda propositio: Christiani sacerdotes non a plebe, sed a solis Episcopis possunt ordinari.

Probatur primo ex Scriptura, in qua ubicumque fit mentio manus impositionis, semper ea Apostolis, cæterisque episcopis numquam vero plebi tribuitur, ut ostendimus cum probaremus Ordinem esse sacramentum.

Probatur secundo ex conciliis; id enim

docet canon primus Apostolorum, et canon quartus concilii Nicæni, vigesimus nonus concilii III. Carthaginiensis, et canon secundus quarti concilii etiam Carthaginiensis.

Probatur tertio ex Patribus. S. Epiphanius hæresi 75. refutans Aerium, qui presbyterum inter et Episcopum discrimen nullum agnoscebat, ita loquitur : « Siquidem Ordo episcoporum est ad gignendos Patres; nam Ecclesiæ Patres » (id est sacerdotes et episcopos) « progignit : at sacerdotum Ordo cum nequeat Patres (alios scilicet sacerdotes) progignere, generat tamen per lavacrum regenerationis filios Ecclesiæ. » Ergo ex S. Epiphanio solius Episcopi est Ecclesiæ Patres progignere, id est alios episcopos aut presbyteros ordinare.

D. Hieronymus in epistola *ad Evagr.* « Quid facit » (inquit) « excepta Ordinatione Episcopus, quod non faciat presbyter? » Igitur ex S. Hieronymo ordinatio ita convenit Episcopis, ut ne Presbyteris quidem, nedum laicis conveniat.

Objicies : Ex canone decimo concilii Antiocheni apparet lectores, subdiaconos, et exorcistas a chorepiscopis, qui utplurimum Episcopi non erant, fuisse ordinatos. Ergo ordinatio ad solos Episcopos non pertinet.

Respondeo in eodem canone prohiberi ne chorepiscopi diaconos aut sacerdotes ordinent; quia scilicet sacerdotum, et diaconorum ordinatio est juris divini; idcirco autem possunt subdiaconos, et inferiores ministros constituere, quia omnes illi sunt tantum ecclesiasticæ institutionis, ut docet Innocentius III cap. *A multis*, de ætat. et qualit. et ord. præfic.

Tertia propositio : Electio ministrorum non fit a solo Deo interius prædestinatos tantum vocante.

Hæc propositio est contra errores Joannis Wiclef, et Joannis Hus, qui docebant Pastorem malum esse æquivoce tantum Pastorem, non habere potestatem super Fideles, etc.

Probatur primo, quia Deus non semper eligit prædestinatos ad gubernacula sive politica, sive Ecclesiastica, ut patet ex Saüle, et ex Juda proditore.

Probatur secundo, quia inter diaconos, quos Act. VI. elegerunt Apostoli, unus fuit hæresiarcha, nempe Nicolaus.

Probatur tertio, quia, ut docet Origenes hom. 4. *in librum Judicum*, persæpe permittit divina providentia, ut impii sedeant ad gubernacula tum regnorum, tum Ecclesiarum, ad punienda nimirum subditorum peccata.

Probatur quarto, quia si boni tantum sacerdotes esse possent, et si illos Deus interius tantum, et sine ullo exteriori signo Ecclesiæ pastores eligeret, Ecclesiæ pastores non possent ab aliis discerni, sicque Ecclesiæ nulli essent usui.

Quarta propositio : Inquiritur quodnam sit jus plebis in electionibus ministrorum Ecclesiæ.

Cum Ecclesia, Ecclesiæve ministri visibiles esse debeant, oportuit dictam illorum electionem non a solo Deo intus illos vocante fieri, sed ab iis qui Ecclesiam componunt, quique hac in parte sunt Dei vicarii.

Quanquam autem præcipua electionum potestas penes Episcopos semper resederit, negari tamen non potest, electiones sæpius factas fuisse per universam plebis turbam : idque primo, quia ipsorum interest habere bonum Episcopum, sub quo non patiantur famem, nec sitim. Anchar. in cap. 1. in fin. *de Paroch.*

Secundo, « quia qui præfuturus est omnibus, ab omnibus debet eligi, » ait S. Leo. « Unde nullus, » ait idem, « invitis, et non petentibus ordinetur, ne civitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, et fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuerit habere quem voluit. »

Tertio quia plebis erat de eligendis testimonium ferre. « Teneatur, » inquit S. Leo « subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, et plebis. »

Porro in ipsis electionibus a plebe factis duo potissimum occurrebant incommoda. Primum, quod tumultus, et seditiones sæpius excitarentur. Secundum, quod imperiti, ignari et improbi a populo tumultuoso eligerentur. Ut primum incommodum tolleretur, non raro Imperatoris requirebatur auctoritas, qui ut Princeps et caput plebis, potestatem majorem obtinebat in electionibus faciendis quam cætera plebs. Unde factum est, ut procedente tempore imperatores modum suum ignorantes non in numero consentientium, sed primi distribuentium, imo determinantium esse voluerint : frequenter etiam in hæreticorum perfidiam prolapsi, Catholicæ Matris unitatem Ecclesiæ impugnare conati sint; ideo sanctorum Patrum

statuta adversus eos prodiderunt, ut semet electioni non insererent, et quisquis eorum suffragio Ecclesiam obtineret, anathematis vinculo innodaretur. Sic Rebuff. in suis *Concordatorum interpretationibus*, gloss. *Et cum ex electionibus*, in rubr. *de electionis derogatione*.

Exinde electiones concessæ sunt Canonicis, et Religiosis simul, cap. *Sacrorum* 63. distinct., postmodum solis Capitulis eligendi jus reservatum est, ut qui melius nossent in suis Ecclesiis viros sanctos et justos, quam extranei : verum cum electores illi potestate sua graviter abuterentur, eligendi jure privati fuerunt, juxta illud Evangelii : *Auferetur sceptrum a vobis, et dabitur genti facienti fructum.*

Tandem in hoc Franciæ regno per Concordata inter Leonem X. et Franciscum I. edita, data est nominatio regi Franciæ de archiepiscopatibus et episcopatibus, abbatiis, et prioratibus vere electivis, prout in iisdem Concordatis sancitum est.

Ex dictis autem patet jus eligendi Ecclesiæ Ministros non convenire plebi jure divino, sed, ut ait Cardinalis Bellarminus, ex conniventia, seu concessione Episcoporum, ut scilicet hac ratione publico Ecclesiæ bono magis consuleretur; ideo enim factum, ut variis temporibus variæ facultates plebi concessæ sint, aut ademptæ.

Quinta propositio : suprema in electionibus auctoritas Episcopis et Metropolitano potissimum debetur.

Probatur primo, quia Christus non unicuique fidelium, sed Apostolis duntaxat, et Apostolorum successoribus, Episcopis videlicet dixit : *Pax vobis, sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit et dixit eis, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, etc. Joan. xx, 22.

Objicies : Eadem potestas quæ hic Apostolis tribuitur, toti Ecclesiæ tribuitur Matthæi XVIII, 18, ubi enim Christus præmisit, *Si autem peccaverit in te frater tuus*, etc. vers. 15. subjicit : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis* etc. Sed tunc Christus loquitur toti Ecclesiæ : ergo non Apostolis aut Episcopis solum, sed toti Ecclesiæ prædicta potestas concessa est.

Respondeo prædictam potestatem ita Ecclesiæ tribui, ut tamen in solis Prælatis resideat : unde tota Ecclesia dici potest habere potestatem solvendi, ligandi, etc., quia illius Prælati illam habent potestatem eadem ferme ratione, qua totus homo dicitur videre, quia illius oculi vident.

Confirmatur hæc responsio ex D. Chrysostomo qui in commentario hujus loci, ad hæc verba, *Dic Ecclesiæ*, addit, « Præsulibus scilicet, ac Præsidentibus. » Et ad hæc verba, *Quæcumque ligaveritis super terram* etc. ait : « Nec dixit Ecclesiæ Præsuli, Vinculis istum constringe ; sed, *Si ligaveris*, » etc. Ex quo patet, D. Chrysostomum intellexisse prædictam potestatem concessam fuisse solis Præsulibus. Ita etiam alii Patres hunc locum interpretati sunt.

Probatur secundo auctoritate sancti Cypriani, qua assertio nostra, et superior ratio mire illustrantur. « Loquitur Dominus ad Petrum : *Super hanc petram*, etc., *tibi dabo claves*, etc. ; et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos : accipite*, etc. ; tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique ut cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, et honoris, et potestatis : sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. » Ita D. Cyprianus lib *de Unitate Ecclesiæ*. Ex illius autem verbis patet supremam Ecclesiæ regendæ, ac proinde Ministrorum instituendorum potestatem Apostolis omnibus, et peculiari quadam ratione Petro fuisse a Christo concessam. Igitur sicut in propositione nostra diximus, suprema in electionibus auctoritas Episcopis, et peculiari quadam ratione Metropolitano debetur.

Objicies ex D. Aug. tract. 124. *in Joan.* Claves datæ sunt Petro quatenus personam gerebat Ecclesiæ. Ergo non soli Petro, sed toti Ecclesiæ datæ sunt.

Respondeo mentem divi Augustini esse quod claves datæ sint Petro in commodum totius Ecclesiæ ; illa enim auctoritas quam Christus Dominus Petro et cæteris Apostolis, illorumque successoribus largitus est, in commodum et utilitatem totius Ecclesiæ cessit.

Instabis : Sæpius affirmat D. Augustinus, fideles omnes posse peccata dimittere, etc. Igitur mens D. Augustini ea qua dictum fuit, ratione exponi non potest.

Respondeo ex D. Augustino, imo etiam ex

D. Ambrosio, fideles omnes posse remittere peccata modo impetratorio, quatenus scilicet sunt sancta, et viva Ecclesiæ membra ; non vero modo sacramentali : nam ille modus posterior solis sacerdotibus convenit, ut agnoscit ipse Augustinus lib. 2. *contra epist. Parmeniani.*

Probatur tertio exemplo Apostolorum, qui soli episcopos creabant, eosque ad populos absentes, et infideles mittebant ; unde cum Episcopi Fidelibus sint antiquiores, manifestum est illorum electionem a fidelibus non posse dependere.

Respondet Kemnitius, qui argumenti hujus vim quacumque ratione conatur eludere. Episcopos illos ab Apostolis ad infideles missos, electos fuisse a plebe illius Ecclesiæ, in qua ordinabantur. Verum illa Kemnitii responsio ridenda potius est quam pluribus confutanda. Nam primo id gratis asserit ; secundo quo jure populus unus alterius populi Episcopum potest eligere ? tertio dum Kemnitius et alii sectarii affirmant de jure divino esse quod ministri a plebe eligantur, hanc afferunt rationem, ne scilicet populus pastorem accipiat, quem neque novit, neque cupit ; unde apparet illos loqui de plebe cujus minister creandus est.

Probatur quarto ex simili antiquorum episcoporum praxi ; apparet enim ex Sozomeno, Socrate et Theodoreto, S. Athanasium, Eusebium Samosatenum et alios propria auctoritate novos Episcopos procreasse in Ecclesiis aut viduatis, aut ab Arrianis occupatis.

Probatur tandem, eamdem electionis potestatem Metropolitano potissimum convenire. Affirmat S. Chrysostomus Petrum solum potuisse Matthiam in Apostolum eligere. « Quid ? » inquit. « An non licebat ipsi Petro eligere ? Licebat, et quidem maxime ; verum id non fecit, ne cui videretur gratificari. » Cum ergo omnis Metropolitanorum potestas a suprema Petri potestate aliqua ratione dimanet, patet eligendi potestatem non solum summo Pontifici, sed etiam cæteris Metropolitanis peculiari quadam ratione convenire, unicuique quidem secundum eam quam in Ecclesia obtinet auctoritatem, et dignitatem.

CAPUT II.

DE QUALITATIBUS EORUM QUI ORDINES SUSCIPIUNT.

In iis qui Ordinis sacramentum susceturi sunt duo requiruntur : primum, ut nullum sit in illis impedimentum, quo a sacris Ordinibus arceantur : secundum, ut eas omnes conditiones habeant quæ ad tantæ dignitatis susceptionem prærequiruntur. Utrumque quam poterimus breviter enodabimus.

SPECULATIO I.

Dei is quos nefas est ad Ordines promovere.

Quoniam multi a sacris Ordinibus suscipiendis arcentur, ideo ut distinctius in hac materia procedamus, de iis agemus, eosque separatim recensebimus.

Fœminæ, et non baptizati sacrarum ordinationum sunt prorsus incapaces.

Primo fœminæ prohibentur docere et loqui in Ecclesia, I. Tim. II. et I. Cor. XIV. Ergo Ordinibus non possunt initiari nam ordinati potestatem habent publice docendi.

Secundo testatur Epiphanius in hæresi 79. quæ est Collyridianorum, apud quos mulieres B. Mariæ sacrificium offerebant, quod ab initio mundi non legatur mulier Deo sacrificasse. Quod si, » inquit, « mulieribus concessum fuisset, maxime oportebat ipsam Mariam sacrificium perficere in novo Testamento ; quod tamen ut fieret Deo non placuit. »

Nec est quod aliquis dicat fuisse olim in Ecclesia Diaconissas ; nam ostendetur inferius, Diaconissas illas nullam sacramenti Ordinis dignitatem unquam habuisse.

Non solum autem fœminæ, sed illi etiam qui Baptismum nondum susceperunt, sacros Ordines nullatenus possunt recipere. « Si quis Presbyter, » ait concilium apud Compendium celebratum, « deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur. » Hujus concilii sententiam sequitur, et probat Innocentius III. in Decretalibus, titulo de presbytero non baptizato.

Mutili, et insigniter deformes jure canonico a sacris Ordinibus arcentur.

Qui mutili sunt, aut insigniter deformes irregulares habentur : hæc tamen irregularitas in occidentali Ecclesia tardius viguit ; in orientali autem vix aliquando recepta est.

Id docet primo auctor *Constitutionum Ecclesiasticarum,* cujus hæc sunt verba : « Pro una tribu sacerdotali jussit ex unaquaque gente optimos quosque ad sacerdotium eligere, neque corporum vitia contemplari, sed religionem et vitam. » Non ergo corporum vitia, sed religionis aut vitæ a sacris Ordinibus arcebant.

Idem docet canon 76. Apostolorum : « Si quis, inquit, vel oculo orbatus, vel femore oblæsus, Episcopatu autem dignus sit, fiat : non enim corporis damnum eum polluit, sed animæ inquinatio. »

Quando tamen defectus illi ejusmodi erant, ut impedirent quominus fierent Ecclesiastica munia, tunc ille qui illis defectibus obnoxius erat, non poterat ordinari. « Qui autem est surdus et cæcus, ne sit Episcopus, non ut pollutus, sed ne Ecclesiastica impediantur. » Ita Canon 77. Apost. Quando autem aliquis jam ordinatus propter aliquem corporis defectum Ecclesiastica munia obire amplius non poterit, « a dignitate non alienabitur ; quin potius miserandus erit, ac priore quidem honore fruetur ; habebit autem etiam quæ ad vitam sustentandam sufficiant, et reliqua juxta priorem consuetudinem. » Ita Balsamon in sua ad Episcopum Alexandrinum responsione Juris Orient. pag. 374.

Innocentius I. declarat illum sacris Ordinibus recipiendis idoneum non esse, qui aliquod corporis membrum sibi abscidit. « Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad clerum Canones non admittunt ; cui vero casu aliquo contigit... hos canones præcipiunt et clericos fieri, et si in Clero fuerint reperti, non abjici. » Sic scribit Innoc. I. epist. 4. cap. 1.

Idipsum prius statuerant canon primus concilii Nicæni, et canones 21, 22. 23. et 24. Apostolorum, qui causam etiam referunt : « Est enim, » inquiunt, « sui homicida, et Dei opificii hostis. »

Demetrius episcopus Alexandrinus Origenem, qui adhibitis quibusdam medicaminibus seipsum eunuchum fecerat, ordinare noluit : et cum rescivisset ipsum in Palæstina ab Episcopis Cæsareensi, et Jerolymitano ordinatum fuisse sacerdotem, graves in ipsos querelas commovit. Ita Euseb. lib. 6. *Hist. Eccles.*

Propter eamdem causam Eustathius Præsul Antiochenus Leonthium presbyterum deposuit, ut referunt S. Athanas. apolog. *de fuga sua*, Socrates lib. 2. cap. 21, Theodoretus lib. 2. cap. 24.

Igitur illos hucusque irregulares esse comperimus : Primo qui propter corporum defectus obeundis muneribus ecclesiasticis idonei non erant. Secundo qui aliquod sibi membrum non casu, sed volentes abscindebant. Verum Hilarius Papa eos omnes irregulares habuit, qui aliqua corporis parte carebant ; vetat enim ne sacerdos fiat « aut litterarum ignarus, aut carens aliqua parte membrorum. » Ita epist. 2. Idem declarat canon tertius concilii Romani sub eodem Hilario ; et post ipsum Gelasius Papa, qui hanc rationem affert : « Quia vitiosum nihil prorsus Deo offerre legalia præcepta sanxerunt. » Porro hæc Gelasii doctrina tandem valuit, et in Ecclesia Latina universim recepta est. Unde nunc irregulares censentur primo, qui propter aliquem corporis defectum munia sacra obire non possunt : hujusmodi defectus est carentia visus in oculo sinistro, qui vocari solet oculus canonis. Si tamen aliquis ita prævaleret oculo dextro, ut sine ulla indecentia possit canonem de altari legere, non esset censendus irregularis : hujusce autem rei judicium ad Episcopum pertinet. Secundo qui notabilem habent deformitatem, puta qui naso, aut auribus carent. Tertio qui sua gravi culpa, quamvis invitus, caret aliquo membro, licet occulto, vel deformitatem gravem non causante, ut si alicui in adulterio deprehenso in pœnam vel ultionem virilia abscindantur, can. fin. dist. 55. Quarto qui se castrari permittunt ob cantum ; si tamen id permitterent propter gravem morbum ingruentem, non censerentur irregulares, can. *Si quis abscideri*t, et can. *Si quis se*, et cap. *Significasti, de corpor. vitiat.* In Ecclesia autem Orientali quanquam alioquin disciplina hac in re remissior sit, ut vidimus ; tamen cuicumque virilia abscinduntur irregularis habetur, ut refert Balsamon, cujus hæc sunt verba : « Etsi nullum vidi sacris initiatum, cui propter morbum permissum fuerit ut castraretur. »

Epileptici, energumeni et amentes ordinari prohibentur.

Inter irregulares recenset Gennadius, « qui in scena lusisse dignoscitur, qui aliquando in furiam versus insanivit, vel afflictione diaboli vexatus est. » Ita *de dogmat. Eccl.* cap. 7.

Energumenis epilepticos adjungit concilium XI. Toletanum, cujus hæc sunt verba : « Bene quidem majorum regulis definitum est, ut dæmoniis, aliisque similibus passionibus irretitis ministeria sacra ministrare non liceat, » etc. Ita can. 13.

De illis idem decernit Carolus Magnus in suis capitularibus : « Dæmoniis, aliisque passionibus irretitis non licet ministeria sacra tractare. » Ita lib. 1. cap. 51.

Epileptici, energumeni, lunatici, si nondum ordinati sunt, a sacris Ordinibus in perpetuum arcentur, quantumvis constet eos postea liberatos fuisse, d. can. *Maritum.* Consuetudine tamen passim recepta irregulares non habentur quibus ante annum ætatis decimum quartum epileptici affectus acciderunt : quia, teste Hippocrate, epilepsia quæ tum temporis accidit facile amovetur ; quæ vero post annum vigesimum quintum accidit, comitatur ad mortem usque.

Si aliquis jam ordinatus in epilepsiam incidat, poterit susceptos Ordines exercere, modo per annum integrum epilepticum symptoma non recurrat. Si vero non constet, sed solum dubitetur de præterito epileptico casu, sufficit exploratio dierum triginta, ut exponit Glossa concilians canonem *Communiter*, dist. 33. cum canone *Nuper*, 7. quæst. 2. Idem judicium ferri debet de amentia, et dæmonis infestatione.

Tandem si aliquis rarius quidem, sed aliquando tamen solet epilepsia corripi, modo id fiat sine ullo clamore, spumarum emissione, et corporis horrenda agitatione, hic poterit Sacrum celebrare, sed adjuncto altero sacerdote jejuno, qui si necesse sit, possit Missam post inchoatum Canonem perficere, d. can. *Nuper*. Idem longe ante decreverat concilium XI. Toletanum canone 14. his verbis : « Habeat quisquis ille canens Deo, atque sacrificans, post se vicini solaminis adjutorem ; ut si aliquo casu ille qui officia impleturus accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, a tergo semper habeat, qui ejus vicem exequatur intrepidus. »

Servi et curiales a sacris Ordinibus removentur.

Triplici potissimum ratione a sacris Ordinibus servi removebantur. Primo, quia servi non sui, sed domini sunt. « Debet autem immunis esse ab aliis qui divinæ militiæ fuerit aggregandus, » etc. S. Leo epist. 1. cap. 1 : « Ne per Christiani nominis institutum aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina perverti. » Gelasius epist. 1. cap. 16. Secundo, quia plerumque idcirco tantum ecclesiastica munia ambibant, quo a servitute possent liberari. Tertio, quia in illis nulla erat natalium, nullave morum dignitas. Quando autem tria hæc impedimenta amovebantur, tunc servi ordinari poterant, ut docet canon 82 Apostolorum, per hæc verba : « Servi in Clerum non ordinentur sine domini voluntate. Si quis vero dignus est, qualis Onesimus fuit, domino consentiente, et libertatem ei concedente, et extra domum suam emittente, in eum gradum ascendat. »

Quando aliquis in Episcopum ordinatur, ab omni servitute, et aliena potestate eximitur. « Post ordinationem a servili et adscriptitia fortuna Episcopos liberos esse præcipimus. » Justinianus novell. 123. cap. 4 : « Qui enim omnium sunt spirituales patres, quomodo sub aliena potestate consistant? » Idem Nov. 81. præf. cap. 13.

Qui ad sacros Ordines sciente domino evehebatur, libertatem illico acquirebat : quando vero Episcopus servum inscio domino ordinabat, tunc vel Episcopus, vel qui servum Episcopo obtulerat, duos alios servos domino tradere tenebatur.

Qua ratione servi, eadem ferme curiales a sacris Ordinibus arcebantur ; illi enim nobiliori licet, aliqua tamen servitute tenebantur ; siquidem non solum illorum bona, sed personæ etiam publicis muniis erant addictæ. Illis tamen ad Clerum patebat aditus, modo aliquem substituerent, qui muniis quibus obstricti erant, fungerentur, et aliquam bonorum suorum partem curiæ et fisco cederent. Porro hæc irregularitas jam pridem desiit, ex quo scilicet munia curialia abrogata fuere.

In eadem irregularitate censendi sunt quæstores, curatores, publici administratores. Vide cap. *Præterea*, dist. 51. et tot. titul. *de Oblig.* ad ratiocin. Hincmarus Rhemensis Guillebertum Episcopum ordinare

noluit, quia fuerat imbreviator, sive descriptor stipendiorum regalium, quin prius litteras a Rege accepisset, quibus ab omni ratione reddenda redderetur immunis.

De irregularitatibus ex delicto.

Vult divus Paulus, ut episcopi, et diaconi sine crimine sint. Sic ad Tit. cap. I. et I. Timoth. III.

Idem decernit canon 61. Apostolorum : « Si adversus fidelem aliqua accusatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterii, vel alicujus alius prohibitæ actionis, et convictus fuerit, ad Clerum ne provehatur. »

Non quæcumque peccata, sed gravia tantum et capitalia, quæ crimina nominantur, eos a quibus perpetrantur reddunt irregulares. Id docet D. August. cujus hæc sunt verba : « Ideo Paulus non ait, Si quis sine peccato est ; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur : sed ait : *Si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus sacrilegium, et cætera hujusmodi.* »

Rationem hujusce irregularitatis reddit Hormisda Papa epist. 25. quia scilicet « irreprehensibiles esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis : sed nec de pœnitentibus quisquam ad hujusmodi gradum profanus temerator aspiret. Qua conscientia absolvat reum, qui se peccata sua populo scit teste confessum ? » Quibus verbis notari potest pœnitentes a Clero arceri, non quia pœnitentes sunt aut fuerunt, sed quia peccata sua populo teste confessi sunt : unde patet crimen, non pœnitentiam, esse causam irregularitatis.

Quod crimen solum, licet occultum, non autem pœnitentia irregularitatem inducat, clarissime apparebit ex Gaudentio Episcopo, qui cum in gravi morbo constitutus publicam pœnitentiam recepisset, a Patribus concilii XIII. Toletani petiit, an post convalescentiam Episcopalia munia rursus posset obire ? Cui concilium respondit, illum posse, « si se mortalium criminum professione propria non notarit, etc. Cæterum si quod fateri erubescit, absconsum intra claustra sui pectoris delitescit, noverit ipse sibi de se potestatem esse concessam, ut juxta conscientiæ suæ fiduciam, utrum audeat, aut non audeat sacrificare Deo, ex sui potius arbitrii potestate, quam ex nostri judicii permissione procedat. » Ex illis concilii verbis patet, pœnitentem qui nulla crimina publice professus est, ab Ordinibus non arceri. Secundo, quod si aliquis criminis alicujus occulti reus sit, eamdem illum sibi pœnam debere infligere, quam ab Ecclesia infligendam sibi esse noscit, si crimen illius esset manifestum ; quandoquidem non publica criminis professio, sed illius perpetratio irregularitatis causa censenda sit. Tertio, quod illi qui criminis etiam occulti rei sunt, non solum ab Ordinibus quos nondum receperant arcentur, sed etiam ne eorum munia exerceant postquam ordinati sunt, prohibentur.

S. Isidorus Hispalensis eamdem doctrinam fuse tradit lib. 2. *de Eccles.* offic. cap. 5, unde dubium esse non potest, quin suppositia sit epistola ad Massanum, quæ inter illius opera exstat, in qua contrarium prorsus edocetur, ut doctus quisque facile concedet.

De homicidis.

Cum homicidium crimen sit, et crimen omne irregularitatem pariat, patet homicidas esse irregulares. Porro inter homicidas recensentur non ille solum qui occidit, sed etiam illi qui aut mandant, aut consulunt : inter mandantem autem, et consulentem illud admitti solet discrimen, quod qui mandatum dat occidendi, si ante homicidium factum mandatum revocat, ab irregularitate sit immunis ; qui vero consulit, irregularitati manet obnoxius, etiamsi ante perpetratum homicidium consilium suum revocaverit. Discriminis hujus hanc afferunt rationem, quod mandatum sit in ipsius mandantis commodum, et idcirco eo revocato mandans non amplius in necem videtur influere ; consilium autem sit in commodum et gratiam ejus cui datur ; et ideo cui consilium revocat, non censetur suasionis suæ influxum revocare, nisi is cui consilium datum est a proposito desistat.

Ex eodem delicto irregulares esse censentur, qui abortum procurant, qui membra mutilant, etc.

De militibus.

Nemo Catholicus militiam ex se malam esse dicet, « alioquin Joannes cum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes ; *Et*

nos quid faciemus? responderet eis, *Arma abjicite, militiam istam deserite*, etc. Sed quia sciebat eos cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, et non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis : *Neminem concusseritis*, etc. » Ita D. August. *contra Faustum* lib. 22. cap. 74. Quia tamen « ex novo Testamento ostendi non potest, quod justus quisquam interfecerit aliquem, » D. August. epist. 163. quia « Christus pati venit, non defendi ; » quia Ecclesia vel minimam criminis umbram refugit : idcirco quicumque homicidium etiam sine crimine volentes admittunt, irregulares ab Ecclesia declarantur : « Si quis post Baptismum militaverit, et chlamydem sumpserit aut cingulum ad necandos fideles, etiamsi gravia non admiserit, si ad Clerum admissus fuerit, diaconi non accipiat dignitatem. » Ita ex concil. Tolet. 1. cap. 8.

Alia etiam ratio posset afferri cur milites irregulares semper habiti sint, nempe quod milites aliqua servitute militiæ scilicet obstricti sint : hinc enim factum est, ut Imperator Mauritius ipsorum etiam monasteriorum ingressum illis interdixerit.

De judicibus.

Irregulares etiam habentur Judex, apparitor, carnifex, accusatores, testes et similes in causa criminis, si mors, aut mutilatio sequatur, licet illi suo juste fungantur officio. Id docet Innocentius I. epist. 4. cap. 3. Narratur etiam Chelidonium Episcopum Vesontinum a Cæsario Arelatensi idcirco fuisse depositum, quod aliquos capitali sententia condemnarat. Ita Conc. Gall. tom. 2. pag. 70.

Itachius episcopus cum aliis quibusdam apud Maximum imperatorem Priscillianum impurissimum hæreticum accusaverat, et illius mortem petiverat ; idcirco D. Ambrosius etiam ab iis episcopis qui cum Itachio communicabant se abstinuit : divus autem Martinus cum iis communicavit quidem, sed ad horam tantum, idque ut iis consuleret, quorum cervicibus gladius imminebat.

De adulteris, fornicariis, etc.

Aliquas auctoritates jam supra retulimus, quibus fornicarii, adulteri, et alii a sacris Ordinibus removentur. Aliis quamplurimis auctoritatibus res eadem posset confirmari, verum illud esset superfluum ; satis enim superque manifestum est, fornicationem et adulterium inter crimina recenseri, et antiquitus crimina omnia eos a quibus committebantur, sacrarum ordinationum incapaces reddidisse, ut innumera ferme comprobant Concilia : sufficiet unum hic addidisse, nempe per mille, et amplius annos sacerdotibus sive clam, sive palam in carnis flagitia lapsis reditum ad suam dignitatem nullum patuisse, ut docte observat doctissimus Morinus.

Objicies : Ex Hincmaro Rhemensi, et ex Rabano Moguntino patet, sacerdotibus clam in crimina lapsis reditum ad pristinas dignitates indultum fuisse.

Respondeo quod Hincmarus et Rabanus hanc indulgentiam subintroduxerunt decepti falsis litteris Gregorii *ad Secundinum*, Callisti et Isidori *ad Massanum*. Verum remissior hæc agendi ratio non statim omnibus fuit probata, neque ab omnibus recepta. « Si quis clericus, » ait concilium Triburiense, « nimium coactus homicidium fecerit, sive sit presbyter, sive diaconus, deponatur. » Quando igitur magis deponeretur si fornicationis, aut adulterii reus esset.

Non juvat plura hac de re referre ; satis erit notasse, usum paulatim invaluisse, ut sacerdotes ad suum gradum post impletam pœnitentiam reverterentur : cum enim prius clerici ob crimen admissum in æternum deponerentur, nulla illis imposita pœnitentia, crediderunt posteriores Pontifices clericum posse ad suam dignitatem reverti, si depositioni temporaneæ gravis adjungeretur pœnitentia, ut scilicet hac ratione depositio ad tempus, sed pœnitentiæ conjuncta, æquivaleret depositioni in perpetuum, sed quæ adjunctam pœnitentiam haberet nullam. Hac ratione Sylvester II. abbatem quemdam ad tempus ab officio suo suspendit.

De bigamis.

Clarius apparebit quam aliena fuerit Ecclesia ab adulteris et fornicariis ad clerum admittendis, si consideretur iis omnibus cleri aditum fuisse interclusum, qui vel aliquam impudicitiæ umbram præ se ferrent.

Hinc bigami ab Apostolo, a Patribus, et ab innumeris ferme conciliis ordinationum indigni declarantur, non quod secundæ nu-

ptiæ malæ sint, sed quod incontinentia, in cujus remedium secundæ nuptiæ adhibentur, vix vitio caret. « Duæ sunt, » (inquit D. Hieronym. lib. 1. *advers. Jovin.*) « Apostoli voluntates, una quæ præcipit, altera quæ indulget. Vult nos permanere post nuptias sicut seipsum, sin autem nos viderit nolle quod ipse vult, incontinentiæ nostræ tribuit indulgentiam. » Et hæc est ratio cur antiquitus bigami non solum ab Ordinibus arcebantur, sed etiam communione ad aliquod tempus privabantur, eisque preces et jejunium præscribebantur, ut constat ex conciliis Laodiceno et Neocæsareensi, adeo ut mirum nemini esse debeat si bigami qui aliquando ipsa communione privati sunt, a sacrorum Ordinum dignitate in perpetuum fuerint remoti : ut enim ait S. Leo epist. 84. cap. 2 : « Sacerdotum tam excellens est electio, ut hæc quæ in aliis Ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita. »

Quæritur primo, an bigamus ille dicendus sit qui ante Baptismum unam, et post Baptismum aliam uxorem ducit, ita ut scilicet ille non possit ordinari.

Ejusmodi bigamum a sacris Ordinibus non debere arceri censet D. Hieronymus ; « quoniam illi per Baptismum innovato omnia vetera sunt dimissa. » Hieronymo concinit Gennadius *de dogmatibus Ecclesiasticis*, cap. 70.

Hanc doctrinam a Græcis hauserat Hieronymus, quos inter diutius versatus est, atque illis quidem favere videtur canon. 16. Apostolorum, cujus hæc sunt verba : « Si quis post Baptismum secundis fuerit nuptiis implicitus, aut concubinam habuerit, non potest esse episcopus, non presbyter, aut diaconus, aut prorsus ex numero sacerdotali. » Igitur illi tantum ab Ordinibus removentur, qui post Baptismum secundis nuptiis implicantur.

Ab hac tamen Hieronymi et Græcorum opinione alieni sunt Latini omnes, qui in secundis nuptiis non tam crimen, quod utique per Baptismum remittitur, ut recte docent Græci, quam Apostoli legem considerarunt. Id clare docet D. Ambrosius lib. 1. *de Officiis*, cap. ultimo, his verbis : « Plerisque mirum videtur, cur etiam ante Baptismum iterata conjugia electioni muneris et prærogativæ ordinationis impedimenta generent, cum etiam delicta obesse non soleant, si lavacri remissa fuerint sacramento. Sed intelligere debemus, quia in Baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In conjugio non culpa, sed lex est ; quod culpæ est igitur, in Baptismo relaxatur, quod legis est in conjugio, non solvitur. Quomodo autem potest hortator esse viduitatis, qui ipse conjugia frequentaverit? »

Eamdem quam D. Ambrosius doctrinam fuse tradit Innocentius I. epist. 22. cap. 2.

Innocentio succinit divus Augustinus, qui sententiam suam confirmat præclara et Augustino plane digna ratione, idcirco scilicet, « Antistitem Christianum unius uxoris virum esse debere, ut significet ex omnibus gentibus unitatem uni vero subditam Christo : quod, » inquit, « acutius intellexerunt qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit alteram (uxorem) ordinandum esse censuerunt ; de Sacramento enim agitur, non de peccato, » etc. Ita August. *de Bono conjugali*, cap. 18.

Hanc Augustini rationem fuse, et eloquenter more suo explicat S. Leo epist. 87, licet in epistola 84. aliam etiam a nobis superius relatam afferat.

Adeo autem prævaluit posterior hæc Latinorum Patrum doctrina, ut Hieronymus ipse affirmarit se illam nullatenus velle subvertere. Sic enim loquitur apolog. *ad Ruff.* : « Quid nobis videretur, respondimus nulli præjudicantes sequi quod velit, nec alterius decretum nostra sententia subvertentes. »

Quæritur secundo an bigami haberi debeant, qui uxorem non virginem ducunt.

Eos ut bigamos ab Ordinibus removet canon 18. Apost. : « Si quis, » inquit, « viduam, aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut servam, vel mimam, seu scenicam, non potest esse in clero. »

Id ipsum ita definit concilium Arelatense III, ut affirmet se ea tantum decernere, quæ omnes ante canones jam instituerant. Sic enim loquitur can. 3 : « Nullus pœnitentem, nullus bigamum, nullus viduarum maritos in prædictis honoribus (cleri) audeat ordinare. Et licet hoc jam prope omnium canonum instituta contineant, » etc.

Rationem affert imperator Justinianus novell. 6. cap. 5. his verbis : « Nihil enim sic in sacris ordinationibus diligimus, quam in castitate viventes, aut cum uxoribus non cohabitantes, aut ut unius uxoris vir vel qui fuerit, vel sit, et ipsius pudicæ atque ex virginitate. »

Quæritur tertio, an illi bigamorum pœ-

nas incurrant, quorum mulieres adulterant.

Respondeo eos irregularitatem ut bigamos incurrere, si post adulterium vel semel mulieres suas cognoverint. Consulantur canones, *Si cujus*, et *Si laici*, dist. 34. Non forent autem irregulares si illas non cognoscerent post adulterium, ut ibidem traditur.

De clericis conjugatis : ubi agitur de continentia, seu cœlibatu clericorum.

De cœlibatu clericorum dicendum est primo, illum non esse juris divini.

Probatur primo : Synodus Ancyrana permittit uxorum consuetudinem diaconis, qui in ipsa ordinatione protestati sunt se non posse continere, aut continentiam servare nolle : igitur continentiæ lex non est juris divini.

Probatur secundo : Concilia Generalia Lugdunense et Florentinum dispensarunt cum Sacerdotibus Græcis circa usum matrimonii initi ante ordinationem : igitur etc.

Dicendum secundo, præceptum de cœlibatu servando esse Ecclesiasticum, jam inde ab Apostolorum temporibus servatum. Hæc assertio est contra hæreticos qui affirmant præceptum de cœlibatu a Syricio Papa primum editum fuisse, et in Ecclesia orientali nunquam receptum.

Probatur primo ex Origene qui sic loquitur : « Videtur mihi quod illius solius est offerre sacrificium qui indesinenti, et perpetuæ se devoverit castitati. » Ita ille hom. 23. *in librum Numeror.*

Eusebius lib. 3. *Demonst. Evang.* cap. 9. ait : « Verumtamen eos qui sacrati sint, atque in Dei ministerio, cultuque occupati, continere deinceps seipsos a commercio uxoris decet. »

Idem docent alii plurimi Patres. Epiphanius ad finem operis *contra hæreses*, et hæresi 59. Chrysostomus homilia secunda *de patientia Job*, Gregorius Nyssenus libro *de Virginitate*, capite ultimo, D. Ambrosius et alii.

Probatur secundo ex conciliis Ancyrano in Ecclesia Orientali, Carthaginiensi II. in Africa Romano sub Sylvestro in Italia, Arelatensi II. in Gallia, Eliberino in Hispania, Aquisgranensi, et Wormatiensi in Germania, et aliis, unde apparet, hanc cœlibatus legem fuisse ubique terrarum receptam, et servatam :

Dicendum tertio convenientissimum esse Ecclesiæ præceptum, quo clericis matrimonii usus prohibetur, quia scilicet negotia quæ matrimonii usum solent consequi, clericos ab iis functionibus quibus necessario debent incumbere, penitus avocant. « Certum est, » inquit Origenes loco citato, « quia impeditur sacrificium indesinens iis qui conjugalibus necessitatibus serviunt ; unde videtur mihi, » etc.

Objectiones de cœlibatu solvuntur.

Objicit primo Philippus Melancthon, illa Scripturæ verba : *Crescite, et multiplicabimi*, Genes. I, 28, quibus verbis contendit omnibus hominibus præceptum esse, ut matrimonium contrahant ; unde concluditur matrimonii præceptum esse juris divini, adeoque nulla lege humana posse solvi : imo addit tam esse de jure naturæ ut matrimonium homines ineant, sicque speciem humanam conservent, quam est de lege naturæ ut manducent ad individuum conservandum.

Respondeo primo, prædicta Scripturæ verba non esse præceptum, sed benedictionem, qua scilicet primis hominibus virtutem Deus indidit filios procreandi : quod vel inde satis apparet, quod in eodem capite, vers. 22. eadem verba, *benedixitque eis dicens : Crescite et multiplicamini*, de bestiis dicantur, quibus certum est præceptum datum non fuisse. Ita de Aug. *de Genes.* in *Oper. imperf.* c. 15. et lib. *de Peccato originali*, c. 35.

Respondeo secundo, quod si his verbis præceptum contineatur, illud pertinere tantum ad primos homines, quando terra in mundi exordio erat replenda ; non vero ad homines hujusce temporis, quandoquidem nunc cœlum potius per continentiam, quam terra per matrimonium debeat repleri. Ita D. Hieronym. lib. 1. *in Jovinianum*, Cyprianus libro *de habitu virginum*, Tertullianus lib. *de Monogamia*, D. August. *de sanct. Virginitate*, cap. 9.

Respondeo tertio præceptum de matrimonio contrahendo non singulares homines, sed communitatem potius respicere ; omnia vero quæ communitati jubentur, ab unoquoque impleri non possunt, cum observatio unius alterius observationem non raro præpediat.

Objicit secundo idem Philippus Apostoli

verba, quæ habentur I. Cor. VII, 9 : *Quod si non continent, nubant.* Quibus contendit omnibus incontinentibus præceptum esse ut matrimonium contrahant.

Respondeo primo, Paulum hisce verbis non præceptum, sed consilium dare, idque secundum indulgentiam, quandoquidem incontinentes multa alia remedia possent suæ libidini sanandæ adhibere, puta preces, jejunia, etc.

Respondeo secundo, consilium illud non omnibus dari, sed iis duntaxat qui nullo continentiæ voto sese obstrinxerunt ; qui enim castitatem Deo voverunt, iis dicitur : *Redde Altissimo vota tua*, Psalm. XLIX. Ita S. Hieronym. lib. 2. *contra Jovin.* c. 7, ubi explicans hæc alia Apostoli verba, *Si nupserit virgo non peccavit*, suis verbis ita prosequitur : « Non illa virgo quæ semet Dei cultui dedicaverit ; harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. »

Hæc D. Hieronymi responsio desumpta est ex aliis ejusdem Apostoli verbis, quæ habentur I. Tim. V, 11 : *Adolescentiores autem viduas devita* (id est rejice, sive ne admittas in numerum viduarum ab Ecclesia alendarum) ; *cum enim luxuriatæ fuerint in Christo* (id est cum ex bonis Ecclesiæ genio et deliciis indulserint adversus Christum) *nubere volunt, habentes damnationem quia primam fidem* (Christo tanquam sponso per votum castitatis datam) *irritam fecerunt* (ad secundas nuptias transvolando, et sic fidem, sive fidelitatem Christo prius datam infringendo).

Simili ratione solventur ea quæ afferre solent sectarii, nimirum matrimonium omnibus esse liberum, esse honorabile inter omnes, etc. hæc enim omnia vera sunt quidem, si de illis qui nullo se voto obstrinxerunt, falsa autem si aliter intelligantur.

Objicit tertio Calvinus, Apostolos omnes uxores habuisse, a quibus nequidem in opere Evangelico secubarent, ut sic scilicet ostenderent nullius quantumvis excellentis functionis sanctitate indignum esse conjugium : id autem probare conatur ex iis Apostoli verbis quæ habentur I. Cor. IX, 5 : *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas ?*

Respondeo multos etiam e Catholicis ex hoc loco concludere, Paulum uxorem habuisse, quam tamen sororis, non uxoris loco haberet ; et idcirco eam hic vocari *sororem mulierem.* Ita ex antiquis Clemens Alexandrinus lib. 3. *Strom.* et ex recentioribus Laurentius Valla, Catharinus et Jacobus Faber. Sed hæc illorum expositio nulla solida ratione nititur : quare

Respondeo secundo melius alios interpretari hunc locum de mulieribus, « quæ juxta morem Judaicum magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. » Verba sunt D. Hieronym. lib. 1. *contra Jovinian.* cap. 14. Idem docet D. August. lib. *de opere monach.* cap. 4. et 5. Ita etiam e Græcis Chrysostomus, Œcumenicus, Theodoretus, etc.

Quod autem hæc secunda responsio verior sit, probari potest primo, quia plurimi veterum asserunt, Paulum non habuisse uxorem, ut Hieronym. in epist. *ad Eustochium*, Hilarius *in Psal.* CXXVII. etc. Secundo, quia I. Cor. VII. se ponit inter non nuptos dicens : *Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego.*

Objicit quarto Calvinus quod habent Socrates et Sozomenus, nempe Nicænum concilium desiisse a lege ferenda, qua clericis uxores habere prohiberetur, quod moneret Paphnutius, fore ut ex illa plus damni quam utilitatis et boni eveniret.

Respondeo illam Socratis et Sozomeni narrationem, quam non pauci suspectam habent, nihil prorsus continere quod Calvinianæ hæresi faveat ; non enim narrant auctores supradicti, cœlibatum fuisse clericis interdictum, quæ est propria sectariorum nostrorum hæresis, sed solum illis, qui uxores ante ordinationem habebant, matrimonii usum non fuisse nova lege interdictum.

Objici possunt quinto aliqui canones, qui adversariis nostris prima fronte aliquantisper favere videntur. Primus est canon sextus Apostolorum, his verbis expressus : « Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam obtentu religionis abjiciat. » Verum illo canone nihil aliud jubetur, quam quod expressius postea jussit concilium II. Turonense can. 12. his verbis : « Episcopus conjugem ut sororem habeat, et ita sancta conversatione gubernet domum omnem, tam Ecclesiasticam, quam propriam, ut nulla de eo suspicio quaqua ratione consurgat. » Jubetur ergo Episcopo, ut uxoris curam gerat, ita tamen ut ne levissimam quidem det carnalis commercii suspicionem,

Secundus est canon quartus concilii Gangrensis, in quo hæc habentur : « Quicumque discernit a Presbytero qui uxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit. » Verum neque etiam hoc canone aliquid contra cœlibatum clericorum efficitur ; in hac enim synodo damnantur errores Eustathii, qui nuptias eo usque damnabat, ut omnem salutis spem conjugatis adimeret, ut habetur in synodi præfatione. Anathema igitur dicitur illi, qui cum presbytero qui uxorem aliquando habuit, nollet communicare : at vero Ecclesia Romana presbyteros qui uxorem aliquando habuerunt, non damnat.

Tertius est canon decimus tertius sextæ synodi, qui presbyteris, et diaconis jam ante ordinationem conjugatis permittit matrimonii usum ; imo reprobat consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, qua diaconi et presbyteri tenentur continentiam profiteri.

Ut canonis hujus difficultas solvatur sciendum est, quod antiquitus etiam in Ecclesia orientali presbyteri, et diaconi castitatem servare tenebantur, ut e veteribus Græcis facile posset commonstrari : quinto tamen sæculo opposita consuetudo apud Græcos cœpit invalescere, paulo ante synodum Quinisextam : unde in hac synodo Quinisexta novam hanc suam consuetudinem conati sunt totius concilii auctoritate confirmare ; unde cum jam recessissent latini Patres, quidam Episcopi orientalis duntaxat Ecclesiæ in Secretario imperialis Palatii, quod Trullum nominabatur, convenerunt, ibidemque duos supra centum canones ediderunt, quos inter legitur canon supra laudatus. Verum Romani Pontifices, præsertim Sergius, canones illos tanquam a schismaticis editos rejecerunt. In aliis tamen deinde conciliis, puta in Lugdunensi et Florentino, presbyteris et diaconis Græcis ante ordinationem conjugatis, matrimonii usum permisit Ecclesia Latina. Verum evidens est ex hac tota historia nihil prorsus concludi posse in favorem illorum qui cœlibatum clericorum impugnant.

De illegitime natis.

Iis qui illegitime nati sunt, non semper fuit annexa irregularitas ; nam antiqui Patres qui de cæteris irregularitatibus tam accurate scripserunt, de hac spuriorum irregularitate nullum verbum habuerunt : circa undecimum tamen sæculum illegitimi inter irregulares habiti sunt, quia, ut ait Regino lib. 1. *de Ecclesiastic. discipl.* cap. 418 : « Eos quos publice leges non admittunt, velut infamiæ maculis respersos respuunt, et quasi degeneres despiciunt, Ecclesiastica dignitas nullatenus recipit, præsertim cum nihil maculosum Deo rite possit offerri, vel ejus servitio applicari. »

At vero apud Græcos nunquam recepta est hæc irregularitas. « Qui ex concubinis geniti » (ait Balsamon) « non vetantur sacrari ; matres enim eorum pœnis scortantium obnoxia fuerunt : ipsi autem nihil deliquerunt, quamobrem nec pœnis subjiciuntur, ut reliqui. Igitur homines, qui nihil deliquerunt, honorem sacerdotalem secundum canones consequentur et ipsi. »

De hæreticis, schismaticis et apostatis.

Hæreticos omnes, schismaticos, et apostatas irregulares esse, palam omnino asserit concilium Eliberinum. « Ex omni hæresi, qui ad nos fidelis venerit, minime est ad Clerum promovendus ; vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponentur. » Ita legitur can. 51. prædicti concilii.

Quamvis autem hæretici omnes irregulares semper habiti sint, in illos tamen severius actum est, quos constaret hæreseos fuisse auctores : « Damnato uno Donato, qui auctor schismatis fuisse manifestatus est, cæteros correctos, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt. » Sic D. August. epist. 50.

Docet autem ibidem idem S. Doctor, quod cum isti ad radicem Catholicam veniunt, « nec eis, quamvis post erroris sui pœnitentiam, honor Clericatus, aut Episcopatus aufertur, fit aliquid tanquam in cortice arboris matris contra integritatem severitatis. »

Docet deinde levissimum illud arboris (Ecclesiæ scilicet Romanæ) vulnus abunde compensari, cum id fiat « maxime propter eos quos foris positi possent decipere, et a susceptione illius muneris impedire. Deinde ut etiam ipsorum infirmitas levius excepta intus sanabilis fieret, jam nulla pertinacia claudente oculos cordis adversus evidentiam veritatis. »

Docet tandem in Ecclesiæ potestate situm esse, ut majori, vel minori adversus hære-

ticos clementia, prout res exigunt, uti possit. « Ut enim, » ait, « constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu permaneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. »

De filiis hæreticorum.

Alexander IV. cap. 2. §. *Hæretici*, hæreticos, atque illorum filios usque ad secundam generationem ad aliquod Ecclesiasticum Beneficium, seu Officium publicum admitti vetat. « Quod si secus actum fuerit, » inquit, « decernimus irritum, et inane. »

Bonifacius VIII, qui cap. *Statutum*, de hæreticis, Alexandri decretum hac super re renovat, dicit illud intelligi debere de iis duntaxat, quorum parentes, vel etiamnum hæretici sunt, vel in hæresi decesserunt; non vero de iis, quorum parentes emendatos esse constiterit, et reincorporatos Ecclesiæ unitati.

Ex his ultimis Bonifacii verbis colligi potest, hodiernam Ecclesiæ praxim, qua hæreticorum filii a sacris Ordinibus arcentur, a vetusta Ecclesiæ praxi dimanasse; vult enim canon 18. Concilii III. Carthaginiensis, « ut episcopi, presbyteri, et diaconi non ordinentur, priusquam omnes qui sunt in domo eorum Christianos Catholicos effecerint. »

Quapropter dici potest, filios hæreticorum a sacris Ordinibus duplici ratione arceri, scilicet tum quod hæreseos infamia in ipsos etiam hæreticorum filios aliqua ratione redundet, tum quod illis curæ non fuerit parentes suos hæreticos ad Fidem Catholicam reducere. Posteriorem rationem antiqui, recentiores vero priorem potissimum considerarunt.

De peregrinis, clinicis, et neophytis.

Cum peregrini utplurimum ignoti sint, et aliqua hæreseos infamia non raro laborent, licet ignoretur, eos idcirco non secus ac hæreticos ad Ordines promoveri prohibuit Gregorius Magnus lib. 1. epist. 23. et concilium Carthaginiense anni 535. Ecclesiasticos omnes ut hæreticos haberi voluit, qui Romam peterent sine commendatitiis litteris.

Quos per ludibrium S. Cyprianus clinicos vocat, quod in lecto Baptismum receperint, eos a sacerdotio excludit canon 12. concilii Neocæsareensis. Longe autem ante concilium Neocæsareense asseruerat Cornelius Papa, « non licere quemquam ex iis qui urgente vi morbi in lectulo perfusi essent, in clerum assumi. »

Vetat divus Paulus ordinari neophytum, *ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli.* I. Tim. III, 6. Præter rationem ab Apostolo allatam aliam profert Hormisdas epist. 23 : « Discere prius quisque debet antequam doceat : emendatiorem esse convenit populo, quem decet orare pro populo. »

SPECULATIO II.

Prædicta impedimenta ordinationem reddunt illicitam, sed non irritam.

Validas esse ordinationes, quibus hæretici, schismatici, simoniaci, etc. aut ordinant, aut ordinantur, modo fiant juxta receptam ab Ecclesia formam, unanimi consensu, et nemine refragante docuerunt quotquot quadringentis ab hinc annis auctores hac super re scripsere. Tam diuturnus Ecclesiæ consensus jure merito legis instar omnibus esse debet.

Ratæ sunt igitur prædictæ ordinationes, licet sint illicitæ; quia tamen plurimæ, eæque gravis momenti difficultates contra nostram assertionem possunt afferri, eas idcirco in certas classes ob majorem facilitatem distributas dissolvere conabimur.

Prima objectionum classis de schismaticis.

Primo schismatici duplicis generis possunt distingui; alii enim ab Ecclesia sese dividunt, illi obedire nolentes, licet ab illa in nulla alia re dissentiant. Illi postquam eos pœnituerit, in eumdem Ordinem admittantur, ait S. Basilius.

Alii autem ab ipsa Ecclesia pulsi sunt propter causas Ecclesiasticas, sed non capitales, ut Novatiani, Donatistæ, Meletiani, etc. De iis ita loquitur S. Basilius epist. 1. *ad Amphilochium* : « Qui abrupti sunt, laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent potestatem.... Sed quoniam nonnullis Asiaticis visum est propter multorum œconomiam et dispensationem eorum Baptisma suscipi, suscipiatur. » Ergo juxta D. Basilium schismatici et baptizandi, et ordinandi

potestatem amittebant, quamquam Baptisma ab illis collatum Ecclesiastica dispensatione ratum haberetur.

Secundo canone 8. concilii Nicæni edicitur, ut Novatiani ad Ecclesiam redeuntes, « impositis eis manibus sic in Clero maneant » ; vel ut vertit Isidorus, « ut ordinentur, et sic maneant in clero. » Idem sensus apparet in versione ejusdem canonis auctoritate concilii sexti Carthaginiensis facta : « Placuit eos ordinatos sic manere in clero. » Igitur qui a Novatianis ad Ecclesiam revertebantur, Ordinationem denuo recipiebant.

Tertio Meletius, licet Catholicus fuerit, et schismaticus vere dici non potuerit, nisi post concilium Nicænum, cui ipse et sui non obedierunt; nihilominus ea tantum conditione ab eodem concilio susceptus est, ut omne jus ordinationum illi adimeretur in posterum, in antecessum veto factæ iterum celebrarentur, ut videre est in epistola Concilii scripta ad omnes quæ sub cœlo sunt Ecclesias. Habetur pag. 249. tom. 2. Concil. R. P. Labbe, et ibidem pag. 85. hæc habentur : «Abdicavit eadem » (synodus Nicæna) « Meletium Thebaidis Episcopum una cum ordinationibus ipsius. »

Secunda classis objectionum de depositis, et degradatis.

Ordinationes ab episcopis depositis factas, irritas esse, et vanas multa probant : præcipua tantum breviter recensebimus. Primo Formosus Portuensis episcopus propter varia crimina a Joanne VIII. Papa depositus, degradatus, et ad communionem laicam redactus, eidem Joanni Papæ solemniter per jusjurandum promisit se Romam nunquam rediturum, neque suum Episcopatum unquam in posterum esse recepturum. Nihilominus a Marino Papa Joannis successore ab anathemate absolutus, et in suum Episcopatum restitutus, paucis post annis a Sede Portuensi ad Sedem Romanam translatus est. Porro omnes Formosi ordinationes irritas esse et vanas declararunt summi Pontifices Stephanus VI. et Sergius III. « Cunctos quos ordinaverat Formosus gradu proprio depositos iterum ordinavit Stephanus Sextus », ait Luitprandus diaconus Ticinensis libro primo *Historiæ* suæ, cap. 8.

Stephani acta in Formosum rescidit quidem Joannes IX. convocata Romæ synodo ; verum Sergius III. qui tertio anno post Joannis mortem ei successit, Formosi ordinationes iterum irritas fecit.

Secundo Hincmarus archiepiscopus Rhemensis declaravit irritas ordinationes omnes factas ab Ebbone, qui de Rhemensi Sede depositus, illegitime fuerat restitutus. Hincmari sententiam Decreto suo confirmavit synodus Suessionensis sub Carolo Calvo, et Leone IV. congregata.

Tertio Nicolaus primus ideo Photium non fuisse Episcopum dicit, quia ordinatus fuerat ab Episcopo deposito, nempe a Gregorio Syracusano, quem S. Ignatius Patriarcha deposuerat. « Nihil Photius », inquit, « a Gregorio percepit, nisi in quantum Gregorius habuit; nihil autem habuit, nihil dedit. » Ergo potestas spiritualis per ordinationem collata, atque adeo character per legitimam depositionem amittitur, sicque character non est indelebilis.

Quarto Ivo Carnotensis in suo Decreto, p. 14. cap. 55. hæc habet : « Gregorius Papa Septimus in synodo præsidens dixit : Ordinationes illorum qui ab excommunicatis sunt ordinati, sanctorum Patrum sequentes vestigia irritas fieri censuimus. » Quibus verbis ordinationes ab excommunicatis factas non solum illicitas, sed etiam invalidas declaratas fuisse testantur Bernardus Constantiensis, et Bertoldus ambo eidem Gregorio benevoli et addicti, ejusdemque temporis praxim perspectam habentes.

Tertia objectionum classis, de neophytis.

Primo canon quartus Synodi VIII. Photii qui sex dierum spatio omnes ordines susceperat depositionem ita exprimit : « ut ambitionem veluti quamdam malorum omnium malam radicem convellamus, Photium contra jusque fasque præcipiti temeritate velut atrocem lupum in gregem Christi insilientem, orbemque terrarum perturbatione complentem, nunquam antea Episcopum fuisse, neque nunc ulla ratione esse, justo Decreto declaramus, nec ab illo creatos in eo sacerdotii gradu, in quem ab eo promoti sunt, manere. » Testantur præterea Patres ejusdem synodi, Legatos Nicolai Primi iterasse sacramentum Confirmationis a Photio, et Photianis datum, existimantes scilicet neque Photium, neque a Photio ordinatos ullam habere in clero potestatem.

Secundo, nihil in Constantini Papæ as-

sumptione anno 767. peractæ defuit, nisi quod electus est in Pontificem, cum adhuc esset laicus, et quod Ordinum susceptio in ejus consecratione præcipitata est : nihilominus concilium Romanum sub Stephano IV. statuit Constantinum nunquam fuisse Episcopum, omnesque ejus ordinationes irritas esse, et invalidas : unde decrevit, ut Episcopi, presbyteri, et diaconi a Constantino ordinati, vel in perpetuum suis spoliarentur Ordinibus, vel si qui illorum placabiles fuissent coram populo civitatis suæ, iterum a populo et clero electi denuo ordinarentur. Qua promulgata sententia Episcopi a Constantino consecrati denuo a clero, et plebe electi, a sanctissimo Papa Stephano iterum consecrati sunt.

Quarta classis objectionum de simoniacis.

Primo Maximus Cynicus a S. Gregorio Nazianzeno baptizatus, et presbyter ordinatus, in episcopum Constantinopolitanum corruptis pecunia Episcopis clam se ordinari curavit : a Patribus autem secundi concilii statutum est, « ut neque Maximus fuisse, aut esse etiam putetur episcopus, neque hi qui ab eo sunt ordinati, qualemcumque gradum clericatus obtineant, omnibus scilicet quæ circa eum, vel ab eo gesta sunt, in irritum revocatis. » Ita canon illius depositionis.

Secundo Urbanus II. Daribertum a Nezelano Episcopo Moguntino schismatico, simoniaco, non simoniace ordinatum, ex integro diaconum ordinavit, et rescribens Petro Pistoriensi episcopo, dicit Baptismum ab hæretico, sive schismatico, Ecclesiastico more celebratum, ratum esse ; non vero ordinationem.

Quinta classis objectionum de hæreticis.

Primo in epistola synodica œcumenicæ synodi Sardicencis *ad Alexandrinam Ecclesiam*, quam ipse refert Athanasius Apol. 2. hæc habentur : « Gregorium quidem, qui illegitime ab hæreticis Episcopus constitutus est, et in vestram civitatem ab illis deductus ab universa sacra synodo de episcopatu (tametsi revera nunquam pro Episcopo habitus fuerit) depositum esse, vestram Unanimitatem scire volumus. »

Secundo canon Apostolicus 68. eamdem doctrinam evidenter confirmat. « Si quis episcopus, vel presbyter, vel diaconus secundam ordinationem ab alio susceperit, deponatur et ipse, et qui ordinavit, nisi utique constiterit quod ab hæreticis ordinationem habeat. »

Tertio Innocentius I. epist. 18. *ad Alexandrinum Antiochiæ episcopum*, cap. ultimo, sic loquitur : « Ab hæreticis baptizati recipiendi sunt cum suo Baptismo : sed ab hæreticis ordinati non sunt recipiendi cum suo ordine, quia hæretici solum Baptimum dare permittuntur. »

Prima responsio.

Respondeo primo, ea quæ a summis Pontificibus Stephano et Sergio contra Formosum facta fuere, non esse permagni ponderis, cum in illorum Decretis non ratio aut jus ullum, sed Stephani et Sergii perditissima nequitia, et fœdissima inferiorum episcoporum adulatio prævaluerit.

Idem dici debet de Hincmari contra Ebbonem sententia a concilio Suessionensi confirmata ; nam illius concilii acta Leo IV. approbare noluit. Refert quidem Flodoardus Benedictum Papam Leonis successorem omnia illius synodi acta confirmasse ; verum id fecit propter falsam Hincmari Rhemensis relationem : unde re tota maturius deinceps discussa, Nicolaus primus concilii sententiam improbavit. Quare ex illis exemplis argumentum aliquod legitimum contra indebilitatem characteris deduci non potest. Verum cum in objectionibus allatis multa sint indubitatæ fidei, et permagnæ auctoritatis, alia illis ratione respondendum est.

Secunda responsio.

Respondeo secundo dubium olim in Ecclesia fuisse, an ordinationes ab hæreticis, schismaticis, degradatis, et simoniacis factæ validæ fuerint? Quandiu autem tale dubium duravit, potuerunt Pontifices quod sibi fuit probabilius aut accommodatius in hac opinionum varietate visum eligere. Hinc pleræque auctoritates pro, aut contra ejusmodi ordinationes afferri possunt, adeo ut referente Petro Damiano in sexti opusculi sui præfatione, Leo IX. ex tanta opinionum varietate anceps admodum, et dubius, in postrema synodo omnes Episcopos ex divina obtestatione rogavit, « quatenus Dei misericordiam in commune deposcerent, ut quid super hoc scrupuloso negotio decernendum esset, nutantibus revelaret. »

Mirum autem alicui esse non debet, plerasque quæstiones primis Ecclesiæ tempo-

ribus dubias fuisse et in utrumque partem vulgo disputatas, quæ posteris indubitatæ fuerunt; quot enim definivit concilium Tridentinum, ut cætera omittam, quæ prius in utramque partem probabiliter agitabantur.

Simili ratione factum est, ut præsens quæstio, quæ prius dubia erat, annis abhinc quadringentis ab omnibus scholasticis ut indubia traderetur. Quare tam diuturnus Auctorum consensus instar legis esse debet, licet hactenus nullo Ecclesiæ Decreto statutum sit, ordinationes ab hæreticis, etc. factas esse validas; quæcumque enim definivit concilium Tridentinum, de solis ordinationibus a Catholicis legitime peractis nihil prohibet intelligi.

Tertia responsio.

Respondeo tertio, Scholasticos nihil non moliri, ut omnes quæ superius allatæ sunt, objectiones ita explicent, quatenus ordinationes ab hæreticis, schismaticis, simoniacis, degradatis, etc. collatæ, illicitæ quidem, non vero invalidæ declarentur. Sed nescio an hæc illorum solutio cuilibet objectioni plene satisfaciat, iisque videatur legitima qui in legendis antiquorum libris diutius insudarunt.

Quarta responsio.

Respondeo quarto in charactere duo debere distingui, characteris scilicet ipsius substantiam, ut ita dicam, et ipsius virtutem. Character semel impressus ab Ecclesia non pendet amplius quantum ad substantiam, sed est perpetuus et indelebilis: at ab Ecclesia pendet quantum ad agendi virtutem, adeo ut nihil agere possit quamdiu vis ejus ab Ecclesia suspenditur. Juxta hanc responsionem character, sive potestas Ordines conferendi similis erit potestati absolvendi a peccatis, quam potestatem unusquisque Presbyter in sua ordinatione vere quidem recipit, licet illa ne valide quidem uti possit sine superioris permissu.

Hac quarta responsione dissolvit olim Hincmarus auctoritates summorum Pontificum Leonis, Anastasii, Gelasii et aliorum, quas sibi objecerat; atque huic Hincmari sententiæ consenserunt Galliæ episcopi in Suessionensi concilio congregati.

Quinta responsio.

Respondeo quinto, penes Ecclesiam esse sacramenti alicujus administrationi certas adhibere conditiones, quibus non servatis sacramentum non modo illicitum sit, sed etiam invalidum. Istam Ecclesiæ potestatem agnovere ex antiquis theologis Alexander de Ales, S. Bonaventura, Innocentius IV. Cardinalis Ostiensis, Abbas Panormitanus, et alii; ex recentioribus vero Cardinalis Bellarminus, Cardinalis de Lugo, Franciscus Hallerius, Pater Morinus, et alii. De hac ultima responsione aliquid iterum dicemus cum de episcopatus, aut presbyteratus materia sermo habebitur.

Exponitur ratio cur ordinationes validæ sint, quæ a malis ministris conferuntur.

Ratio propter quam ordinatio a malis ministris facta rata sit, est quia efficacia et virtus sacramentorum novæ legis, non tam dependet a ministro qui illa confert, quam a Christo qui intus operatur, juxta illud Joannis I: « Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. » Ex quo fluit illa D. Augustini sententia: « Baptizet Petrus, baptizet Paulus, baptizet Judas, hic est qui baptizat in Spiritu sancto, » nimirum Christus. Ut enim late prosequitur idem divus Doctor tractatu quinto *in Joannem*, « parum refert utrum aqua ad areolas irrigandas per canalem lapideum, an per argenteum transeat. » Et libro 3. *de Baptismo*, cap. 10: « Lumen solis, vel etiam lampadum non inquinatur, etiamsi per lutum transeat. » Et libro 3. *in Crescentium*, cap. 8: « Nihil refert ad efficaciam sementis et plantationis, an lotis manibus, an sordidis id fiat, modo bonum sit semen, et terra fertilis, nec desit calor solis et pluvia de cœlo. » Et tandem, ut Nazianzenus docet in oratione *de Baptismo*, « non minus recte imprimit imaginem Regis sigillum ferreum quam sigillum aureum. » Ex his et similibus patet, sacramenta valide conferri etiam a malis ministris, imo ab hæreticis, schismaticis, etc.

Solvitur vulgaris objectio.

Adversus ea quæ in hac speculatione docuimus, objici solet difficultas ex vulgari axiomate repetita, scilicet neminem dare posse quod non habet, non posse aliquem conferre Spiritum sanctum, gratiam, etc. qui Spiritum sanctum, aut gratiam non habet; eos qui sunt extra Ecclesiam, puta hæreticos, schismaticos, etc. non posse conferre ea quæ sunt solius Ecclesiæ.

Verum illæ omnes difficultates evane-

scunt ubi attenditur ad supra explicatum divi Augustini principium, nimirum non ministrum esse qui efficaciter sacramentorum effectum producit, sed ipsum Christum ; ut enim ait idem Augustinus tractatu 80. *in Joan.*, « Excedit hoc humanam humilitatem, excedit angelicam sublimitatem, nec omnino pertinet nisi ad agricolam Trinitatem. » Quocirca in forma sic respondeo ; Ministri qui non habent gratiam, aut Spiritum sanctum, non possunt principaliter, et ex virtute propria gratiam, aut Spiritum sanctum conferre, concedo ; non possunt esse ministri, aut instrumenta quibus Christus gratiam suam largitur, nego : unde dici potest, malos ministros non habere quidem gratiam qua sanctificentur, sed habere gratiam quam aliis ceu ministri et instrumenta conferant ; et sic etiam verum est neminem dare quod non habet.

Ad id autem quod additur, hæreticos, schismaticos, etc. qui extra Ecclesiam sunt, non posse conferre sacramenta quæ sunt solius Ecclesiæ, respondeo Ecclesiæ bona etiam apud hæreticos non raro reperiri, ut eximie docet D. Augustinus sermone de gestis cum Emerito, ubi loquitur de iis quos ex hæreticis, aut schismaticis venientibus recipit Ecclesia. « Propter malum quod habent, » inquit Doctor sanctus, « non in eis possumus persequi bona quæ agnoscimus ; malum enim dissensionis, schismatis, hæresis, malum suum habent, bona vero, quæ n illis agnoscimus, non sunt sua, Domini nostri habent bona ; Baptismus non est ipsorum, sed Christi ; invocatio nominis Dei super caput ipsorum quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati : non eum suscipio Episcopum, si quando est ordinatus, super caput ejus Donatus est invocatus ; in errante et deserente milite crimen est desertoris ; character autem non est desertoris, sed Imperatoris. » Hæc D. Augustinus, quibus recte intellectis, nulla prorsus afferri potest circa præsentem materiam difficultas, cui facile satisfieri non possit.

SPECULATIO III.

Expenduntur dotes, quibus debet insigniri qui ad Ordines suscipiendos accedit.

Dotes omnes quæ in Ordinandis necessario prærequiruntur, sunt innocentia, sive sanctitas vitæ, scientia, et vocatio : unde sequentibus tribus propositionibus præsentem speculationem absolvemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Sanctitas vitæ necessaria prærequiritur, ut aliquis Ordines licite suscipiat.

Præsens propositio sufficienter probata est ex iis quæ superius dicta sunt de irregularitatibus ex parte criminis ; si enim per crimen aliquod capitale etiam occultum homines Ordinibus indigni redduntur, patet maximam in ordinandis sanctitatem requiri. Ut tamen sanctitatis hujusce necessitas magis appareat, breviter percurremus præcipuas rationes, propter quas hæc sanctitas in ordinandis necessaria sit.

Prima, et præcipua ratio petitur ex dignitate, sanctitate et sublimitate Sacerdotii, ut scilicet « quod Clerici sunt professione, actione potius demonstrent quam nomine, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit honor, sublimis, et vita deformis ; ne sit deifica professio, et illicita actio. » Sic S. Ambros. *de dignit. Sacerd.* cap. 3.

Secunda ratio petitur ex eo quod sacerdotis munus sit pro populo orare. « Quomodo autem aliis veniam postulat, qui utrum sibi Deus sit placatus ignorat? Qua in re formidandum est, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. » Sic S. Greg. *Past.* part. 1. cap. 11.

Tertia ratio petitur ex eo, quod clerici laicis debeant et verbis, et operibus prælucere : hinc dicuntur lux mundi, sal terræ, etc. « Tanta debet esse, » (ait S. Hieronymus) « scientia et eruditio Pontificis Dei, ut gressus ejus et motus vocalia sint, veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet et ornatu, et quidquid agit, quidquid loquitur, sit doctrina populorum. » Ita S. ille Doctor epist. 128. ad Fabiolam.

Quarta ratio petitur ex eo quod Clerici ubi semel in crimina delapsi sunt, vix ad meliorem se frugem recipiunt, ut passim testantur sancti Patres, et præsertim divus Chrysostomus, qui hanc hujusce rei causam affert, « quia scilicet erubescit aliquando

reus videri, qui aliorum semper fuerat Judex. » Ita hom. 43. *Oper. imperf.*

Quinta ratio petitur ex decretis Ecclesiæ, quibus clerici sub gravissimis pœnis jubentur sanctitatem profiteri : quæ omnia decreta a concilii Tridentini Patribus renovata fuere, sessione 22. *de Reformatione* cap. 1.

Jam vero ut paucis aperiam quænam debeat esse sacerdotum sanctitas, sufficiet uno verbo dixisse, sacerdotes tum demum sanctos fore ut decet, si præceptis Evangelicis ; decretis conciliorum, et sanctorum Patrum institutis vitam suam conformaverint.

PROPOSITIO SECUNDA.

Scientia in ordinandis necessario prærequiritur.

Scientiam in ordinandis prærequiri manifestum est, cum clericorum sit populos edocere ; hinc unicuique de populo dicitur : *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris*, etc. *venies ad Sacerdotes*, etc., Deuter. XVII. *Interroga Sacerdotes legem*, Aggæi II. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*, Malachiæ II. Hinc Sacerdotibus dictum fuit : *Vos estis lux mundi*, Matth. v.

Quapropter recte divus Hieronymus *in cap.* II. *Aggæi*, ait : « Si Sacerdos est, sciat legem Domini, si legem Domini ignorat, convincit se non esse Domini sacerdotem. » Et D. Chrysost. homil. 15. *in* I. *ad Timot.* de sacerdotibus loquens : « Quomodo, » inquit, « lucernæ, si non lucent? Profecto inseparabile est lucere a lucerna. Tenetur ergo lucere » (utique abundantia doctrinæ) « quem Dominus habere voluit officium lucernæ. »

Quænam sit scientia in ordinandis prærequisita.

Itaque sacerdotes tenetur scire Scripturas sacras, et canones, tum ut iis vitam suam conforment, tum ut illa populum edoceant, ut eos qui contradicunt possint arguere. « Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas, et canones meditentur ; omne opus eorum in prædicatione et doctrina consistat, atque ædificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina. » Verba sunt concilii IV. Toletani, can. 24. a Gratiano citata. Non solum autem sacerdotes, sed etiam inferiores clericos ad id teneri docet divus Hieronymus *in cap.* II. *epist. ad Titum*, ibi : « Qualis enim erit ædificatio discipuli, si se intelligat magistro esse majorem ? Unde non solum episcopi, presbyteri et diaconi debent magnopere providere ut cunctum populum cui præsident, conversatione, sermone, et scientia præcedant ; verum etiam et inferior gradus, exorcistæ, lectores, æditui, et omnes omnino qui domui Dei deserviunt ; quia vehementer Ecclesiam Dei destruit meliores esse laicos quam clericos. »

Tenentur præterea scire ea quæ ad sacramentorum administrationem pertinent. Hinc concilium Tridentinum vult, ut illi tantum ad presbyteratus Ordinem assumantur, « qui ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur. » Ita decernit sess. 23. *de Reform.* cap. 14. et a concilio Senon. an. 1528. in decreto morum cap. 3. inter ea, quæ ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, enumerantur « Liber Sacramentorum, Lectionarius, Antiphonarius, Baptisterium, Computus, Canon pœnitentialis, Psalterium, Homiliæ per circulum anni Dominicis diebus, et singulis festivitatibus aptæ : ex quibus si unum defuerit, Sacerdotis nomen vix in eo constabit ; quia valde periculosæ sunt Evangelicæ minæ, quibus dicitur : *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* »

Tenentur quoque ea nosse quæ necessaria sunt ad resolvendos ordinarios saltem conscientiæ casus, quorum tamen solutionem in canonibus, in Decretis summorum Pontificum, et in sanctorum Patrum scriptis quæret potius quam in modernonum casuistarum scriptis : ut enim præclare monet Eminentissimus ac doctissimus Cardinalis Bellarminus in opusculo *ad Episcopum Theanensem* nepotem suum : « Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, et non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant : et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi, et nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de summa rei cum de salute æterna tractatur, et facillimum est conscientiam erroneam

exemplo aliorum induere, et eo modo conscientia non remordente ad eum locum descendere ubi vermis non moritur, et ignis non extinguitur. »

Non immerito itaque ignorantes et illitterati a Sacerdotio repelluntur : « *Quia repulisti scientiam, ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi*, Oseæ IV. Nemo illitteratos ad clericatus ordinem promovere præsumat, quia litteris carens sacris non potest aptus esse officiis. » Gelasius epist. 1 : « Nullus ad sacra veniat indoctus, nullus ignorantiæ tenebris cæcutiens, sed quem morum innocentia et litterarum splendor reddunt illustrem. Conc. VIII. Tolet. can. 8.

Quinam fuerint antiquitus doctores, et quæ Scholæ.

Cum itaque scientia adeo necessaria sit iis, qui ordinandi sunt, mirum non est si antiquitus Episcopi Doctoris et nomen, et officium habuerint ; quippe docere, prædicare, evangelizare præcipuum, et maxime proprium est Episcoporum munus. *Oportet Episcopum esse pudicum, hospitalem, doctorem*, I. Tim. III, 2. Unde Apostolus passim se *Doctorem, et magistrum gentium* appellat : et S. Leo epist. *ad Maximum Antiochenum* vetat : « Ut præter sacerdotes nullus audeat prædicare, sive sit monachus, sive laicus, cujuslibet scientiæ nomine glorietur. » Tum temporis episcopalis domus schola erat, in qua adolescentes ad clerum destinati sacris Litteris erudiebantur, ut apparet ex sancto Athanasio, quem cum aliis pluribus in Episcopali domo erudiri jussit Alexander in Alexandrina Sede sancti Athanasii prædecessor. Socrates lib. 1. cap. 11. Idipsum evidenter apparet ex sequentibus verbis concilii II. Toletani, can. 1 : « Quos voluntas parentum a primis infantiæ annis clericatus officio manciparit, statuimus observandum ut mox, cum detonsi, et ministerio lectorum contradicti fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia a præposito sibi debeant erudiri. » Idem demum dici debet de Latiali Palatio sub Gregorio Magno, in quo refloruerant diversorum artium studia, ut docet Joannes Diaconus in *Vita S. Greg.* lib. 1. cap. 13.

Porto cum fidelium, ac proinde clericorum numerus in dies cresceret, fieri non potuit ut Schola in Pontificali domo erecta omnibus clericis erudiendis sufficeret ; quare subsequentibus temporibus non Episcopi duntaxat, sed cujuslibet presbyteri domus schola erat junioribus clericis erudiendis destinata : id nos docet concilium Vasense can. 1. « Placuit ut omnes presbyteri, qui sunt in Parochiis constituti, secundum consuetudinem quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores, quantoscumque sine uxore habuerint, secum in domo ubi ipsi habitare videntur, recipiant, et eos quomodo boni patres spiritaliter nutrientes, Psalmos parare, divinis lectionibus insistere, et in lege Domini erudire contendant, ut sibi dignos successores provideant, et a Domino præmia æterna recipiant. »

Non solum autem particulares illæ scholæ in domibus episcoporum aut sacerdotum vigebant ; erant enim præterea aliæ scholæ magis celebres, qualis fuit Alexandrina, de qua Eusebius lib. 4. cap. 10. ait : « Per idem tempus Fidelium scholæ præerat vir doctrinæ causa celeberrimus Pantænus, quippe jam inde a priscis temporibus sacrarum Litterarum schola in ea civitate » (Alexandrina) « fuerat instituta, quæ quidem nostra adhuc ætate perseverat. » Qualis fuit illa quam Edessæ Protogenes aperuit, ut narrat Theodoretus *Hist.* lib. 4. cap. 16.

An aliquæ sint scientiæ, quæ clericis debeant interdici.

Certum est primo, disciplinas omnes ex se, et ratione sui bonas esse ; quis enim dixerit philosophiæ, medicinæ, mathematicarum artium, etc. notitiam malam esse, et ut talem rejiciendam? Etenim in prædictis disciplinis veritas inquiritur et addiscitur ; veritatis autem inquisitio et cognitio procul dubio bona est. Nullus etiam dixerit rhetorices, aut poeseos artem malam esse, saltem quatenus insinuandæ in hominum animis veritati inserviunt. Rhetorica enim, ut etiam poesis, ex se nec bona est, nec mala, sed bona evadit cum veritati, mala cum falsitati et errori inservit : quare

Certum est secundo, quod quando sancti Patres in rhetoricam, aut in poesin insurrexerunt non tam artes prædictas, quam pravum illarum usum improbarunt : quod etiam de philosophicis disciplinis dicendum est, eas enim non propter se, sed propter abusum a Patribus condemnari

ostendunt hæc Augustini verba : « Non ergo illæ innumerabiles et impiæ fabulæ, quibus vanorum plena sunt carmina Poetarum, ullo modo nostræ consonant libertati, non Oratorum inflata et expolita mendacia, non denique ipsorum Philosophorum garrulæ argutiæ, qui vel Deum prorsus non cognoverunt, vel non sicut Deum glorificaverunt. »

Non est igitur omnino repudianda rhetorica ; nam « quis audeat dicere adversus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem, ut videlicet illi qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum vel docilem proœmio facere, isti autem non noverint, » etc. Ita S. August. lib. 4. *Doct. Christ.* cap. 2. Hæc tamen eloquentia ministris Ecclesiæ necessaria minime quæri debet in profanorum Poetarum præsertim scriptis, quæ, teste Augustino lib. 14. *de Trin.* cap. 1, « plena sunt supervacuæ vanitatis et noxiæ curiositatis, » sed in scriptis SS. Cypriani, Chrysologi, et aliorum.

Neque etiam rejici debent philosophicæ disciplinæ, et mathematicæ artes, quas « quisquis ad unum quoddam simplex verum certumque redegerit, non temere jam quærit divina, non jam credenda solum, verum etiam contemplanda, intelligenda, atque retinenda : quisquis autem vel cupiditates fugiens, casteque vivens, nesciens tamen » (enumeratas prius disciplinas), « non dico de summo illo Deo, qui scitur melius nesciendo, sed de anima ipsa sua quærere ac disputare voluerit, tantum errabit, quantum errari plurimum potest. » Ita D. August. lib. 2. *de Ordine*, cap. 16.

Non tamen crediderim philosophiæ principia ab ipsis profanis esse repetenda (illorum quippe philosophia impietatem ubique spirat, et idololatriæ principia clanculum propinat) : sed a divo Augustino præsertim, qui philosophiam nobis proponit vere christianam, a sensibus discipulorum animos abducentem, et ad divina contemplanda dirigentem. Hæc est philosophia quæ clericos maxime decet.

TERTIA PROPOSITIO.

Exponitur necessitas vocationis in iis, qui Ordines suscepturi sunt.

Ut aliquis ad Ordines licite accedat, debet procul dubio et impedimentis carere, quibus ab Ordinibus arceretur, et qualitatibus ornari quas superioribus propositionibus exposuimus : verum illa nondum sufficiunt ; non enim satis est alicui quod sit probus et eruditus, ut ad sacerdotium licite accedat, nisi etiam se ad illud cœlitus vocari cognoscat. Id non potest melius exprimi, quam sequentibus Fortunati verbis : « Gravat sacerdos Ordinem, qui Episcopatum sic petit : præcepta qui complectitur, fugit honoris ambitum : hoc si cui sit debitum, coactus ascendat gradum, non se petente callide, sed dante Christi munere. Ineptus est qui sanctæ se præferre vult Ecclesiæ ; nam rem sacratam sumere, electio divina sit. Clarus sacerdos Ordinem Hilarius non ambiit, Martinus illum effugit, Gregorius vix sustulit. Leges refutant ambitum, invasor omnis pellitur ; quod respuunt Prætoria, vitat nefas Ecclesia. » Ita ille *Poemat.* lib. 1. cap. 16.

Nempe una semper fuit, et communis omnium Patrum sententia, illos esse sacerdotio indignos, qui tremendam sacerdotii dignitatem ultro capesserent. « Quid miseris illis dixeris qui se conjiciunt in tantam abyssum suppliciorum ? Omnium quos regis mulierum, et virorum, et puerorum a te reddenda ratio est, tanquam igni caput tuum subjicis. Miror an fieri possit, ut salvus fiat aliquis ex rectoribus, quum videam post minas et præsentem socordiam aliquos adhuc accurentes, et se conjicientes in tantam molem administrationis. Nam, si ii qui necessitate trahuntur, non habent quo confugiant, et quo se excusent, si rem male administraverint, et sint negligentes, quanto magis ii qui in hoc suum studium ponunt, et in id irruunt ? Timere enim oportet et contremiscere, et propter conscientiam, et propter molem imperii, et neque si trahantur, semel recusare. » Hæc D. Chrysost. hom. 34. *in Epist. ad Hebræos.*

Non solum ergo juxta D. Chrysost. in sacerdotium irruere non debemus, sed neque si trahimur, semel tantum debemus recusare, sed magis fugere, ut ibidem prosequitur, « prævidentes magnitudinem dignitatis » ; adeo ut ne coacti quidem sacerdotium suscipiamus, si illi ferendo impares nos esse cognoscimus, ut docet lib. 4. *de Sacerdotio*, cap. 1. ibi : « Decere arbitror, ut si te eo sexcenti vocent, atque adeo cogant, non illos spectare, verum animi tui dotes prius examinare, viresque tuas omnes exacte per-

scrutari, atque ita demum cogentibus cedere. Jam domum se aliquam ædificaturum polliceri nemo audeat, qui idem architectus non sit, neque ægrotantia contingere corpora quisquam aggrediatur, qui medicinam non didicerit. »

Chrysostomo succinit S. Gregorius, dum ait quod ad sacerdotium « indignus nec coactus accedat. » Succinit Avitus Viennensis, juxta quem « placere Deo penitus nequit, qui usque ad sui electionem sibi ipse placuerit. »

Porro si in eo consentiunt sancti Patres, ut declarent eum qui sacerdotio indignum se noscit, nec coactum ad illud debere accedere, non minus consentiunt dum declarant illos in contrarium peccare, « ac per hoc contra justitiam facere, qui merito suæ conversationis, vel eruditionis electi, otiosum studium fructuosæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt, et cum possunt laboranti Ecclesiæ subvenire, operosæ administrationis laborem fruendæ quietis contemplatione refugiunt. » Jul. Pomer. *de Vita contemplat.* lib. 3. cap. 28. Ut enim ait Gregorius Nazianz. orat. 1, « Par meo quidem judicio malum est, ac peræque inordinatum, et omnes præesse atque imperare velle, et neminem id suscipere. »

Duo igitur sunt quæ apud sanctos Patres æqua ratione certa sunt et indubitata. Primum, ut indignus ad Ordines nunquam accedat, etiamsi ad id cogatur : secundum, ut qui præesse et prodesse populis possunt, honorem sibi traditum contumacius non repellant, sed cedant necessitati, ac tanquam divinitus oblatam tesseram accipiant : nempe juxta sanctos Patres, tunc demum aliquis se divinitus ad Ordines vocatum agnoscit, cum illos sibi a superioribus oblatos invitus accipit.

Quæres, an semper necesse sit, ut aliquis Ordines legitime suscipiat, quod a superioribus suis Ecclesiæ scilicet præsulibus ad id munus vocetur.

Respondeo primo hac de re nullum unquam dubium fuisse apud sanctos Patres, apud quos constans semper fuit hæc sancti Gregorii sententia : « Docus regiminis desiderantibus negandus est, fugientibus offerendus. »

Respondeo secundo, Ecclesiam nunquam condemnasse, quin imo approbasse et laudasse praxim eorum qui filios suos ministerio Ecclesiæ a prima pueritia destinabant, modo omnes illi pueri ad clerum destinati, « in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem et magistrum disciplinæ, et testem vitæ habeant. » Ita concil. IV. Tolet. can. 23. Verum cum illi pueri ad Cleri officia non eveherentur, nisi ad nutum Episcopi, sub cujus præsentia erudiebantur, hæc Ecclesiæ praxis superioribus Patrum sententiis penitus est conformis.

Repondeo tertio a superioribus sanctorum Patrum decretis illos etiam alienos non esse, qui in seminariis eo animo commorantur, ut precibus ad Deum fusis, adhibitisque corporis mortificationibus mereantur cognoscere quid de illis Deus postulet, adeo ut ad clerum evehi minime velint, nisi jubente episcopo, aut jubentibus saltem illis, qui ad illos examinandos et dirigendos ab Episcopo constituti sunt. Porro in eorum numero non sunt annumerandi, qui in seminariis quidem commorantur, at eo ardent Ordinum capessendorum desiderio, ut ad illos obtinendos nihil non moliantur : vereri debent qui cleri honores hac ratione ambiunt, ne de illis dicatur, *Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes extiterunt, et non vocavi eos*, Oseæ VIII. Vereri etiam debent, ne simoniacorum culpam, et pœnas incurrant. Audiant quid dicat D. Chrysostomus *in Acta Apostol.* hom. 3 : « Cogita quid acciderit Simoni : quid enim refert si non das pecuniam, sed loco pecuniæ adularis, subornas, multaque machinaris ? Pecunia tua tecum sit in perditionem, ad illum dictum est : et his dicetur : *Ambitio tua tecum sit in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari donum Dei ?* »

Dices Episcopatum posse desiderari, ac proinde necesse semper non esse quod aliquis ad Ordines vocetur, ut illos licite suscipiat ; ait enim Apostolus : *Fidelis sermo, si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, I. Timoth. I.

Respondeo ex D. Paulo bonum opus desiderari cum Episcopatus desideratur, sed non idcirco bene desiderari : scilicet hisce verbis « Apostolus exponere voluit, quid sit Episcopatus ; quia nomen est operis, non honoris, ... ut intelligat non se esse Episcopum qui præesse dilexerit, non prodesse, ... quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati : si autem imponitur, susci-

pienda est propter caritatis necessitatem. » S. August. lib. 19. *de Civit.* cap. 19.

Objicies secundo defuturos sacerdotes Ecclesiæ regendæ necessarios, si nemo ad Ordines se offerrat. Ergo, etc.

Respondeo fieri non posse, ut Christus Ecclesiæ suæ desit, atque sinat illam necessariis ministris carere; quare qui sub hac specie sese Ordinibus ingerunt, de Christi erga Ecclesiam providentia videntur subdubitare.

DISSERTATIO III

De Ordinibus in particulari sumptis.

Jam inde a priscis temporibus in Ecclesia Latina septem Ordines solent distingui, scilicet sacerdotium, diaconatus, subdiaconatus, et quatuor quos vocant minores, quibus plerique addunt episcopatum. Omnes isti Ordines eo nomine a se invicem distingui solent, quod alii sint hierarchici, alii vero non sint hierarchici: de hierarchicis primum agemus, tum de his qui hierarchici non sunt.

CAP. I.

DE TRIBUS ORDINIBUS HIERARCHICIS EPISCOPATU, PRESBYTERATU, ET DIACONATU.

Definit concilium Tridentinum sessione 23. can. 6: « In Ecclesia Catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris. » Per Ministros certum est intelligi diaconos; an vero præter diaconos subdiaconi etiam, necnon cæteri inferiores clerici hoc ministrorum nomine contineantur, non est ita certum: quare nunc eos tantum Ordines prosequimur, quos hierarchicos esse nullatenus dubitatur.

SPECULATIO I.

De Episcopatu.

Ex dictis superius de sacramento Ordinis in genere, constat Episcopatum non solum sacramenti Ordinis rationem habere, sed etiam esse totam, et integram sacerdotii plenitudinem: quare hoc supposito, tanquam illic probato,

Inquiritur primo, quænam sit materia episcopatus.

Tres aut quatuor sunt ritus in ordinationibus episcoparum maxime celebres et antiqui.

Primus est manuum impositio, quam superius ostendimus esse materiam essentialem Ordinum ad divinam hierarchiam pertinentium.

Secundus est traditio libri Evangeliorum, cujus meminit S. Dionysius cap. 5. *Eccles. hierarchiæ*, his verbis: « Pontifex qui ad initiationem Pontificiam accedit, utroque genuflexo ante Altare, supra caput habet eloquia divina » (id est Evangelium). Ejusdem traditionis meminit etiam S. Chrysostomus in oratione quæ inscribitur: Quod idem sit Legislator veteris ac novi Testamenti: « Quocirca, » inquit, « in Ecclesia in ordinationibus Episcoporum Evangelium Christi eorum capiti imponitur. » Græcorum Eucologium ejus etiam mentionem facit: « Aperit Evangelium Pontifex, et imponit capiti, et cervici illius qui ordinatur, » etc.

Ex his patet antiquum esse ritum illum, quo Evangelium ordinando Episcopo imponitur: at vero ritus ille, quantumvis antiquus, haberi tamen non potest pro materia essentiali ordinationis Episcopalis. Primo, quia multæ Ecclesiæ, Alexandrina, Gallica et Germanica Episcopos suos hac omissa cæremonia ordinarunt. Secundo, quia ne-

quidem Ecclesia Romana illam cæremoniam semper adhibuit, saltem si Alcuino, et Amalario credimus, quorum primus libro *de Divinis officiis*, titulo *Qualiter Episcopus ordinetur in Ecclesia Romana*, et secundus libro 2. *de Officiis Ecclesiasticis*, cap. 14. dicunt quod ritus ille non reperitur, neque in auctoritate veteri, neque nova, sed neque in Romana traditione. Tertio, quia apud S. Isidorum lib. 2. cap. 5. *de Divinis Officiis*, nullum pariter de illa verbum habetur, unde conjicitur neque in Hispania illam fuisse in usu. Quarto, quia in ordinatione Cæciliani Carthaginiensis archiepiscopi unius manuum impositionis fit mentio.

Tertius ritus est unctio, cujus usus in episcoporum ordinationibus est valde antiquus, præsertim in Gallia ; nam, teste Morino, lib. *de sacris ordinationibus*, exercitat. 6. cap. 2. antiquus Ritualis liber in Gallia ante mille et centum annos scriptus illius meminit. Tardius usurpata fuit hæc unctio in Hispania, in Africa autem non videtur fuisse unquam in usu, sicut neque in orientali Ecclesia ; nam quoties unctionis meminerunt Patres Græci, unctionem materialem, non spiritualem usurpant ; quapropter unctionem illam non esse essentialem Episcopatus materiam convincitur.

Quartus ritus est traditio baculi, aut annuli, quam non esse materiam essentialem Episcopatus, probatur primo, quia de illa apud omnes SS. PP. ante Gregorium magnum nulla habetur mentio. Secundo, quia nullus est illius apud Græcos usus, adeo ut Græci Latinos sugillent, quod annulos corporaliter gestent. Tertio, quia olim annulus et baculus tradebantur antequam Episcopus ordinaretur, ut constat ex codice Ratholdi.

Restat igitur, ut sola manus impositio sit materia essentialis Episcopatus, et revera quoties sancti Patres Episcopatus causam et rationem allegant, toties ad manus impositionem confugiunt.

Quæritur quænam sit forma Episcopatus.

Certum est, formam Episcopatus esse invocationem Spiritus sancti ; aiunt enim sancti Patres, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, et alii passim, ordinationem duobus perfici, manuum impositione, et imprecatione vocis : non est autem necesse, ut hæc Spiritus sancti invocatio fiat per hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum :* primo, quia hæc verba antiquitus non proferebantur ; unde divus Augustinus probabat Christum fuisse Deum, quod discipulis suis Spiritum sanctum dedisset. « Quomodo, » inquit, « Deus non est, qui dat Spiritum sanctum ? Imo quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum ; orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant : quem morem in suis Præpositis etiamnum servat Ecclesia. » Præterea hæc verba in nullis veteribus sacramentariis, et Pontificalibus inveniuntur, adeo ut vix ab annis quadringentis cœpta sint usurpari. Tertio apud Græcos alia verba proferuntur, sive verba illa sint « divina gratia, quæ semper infirma curat, » etc., ut opinatur Arcudius, sive potius quædam alia oratio, quæ in Euchologio Græcorum subsequitur.

Dices : Ex concilio Tridentino in ordinatione non frustra dicitur : *Accipe Spiritum sanctum.* Ergo ex concilio Tridentino hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum*, sunt forma ordinationis.

Respondeo negando consequentiam ; nam in hoc canone non definit concilium quænam sint verba, in quibus ordinationis forma consistat, sed definit tantum Spiritum sanctum dari virtute ordinationis.

De institutione Episcoporum.

Episcopos Christus instituit, dum Petro, et cæteris Apostolis plenam contulit sacerdotii potestatem. « Hoc a Christo docemur, » ait S. Basilius *Const. Monast.* c. 22, « dum Petrus Ecclesiæ suæ Pastorem post se constituit. *Petre*, inquit, *amas me plus his? Pasce oves meas.* Et omnibus deinceps Pastoribus ac magistris eamdem tribuit potestatem : cujus quidem rei signum est, quod omnes similiter atque ille et ligent et solvant. »

Quanquam autem eamdem omnibus Apostolis potestatem Christus tribuerit : « tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædíti et honoris et potestatis ; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. » S. Cyprianus lib. *de unitate Ecclesiæ.*

Apostoli prædicta auctoritate prædiți Evangelium annuntiare cœperunt in primariis civitatibus, ut fides in illis stabilita ad minores urbes facilius propagaretur. Id apparet ex Actibus Apostolorum, et ex Epistolis sanctorum Petri et Pauli, quæ ad præcipuas urbes scriptæ fuerunt, ut ad Romanos, ad Thessalonicenses, ad Corinthios, etc. Unde factum est, ut illarum urbium magna semper in Ecclesia fuerit auctoritas in dubiis quæ exoriebantur dissolvendis. Id nos docet Tertullianus lib. *de Præscript.* cap. 56 : « Proxime est tibi Achaia, » inquit, « habes Corinthum. Si non longe a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam. »

De Ecclesiis Patriarchalibus et Metropolitanis.

Porro inter illas Ecclesias Metropolitanas maxime celebres fuere Ecclesiæ Romana, Alexandrina, et Antiochena, quarum jus ibidem vindicat Concilium supra relatum. « Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam, cæterasque provincias suis privilegia conserventur Ecclesiis. »

Eamdem prædictarum Ecclesiarum præeminentiam non solum asserit Gelasius in concilio Romano, anno 494, sed præterea ejus præeminentiæ causam affert. « Quamvis, » inquit, « universæ per orbem Catholicæ Ecclesiæ unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis, cæteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit : *Tu es Petrus, et super*, etc. Ergo est prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia, secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco ejus discipulo, et Evangelista consecrata est, ipseque a Petro Apostolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicavit, et gloriosum consummavit martyrium : tertia vero sedes apud Antiochiam ejusdem beati Apostoli Petri nomine habetur honorabilis, eo quod illic priusquam Romam venisset, habitavit, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. »

Magna ergo semper fuit prædictarum Sedium auctoritas, sed Sedis Romanæ præsertim : nam, ut ait Optatus lib. 2, « negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur. » Hinc summus Pontifex Julius, « cum propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit. » Sozomenus lib. 3. cap. 7.

De titulis Patriarchæ, Archiepiscopi, Exarchæ, etc.

Ex superius dictis patet, quod Episcoporum omnium dignitas non sit communis, licet ordo sit generalis : « Magna enim dispositione provisum est, ne omnes omnia sibi vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres prima haberetur sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura confluueret, et nihil usquam a suo capite dissideret. » S. Leo epist. 84.

Hinc Episcopi, apud quos varia residet auctoritas, variis etiam nominibus fuerunt insigniti : alii enim Archiepiscopi, sive primi Episcopi, alii Exarchæ, alii Patriarchæ dicti sunt. Cum autem hæc nomina non semper in usu fuerint, ubi usurpari cœpere, a multis etiam cœpere condemnari; vult enim concilium III. Carthaginiense, can. 26. « Ut primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, sed tantum primæ Sedis Episcopus. » Et S. Gregor. lib. 6. epist. 24 : « Si unus Episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit. » Et lib. 7. epist. 30 : « Si universalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum. »

Verum satis apparet prædicta vocabula eo tantum sensu fuisse condemnata, secundum quem ambitionem et fastum præ se ferebant ; quocirca procedente tempore homines hisce nominibus assueti, et illa benignius interpretati, minus illis restiterunt.

Ex omnibus hisce titulis antiquissimum est Metropolitani nomen, quod etiamnum maxime commune est : quare de Metropolitanorum jure pauca dicenda sunt.

De Metropolitanorum jure.

Primum, et præcipuum Metropolitanorum jus est potestas Episcopos instituendi et consecrandi. « Si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definit Episcopum esse non oportere. » Concilium Nicænum can. 6.

Ex illo primo Metropolitanorum jure factum est, « ut tanquam pater filiis honore primatus assisteret, et ut Metropolitanus, tanquam pius pater consacerdotes suos honoret ut filios, et sacerdotes tanquam boni filii eumdem habeant ut parentem. » Concilium Taurinense can. 1, ubi per sacerdotes intelligi debent Episcopi, qui a Proculo Massiliensi, cujus jus examinabatur, fuerant ordinati.

Hinc factum est primo, « ut firmitas eorum quæ geruntur per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo, » juxta concil. Nicæn. can. 4. Secundo, ut « nec ullis liceat Synodos » (id est concilia Provincialia), « per se facere, præter eos quibus creditæ sunt Metropoles. » Concil. Antioch. can. 20. Tertio, ut nullus Episcopus « ad Imperatorem se conferat, nisi cum deliberatione et sententia Metropolitani Provinciæ, et Episcoporum, » ut statuitur ibid. can. 11. Quarto, ut communicatorias litteras examinent, et suo testimonio comprobent. Concil. Eliberinum can. 58. Quinto, ut presbyter aut diaconus, « qui ejicitur, potestatem habeat confugiendi ad Episcopum Metropolis ejusdem provinciæ. » Sexto, « ut singulas provincias tempore Concilii visitet Metropolitanus. » Ita eod. can. *Eccl. Afric.* Septimo, « ut si fuerit defunctus Episcopus, visitatorem ipsi viduatæ designet Ecclesiæ. » Hincmar. opusc. 55. cap. 6.

Porro non eadem semper fuit Metropolitanorum potestas ; variis enim temporibus varia accepit aut decrementa, aut incrementa, prout scilicet Ecclesiæ necessitas postulavit, et divina ordinavit providentia.

Hoc certe tempore hæc sunt Metropolitanorum jura a concilio Tridentino confirmata. Primo Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras, seu nuncium Romano Pontifici denunciare tenetur, sess. 6. *de Reform.* cap. 1.

Secundo debet Metropolitanus legitimæ absentiæ suffraganeorum a sua Ecclesia causas in scriptis approbare, sess. 25. *de Reform.* cap. 1.

Tertio debet Metropolitanus cum concilio Provinciali judicare de licentiis a se, vel a suffraganeo datis, et videre ne quis eo jure abutatur, et ut pœnis canonicis errantes puniantur curare, ibid.

Quarto debet Archiepiscopus acriter corripere Episcopos, qui in Seminarii erectione negligentes fuerint, et illos cogere, ut quamprimum hoc sanctum, et pium opus promoveant, ibid. cap. 28.

Quinto debet Metropolitanus (negligente illud Capitulo) Sede vacante œconomum et vicarium, sive officialem constituere, vel existentem confirmare, sess. 24. cap. 10.

Sexto tenetur Metropolitanus quolibet saltem triennio Synodum in provincia sua cogere, ibid. cap. 2.

Septimo, si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit exstirpandus, vel omnino aliqua gravior quæstio accidat, Episcopus antequam controversiam dirimat, Metropolitani, et comprovincialium Episcoporum in Concilio provinciali sententiam expectet, sess. 25. decreto *de invocat. Sanctorum.*

Octavo, si in aliqua provincia Ecclesiæ nimia paupertate laborent, Metropolitanus cum duobus antiquioribus suffraganeis in Ecclesia Metropolitana vel alia commodiori unum, aut plura collegia erigenda curabit, ubi pueri illarum Ecclesiarum educentur, sess. 23. cap. ult.

Nono, si quæ Parochiales Ecclesiæ reperiantur subjectæ monasteriis in nulla diœcesi existentibus, si abbates, et Regulares prælati in docendis populis negligentes fuerint, a Metropolitanis, in quorum provinciis diœceses ipsæ sitæ sunt, tanquam quoad hoc Sedis Apostolicæ delegatis compellantur, sess. 5. cap. 2.

Decimo, si monasteria, quæ generalibus Capitulis, aut Episcopis non subsunt, negligant sese in Congregationes redigere, liceat Metropolitano tanquam Sedis Apostolicæ delegato eos prædictis causis convocare, sess. 25. cap. 8.

De electione Episcoporum.

Ex iis quæ dicta fuerunt superius, satis apparet Metropolitanorum, et comprovincialium Episcoporum esse episcopos eligere; penes illos enim residet jus Apostolorum, quorum sunt successores : nihilominus propter rationes, quas attulimus cum clericorum institutionem prosequeremur, potestas eligendi Episcopos penes universum clerum, cæteramque plebem diutius remansit; sed cum ejusmodi electiones a plebe et ab universo clero factæ multis scaterent malis, varia etiam subinde adhibita sunt remedia, quousque tandem per concordata inter Leonem X. et Franciscum I. Francorum regem, potestas Episcopos nominandi ad Regem, et eosdem confirmandi ad summum Pontificem in Galliis devoluta est.

De electione summi Pontificis.

Summus Pontifex, ut et alii Episcopi, per undecim integra sæcula cleri et populi suffragiis electus est : unde cum Innocentius II. a nonnullis tantum episcopis, presbyteris, et diaconis Cardinalibus absque reliqui cleri populique consensu ad Petri Sedem assumptus esset, ejus electioni acriter se opposuit Portuensis Episcopus, qui cum clero et populo alium Pontificem elegit, Anacletum dictum. Prævaluit tamen Innocentii electio, primo ob favorem Lotharii, quem ex rege in imperatorem Innocentius creavit. Secundo, quia Anacletus male se gerendo bonos a se averterat. Tertio, quia sanctus Bernardus, magni nominis vir, Innocentii partes tuebatur. Quarto, quia Innocentii electio sanior erat, utpote a sanioribus et pluribus Cardinalibus facta. Quinto quia Innocentius prius fuerat electus.

Hæc Innocentii II. electio a solis Cardinalibus facta, Innocentium movit ut electionem Papæ solis Cardinalibus in posterum reservaret : quod Innocentii decretum confirmavit Synodus œcumenica Constantiensis, adeo ut nunc non amplius clerus et populus Romanus, sed soli Cardinales in electione summi Pontificis vices gerant totius Ecclesiæ.

De ordinatione, sive consecratione Episcoporum.

Concilium Nicænum can. 4. decernit, ut Episcopus ordinetur « ab omnibus aliis, si fieri possit, provinciæ Episcopis; sin minus, a tribus saltem congregatis, accedentibus reliquorum absentium suffragiis una cum Metropolitani consensu. » Hanc concilii Nicæni constitutionem confirmavere subsequentia Concilia, adeo ut Joannes III. epist. unica, dixerit, « omnia maxima Concilia affirmare, eum non esse Episcopum, qui minus quam a tribus Episcopis fuerit factus Episcopus. »

Hinc factum est, ut Cajetanus, Bellarminus, Vasquez, et alii crediderint, Episcopi ordinationem irritam esse, quæ minus quam a tribus Episcopis fieret, nisi saltem Ecclesiæ dispensatio advenerit. Longe tamen probabilius est, Episcopum valide, licet illicite ab uno tantum Episcopo posse ordinari.

Primo, quia fieri vix potuit, ut Apostoli varias provincias peragrantes, et novos subinde Episcopos procreantes, tantam Episcoporum copiam semper haberent.

Secundo, quia canon primus Apostolorum vult, ut « Episcopus a duobus, aut tribus Episcopis ordinetur ».

Tertio, quia S. Dionysius lib. *de Hier. Eccl.* Episcopalem inaugurationem describens, unius Episcopi consecrantis meminit. Hinc in veteri Ordine Romano unus solum Episcopus consecrator nominatur : quapropter non male aliqui conjiciunt, Episcopos consecratori assistentes, non tam ad ordinationis validitatem requiri, quam ad illius pompam et solemnitatem.

SPECULATIO II.

De Presbyteratu, et primo de illius materia et forma.

Ex iis quæ dicta sunt de sacramento Ordinis in genere, apparet primo presbyteratum esse vere Ordinem; secundo, materiam illius essentialem esse manuum impositionem; tertio materiam illius accidentalem esse porrectionem instrumentorum; quarto formam esse ea verba, quæ Episcopus profert cum manus imponit.

Cum autem in ordinatione presbyterorum triplex sit manuum impositio, dubium esse potest quænam ex illis sit materia essentialis presbyteratus. Prima manus impositio illa est, qua Episcopus et omnes presbyteri adstantes imponunt successive ambas manus super caput cujuslibet ordinandi. Secunda immediate sequitur, et est illa qua tam Pon-

fex, quam sacerdotes tenent manus dexteras extensas super ordinandos, Episcopo dicente : « Oremus, fratres charissimi, » etc. Tertia manuum impositio illa est, qua post communionem Episcopus imponit ambas manus super capita singulorum, dicens : *Accipe Spiritum sanctum*, etc.

Scholastici qui impositionem manuum pro materia essentiali Ordinationis admittunt, hanc tertiam manuum impositionem fere omnes usurpant : verum in hoc falli videntur. Primo quia illa mille et ducentis annis in Ecclesia incognita fuit, nulla enim illius fit mentio in antiquis Auctoribus, aut in antiquis Ritualibus : imo Joannes Major qui scribebat anno 1516 dist. 24. quæst. 7. postremam hanc manuum impositionem ex eo probat ad presbyteratus substantiam non pertinere, quod aliqua Pastoralia, inquit, hanc non habeant, nec sit probabile quod deficerent in aliquo tam necessario ad Sacramentum. Secundo concilium Tridentinum sess. 14. can. 3. docet Extremæ-Unctionis ministros Episcopos esse, « aut sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per impositionem manuum presbyterii. » Impositio autem manuum Presbyterii non est postrema manus impositio, cum in illa solus Episcopus manum imponat. Tertio, quia hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum*, quæ in ultima manuum impositione proferuntur, non ita pridem cœperunt in Ecclesia usurpari : illa certe ævo S. Augustini non fuisse usurpata, evidens est, cum D. Augustinus probet, Christum esse Deum, quod Spiritum sanctum dederit : « Quomodo, » inquit, « Deus non est qui dat Spiritum sanctum? Imo quantus Deus est qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum ; orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant : quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. » Ita sanctus Doctor lib. 15. *de Trin.* cap. 26.

Hæc cum ita sint, superest ut prima, aut secunda manus impositio, qua tam Episcopus, quam Presbyteri adstantes tenent manus dexteras extensas super ordinandos, pro materia essentiali presbyteratus constituatur, oratio autem quæ immediate post legitur, nempe : *Oremus, fratres charissimi*, etc., fit forma ejusdem presbyteratus; hæc enim oratio antiquissima est, et in omnibus ferme Ritualibus antiquis reperitur.

Ostenditur presbyteros esse episcopis inferiores.

Hac super re tres evulgari solent sententiæ. Prima est Oterii, qui ægre ferens Episcopatum fuisse sibi denegatum, hanc Arianismo, quem profitebatur, hæresim adjunxit, episcopum a presbytero nihil differre. Hæc sunt illius verba : « Nullum inter utrumque discrimen est, est enim amborum unus ordo, par et idem ordo ac dignitas : manus imponit episcopus, imponit et presbyter : baptizat episcopus, idem facit et presbyter : œconomiam latriæ administrat episcopus, non minus id facit et presbyter : episcopus in throno sedet, sedet et presbyter. » Ut autem hæretici illius errorem confutaret sanctus Epiphanius, presbyteros inter, et episcopos hoc statuit discrimen, « quod Ordo episcoporum ad proponendos Patres præcipue pertineat, presbyter autem filios Ecclesiæ regenerationis lotione producat, non tamen Patres, aut magistros. » Sic Epiphan. hæres. 75. num. 3.

Secunda sententia eorum est, qui presbyteros inter, et Episcopos aliquam quidem distinctionem admittunt, sed ex jure tantum Ecclesiastico exortam, ut scilicet hac ratione scandala et schismata vitarentur. Hanc sententiam videtur edocuisse sanctus Hieronymus dum sic loquitur in epistola ad Evagrium : « Quod autem unus postea electus est qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. » Et in comment. *in epist. ad Tit.* hæc dicit : « Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos ; ita episcopi noverint se magis consuetudine quam dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse majores, et in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit cum quibus populum judicaret. »

Hæc et quædam similia habet D. Hieronymus, quorum causa Michael Medina non dubitavit divum Hieronymum in invidiam dogmatis Æriani trahere, at temere et imprudenter : si enim diligentius inquiratur D. Hieronymi mens, neque aliqua ejus verba seorsim, sed tota ejus doctrina simul conspiciatur (quod scilicet in exploranda Auctoris cujuslibet sententia semper debet observari), apparebit aliam prorsus esse S. Hie-

ronymi mentem ; nam primo ait, episcopum presbyteris præpositum fuisse « in schismatis remedium, » cum scilicet Fideles dicerent, *Ego sum Pauli*, *Ego Apollo*, *Ego autem Cephæ*, nempe in ipso Christianismi initio, unde præsumendum est id mandato divino factum fuisse : quis enim quod omnium Apostolorum consilio factum est expressæ auctoritati divinæ non imputabit? Hoc principium si quasses, vix erit aliquid in sacramentis, ut cætera omittam, quod probari possit esse juris divini : præterea clarius etiam illud apparebit, si consideretur Christum Ecclesiæ auctorem ea instituisse censeri debere, quæ ad vitanda schismata necessaria esse prævidebat. Id nos docet idem divus Hieronymus lib. 1. *advers. Jovin.*, ubi sic loquitur : « At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni cœlorum accipiant, et ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur ; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio. »

Secundo ait divus Hieronymus, Apostolis non episcopos tantum, sed etiam presbyteros successisse. « Episcopi, » inquit, « et presbyteri habeant in exemplum Apostolos et Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur et meritum. » D. Hier. epist. ad Paulin. *de Instit. monach.* Verum hoc non impedit quominus episcopi sint etiam jure divino presbyteris superiores ; nam, ut ait idem Hieronymus epist. *ad Evagrium*, « quod Aaron, et filii ejus, atque Levitæ in Templo fuerunt, hoc sibi episcopi, et presbyteri, et diaconi vendicent in Ecclesia. » Ergo juxta divum Hieronymum, sicut Aaron, supremus nempe Pontifex, cæteris presbyteris erat jure divino superior, sic in lege evangelica episcopi jure divino sunt presbyteris superiores : neque contrarium evincitur ex D. Hieronymi verbis superius relatis : « Episcopos scilicet presbyteris esse majores, magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate. » Non enim his verbis Domini dispositionem absolute excludit, quamvis magis referat ad consuetudinem Ecclesiæ, quam ad Dominicam dispositionem. Id autem dicit divus Hieronymus, quia in primitiva Ecclesia episcopi simul cum presbyteris in commune omnia gerebant ; unde aliqua ratione episcopi et presbyteri pares erant in regimine, licet potestas suprema apud episcopum semper remaneret. Nam, ut fatetur ipse Hieronymus, episcopus solus ordinandi obtinet potestatem. « Quid enim » (ait epist. *ad Evag.*) « facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat? » Quæ tamen divi Hieronymi verba ita intelligi debent, ut eadem quidem faciant, excepta ordinatione, episcopus, et presbyter, sed non cum pari potestate ; nam episcopus munia sua exequitur cum plena potestate, presbyter vero non nisi cum dependentia ab episcopo. Tertia sententia asserit presbyteros esse jure divino episcopis inferiores. Hanc sententiam omnium Patrum calculis comprobatam sub anathemate definivit concilium Tridentinum sessione 23. can. 6. his verbis : « Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris, anathema sit. Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, anathema sit. » Ita ibid. can. 7.

Presbyteros teneri episcopis suis obedire.

Cum plena sacerdotii potestas in episcopis resideat, presbyteri vero aliquam duntaxat illius portionem, eamque limitatam obtineant, fit ut episcopalis dignitas, ut summa et in suo genere perfecta, jurisdictionem necessario complectatur, nec sine ea consistat non magis quam regia dignitas ; sacerdotalis autem, utpote imperfectior et episcopali subjecta, ullam per se jurisdictionem nec includat, nec exigat. « Non licitum est sine episcopo neque baptizare, neque agapen facere. » S. Ignat. ep. *ad Smyrn.* et ep. *ad Magnes.* : « Quemadmodum, » inquit, « Dominus sine Patre nihil fecit unitus existens, sic nec nos sine episcopo, nec presbyter, nec diaconus. »

Hinc vel jam satis apparet, quæ et quanta esse debeat obedientia, quam presbyteri episcopis suis debent. Verum id evidentius adhuc apparebit, si consideretur unumquemque presbyterum in ordinatione sua publice profiteri, se Pontifici suo velle semper obedire, adeo ut jam illis non liceat publicam illam professionem sine sacrilegio violare.

De Chorepiscopis.

Quanquam episcopi longe sint presbyteris

et dignitate, et juridictione superiores, eam tamen potestatis suæ partem quibusdam presbyteris episcopi communicarunt, ut dubium sit apud multos, an presbyteri illi qui chorepiscoporum nomine insigniebantur, non fuerint vere episcopi hac præcipue ratione, quod chorepiscopis presbyteros et diaconos ordinandi videatur potestas fuisse concessa.

Verum cum non liceat « in villulis, vel in agris constituere episcopos, » juxta concilium Laodicenum can. 57., chorepiscopi vero in villulis, vel in agris tantum constituerentur, patet chorepiscopos non fuisse vere Episcopos. Præterea « chorepiscopum civitatis episcopus ordinabat, cui ille subjectus est, » ut ait concilium Antiochenum can. 10. cum tamen episcopus juxta concilium Nicænum can. 4. constitui et ordinari debeat « ab omnibus aliis, si fieri possit, Ecclesiæ provinciis; sin minus, a tribus saltem congregatis, accedentibus reliquorum absentium suffragiis una cum Metropolitani consensu. »

Poterat tamen fieri, ut aliqui e chorepiscopis episcoporum dignitatem obtinerent, non qua chorepiscopi erant, sed aliunde : quod varia ratione contingebat. Primo, quando aliquis contra Canones ordinabatur. Secundo, quando episcopus aliquis ex hæresi ad Ecclesiam revertebatur. Tertio, quando episcopus legitime ordinatus a plebe sibi commissa recipi non poterat; ejusmodi enim episcopis chorepiscopatus gradus et potestas sæpius conferebatur.

Quare de ejusmodi chorepiscopis, qui simul erant episcopi, intelligi debent verba Patrum, aut conciliorum, quæ chorepiscopis ordinandorum diaconorum, aut etiam presbyterorum videntur potestatem concedere.

Porro chorepiscopi, quatenus chorepiscopi, primo presbyteris et Ecclesiis raris existentibus præficiebantur. « Si qui sunt in vicis vel pagis, qui dicuntur chorepiscopi,.... sibi subjectas Ecclesias administrent. » Concilium Antioch. can. 10. Secundo subdiaconos poterant ordinare, et cæteros minores Ordines conferre. « Constituant autem lectores, hypodiaconos, et exorcistas, et eorum promotione contenti sint. » Ita ibid. concilium. Tertio instituti erant propter sollicitudinem pauperum : quarto erant vicarii episcoporum. Ea omnia chorepiscoporum munia breviter et dilucide complectitur S. Isidorus lib. 2. *de Officiis Ecclesiasticis*, cap. 6. his verbis : « Chorepiscopi, id est vicarii Episcoporum, juxta quod canones ipsi testantur, instituti sunt ad exemplum septuaginta Seniorum, tanquam sacerdotes, propter sollicitudinem pauperum. Hi in vicis et villis instituti gubernant sibi commissas Ecclesias habentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos, Exorcistas. » Addit Rabanus Maurus lib. 1. *de Institutione Clericorum*, cap. 5. confirmandi munus fuisse illis concessum. « Ordinati sunt, » inquit, « chorepiscopi propter pauperum curam, qui in agris et villis consistunt, nec eis solatium Confirmationis deesset. »

Chorepiscoporum mentio fit in conciliis Ancyrano et Neocæsareensi, in quibus cum non agatur de chorepiscopis creandis, sed de eorum auctoritate exercenda, manifestum est chorepiscoporum Ordinem in Oriente fuisse antiquissimum, ut qui circiter annum 270. vigere cœperit : in Occidente vero multo serius hic gradus invaluit; prima enim illius mentio habetur in concilio Rhegiensi anno 439. celebrato. Cum autem chorepiscoporum dignitas adeo in dies invalesceret, ut ipsis etiam episcopis evaderet formidabilis, paulo post nonum sæculum tam in Oriente, quam in Occidente penitus fuit abrogata.

De Archipresbyteris.

Primis Ecclesiæ temporibus archipresbyter, sive primus presbyter dicebatur, qui ordinatione presbyterali cæteros antecedebat, ut manifeste apparet ex epistola 57. S. Leonis, ex epistola 9. Gelasii, et ex concilio Milevitano can. 23. cujus hæc sunt verba : « Litteras accipiant ab ordinatoribus suis, manu eorum subscriptas, continentes Consulem et diem, ut nulla altercatio de posterioribus, vel anterioribus oriatur. »

Aliquando tamen major habebatur ratio meriti, quam ordinationis prius factæ : sic D. Basilius primum inter suos presbyteros locum D. Gregorio Nazianzeno voluit concedere.

Archipresbyterorum munia erant primo viduarum, pupillorum ac peregrinorum gubernationem agere, conc. IV. Carthag. can. 17; secundo juniores clericos coercere, conc. Turon. can. 19; tertio in concilio provinciali episcopi vicem gerere, conc. Emeritense can. 5; quarto episcopo absente Mis-

sarum solemnia celebrare, S. Isidor. epist. *ad Ludifrid.;* quinto ordinandos Episcopis præsentare, conc. Nannet. can. 11.

De Parochis.

Cum in Ecclesiæ primordio exiguus esset fidelium numerus, non in villis, aut in agris, sed in urbibus tantum, et quidem in unaquaque urbe unica erigebatur Ecclesia; hinc, teste S. Justino apol. 2, Solis die « omnium qui in urbibus, vel in agris degunt, in eumdem locum conventus fiebat, etc. Præpositus preces, et Eucharistias faciebat, etc. Distributio fiebat cuique præsenti, absentibus per diaconos mittebatur. »

Tunc scilicet temporis, ut majori cautela Ecclesiæ servaretur unitas, epicopus solus missam celebrabat, et ex episcopi manu et laici, et clerici omnes, imo etiam presbyteri Eucharistiam recipiebant. Id apparet ex lib. 8. *Constitut. Apostol.* cap. 3, ubi hæc leguntur : « Postea communicet Episcopus, deinde Presbyteri, et Diaconi, » etc. Hunc etiam morem supponit canon 8. Apostol. « Si quis, » ait, « episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut alius Ordinis ecclesiastici, oblationis factæ particeps non extiterit, causam dicito, et si juxta fuerit, veniam consequatur; sin minus, a consortio segregetur, ut auctor offensionis factus populo, et suspicionem præbens in offerentem. » Mos ille etiam multo post tempore in Ecclesia aliqua saltem ratione perseverarit; siquidem in Ordine Romano, cap. 2. hæc leguntur : « Si quando episcopus fectivis diebus Missam celebrare voluerit, etc. Presbyteri et diaconi osculando episcopum, corpus Christi ab eo manibus accipiant in sinistra parte Altaris communicaturi; subdiaconi autem osculando manum episcopi, ore accipiant corpus Christi ab eo. Postquam vero diaconi in sinistro cornu Altaris de sanguine Christi communicarunt, venientes subdiaconi ordinatim, accipiant sanguinem Christi ab archidiacono, manus ejus osculantes.

Procedente vero tempore, cum crevisset fidelium numerus, plures Ecclesiæ in eadem urbe cœperunt institui, ita tamen ut presbyteri, quibus illarum Ecclesiarum cura committebatur, in illis Ecclesiis Missæ celebrandæ potestatem non haberent, ne scilicet aliqua schismatis præberetur occasio. « Illarum ecclesiarum presbyteri, » ait Innocent. I. epist. *ad Decent.*, « quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possint, idcirco fermentum a nobis confectum per acolytos accipiunt, ut se a nostra communione maxime in illa die non judicent separatos. »

Cum tandem impossibile esset episcopos omnia sua munia per se implere, quædam illorum presbyteris concesserunt : Unde presbyteri Missas celebrare cœperunt : ne tamen presbyteri occasionem inde arriperent in episcopum insurgendi, « fermentum ab Episcopo consecratum » etiam tum tenebantur accipere, ut apparet e vita Syricii Papæ, in qua hæc habentur : « Hic constituit, ut nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratam Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. »

Non solum autem Missas celebrare, sed omnia ferme exequi, quæ ab episcopis antea fiebant, si unam ordinationem excipias presbyteris fuit permissum, ita ut tamen presbyteri in illis muniis exequendis ab episcopo dependere se semper agnoscerent. « Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, virginem non consecret, » concil. Carthag. III. can. 32. Et can. 36 : « Statutum est, diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente episcopo; præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum, » concilium I. Toletanum can. 2. « Propter reprobos et perversos mores a Presbytero suo excommunicatus, » D. August. epist. 255. « Psalmista, id est Cantor, potest absque scientia episcopi, sola jussione presbyteri officium suscipere cantandi dicente sibi Presbytero : Vide ut quod ore cantas, » etc., concil. Carthag. IV, can. 10. « Accepta ab Episcopis potestate, presbyteri nonnulli coram Episcopis populis tractare cœperunt verbum Dei », Possidius in vita Augustini, cap. 5. Apparet itaque, presbyteris olim concessum fuisse primo pœnitentes reconciliare : secundo virgines consecrare : tertio chrismare, seu confirmare : quarto excommunicare : quinto minores Ordines conferre : sexto tandem prædicare. Unde merito diximus, omnia ferme episcoporum munia fuisse ipsis, et presbyteris communia, neque in hoc aliqua ratione læsa fuit episcoporum auctoritas, cum, ut diximus, presbyteri ejusmodi munia non potuerint absque episcopi licentia adimplere.

Ex muniis supradictis potestatem confirmandi per Ecclesiam universam nunquam

obtinuerunt presbyteri, sed in quibusdam duntaxat Ecclesiis ; potestatem vero excommunicandi sensim etiam amiserunt, ut manifeste apparet ex iis quæ habet D. Thomas *Supplem.* quæst. 22. art. 1, ubi ait probabilius esse presbyteros non posse propria auctoritate excommunicare, licet alii theologi oppositum teneant.

Censura Facultatis Parisiensis anno 1408. lata Parochorum munia et institutionem evidenter exponit. « Domini curati, » inquit, « sunt in Ecclesia minores prælati et hierarchæ ex primaria institutione Christi, quibus competit ex statu jus prædicandi, jus confessiones audiendi, jus sacramenta ecclesiastica ministrandi, jus sepulturas dandi, jus insuper decimas, et alia jura parochialia recipiendi : item jus prædicandi, et jus confessandi competunt prælatis et curatis principaliter et essentialiter, et Mendicantibus de per accidens, ex privilegio, » etc.

Eadem Parisiensis Facultas in alia censura a se lata declaravit parochorum munus esse institutionis divinæ. Quod perpendens Petrus Aurelius tom. 2, pag. 225. ait : « Parochorum officium, si minus institutionis divinæ seorsum in se est, at est in Episcopo ; quia in Episcopo inclusum a Christo est, ut in fonte ac plenitudine Ecclesiasticæ et hierarchicæ potestatis, cujus Parochialis potestas est decidua pars ab Episcopo in Parochum, ut a fonte in rivum transfusa, sine detrimento tamen, aut imminutione, etc. »

SPECULATIO III.

De Diaconis, et prima de Diaconatus materia et forma.

Ex dictis de materia ordinationis in genere patet, quænam sit materia diaconatus, tum apud latinos, tum apud Græcos : unde superest ut illius formam breviter inquiramus.

Scholastici ferme omnes, qui impositionem manuum pro diaconatus materia adstruunt, volunt illius formam his verbis contineri : « Accipe Spiritum sanctum ad robur ad resistendum diabolo et tentationibus ejus in nomine Domini ; » sed cum hæc forma antiqua non sit, ut quæ in Ritualibus, aut in Sacramentariis ante quadringentos annos non reperiatur, cum etiam universo Orienti hactenus fuerit incognita, patet illam non posse esse formam essentialem ordinationis diaconi. Unde verisimilius est, formam diaconatus esse orationem, quam per modum præfationis Episcopus recitat, et in cujus medio prædicta verba : « Accipe Spiritum sanctum, » etc. profert. Hæc enim oratio antiquissima est, et in omnibus Ritualibus vocatur consecratio diaconi.

Ostenditur præcipuum Diaconorum munus esse Altari deservire.

Quanquam in Actibus Apostolorum non alia appareat creandorum Diaconorum occasio, quam necessitas ministrandi mensis, extra dubium tamen est, præcipuum, et primarium officium diaconorum fuisse Altari, et sacrificio deservire.

Nam primo ex ipsis Scripturis apparet diaconos non solum ministrasse mensis, sed etiam Christum prædicasse, Act. VI, 20. et VIII, 6. Credentes baptizasse, Act. VIII, 12. Scripturam interpretatos esse, Act. VIII, 35, etc.

Præterea S. Ignatius epist. *ad Trall.* ait, « Diaconos ministros existentes mysteriorum Jesu Christi secundum omnem modum omnibus placere; non enim ciborum, et potuum sunt ministri, sed Ecclesiæ Dei. »

Auctor *Constitutionum Apost.* lib. 8. cap. 28. « Oblatione, inquit, ab episcopo, aut presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tanquam sacerdos, sed tanquam qui ministrat presbyteris. Nulli ex reliquis clericis licet facere opus diaconi. »

Origenes hom. 2. *in Num.* : « Putasne qui sacerdotio funguntur, agunt omnia quæ in illo Ordine digna sunt? Et unde est quod sæpe audimus blasphemare homines, et dicere : Ecce qualis Episcopus, aut qualis presbyter, aut qualis Diaconus. »

Tertullianus *de Baptismo*, cap. 17 : « Dandi quidem Baptismi jus habet summus Sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri et diaconi; non tamen sine episcopi auctoritate. »

D. Cyprianus lib. 3. epist. 9 : « Diaconos post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt, episcopatus sui et Ecclesiæ ministros. »

Optatus Milevitanus lib. 1 : « Quid commemorem laicos? quid plurimos ministros? quid diaconos in tertio? quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices et principes omnium episcopi, etc. »

D. Hieronymus lib. 2. *advers. Jovin.* : « Si tollis ordinem Tabernaculi, Templi, Ecclesiæ, nec quicquam episcopi, frustra presbyteri, sine causa diaconi. » Et *advers. Lucif.* : « Ecclesia multis gradibus consistens, ad ultimum diaconis, presbyteris, episcopis finitur. »

An aliquando Diaconis licuerit pœnitentes reconciliare.

Exstant quidam antiquorum Patrum contextus, qui videntur diaconis reconciliandi pœnitentes potestatem concedere : nam primo D. Cyprianus epist. 13. *de Lapsis* sic loquitur : « Si incommodo aliquo, et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud presbiterum quemcumque præsentem, vel si presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres, litteris ad nos factis desideraverunt. »

Concilium Eliberitanum can. 32 : « Si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœnitentiam non debere sine episcopi consultu, sed potius apud episcopum agat : cogente tamen infirmitate non est presbyterorum, aut diaconorum communionem talibus præstare debere, nisi eis jusserit episcopus. »

Alcuinus *de Divinis Officiis*, in cap. *Jejunii* : « Si necessitas evenerit, et presbyter non fuerit præsens, diaconus suscipiat pœnitentem, ac det ei sanctam communionem. »

Antiquus Ordo Romanus : « Sicut sacrificium offerre non debent nisi episcopi, vel presbyteri, quibus claves regni cœlestis traditæ sunt; sic nec ista judicia alius usurpare debet. Si evenerit, et presbyter non fuerit præsens, diaconus suscipiat pœnitentem, ac det sanctam communionem. »

Caput *Fures*, extra *de furtis*, hæc habet : « Fures et latrones, si in furando et deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum : sed si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel diacono confessi fuerint communionem eis non negamus. »

In Canonibus Romanis apud Sirmundum tom. 1. *Concil. Gallic.* pag. 589. hæc leguntur : « Paschæ tempore presbyter et diaconus per parochias dare remissionem peccatorum, et ministerium implere consueverunt etiam præsente episcopo. »

Concilium Eboracense anni 1195. can. 4. statuit, « ut nonnisi summa urgente necessitate diaconus baptizet, vel corpus Christi cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat. »

Concilium Londinense anni 1200. can. 3. ita decernit : « Non liceat diaconis baptizare, vel pœnitentias dare, nisi duplici necessitate, videlicet quia sacerdos non potest, vel absens est, vel stulte non vult, et mors imminet puero, vel ægro. »

Qui jam allegatos Patrum contextus diligenter examinabit, vix poterit negare datam aliquando fuisse diaconis reconciliandorum pœnitentium potestatem, maxime si advertat, communionis nomen priscis illis temporibus non tam Eucharistiam significare, quam fidelium societatem : quocirca diaconum dare communionem pœnitentibus, erat diaconum pœnitentes reconciliare, sive eos in fidelium consortium recipere. In hisce tamen rebus maxime servari debet illa Juris regula, secundum quam hæc in argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa. Adde, illam absolutionem a diaconis datam, non fuisse sacramentalem, cum clavium potestas nullatenus diaconis conveniat. Id expresse docet canon 56. Parisiensis relatus spicil. tom. 11. pag. 220 : « Ne diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in arctissima necessitate ; claves enim non habent, nec possunt absolvere. »

Cætera Diaconorum munia breviter exponuntur.

Auctor *Constitutionum Apostol.* lib. 8. cap. 28 : « Diaconus non benedicit, neque dat benedictionem, non baptizat, non offert ; oblatione vero a presbytero, aut episcopo facta, ipse diaconus dat populo, non tanquam sacerdos, sed tanquam qui ministrat Presbyteris, etc. diaconus excommunicat hypodiaconum, lectorem, cantorem. »

Concilium Eliberinum can. 77 : « Si quis diaconus regens plebem sine episcopo, vel presbytero aliquos baptizaverit, eos per benedictionem Episcopus perficere debebit. » Ubi vide potestatem baptizandi diaconis concessam, quam illis denegarat auctor *Constitutionum* : imo videtur concilium Eliberinum alicujus parœciæ curam diacono committere.

S. Cyprianus : « In præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut diaconi ad carceres commeantes Martyrum desideria consiliis suis, et Scripturarum præceptis gubernarent. »

Sozomenus lib. 7. cap. 10 : « Sacrum codicem Evangeliorum legit Alexandriæ solus archidiaconus, apud alios vero diaconi, in multis etiam Ecclesiis soli sacerdotes, diebus autem solemnibus episcopi, ut Constantinopoli prima feria Resurrectionis Dominicæ. »

Auctor *Constitut. Apostolor.* lib. 11. cap. 44 : « Diaconus quidem de re omni ad episcopum referat, ut Christus ad Patrem : verum quæcumque potest, facta ab Episcopo potestate moderetur per se, sicut Christus potestatem creandi et providendi a Patre accepit. Quæ vero majora sunt, episcopus judicet. Cæterum sit diaconus Episcopi auris et oculus, et item os, cor, et anima, ne episcopus sollicitudine multarum rerum, sed graviorum tantum urgeatur. »

Diaconorum officia hac ratione recenset Catechismus Romanus : « Ad diaconum pertinet episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique et sacerdoti sacra facienti, vel alia sacramenta administranti præsto esse, et in Missæ sacrificio Evangelium legere.

« Olim vero fidelium animos sæpius excitabat ut sacra attenderent; sanguinem etiam Domini ministrabat, in quibus Ecclesiis consuetudo erat ut fideles Eucharistiam sub utraque specie sumerent.

« Diacono præterea Ecclesiasticorum bonorum dispensario commissa erat, ut unicuique necessaria ad victum subministraret.

« Ad diaconum etiam attinet tanquam episcopi oculum pervestigare quinam in urbe pie et religiose, quive secus vitam traducant, qui ad Sacrificium et concionem statis temporibus conveniant, ut de omnibus episcopum certiorem faciat.

Cathecumenorum etiam nomina recitare debet, et eos qui Ordinis sacramento initiandi sunt, ante episcopum statuere.

« Licet ei præterea, si absit episcopus et sacerdos, Evangelium explanare, non tamen e superiori loco, ut intelligatur hoc ejus proprium munus non esse.

« Quanta vero diligentia adhibenda sit, ne quis eo munere indignus ad hunc Ordinis gradum ascendat, Apostolus ostendit, cum ad Timotheum diaconi mores, virtutem, et integritatem exposuit.

De Archidiaconis.

Cum diaconi fuerint *auris, oculus, os, cor, et anima Episcopi* », facile crediderunt se ab episcopo solo pendere, sive episcopi tantum, non vero presbyterorum esse ministros. Sed hoc diaconorum arrogantiam repressit concilium Carthag. IV. cap. 31. ubi : « Diaconus », inquit, « ita se presbyteri, ut episcopi ministrum noverit. » In eumdem diaconorum fastum insurrexit S. Hieronymus epistola *ad Evagrium :* « Quis », inquit, « patiatur, ut mensarum, et viduarum minister supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur? » Alibi tamen fatetur diaconos esse Altaris ministros, ut superius ostendimus.

Primis ergo Ecclesiæ temporibus diaconi nullam in presbyteros jurisdictionem exercuere ; sed procedente tempore, cum potestatem delegatam in presbyteros primum accepissent, ordinariam tandem obtinuerunt.

Hæc tamen diaconorum in presbyteros potestas archidiacono potissimum concessa est. « Archipresbyter vero se esse sub archidiacono, ejusque præceptis sicut episcopi sui sciat obedire. » S. Isidorus epist. *ad Luitfredum.*

Decret. Greg. lib. 1. tit. 23. cap. 7 : « Archidiaconus (secundum *statuta Beati Isidori*) imperat subdiaconis et levitis ; parœciarum sollicitudo, et earum ordinatio ad ipsum pertinet, et audire debet jurgia singulorum ; archiepresbyteri, qui a pluribus Decani nuncupantur, ejus jurisdictioni se noverint subjacere. Secundum vero Romani Ordinis constitutionem major est post Episcopum, et ipsius episcopi Vicarius : omnem sollicitudinem et curam, tam in clericis, quam in ecclesiis eorum impendendo... Item in epistola beati Clementis Papæ, oculus episcopi archidiaconus appellatur, ut loco episcopi per episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat, et emendet. »

Archidiaconus autem tam ampla potestate ab Episcopo recepta, « cum deberet esse oculus Episcopi, factus est Episcopo suo clavus in oculum, prædo pauperibus, » etc., ut speciatim de Lisiardo asserit Fulbertus epist. 34.

Hinc factum est, ut episcopi amplam il-

lam potestatem archidiaconis ademerint, atque eorum loco officiales et vicarios generales procrearint.

CAPUT II.

DE SUBDIACONATU, DE MINORIBUS ORDINIBUS, ET DE CÆTERIS QUÆ AD ORDINES PERTINENT.

Quæcumque nobis restant de Ordinis sacramento, respiciunt vel subdiaconatum, cæterosve ordines, qui minores solent nominari; vel respiciunt simplices clericos, qui scilicet sola tonsura sunt initiati; vel quædam munia omnibus clericis communia, quæ superius non exposuimus. Illa omnia tribus sequentibus speculationibus conabimur enodare.

SPECULATIO I.

De Subdiaconatu, et de minoribus Ordinibus, et primo de eorum antiquitate.

Certum est, subdiaconatum et cæteros Ordines minores esse in Ecclesia antiquissimos; illorum enim meminit S. Ignatius epistola *ad Antioch.*: « Saluto », inquit, « hypodiaconos, lectores, cantores, janitores, laborantes, exorcistas; » ubi omittit acolythos, sed complectitur laborantes, de quibus ita Epiphanius in *Exposit. Fid. Cathol.* cap. 21: « Postea sequuntur exorcistæ et linguarum interpretes, tam in lectionibus, quam in concionibus. Sequuntur laborantes, qui mortuorum corpora curant. Tum janitores, et omnis series. »

Auctor *Constitutionum* quæ tribuuntur Apostolis, meminit hypodiaconi lib. 8 cap. 21, lectoris cap. 22, eosque ambos per manus impositionem vult ordinari. Meminit etiam confessoris cap. 23, exorcistæ cap. 26, cantoris cap. 28.

Tertullianus lib. *de Præscript.* cap. 41. meminit exorcistarum et lectorum.

Divus Cyprianus lib. 3. cap. 22. mentionem facit lectorum, doctorum lib. 2. epist. 8. 10. et etiam acolythorum.

Divus Cornelius apud Eusebium lib. 6. cap. 43. dicit Romæ fuisse quadraginta quatuor presbyteros, septem diaconos, septem subdiaconos, quadraginta duos acolythos, et quinquaginta duos tum exorcistas, tum lectores, tum ostiarios.

Concilium IV. Carthaginiense meminit canone 5. subdiaconorum, can. 6. acolythorum, can. 7. exorcistarum, can. 8. lectoram, can. 9. Ostiariorum, can. 10. cantorum.

Cantores jam ante inter clericos locum habuerant in concilio Carthaginiensi III. canon. 21. ibi: « Clericorum nomen etiam lectores, et psalmistæ, et ostiarii retinent. »

Inquiritur an, et quomodo ordines prædicti inter Ordines sacros debeant recenseri.

Ex superioribus auctoritatibus, et ex aliis, quæ possent afferri, apparet primo eosdem minores Ordines non semper et ubique viguisse. Secundo inter eos præcipuos semper fuisse subdiaconatum, et lectoratum. Tertio, plerosque priscis illis temporibus usurpatos fuisse, qui nunc penitus inoleverunt.

Hinc colligi potest, nullum ex illis esse sacrum ex institutione divina. Id expresse docet Urbanus II. dum vetat episcopos elegi e subdiaconis: « Nullus », inquit, « in episcopum eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiose vivens fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicimus diaconatum et presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia. Subdiaconos vero, quia et ipsi Altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus; si tamen spectatæ sint religionis, et scientiæ. Quod ipsum non sine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri concedimus. « Citatur apud Gratianum dist. 60. can. 4.

Idem decretum Urbani II. vel potius concilii Beneventani, cui præsidebat Urbanus II. refertur ab Innocentio III. cap. *Multis*, de ætate et qualitate præfic., ubi Innocentius III. vult, « ut subdiaconus in episcopum valeat libere eligi, sicut diaconus, vel sacerdos. » Quibus verbis subdiaconatum ad Ordinis sacri rationem videtur evexisse.

Quod clarius etiam apparet ex ejusdem Innocentii III. verbis, quæ habentur cap. *Miramur*, de servis non ordin. ibi: « De subdiaconali Ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum statutis expresse, videtur nobis quod et is cum diaconali gradu privilegio gaudet eodem: nam licet sacer Ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva; tamen a constitutione Gregorii » (qua scilicet statuerat Gregorius Magnus, ut nullum facere subdiaconum præsumerent Episcopi, nisi qui se caste victurum promisisset), « atque Urbani » (qui permiserat subdiaco-

num saltem cum dispensatione posse in episcopum eligi), « secundum moderna tempora sacer gradus esse minime dubitatur. »

Constat ergo, prædictos Ordines, quos inter subdiaconatum includo, non esse Ordines sacros ex institutione divina, ut aperte docet Magister Sententiarum lib. 4. dist. 24. ibi : « Levitas ab Apostolis ordinatos legimus, subdiaconos vero et acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit. »

Hoc tamen non impedit quominus Ordines prædicti institutionis divinæ aliqua ratione dici possint, ut expresse docet divus Thomas in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 1. ibi : « In primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora diaconis committebantur, ut patet per Dionysium, etc. Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite in una diaconi potestate; sed postea ampliatus est cultus divinus, et Ecclesia quod implicite habebat in uno Ordine, explicite tradidit diversis. »

Eamdem veritatem videtur docuisse Concilium Tridentinum, dum sessione 23. can. 6. definit : « Esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris. Nam ibi per ministros, diaconatum intelligit, quatenus cæterorum Ordinum essentiam implicite saltem continentem.

Prædictorum Ordinum distinctio, et necessitas proponitur.

Minores illi Ordines idcirco fuerunt instituti, ut per illos quasi per totidem gradus ad diaconatum perveniretur. « Productior est ascensus ad diaconatum » (inquit Petrus Blesensis serm. 47.) « nunc quam in primitiva Ecclesia, in qua qui tantum fidelis erat, diaconus fiebat vel sacerdos : introducti sunt postea quidam minorum Ordinum gradus, per quos tanquam per cantica graduum ascenditur ad sacerdotium. »

Non tamen per eosdem gradus videntur Græci ad diaconatum ascendisse; nam etiam ante schismatis tempus per solum lectoratum ad diaconatum pervenisse leguntur, ut pluribus auctoritatibus fuse ostendit Arcudius : unde Innocentius IV. Græcos cum Latinis conciliare studens : « Præcipimus, inquit, quod episcopi Græci septem Ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cum hucusque tres de minoribus neglexisse, vel prætermisisse dicantur. » Innocent. IV. epist. ad Episcop. Tuscul. in regno Cypri Legatum.

Latini ipsi, qui dictorum Ordinum numerum, et distinctionem accuratius semper servarunt, illos tamen uno et eodem die conferendo, aliqua ratione in unum confuderunt. Hunc abusum exstirpare conatus est Joannes de Peckam archiepiscopus Cantuariensis in cap. 5. *Constitutionum* suarum, apud Lambeth. editarum. « Contra dignitatem, » inquit, « tam reverendissimi esse dignoscitur Sacramenti, quinque simul Ordines non sacros cum uno sacro alicui uni homini exhibere. Unde in aliis provinciis quatuor minores Ordines non simul faciliter conceduntur aut conferuntur, ut ascendentes clerici ad Christi mysteria, quasi graduum canticum concinentes, cum probati extiterint in minoribus officiis, gradatim demum procedant ad majora, etc. »

Eumdem abusum exstirpari curavit concilium Tridentinum sess. 23. cap. 17, ubi sic statuit : « Ut sanctorum Ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et pluribus in locis aliquandiu intermissæ in usum juxta sacros Canones revocentur, nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur, illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta Synodus decernit, ut in posterum hujuscemodi misteria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur, » etc. Et ejusdem sessionis capite 11 : « Minores Ordines iis qui saltem Latinam linguam intelligant per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur, ut eo accuratius quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri, ac in unoquoque munere juxta præscriptum episcopi se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt Ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint : atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum et doctrina major accrescat, » etc.

Recensentur ordo, et officia prædictorum Ordinum.

Cum Catechismus concilii Tridentini clare, et nitide officia illa expresserit, propria illius verba huc afferre non gravabor. « Ostiarii munus » (inquit *de Ordinis Sacramento*, §. 32.) « est templi claves et januam custodire, aditu templi arcere eos quibus ingredi interdictum est, ad sanctum Missæ

sacrificium assistere, curaturus ne quis propius quam par sit, ad sacrum accedat, et Sacerdotem rem divinam facientem interpellat, etc. Unde Episcopus claves ex Altari acceptas ei tradens, quem ostiarium vult instituere : Sic age, inquit, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur. »

Paragrapho autem 34 : « Ad lectorem, » inquit, « pertinet in Ecclesia veteris et novi Testamenti libros clara voce, et distincte recitare, præsertim vero eos qui inter nocturnam Psalmodiam legi solent : Religionis Christianæ rudimenta fidelibus tradere. Episcopus itaque præsente populo in ejus ordinatione librum, in quo descripta sunt quæ ad hanc functionem attinent, illi tradens inquit : Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis qui verbum Dei ministrarunt ab initio. »

Paragrapho autem 35 : « Exorcistis, inquit potestas data est nomen Domini invocandi in eos qui ab immundis spiritibus obsidentur. Quare episcopus librum exorcismorum eis porrigens : Accipe, inquit, et commenda memoriæ, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive cathecumenos. »

Paragrapho 36 : « Acolythorum est ministros majores subdiaconos et diaconos in Altaris ministerio assectari, eisque operam dare, lumina deferre et asservare cum Missæ sacrificium celebratur, præcipue vero cum Evangelium legitur, ex quo et Ceroferarii alio nomine vocati sunt : unde Episcopus primum lumina eorum singulis tradit, dicens : Accipe ceroferarium cum cereo, et scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini. Deinde dat illis urceolos vacuos, quibus aqua et vinum in sacrificio ministratur, dicens : Accipe urceolos ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini. »

Paragrapho tandem 37 : « Subdiaconi munus est, ut nomen ipsum declarat, diacono ad Altare inservire, sacra lintea, vasa, panem et vinum ad sacrificii usum necessaria parare, episcopo et sacerdoti aquam præbere cum manus in Missæ sacrificio abluunt ; Epistolam, quæ olim a diacono in Missare citabatur, legere, tanquam testem ad sacrum assistere, prohibereque ne sacerdos sacra faciens a quopiam perturbari possit. »

« Episcopus subdiaconos ordinaturus primum legem perpetuæ continentiæ huic Ordini impositam esse admonet, etc. His peractis, eorum singuli qui ordinantur, ab Episcopo quidem calicem et sacram patenam accipiunt ; ab archidiacono vero (ut intelligatur subdiaconum diaconi officio subservire) urceolos vino et aqua plenos, una cum lebete et linteolo, quo manus absterguntur, dicente Episcopo : Videte cujusmodi ministerium vobis traditur. Ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis. Adduntur præterea aliæ preces. Ad extremum cum episcopus sacris vestibus subdiaconum ornavit, ad quarum singulas propria verba et cæremoniæ adhibentur, tradit ei Epistolarum librum, ac dicit : Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. »

De iisdem autem Ordinibus ita loquitur concilium Tridentinum sessione 23. cap. 11 : « Cum a minoribus Ordinibus ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat. » Et paulo ante ita legitur : « Nisi saltem linguam Latinam intelligant. » Et ejusdem sessionis cap. 5 : « Ad minores Ordines promovendi bonum a Parocho et Magistro scholæ in qua educantur, testimonium habeant. » Cap. vero 13 : « Subdiaconi ordinentur habentes bonum testimonium, et in minoribus Ordinibus jam probati, ac litteris et iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi : qui sperant Deo auctore se continere posse, Ecclesiis quibus adscribentur, inserviant ; sciantque maxime decere, si saltem diebus Dominicis et solemnibus cum Altari ministraverint, sacram communionem perceperint. »

Porro tam concilium Tridentinum, quam illius Catechismus inter Ordines sacros subdiaconatum reponunt, quia ut superius vidimus, ad eum honoris gradum Innocentius III. subdiaconatum evexerat.

SPECULATIO II.

Quid sit prima Tonsura, et quæ ad ipsam dispositiones prærequirantur.

Prima tonsura, qua clerici primum initiantur, est quædam præparatio ad Ordines accipiendos : ut enim homines ad Bapti-

smum exorcismis, ad Matrimonium sponsalibus præparari solent; ita per primam tonsuram ad Ordinis sacramentum aditus illis aperitur.

Concilium Tridentinum sessione 23. cap. 4. vult ut « prima tonsura non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciunt, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. »

De Seminariis erigendis, ex concilio Tridentino.

Cum simplices illi clerici, qui prima tonsura donantur, hac sacra cæremonia ad Ordines suscipiendos præparentur, maxime conveniens fuit ut pueri illi in aliqua domo communi educarentur, quod etiam sapienter constituit concilium Tridentinum sessione 23. cap. 18 : « Cum, » inquit, « adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret, sancta Synodus statuit, ut singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his majores Ecclesiæ, pro modo facultatum et diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis et diœcesis vel ejus provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere, et scribere competenter noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult; nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur, et studium præ se ferant Deo et Ecclesiæ inserviendi. Hos pueros episcopus in tot classes quot ei videbitur divisos, juxta eorum numerum, ætatem, ac in disciplina ecclesiastica progressum partim cum ei opportunum videbitur Ecclesiarum ministerio addicet, partim in collegio erudiendos retinebit, aliosque in locum eductorum sufficiet; ita ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum Seminarium sit. Ut vero in eadem disciplina Ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim, atque habitu clericali semper utentur : Grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent : sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, et rituum ac cæremoniarum formas addiscent : curet Episcopus ut singulis diebus Missæ sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, et juxta confessoris judicium sumant corpus Domini nostri Jesu Christi, etc.

De antiquitate Seminariorum.

Cum tanta sit Seminariorum necessitas, ut e relatis superius concilii Tridentini verbis manifestum est, dubitari nequaquam potest, illa jam inde a primis Ecclesiæ temporibus fuisse instituta. Etenim scholæ omnes, quas supra retulimus cum de scientia in ordinandis prærequisita ageremus, totidem erant Seminaria, in quibus digni Parochis successores providebantur.

Videtur divus Augustinus ejusmodi Seminaria, sive clericorum collegia primus instituisse. « Perveni, » inquit, « ad episcopatum : vidi necesse habere episcopum exhibere humanitatem assiduam quibuscumque venientibus, sive transeuntibus : quod si non fecissem, episcopus inhumanus dicerer. Si autem consuetudo ista in monasterio permissa esset, indecens esset; et ideo volui habere in ista domo Episcopi mecum monasterium clericorum. » Ita sanctus ille Doctor *de Diversis* serm. 49.

Ex illo clericorum monasterio a D. Augustino instituto, et presbyterii, et episcopi emanarunt : at docet Possidius in illius vita, plerosque alios episcopos divum Augustinum in instituendis Seminariis fuisse imitatos.

Non est autem credibile, quod ante divi Augustini tempora instituta fuerint quædam clericorum collegia; quomodo enim durante persecutionis æstu potuissent clerici vitam communem ducere? Narrat quidem sanctus Lucas, primos Christianos vitam communem duxisse; verum id dicit de illis duntaxat

qui in Palæstina commorabantur, ubi Christiani eadem quæ Judæi libertate potiebantur, nempe Judæis permissum a Romanis fuerat secundum legem suam vivere, et vitam in commune ducere. At in aliis regionibus idem factum fuisse nullibi neque a D. Luca, neque a cæteris Apostolis narratur. Præterea fideles illi, qui teste sancto Luca vitam communem ducebant, non clericos solum, sed laicos etiam omnes, ipsasque mulieres comprehendebant : quapropter primus ille fidelium conventus neque clericorum collegium, neque etiam monachorum monasterium haberi potest. Manet ergo, quod prius diximus, probabile esse, divum Augustinum fuisse primum prædictorum clericorum Seminariorum institutorem.

De antiquitate Tonsuræ, et vestium clericalium.

Qua ratione ostenditur clericos primis Ecclesiæ sæculis communem vitam non duxisse, eadem videtur posse ostendi, nullam fuisse Tonsuram, nullamque vestem, qua clerici persequutionum temporibus a cæteris dignoscerentur. Tenebantur quidem clerici tunc temporis capillos modeste attonsos habere, vestemque modestam deferre : at vestes penitus ab aliis diversas, aut tonsuræ coronam deferre minime tenebantur.

Et quidem quod pertinet ad tonsuram, nullum dubitandi locum nobis reliquit divus Hieronymus, dum *in cap.* XLIV. *Ezechielis,* ubi hæc verba habentur, *Caput suum non radent, neque comam nutrient, sed attondebunt capita sua,* sic loquitur : « Perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes, cultoresque Isidis, atque Serapis, nos esse debere : nec rursus comam demittere, quod proprie luxuriosorum est, barbarorumque et militantium ; sed ut honestus habitus in sacerdotum facie demonstretur. Discimus nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur ; sed intantum capillos esse demittendos, ut opertum sit caput.

Sapienter ergo Amalarius præsentem tractans quæstionem, hac ratione locutus est. « Interrogatur ab aliquibus, quis primus tonsus sit more nostro ? Legi in epistola cujusdam viri, Petrus. Sed quia non tantæ auctoritatis est, ut ex illa firmare valeamus nostram sententiam, maluimus eam silentio præterire.... Sed quid ad nos ? cum multa agamus ex consuetudine præsentis Ecclesiæ, quorum auctores non proferuntur specialiter. » Ita ille *de Divinis Officiis,* cap. 6.

Narrat sanctus Paulinus epist. 7. et 9, quosdam monachos casta informitate capillum ad cutem cæcisse, ut sic se despicabiles redderent : unde non est improbabile, quod sequentibus temporibus hanc monachorum consuetudinem clerici fuerint imitati, cum enim magna episcoporum pars e monachis fuerit assumpta, facile factum est, ut clerici monachorum mores imitarentur : id autem sub finem quinti sæculi, aut sub initium sexti factum fuisse videtur probabilius.

Quod ad vestes spectat, certum est etiam primis Ecclesiæ temporibus solam in illis modestiam fuisse præceptam. « Clericus professionem suam, et in habitu, et in incessu probet, et nec in vestibus, nec calceamentis decorem quærat, » ait concilium IV. Carthag. can. 44, ubi manifestum est, solam simplicitatem præcipi, solum decorem prohiberi. Verum nullus supererit dubitandi locus, si diligenter attendamus sequentia divi Cœlestini verba, quibus ab Episcopos provinciæ Narbonensis, et Viennensis scribens, certos quosdam presbyteros redarguit, qui veste singulari a cæteris clericis, aut etiam a plebe discerni cupiebant. « Didicimus, » inquit, « quosdam Domini sacerdotes superstitioso potius cultui inservire, quam mentis vel fidei puritati. Amicti pallio, et lumbos præcincti, credunt se Scripturæ fidem non per spiritum, sed per litteram completuros : nam, si ad hoc ista præcepta sunt, ut taliter servarentur, cur non fiunt pariter quæ sequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus una cum baculo teneantur.... Discernendi a plebe, vel cæteris sumus doctrina, non veste ; conversatione, non habitu ; mentis puritate, non cultu.... Docendi potius sunt fideles, quam illudendi, » etc.

Tempore, autem divi Gregorii jam mos inoleverat, ut clerici a laicis habitus distinguerentur. « Paulum clericum, » inquit lib. 3. epist. 24, « qui despecto habitu suo ad laicam reversus vitam in Africam fugerat, prævidimus in pœnitentiam dari. » Id clarius adhuc edocet Gregorius Turonensis lib. 5. cap. 14. ibi : « Merovæus tonsuratus est, mutataque veste, qua clericis uti mos est, presbyter ordinatur. »

De simplicium Clericorum antiquitate.

Nos semper in Ecclesia mos ille viguit, ut clerici per solam tonsuram atque vestium immutationem instituerentur; nullus enim olim instituebatur clericus, quin aliquo simul Ordine, aut lectoratus, aut acholitatus insigneretur. Tempore divi Cypriani clerici ordinabantur, et lectores primum instituebantur. « In ordinandis clericis solemus vos ante consulere, etc. Merebatur talis clericalis ordinationis ulteriores gradus etc. Interim placuit, ut ab officio lectionis incipiat. » Ita D. Cypr. lib. 2. epist. 5. Idem declarat Syricius Papa epist. 1. cap. 9. ibi : « Quicumque se Ecclesiæ vovit obsequiis, a sua infantia ante pubertatis annos baptizari, et lectorum debet ministerio sociari. » Justinianus novel. 5. agnoscit in Ecclesia « Presbyteros, diaconos, subdiaconos, cantores, lectores, et ostiarios ; » at clericos nulla ordinatione donatos non agnoscit.

Simplicium clericorum mentio fit in canone 14. Synodi œcumenicæ septimæ, ubi sic legitur : « Quoniam videmus, sine manus impositione a parvula ætate tonsuram clerici quosdam accipientes, nondum ab Episcopo manus impositione percepta, super ambonem regulariter in Collecta legentes, præcipimus amodo id minime fieri. » Erant ergo tunc temporis « quidam tonsuram clerici accipientes sine ulla manus impositione ab Episcopo percepta ; » id est sine ulla ordinatione. Unde Zonaras prædictum canonem explicans, sic loquitur : « Qui vero nec manuum impositione designatus, nec in lectorum album relatus sit, qualis illorum est ratio, qui a teneris Deo sepositi, nihil aliud quam coronam in capite gestant, ab eo sacram Scripturam de suggestu in conventu populo pronunciari, quædam Ordinis perturbatio est. Id igitur ne fiat in posterum, decernit Synodus. »

Similes etiam clericos, nulla ordinatione insignitos videtur insinuare concilium Meldense anni 845. can. 58. his verbis : « Canonicorum autem quidam in parochiis tonsurantur, et erudiuntur interdum etiam et ordinantur. » Igitur non semper tonsurari ordinabantur. Patet igitur jam inde ab octavo sæculo clericos fuisse tonsuratos duntaxat, ac proinde jam tum tonsuram cœpisse esse primum ad sacerdotium aditum, cum antea aliqua aut lectoris, aut exorcistæ, etc. requireretur ordinatio, ut aliquis clerici nomen obtineret.

SPECULATIO III.

De reliquis clericis : et primo de Cartophylace sive Chartulario.

Quid sit cartophylax, quæve sint illius munia, exacte nos docet Anastasius bibliothecarius in act. 2. Synodi 8 : « Chartophylax interpretatur chartarum cultor. Fungitur autem officio cartophylax apud Ecclesiam Constantinopolitanam, quo bibliothecarius apud Romanos, indutus videlicet in: fulis Ecclesiasticorum ministrorum, et agens ecclesiastica prorsus cuncta obsequia, exceptis illis solis, quæ ad sacerdotale specialiter, ac proprie pertinere probantur officium. Sine illo præterea nullus præsulum, aut clericorum a foris veniens, in conspectum Patriarchæ intromittitur : nullus Ecclesiastico conventui præsentatur, nullius epistola Patriarchæ missa recipitur, nisi a forte cæteris Patriarchis mittatur : nullus ad præsulatum, vel alterius ordinis clericorum, sive ad præposituram monasteriorum provehitur, nisi iste hunc approbet et commendet, atque de illo illi Patriarchæ suggerat, et ipse præsentet.

« Chartophylax, » ex Codino cap. 2. p. 5, tabulas habet et instrumenta quæ Jura ecclesiastica continent ; Judex est omnium causarum ecclesiasticarum ; causis quoque matrimonialibus præest, quin et in cæteris clericorum litibus judex est, tanquam dextra Patriarchæ manus. »

« Chartophylax, » inquit Balsamon in can. 10. Synodi VII, « omnia Patriarchæ jura exercet, quæ ei conveniunt ut episcopo ; etenim excommunicat, animæ delicta corrigit, diaconos et sacerdotes ordinari permittit. »

Cum tanta esset chartophylacis dignitas, facile factum est, ut cartophylax, licet diaconus tantum, ante presbyteros sederet. Hanc diaconorum arrogantiam coercere voluit concilium in Trullo coactum, can. 7. ubi ait : « Quoniam in nonnullis Ecclesiis diaconos officia ecclesiastica habere didicimus, et ex hoc nonnullos eorum arrogantia et licentia fretos ante presbyteros sedere ; statuimus ut diaconus, etiamsi in dignitate, id est in officio quovis sit Ecclesiastico, ante presbyterum ne sedeat, præterquam si pro-

prii Patriarchæ, vel Metropolitani vices gerens, adsit in alia civitate super aliquo capite ; tunc enim ut locum illius implens honorabitur. »

Tantum autem abest, ut diaconi chartophylacis dignitate prædiți prædicto decreto obtemperarint, ut etiam sederint ante episcopos ipsos. Id docet Jus Orientale tom. 1. pag. 144. ubi : « Chartophylax, » inquit, « in congregationibus quæ fiunt extra Synodum sedet non solum ante sacerdotes, sed etiam ante Pontifices ex constitutione Alexii Comneni. »

Episcopi huic constitutioni fortiter sese opposuerunt, sed coacti sunt cedere Imperatoris edicto, quo Imperator testabatur nihil hac super re a se constitui, quod longa consuetudine non fuerit receptum : quare, inquit, si hoc non ferant episcopi, urbe Regia excedant. Ait nempe Imperator id longo jam usu invaluisse, quod jam pridem chartophylax omnia Patriarchæ jura exercuerit, quæ ei conveniunt ut Episcopo, ut jam diximus ; adeo ut « existimaretur esse os, et labra, et manus quodammodo Patriarchæ, » ut ait idem Balsamon.

Quod de chartophylace dictum est, intelligi etiam debet de primariis Officialibus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Exocatacellis dictis, quasi extra Patriarchæ cellam habitantibus, qui ab aliquot sæculis sunt tantum diaconi, quique hoc ordine constanti recensentur : « Magnus œconomus, magnus sacellarius, magnus vasorum custos, chartophylax, præfectus hacelli, primus defensor. Illi omnes ante Episcopos sedebant, hujusque præsidentiæ rationem affert Godinus, quod hi in sacris concionibus seu conventibus cum Patriarcha sedeant.

De Cardinalibus.

Quod diximus de diaconis exocatacellis, qui in Ecclesia Constantinopolitana episcopos præcebebant, de diaconis cardinalibus, qui nunc episcopos in Ecclesia Romana præcedunt, dici debet, cum hoc solum discrimine, quod cardinalium diaconorum præsidentia longe recentior sit quam præsidentia exocatacellorum ; nam jam ab octavo sæculo exocatacelli diaconi episcopos Constantinopolitani præcedebant ; Cardinales autem diaconi non ante undecimum, aut etiam duodecimum sæculum episcopos Romæ præcessisse videntur ; siquidem in omnibus conciliis Romanis ante annum a Christo nato millesimum celebratis, nequidem sedere, nedum ante Episcopos sedere, permittebantur Cardinales diaconi.

Difficile tamen esset præcise tempus annotare, quo Cardinales cœperunt episcopos præcedere ; hoc enim sensim factum est, nempe cum Cardinales sæpius legati fuissent, et legationis suæ jure episcopos præcedere consuevissent, hanc suam supra episcopos præsidentiam ordinariam reddiderunt.

Quanquam autem non ita pridem Cardinales episcopos præcedant, dubitari tamen non potest quin Cardinalium dignitas et auctoritas vetustissimæ sint : « Nam, ut bene advertit Petrus de Alliaco, licet nomina Papatus et Cardinalatus tempore Petri et aliorum Apostolorum non fuerint in Ecclesiæ usu ; tamen Ecclesiasticæ potestates dictis nominibus designatæ ex tunc in Apostolis præfulserunt, videlicet Papalis dignitas in Petro, et in singulis Apostolis Cardinalatus auctoritas. Pro cujus declaratione sciendum est, quod ante divisionem Apostolorum Apostoli Petro tanquam Papale officium gerenti assistebant, tanquam Cardinalatus officium exercentes : postquam vero Apostoli a Petro separati speciales sibi diœceses sortiti sunt, ex tunc episcopale officium exercuerunt. Ex hoc potest inferri, quod Apostoli prius Cardinales quam Episcopi fuerunt ; quodque senatui Apostolorum succedit collegium sacrum Cardinalium quantum ad illum statum quo Apostoli coassistebant Petro, antequam fierent particularium Ecclesiarum episcopi. Statui autem Apostolorum in quantum fuerunt episcopi, succedit ordo episcoporum. » Ita Petrus Alliacus in tractatu *de auctoritate Ecclesiæ*, quem in ipso concilio Constantiensi composuit.

De Œconomis.

Cum antiquitus fundi ecclesiastici viritim non fuerint divisi, sed ad episcopum omnemque clerum indivisim, atque insolidum pertinuerint ; mirum non est, si suprema in bonis illis dispensandis auctoritas apud episcopum resederit. « Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ut eas in omnes gentes dispenset cum summa reverentia et timore Dei, » ait canon. 25. concil. Antiocheni.

Tanta vero erat episcopi potestas in bonorum illorum dispensatione, ut nullam illius rationem nisi soli Deo teneretur reddere,

« Tibi laicè convenit ut largiaris, episcopo vero tanquam œconomo et administratiori rerum ecclesiasticarum, ut dispenset. Cave tamen ne episcopum ad rationes voces, neque dispensationem illius observes, quomodo eam gerat, aut quando, aut quibus, aut ubi; utrum bene, an secus : habet enim ipse ratiocinatorem Deum, qui hanc illi procurationem in manus tradidit, qui ei sacerdotium tantæ dignitatis mandare voluit. » Ita legitur lib. 2. *Const. Apost.* cap. 35.

Supremam illam episcoporum in facultatibus Ecclesiæ distribuendis potestatem non minus clare adstruit canon 41. Apostolorum his verbis : « Præcipimus ut in potestate sua episcopus Ecclesiæ res habeat ; si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt creditæ, multo magis oportet eam curam pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus indigentibus omnia dispensentur per presbyteros et diaconos, et cum timore omnique sollicitudine ministrentur. Ex iis autem quibus indiget, si tamen indiget, ad suas necessitates, et ad peregrinorum fratrum usus ipse percipiat, etc.»

Cum autem episcopi hac bonorum dispensatione a spiritualibus ministeriis avocarentur, cumque etiam nonnunquam incusarentur ea quæ ad Ecclesiam pertinebant sibi usurpare, præcepit concilium Chalcedonense can. 26 : « Omnem Ecclesiam habentem episcopum, habere œconomum de clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas secundum sententiam Episcopi proprii ; ita ut Ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit, et ex hoc dispergantur Ecclesiæ facultates, et sacerdotio maledictionis contumelia procuretur. »

Œconomi autem constituendi potestas penes episcopum erat ; id enim manifeste declaratur in actione 9. concil. Chalcedonensis, ubi hæc leguntur : « Placuit Ibæ episcopo ex propria voluntate permittere, quod de cætero secundum formam Antiochenæ maximæ civitatis gubernarentur res per œconomos ex clero ordinatos ab ejus religiositate. »

Non semper tamen hæc constituendi œconomi potestas uni episcopo reservabatur ; illam enim toti clero tribuit Theophilus Alexandrinus in *Commonitorio* apud Balsamonem cap. 9. ubi ait : « Ut totius sacerdotalis ordinis sententia alius renuntietur œconomus, in quo episcopus quoque consensit. » Idem Theophilus ibidem ait, œconomi esse curare, « ut bona Ecclesiæ ut decet insumantur, viduæ, et pauperes, et peregrinantes hospites omni quiete fruantur, et nemo ea quæ sunt Ecclesiæ, ut sua usurpet. »

Quibus Ecclesiæ facultates distribui debeant inquiritur.

Ex iis quæ superius diximus, apparet episcopos, œconomosve non potuisse Ecclesiæ bona ut sua usurpare, sed ex iis quibus indiget, si tamen indiget, ad suas necessitates perpipere, ut statuitur can. 41. Apostolorum. Non ergo clerici omnes, sed ii tantum qui indigent, aliquid ex facultatibus Ecclesiæ possunt accipere. « Quod habet Ecclesia » (inquit Julianus Pomerius lib. 2. *de Vita contempl.* cap. 9.) « cum omnibus nihil habentibus habet commune ; nec aliquit inde eis qui sibi de suo sufficiunt, debet erogare, quando nihil aliud sit habentibus dare quam perdere. » Et cap. 10 : « Nec illi qui sua possidentes, dari sibi aliquid inde volunt, sine grandi peccato suo unde pauper victurus erat accipiunt. »

« Quod si quilibet minister Ecclesiæ » pergit ibidem idem auctor, « non habet unde vivat, non ei præmium reddit hic, sed necessaria præstat Ecclesia, ut in futuro præmium laboris sui recipiat, quod in hac vita jam spe Dominicæ promissionis certus expectat. »

Idem docet D. Hieronymus epistola *ad Nepotian.* : « Si ego, » inquit, « pars Domini sum, et fumiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi levita et sacerdos vivo de decimis, et Altaris oblatione sustentor, habens victum et vestitum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar. »

« Si pauperum compauperes sumus, » ait S. Augustinus epist. 59, « et nostra sunt, et illorum : si autem privatim quæ nobis sufficiunt possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus. »

Horum omnium rationem affert Pomerius in libro supra laudato, hisce verbis : « Scientes nihil aliud esse res Ecclesiæ nisi vota Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. » Eamdem rationem affert concilium quartum Carthag. can. 31 : « Ut Episcopus, » inquit, « rebus Ecclesiæ

tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur. »

Hinc factum est, ut sancti Patres crediderint, Sacerdotibus licitum non esse res Ecclesiæ apud se conservare. « Enthecam nobis habere non licet » (inquit S. Aug. serm. 49. *de Diversis*) ; « non enim est Episcopi servare aurum, et revocare a se mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi nos inopes interpellant, ut plures tristes relinquamus, quia quod possimus dare omnibus non habemus, non habemus enthecam. »

Id ipsum validius urget S. Hieronymus *ad Nepot.* de vita clericorum, ubi in pauperis persona alloquitur clericum res Ecclesiæ apud se coacervantem. « Ego, » inquit, « fame torqueor, et tu judicas quantum ventri meo satis sit ? Aut divide statim quod acceperis, aut si timidus dispensator es, dimitte largitorem, ut sua ipse distribuat. Nolo sub occasione mea sacculus tuus plenus sit : nemo me melius mea servare potest : optimus dispensator est qui sibi nihil reservat. »

Itaque juxta regulas quas tradant sancti Patres, primo ecclesiasticus dives nihil de Ecclesiæ bonis debet accipere ; secundo, si pauper sit, id tantum accipere debet, quod ad illius victum et vestitum necessarium est ; tertio quidquid restat post victum et vestitum, pauperibus debetur ; quarto, ac proinde illis quamprimum tribui debent, quia quæ pauperum sunt, a pauperibus servari debent, non a clericis.

Quæritur quando bona Ecclesiæ in varias portiones cœperunt distribui.

Cum Simplicius Papa rescivisset Gaudentium Aufiniensis Ecclesiæ sacerdotem, id est episcopum, Ecclesiæ suæ redditibus abusum fuisse, Severum Episcopum commisit, ut quartam duntaxat illorum redituum partem Gaudentio relinqueret, ut similem portionem clericis pro singulorum meritis divideret, ut duas alias portiones Ecclesiasticis fabricis, et erogationi peregrinorum et pauperum profuturas Onagro presbytero ab ipso sub periculo sui ordinis ministrandas committeret, et tandem ut tres portiones, quas Gaudentius per triennium sibi vindicarat, restitui curaret.

Eamdem reditum Ecclesiæ distributionem, ut jam stabilitam confirmat Gelasius Papa epist. 9. cap. 27. his verbis : « Quatuor, tam de reditu, quam de oblatione fidelium, sicut dudum rationabiliter est decretum convenit fieri portiones, quarum sit una Pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus sicut sacerdotis intererit integram ministris Ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic clerus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quæ ecclesiasticis ædificiis attributa sunt huic operi veraciter prærogata locorum doceat instauratio manifesta sanctorum, quia nefas est si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur ; tamen juxta quod scriptum est : *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est*, oportet etiam præsenti testificatione prædicari, et bonæ famæ præconiis non taceri. »

Illa bonorum Ecclesiæ in quatuor partes distributio apud scriptores Græcos non legitur, neque etiam apud Latinos ante Simplicium Papam : unde negari non potest, illam in Ecclesia duntaxat Latina, et quidem non ante quintum sæculum viguisse.

Porro licet hac facta distributione, quarta portio pauperibus distribueretur, non tamen idcirco eximuntur clerici a servandis supra relatis sanctorum Patrum regulis, juxta quas cum clerici bonorum Ecclesiæ dispensatores tantum sint, non possessores, ex illis ea tantum accipere debent, quæ illis ad victum et vestitum necessaria sunt. Si enim ipsimet laici non solum decimas dare debent, sed etiam de novem partibus quidquid solutis et expletis sumptibus remanserit, quasi aliis transmissum fideliter erogare debent, ut ait Cæsarius Arelatensis ; quanto magis clerici illud omne tenentur pauperibus erogare, quod illis expletis sumptibus necessariis superest.

De Diaconissis.

Diaconissæ olim in Ecclesia per manuum-impositionem ordinabantur. Id apparet ex l. 8. *Constit. Apost.* c. 19, ubi hæcleguntur : « De diaconissa ego Bartholomæus sic constitui : Manus ei, Episcope impones præsentibus presbyteris, diaconis et diaconissis. » Et ex concil. Chalcedon. can. 15. ibi : « Dia-

conissam non ordinandam ante annum quadragesimum : si vero suscipiens manus impositionem, » etc.

Diaconissas tamen ad sacerdotium non pertinere, aperte nos docet S. Epiphanius hæresi 79. his verbis : « Quanquam Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est, sed ut muliebris sexus honestati consulatur, sive ut Baptismi tempore adsit, sive cum nudandum est mulieris corpus interveniat, ne virorum qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed a sola diaconissa videatur, quæ ad sacerdotis mandata mulieris curam agit. »

Quatuor primis Ecclesiæ sæculis nulla vidua ante sexagesimum ætatis annum ordinabatur diaconissa. Verum illud immutavit concilium Chalcedonense can. 15. superius relato.

Porro cum diaconissæ non eam quam tenebantur continentiam servarent, circa duodecimum, aut decimum tertium sæculum penitus aboleri cœperunt.

Præter illas diaconissas aliæ olim erant, nempe uxores diaconorum : ut enim uxores episcoporum episcopissæ, presbyterorum presbyterissæ ; ita etiam uxores diaconorum diaconissæ nominabantur. Illæ omnes continentiam servare tenebantur, et ad priorum diaconissarum dignitatem non raro evehebantur.

DISSERTATIO IV

De Sacramento Matrimonii.

Matrimonium sub duplici ratione potest considerari, prout nempe est officium naturæ et prout ad sacramenti dignitatem evectum est, Matrimonium sub hac duplici ratione in prima dissertationis parte considerabimus, in posteriori autem impedimenta Matrimonii expendemus.

CAPUT I.

DE MATRIMONIO TUM UT EST OFFICIUM NATURÆ, TUM UT EST SACRAMENTUM.

In Matrimonio hæc potissimum occurrunt, observanda : primum in quo Matrimonii ratio, sive natura consistat ; secundum quid Matrimonium efficiat ; tertium quid Matrimonium in ratione sacramenti constituat.

SPECULATIO I.

Exponitur natura Matrimonii.

Matrimonii natura consistit in mutuo jure sive in mutua potestate quam propter mutuam corporis traditionem uterque conjux habet in corpus alterius. Nam, ut ait Apostolus I. Corinth. VII, 4, *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir : similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quapropter recte definitur Matrimonium : Legitima viri fœminæque conjunctio ad individuam vitæ consuetudinem retinendam divinitus instituta.

Hac supposita Matrimonii natura, multæ sese offerunt difficultates sequentibus propositionibus elucidandæ.

PROPOSITIO PRIMA.

Copula carnalis non est de Matrimonii essentia.

Quanquam Matrimonii essentia videatur consistere in potestate, quam uterque conjux habet in corpus alterius, et mutua illa potestas ad copulam carnalem videatur essentialiter ordinari; tamen neque copula carnalis, neque consensus ad copulam ad Matrimonii essentiam ulla ratione pertinere credendum est. Est enim axioma Juris canonici, usum ab ipso dominio separari ; imo etiam in jure civili proprietarius alicujus rei non raro ejusdem rei usu caret. Ex quo fit,

ut inter illos qui continentiæ votum emiserunt, verum et perfectum Matrimonium possit reperiri.

Hinc sancti Patres passim asserunt, Matrimonium inter beatissimam Virginem, et divum Josephum, verum et perfectum fuisse : cujus rei rationem reddit divus Ambrosius libro *de institutione Virginis*, cap. 6 : « Non defloratio, » inquit, « virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis : cum jungitur puella, conjugium est, non cum virili admixtione conjungitur. » Et lib. 2. *in Luc.* : « Non virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio nuptiarum celebratione declaratur. »

Idem clare docet D. Augustinus libro 1. *de Nuptiis et Concupiscentia*, cap. 11. ibi : « Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu non cognoverat Joseph nec fuerat cogniturus, nec petierat : nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commistio : propter quod fidele conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, non solum illa mater, verum etiam ille pater ejus, sicut conjux matris ejus : utrumque mente, non carne. »

Hinc sequitur primo, illam quæ perpetuam vovit continentiam posse alicui nubere modo vel aliqua revelatione, vel aliunde certo sciat, virum quem ducit, debitum maritale nunquam petiturum : hæc enim duo inter se non pugnant, videlicet dare Deo corpus suum ad perpetuam continentiam, et ejusdem corporis potestatem dare viro, quem certo scias non usurum.

Sequitur secundo, duos jam conjugatos ex mutuo consensu posse continentiam vovere ; cum enim, ut superius dictum est, usus ab ipso dominio possit separari, poterunt conjuges potestatem in corpus alterius retinere ; et tamen potestatis illius usu votum emittendo se ipsos privare.

Sequitur tertio, divum Josephum potuisse dici patrem Christi ; cum enim Josephus fuerit vir beatæ Virginis, in illius corpus potestatem habuit, atque adeo corpus et sanguis beatæ Virginis, corpus et sanguis Josephi dici poterant. Unde non immerito sancti Patres dixerunt, Josephum fuisse vere Christi patrem, et quidem verius quam socer sit pater privigni ; quia socer non habebat potestatem in corpus uxoris, quando privignus natus et conceptus est, cum privignus in priori conjugio natus sit.

PROPOSITIO SECUNDA.

Copula carnalis, sive actus conjugalis ad perfectionem secundarium Matrimonii pertinet et ideo illicitus haberi non debet.

Quanquam copula carnalis ad Matrimonii essentiam non pertineat, quia tamen Matrimonii finis est prolis susceptio, proles autem juxta ordinarium naturæ cursum non aliter suscipi queat quam per copulam carnalem, patet copulam carnalem esse de perfectione saltem accidentaria Matrimonii.

Hanc ob rationem Matrimonium ante copulam licet verum sit et ratum, non tamen consummatum dicitur, quanquam neque etiam post copulam sit omnino perfectum Matrimonium ; ultimam enim suam perfectionem non acquirit nisi suscepta prole, quæ proprius et præcipuus est matrimonii finis.

Ex illis satis autem apparet, copulam non posse dici malam, nisi etiam Matrimonium malum esse affirmetur ; quandoquidem sine copula juxta consuetum naturæ cursum proles non suscipiatur.

Matrimonium autem malum non esse, reclamantibus licet Marcione, Manichæo, aliisque quibusdam hæreticis, patet primo, quia Deus Matrimonii auctor est et institutor. Geneseos enim capite II. hæc leguntur : *Dixit quoque Dominus Deus : Non est bonum esse hominem solum : faciamus ei adjutorium simile sibi.... Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam. Cumque obdormuisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea ; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ et erunt duo in carne una.* Quæ ultima Adami verba a Christo ipsi Deo per Adamum nimirum loquenti tribuuntur Matth. XIX : *Non legistis*, inquit Christus, *quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos, et dixit : propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Secundo patet, quia ex Apostolo primæ ad Cor. VII, *Si acceperis uxorem, non peccasti : et si nupserit virgo non peccavit ;*

Hebræor. XIII : *Honorabile conjugium in omnibus, et torus immaculatus.*

Tertio, quia Christus ipse adesse voluit nuptiis in Cana Galilææ.

Quarto, quia in lege veteri frater superstes fratris sine liberis defuncti, uxorem accipere ex præcepto legis tenebatur, ut fratri semen suscitaret. Item Oseas Propheta jubetur meretricem in uxorem ducere. Item sacerdotes veteris legis sacerdotium propagare per carnalem generationem tenebantur. Item primi homines ut propagaretur genus humanum, et primi Judæi ut electus a Deo populus ampliaretur, uxores ducere ex præcepto tenebantur. Ex quibus omnibus satis efficitur, neque Matrimonium, neque copulam carnalem inter res illicitas enumerari debere.

PROPOSITIO TERTIA.

Licet actus conjugalis non sit per se malus, et illicitus, aliquam tamen deordinationem importat in hoc corrupto naturæ humanæ statu : quæ deordinatio per bona Matrimonii removetur.

Cum Matrimonium a Deo institutum fuerit, certum est in eo nullam deordinationem debere admitti in illo statu, in quo creati fuere primi parentes ; ut enim habetur Gen. II, 25 : *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor ejus, et non erubescebant.* Nempe nulla in illis erat libido, propter quam nunc turpis est nuditas. Verum cum peccassent primi parentes, *aperti sunt oculi amborum*, non quod cæci prius fuissent, sed quod tunc primum rebellionem membrorum, libidinisque motus etiam inviti experti sint. *Cumque cognovissent se esse nudos*, ex illa scilicet impudenti novitate, et erubescerent quod in membra propria proprium perdidissent imperium, *consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata*, Gen. III, 7.

Itaque omne Matrimonii malum in una consistit libidine, quæ, ut evidens est, ex Deo non est, sed ex mundo, sive ex peccato ; quæ adversus spiritum concupiscit, quæ ad fornicationes, adulteria, omneque impudicitiæ genus impellit, et in cujus usu etiam licito ita mens hominis abripitur, ut sancta cogitare non possit, ut ait D. August. lib. 5. *contra Julianum*, cap. 8.

Porro hæc Matrimonii deordinatio efficit ut actus conjugalis licitus non sit nisi in duplici casu : prior est dum fit generationis causa : posterior quando conjugi petenti debitum redditur.

Licitus est actus conjugalis dum fit generationis causa, quia tunc eo fine perficitur, ad quem a Deo fuit institutus ; non enim in Paradiso tantum, sed etiam post peccatum deleto per diluvium humano genere, dixit Dominus : *Crescite, et multiplicamini ;* et Christus hæc verba protulit : *Quæ Deus conjunxit homo non separet.* Et Tobias tanquam bonum opus commemorans, hæc ait : *Et nunc, Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.*

Licitus est etiam actus conjugalis reddendi debiti causa ; ait enim Apostolus I. Cor. VII, 3 : *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.*

Hinc duo Matrimonii bona (prout Matrimonium naturæ officium est) recte assignantur, quibus tollitur omnis Matrimonii deordinatio : quæ duo bona his duobus vocabulis exprimuntur, *proles, et fides.* Per prolem intelligitur prolis procreatio, et religiosa institutio : per fidem autem, quam uterque conjugum alteri debet, fit ut neuter alteri petenti debitum neget, et ut alteri quam conjugi non commisceatur. Duobus hisce bonis tertium adjicitur, nempe *Sacramentum,* de quo inferius agemus.

PROPOSITIO QUARTA.

An, et quando actus conjugalis omni culpa vacet, explanatur.

Ex dictis sequitur, actum conjugalem tunc tantum licitum esse, aut prolis suscipiendæ causa, aut ad reddendum debitum. Unde divus August. *de Bono conjugali*, cap. 7 : « Reddere debitum, » inquit, « nullius est criminis ; exigere vero ultra generandi necessitatem, culpæ venialis. » Idem etiam docet D. Thomas *Supplem.* q. 49. art. 6 : « Dicendum, » inquit, « quod si delectatio quæratur ultra honestatem Matrimonii, ut scilicet aliquis in conjuge non attendat quod conjux est, sed solum quod mulier, paratus idem facere cum ea si non esset conjux, est

peccatum mortale : si autem quæratur delectatio intra limites Matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quæreretur quam in conjuge, sic est veniale peccatum. »

Dices primo : Non est peccatum accipere conjugem causa fornicationis vitandæ : ergo neque etiam ex eadem causa illam cognoscere.

Respondeo negando antecedens, Matrimonium enim hac duntaxat ratione contractum veniali culpa non caret.

Dices secundo : non peccat qui conjugi miscetur ad præcavendam in illa fornicationem. Ergo nec peccabit ad eam in seipso præcavendam.

Respondeo negando consequentiam, quia, ut ait divus Thomas, est ibi aliqua superfluitas, quia scilicet alia ratione posset fornicatio devitari.

Dices tertio : Matrimonium est institutum in remedium continentiæ : igitur ad hunc finem illo uti licebit.

Respondeo cum divo Thoma, ad hoc matrimonium non esse institutum, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.

Dices quarto : Igitur nec senes, nec steriles, aut quorum alter talis sit, debitum petere sine peccato non poterunt.

Respondeo concedendo totum, si certo credant se suscipiendæ proli esse inidoneos ; ut enim ait D. August. serm. 63. *de Diversis*, cap. 13 : « Quis sana fronte dat filiam suam libidini alienæ ? Erubescat maritus aliter accipere, si erubescit pater aliter dare Sed si non possunt, exigant debitum ; et si egrediantur metas Matrimonialis pacti non egrediantur metas conjugalis tori. Numquid hoc non est peccatum, amplius quam liberorum procreandorum necessitas cogit exigere a conjuge debitum ? Est quidem peccatum, sed veniale, Apostolus dicit : *Hoc autem dico secundum veniam ;* tanquam diceret, Non impero ut faciatis, sed ignosco si feceritis. »

Quæres an saltem aliquis non possit sine culpa conjugi immisceri propter sanitatem recuperandam ?

Hanc quæstionem sic solvit D. Thomas : « Dicendum, » inquit, « quod quamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad hoc de se ordinatum, ut in proposito in actu Matrimonii. » Hæc ille.

Quæres præterea, quando actus Matrimonii sit peccatum mortale.

Respondeo esse peccatum mortale primo, quando aliquis ita conjugem cognoscit, ut aliam etiam paratus esset cognoscere, ut superius docuit divus Thomas.

Secundo, quando quis uxorem gravidam cognoscit, si periculum sit fœtum, quamvis nondum animatum perdendi. Qui enim periculo peccati mortalis se exponit, mortaliter peccat : quo in casu etiam reddens debitum, peccat mortaliter, quia non tantum occidens, sed etiam cooperans in cedem mortali obnoxius est peccato.

Tertio, quando quis per usum veneris immoderatum suæ, aut conjugis sanitati notabiliter nocet, quod etiam ad reddentem debitum non pauci extendunt.

Quarto, quando usus naturalis non servatur cujus peccati gravitatem passim detestatur Scriptura.

Quinto, quando uxor menstruata cognoscitur, illud enim crimen morte punitur Levitici xx, 18 : *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis ejus, interficientur ambo de medio populi sui.* Aliqui tamen credunt illud peccatum venialibus tantum debere annumerari.

PROPOSITIO QUINTA.

An aliquando liceat debitum petenti denegare ; et an conjugibus continentiam vovere non liceat.

Certum est conjugem debere alteri petenti debitum ex juxtitia reddere : unde qui ejusmodi debitum sine causa denegat, injustitiæ reus est, illiusque peccatum est ex genere suo mortale, præsertim cum plurima mala ex ejusmodi denegatione suboriantur, veluti dissensiones, odia, separationes, mœchiæ, etc. Qui enim debitum negat, similis est dimittendi, et proinde similiter ut ille, facit uxorem suam mœchari, id est mœchandi occasionem ei præbet, ut passim urget divus Augustinus.

Nihilominus non desunt casus, quibus licet debitum denegare. Primo, si mulier sit gravida, et periculum sit fœtum perdendi. Secundo, si mulier sit menstruata. Tertio, si non possit reddi sine sanitatis detrimento. Quarto, si petens leprosus sit, aut alio mor-

bo contagioso laboret, quandiu contagionis periculum est. Quinto, si conjux adulteraverit ; conjux enim adulterans petendi jus amittit.

Porro ex jure petendi debiti, et ex obligatione illius reddendi manifeste sequitur neutrum conjugum sine alterius consensu posse continentiam, sive ad tempus, sive in perpetuum vovere ; nemini enim vovere Deo licet, quod alterius est, sine injustitia : unde hac ratione vovens mortaliter peccare convincitur.

Si autem uterque conjux in emittendo voto consentiant, poterunt ambo non solum ad tempus, sed etiam in perpetuum continentiam vovere ; imo posset alter tantum continentiam vovere, altero non vovente, si ille qui non vovet, consensum suum voventi præbeat. Hoc autem casu, ei qui votum emittit, petere quidem non licet, sed reddere petenti tenetur.

Major est difficultas, an alter conjux possit sine alterius consensu votum facere de nunquam exigendo debito ? Id illi licitum esse affirmat Richardus cum aliis quibusdam, negat vero sanctus Thomas cum aliis plerisque : quorum hæc est ratio, quia per ejusmodi votum matrimonium alteri onerosum redditur, quatenus illi soli exigendi debiti pondus et necessitas incumbit. Hinc Dominicus asserit non solum virum irritare posse hujusmodi votum uxoris, sed etiam uxorem viri. Id vir potest, inquit Estius, quia est caput uxoris : id autem etiam uxor potest, quia uxor ex tali mariti voto magis gravatur propter naturalem illius pudorem ; quanquam, ut addit, scrupulum hic omnem tollere potest dispensatio Episcopi.

De aliis autem conjugatorum votis, si illa torum conjugalem vel indirecte attingunt, sine alterius consensu non poterunt emitti : si vero ad torum nihil attinet, non pauci credunt quod etiam vir in eo casu possit ut caput mulieris omnia uxoris vota irritare ; dicitur enim Num. xxx, 7 : *Si maritum habuerit, et voverit aliquid, et semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento, quo die audierit vir, et non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat : sin autem audiens statim contradixerit, et irritas fecerit pollicitationes ejus, verbaque quibus obstrinxerat animam suam propitius erit ei Dominus.* Et ibidem vers. 10 hæc habentur : *Uxor in domo viri cum se voto constrinxerit et juramento, si audierit vir et tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat ; sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea ; quia maritus contradixit, et Dominus ei propitius erit. Si voverit, et juramento se constrinxerit, ut per jejunium et cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat. Quod si audiens vir tacuerit, et in alteram diem distulerit sententiam, quidquid voverat atque promisserat, reddet ; quia statim ut audivit, tacuit. Sin autem contradixerit postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus.* Quæ ultima verba indicant mulieres liberas esse a voto, si maritus etiam sine aliqua causa contradixerit ; quo tamen casu reus erit maritus voti sine causa irritati : unde consequi videtur, virum posse quidem omnia uxoris vota irritare, sed id licite tunc tantum posse, quando mulieris votum marito nocet, aut familiæ administrationi.

PROPOSITIO SEXTA.

An, et quæ polygamia illicita sit, utpote Matrimonio repugnans.

Duplex distingui solet polygamia ; aliquis enim plures uxores habere potest aut simul, aut successive.

Polygamia qua aliquis plures uxores habet successive illicita non est ; docet enim Catholica doctrina secundas nuptias, imo tertias, quartas, et cæteras veras esse, et secundum se licitas et honestas : « Non damno bigamos, imo nec triganos, etiam (si dici potest) octogamos, » etc., ait Hieronymus in apologia *ad Pammachium*. Ipseque Apostolus I. Corinth. vii, 29. ait : *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit : quod si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult nubat.* Et I. Thimoth. v, 14 de viduis loquens : *Volo*, inquit, *juniores nubere, filios procreare*, etc.

Quando igitur divus Hieronymus, aut alii e Patribus, aut etiam quædam concilia secundas nuptias videntur culpare, non ipsas nuptias, secundas licet, aut etiam tertias condemnant, sed ipsam incontinentiam, cujus in remedium secundæ, aut tertiæ nuptiæ adhibentur. Vix enim fieri potest, ut qui toties matrimonium contrahit, aliquo incontinentiæ vitio non laboret.

Idem autem dici non potest de illa polygamia, qua aliquis plures uxores simul ha-

bet; ait enim synodus Tridentina sess. 24. can. 2 : « Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. » Ubi incertum est, an pronomen, *hoc*, referatur ad *Christianos habere plures uxores*, vel ad *plures uxores habere* simpliciter, ita ut scilicet lege divina non Christianis solum, sed aliis etiam plures uxores simul habere prohibitum fuerit.

Rationes autem propter quas hæc polygamia condemnatur, sunt quia non solum uxor est viri, sed etiam vir uxoris : unde vir non videtur posse vivente priori uxore alteri uxori potestatem sui corporis concedere; nam quomodo poterit vir pluribus uxoribus debitum petentibus reddere? Quod si alteri deneget, quot inde discordiæ, rixæ, etc. Quot item discordiæ in familia gubernanda, in filiis educandis, in dividendis inter illos possessionibus, etc.

Quæritur autem, an propter dictas rationes polygamia etiam jure naturæ illicita dicenda sit? Affirmative respondent omnes ferme theologi, si unum Durandum excipias, et Alphonsum episcopum Abulensem.

Pro Durandi sententia multum facit sanctorum Patriarcharum, aliorumque justorum exemplum, qui plures simul uxores habuere, ut patet in Abraham, Jacob, Davide, et aliis. Neque enim aliquis dixerit illos sanctos Patriarchas ad mortem usque tam aperto crimine voluisse legem divinam et naturalem violare. Unde videtur dicendum, polygamiam esse quidem contra legem divinam positivam, non vero contra legem naturalem, de qua nulla datur dispensatio.

Crediderim tamen in ejusmodi polygamia duo esse. Primum, quod prohibeatur lege divina; secundum, quod plerasque deordinationes includat, quales nempe supra multas retulimus. Quatenus ergo polygamia plures deordinationes importat, non potest esse licita, nisi per alia bona illius deordinationes compensentur : quatenus vero lege divina prohibetur, licita esse non potest, nisi accedente divina dispensatione : et illud est quod docent priores theologi, dum post sanctos Patres docent polygamiam non opponi primariis legis naturæ præceptis, cujusmodi sunt leges de diligendo Deo, de non mentiendo, etc. a quibus (inquiunt), dispensari non potest; sed opponi secundariis legis naturæ præceptis, quæ mutatis rerum, et personarum circumstantiis, ipsa etiam possunt immutari. Hac ratione facile explicatur factum Patriarcharum.

PROPOSITIO SEPTIMA.

Matrimonium ex suapte natura est indissolubile.

Cum in Matrimonio uterque conjux in alterius corpus potestatem habeat, sequitur conjugem non posse alteri debitum etiam ad tempus, nedum in perpetuum denegare : ex quo manifeste colligitur, Matrimonium ex natura propria esse indissolubile.

Probatur item Matrimonii indissolubilitas ex ipsius Matrimonii fine; nam finis Matrimonii est proles, quam uterque parens ex naturæ lege tenetur nutrire, fovere, instituere, et ad perfectum perducere : hoc autem ut parentes præstare possint, simul debent cohabitare, illusque cohabitationis tempore sibi fidem servare debent; si enim cum alio commiscerentur, possent inde filios suscipere : sicque educationi aut prioris, aut posterioris prolis male provideretur.

Tertio, si Matrimonium ex natura sua non poneretur indissolubile, non daretur constans discrimen inter conjugium et concubinatum.

Quarto, ex lege divina probatur eadem Matrimonii indissolubilitas; ait enim Adamus Spiritu Dei afflatus : *Relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una.* Quæ verba repetens Christus, hæc addit : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Et divus Paulus I. Cor. VII : *Iis*, inquit, *qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere.*

Quinto ex sacramenti ratione. « Tertium matrimonii bonum, » ait concilium Florent., « est indivisibilitas Matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiæ. »

Quæres primo, an Matrimonium ita sit indissolubile, ut nulla dispensatione solvi possit?

Respondet divus Thomas Matrimonii solutionem non videri esse contra prima legis naturæ principia, et illius idcirco pose dari dispensationem.

Quæres secundo, an Judæis licitum fuerit uxorem dimittere?

Recentiores quidam credunt, opinionem

illam esse probabiliorem, qua dicitur Deum cum Judæis dispensasse, ut sine ullo prorsus peccato uxorem suam potuerint dimittere. Verum hæc sententia nec autoritate Scripturæ, nec Sanctorum exemplis innititur. Unde divus Thomas ut probabilius affirmat, id Judæis licitum non fuisse, nisi quatenus minus malum permittebatur, ut majus evitaretur. Idem olim docuerat divus Hieronymus *in cap.* v. *Matthæi* his verbis : « Moyses libellum repudii dari jussit, non dissidium consedens, sed auferens homicidium. » Et divus Augustinus lib. 1. *de serm. Dom. in monte*, cap. 14. sic ait : « Qui præcepit dari libellum repudii, non hoc præcepit ut uxor dimittatur, sed ut dimittere volens det libellum repudii, ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret. » Non ergo tam repudium fuit illis permissum, quam præceptum ut sine libello non repudiarent.

Hinc mulier repudiata, quæ ad alterum virum accessit, dicitur polluta et abominabilis facta coram Domino, Deut. xxiv. Hinc Christus dicit Judæis repudium non nisi ad duritiam cordis illis fuisse permissum.

Quæres tertio ob quas causas potuerint Judæi uxores dimittere.

Aliqui putant solam fornicationem, aut adulterium fuisse causam repudii apud Judæos. Verum propter adulterium lapidabatur mulier, et ita non erat locus repudio. Alii vero volunt Judæos potuisse uxores dimittere propter quamlibet rationem, imo propter solum odium. Sed contrarium habetur Deut. ii : *Si duxerit vir uxorem, et postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones quibus dimittat eam*, etc.

Videtur ergo probabilius Judæos, utpote legibus gentilium imbutos, repudiasse ob easdem causas propter quas gentiles repudiabant : illæ autem causæ apud Romanos erant adulterium, sterilitas, veneficii suspicio, lepra notabilis, morum improbitas, etc.

Illæ autem repudii causæ sub abventum Christi ita multiplicabantur, ut tandem fuerit disputatum, an ex quacumque causa liceret uxorem dimittere.

Quæres quarto, an Judæi post repudium alias nuptias potuerint contrahere?

Respondeo primo, uxorem dimissam non potuisse contrahere : nam Deut. xxii. dicitur mulier illa polluta, et abominabilis coram Domino, quæ repudiata nuptias contrahit. Et Christus Matth. v. ait : *Qui dimiserit uxorem suam, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, mœchatur.*

Respondeo secundo, virum potuisse apud Judæos post repudium ad alias nuptias transire, non quod priores nuptiæ per repudium fuerint irritæ, sed quod Judæis fuerit licitum plures simul uxores habere, ac proinde una repudiata aliam ducere.

Dices : Christus Matth. xix. dicit, quod quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur. Ergo nequidem viro licebat post repudium aliam uxorem ducere.

Respondeo, his verbis Christum revocare Matrimonium ad primariam suam institutionem, cui non solum repudium, sed etiam polygamia repugnat.

Quædam alia supersunt quæ ad matrimonii indissolubilitatem pertinent : sed de illis agemus, ubi loquemur de Matrimonii impedimentis.

SPECULATIO II.

Quæritur quæ sit causa Matrimonii, ubi etiam de sponsalibus agitur.

Cum Matrimonium ex dictis in eo consistat, ut uterque conjux habeat potestatem in corpus alterius, Matrimonii causa illa erit, qua uterque conjux jus et potestatem acquirit in corpus alterius.

Hoc posito, cum Deus sit supremus omnium Dominus, poterit sine dubio virum et fœminam Matrimonio conjungere absque ipsorum consensu : quo casu dubitare nemo potest, quin conjuges illi divino illi decreto teneantur obtemperare. Indubium etiam videtur, Deum Ecclesiæ potestatem hanc potuisse communicare, adeo ut nempe quos Ecclesia vellet, simul Matrimonio copularet, cui Ecclesiæ decreto homines tenerentur obedire.

Sed multo melius et convenientius fuit, quod nemo non nisi ultro et sponte Matrimonio copuletur : quod providens Deus, neminem unquam jure supremi sui dominii, et non habita ratione consensus illius, Matrimonio copulavit. Quapropter vere dici potest, solam Matrimonii causam esse mutuum conjugum consensum. Quæ autem ad ejusmodi consensum pertinent, sequentibus quæsitis resolventur.

Quæres primo, qualis debeat esse ille con-

sensus ; id est, an debeat esse consensus in copulam.

Respondeo, non esse necesse, ut consensus ille expresse et formaliter feratur in copulam, ut patet ex dictis in superiori speculatione : sed sufficit consensus in conjugalem vitæ societatem, qui cum voto servandæ virginitatis stare potest, ubi habetur certitudo, quod conjux nunquam debitum petet, uti factum est in beata Virgine.

Quæres secundo, an consensus ille aliquo exteriori signo debeat manifestari.

Respondeo debere exterius manifestari, alioquin non possent conjuges scire, an simul Matrimonio sint copulati.

Quæres tertio, an consensus ille inter absentes constituat Matrimonium.

Respondeo Matrimonium inter absentes iniri posse, modo utriusque consensus actu, vel virtute permaneat, dum alteri innotescit, et ab illo acceptatur.

Quæres quarto, an ratum sit Matrimonium per solum parentum consensum.

Respondeo ejusmodi Matrimonium nullum esse ; ut enim validum sit Matrimonium, oportet ut contrahentes consensum suum tacite saltem præbeant.

Quæres quinto, an filii possint invitis parentibus contrahere.

Respondeo, Matrimonium sic contractum validum haberi ab Ecclesia, quæ filios e tali Matrimonio progenitos, ut legitimos agnoscit : at in Galliis invalidum haberi quantum ad forum civile ; unde filii qui ex ejusmodi Matrimonio pronascuntur, incapaces sunt ad hæreditatem consequendam.

Quæres sexto, an consensus ille debeat esse de præsenti.

Respondeo consensum, quo fit Matrimonium, debere esse de præsenti ; nam per consensum de futuro, non Matrimonium, sed sponsalia constituuntur.

Expediuntur quæ ad sponsalia pertinent.

Sponsalia sunt mutua futurarum nuptiarum promissio ab illis facta qui futuris illis nuptiis conjungendi sunt.

Sponsalia sunt duplicis generis, alia enim absoluta sunt, alia conditionata.

Sponsalia conditionata, posita conditione evadunt absoluta, modo conditiones appositæ honestæ sint, et bonis Matrimonii non repugnent : si enim conditiones illæ Matrimonii bonis repugnent, ut si quis promitteret se aliquam ducturum uxorem ad tempus tantum, vel ut se unicuique prostitueret, vel ut generationem prolis impediret, tunc sponsalia nulla sunt : quod etiam dici debet, si conditio sit impossibilis, ut : Ducam te in uxorem, modo facias ut sol stet. Qui enim hac ratione promittit, aut etiam actu contrahit, irridere potius quam promittere convincitur.

Porro ubi sponsalia absoluta sunt, obligant sponsos, etiam sub mortali peccato, ad Matrimonium ineundum, nisi forsan graves causæ superveniant, quibus sponsalia possint irritari cujusmodi vulgo recensentur, primo si alteruter aliquid addiscat, quod si prius scivisset, sponsalia verisimiliter, et rationabiliter non fuissent contracta ; secundo, si gravis inimicitia inter sponsos, aut ipsorum parentes excitetur ; tertio, si non adimpleatur promissio apposita ; quarto, si alter conjugum diutius quam par est, absens sit ; quinto si alterutri gravis morbus, aut deformitas superveniat ; sexto, si aliqua incurratur affinitas, aut aliud impedimentum ; septimo, si alter conjux fornicetur ; octavo, si alter conjugum Religionem ingrediatur, aut Ordines sacros suscipiat ; nono, dum sponsi sibi invicem sponsionem remittunt.

Quæres, an sponsalia cum subsequente copula faciant Matrimonium.

Respondeo Matrimonium nunquam posse fieri sine mutuo de præsenti consensu ; unde copula carnalis, quantumcumque sponsalia præcesserint, Matrimonium non potest constituere, nisi forte conjugali affectu sponsi carnaliter conveniant. Dum enim cum tali affectu conveniunt, sibi invicem corporis sui potestatem concedunt.

Quapropter cum Ecclesia semper præsumat copulam sponsalia subsequentem cum tali affectu habitam fuisse, idcirco qui post sponsalia carnaliter fuerunt commixti, in foro externo Matrimonium contraxisse olim censebantur.

Nunc vero cum concilium Tridentinum omnia clandestina Matrimonia irrita declaravit, patet Matrimonium non fieri per copulam sponsalia subsequentem, etiam cum expresso consensu de præsenti : ut enim Matrimonium nunc validum sit, coram Parocho et testibus contrahi debet.

Quæres secundo, an aliquis ficte promittens teneatur promissionem suam adimplere.

Respondeo non teneri, nisi primo ratione damni insequentis, aut scandali : secundo ratione juramenti promissioni annexi ; tunc enim etsi non obligetur ratione promissionis, obligatur tamen ratione juramenti, et debitæ divino Numini reverentiæ.

SPECULATIO III.

De Matrimonio ut est Sacramentum.

Non solum Matrimonium res est bona et licita, sed etiam signum est rei sacræ, habetque vim saltem in nova Lege gratiæ producendæ : quod ut enucleatius perpendatur, sit

PROPOSITIO PRIMA.

Matrimonium ex primæva sua institutione est signum rei sacræ.

Divus Paulus Ephes. v. cum exhortatur maritos ut uxores suas diligerent, exemplum Christi Ecclesiam suam diligentis illis proponit, aitque adhæsionem viri cum muliere esse Sacramentum, sive signum unionis Christi cum Ecclesia. *Relinquet*, inquit, *homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico, in Christo et Ecclesia.*

Quod autem dicunt hæretici nostri, non Matrimonium, sed unionem Christi cum Ecclesia hic nominari sacramentum, prorsus adversatur genuino, et naturali sensui textus divi Pauli ; opponiturque perpetuæ traditioni Patrum, qui prædictum textum eadem ac nos ratione semper sunt interpretati.

Hinc colliges primo, Matrimonium in prima sui institutione, ac proinde in statu innocentiæ fuisse signum rei sacræ, ut docet D. Hieron. in Ephes. v., et D. Aug. lib. 1. *de Nuptiis et Concup.* cap. 21. et lib. *de bono Conjug.* cap. 5. et 18.

Dices, Christus non erat venturus, si Adam non peccasset : ergo in statu innocentiæ Matrimonium non potuit esse signum unionis Christi cum Ecclesia.

Respondeo primo, certum non esse, Christum non fuisse venturum, nisi Adam peccasset : secundo, Matrimonium potuisse esse signum Christi venturi propter peccatum jam prævisum ; neque enim ullum est in hoc inconveniens.

Colliges secundo, quodcumque Matrimonium, etiam infidelium, fuisse signum conjunctionis Christi cum Ecclesia.

Probatur primo ex ipsis Apostoli verbis, *Sacramentum hoc magnum est :* hæc enim verba respiciunt saltem conjugia eorum omnium, ad quos scribebat : sed illorum plurimi ante Baptismum susceptum, sive cum adhuc infideles essent, Matrimonium contraxerant : ergo etiam infidelium Matrimonium est rei sacræ signum.

Probatur secundo auctoritate Innocentii III. qui extra *de Divortiis*, affirmat sacramentum conjugii apud Fideles et infideles existere : et ibidem cap. *Veniens*, dicit sacramentum conjugii a non baptizatis recipi posse.

Quæres quid in Matrimonio sit proprie res significans, quid res significata.

Respondeo in Matrimonio duplicem conjunctionem viri cum muliere posse considerari. Prior conjunctio est conjunctio animorum, quæ inter conjuges maxima esse debet, quæque his Apostoli verbis exprimitur : *Adhærebit uxori suæ*, supple *et uxor viro*. Posterior conjunctio est conjunctio corporum, quæ fit per copulam carnalem, de qua loquitur Apostolus cum dicit, *Et erunt duo in carne una.*

Porro prior conjugum conjunctio significat illam Christi cum Ecclesia conjunctionem, qua eam ut sponsam suam diligit : posterior autem eam, qua eidem Ecclesiæ sponsæ suæ in utero Virginis per Incarnationis mysterium, quasi secundum carnem copulatus est.

Prior conjunctio est de Matrimonii essentia, posterior autem de illius est duntaxat integritate.

PROPOSITIO SECUNDA.

Matrimonium Christianorum est verum novæ legis sacramentum.

Ostendimus propositione præcedenti, Matrimonium esse sacramentum, saltem improprie, quatenus scilicet sacramentum est signum rei alicujus sacræ : verum superest ostendendum, Matrimonium esse vere et proprie sacramentum novæ legis, ac proinde Matrimonium gratiam conferre.

Matrimonium vere gratiam conferre, probare conantur aliqui ex illis Apostoli verbis, *Sacramentum hoc magnum est*, etc. sed ma-

le, cum illa verba Matrimonium etiam infidelium respiciant, quæ Matrimonia gratiam procul dubio non conferebant.

Alii autem idipsum probare conantur ex aliis locis sacræ Scripturæ, ut ex illis Christi, *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Sed neque etiam illa verba ostendunt Matrimonium gratiam conferre, sicut neque hæc Apostoli verba, I. Timoth. II : *Salvabitur mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate.* Neque tandem ejusdem Apostoli verba, quæ habentur I. Cor. VII : *Unusquisque donum suum habet ex Deo, unus quidem sic, alius autem sic.*

Cum ergo relata Scripturæ verba ea sint, quibus solet probari Matrimonium gratiam conferre, satis apparet veritatem hanc ex Scripturis non posse aperte saltem et evidenter demonstrari : unde forsan factum est ut Durandus, et alii nonnulli doctores Catholici oppositum prorsus docuerint, et ut divus Thomas, S. Bonaventura, Scotus et alii, qui veram et catholicam sententiam docuerunt, eam tantum ut probabiliorem tradiderint.

Nunc autem circa hanc quæstionem nullus est amplius dubitandi locus post claram hac super re Tridentini definitionem : « Si quis dixerit, » ait conc. Trid. sess. 24. can. 1, « Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque conferre gratiam, anathema sit. »

Huic synodi Tridentinæ definitioni jam olim præiverant sancti Patres, qui unanimiter docent Christum ad nuptias invitatum venisse, nuptiis benedixisse, ac gratiam conjugatis contulisse. Sic ducenti Episcopi in Ephesina synodo, qui aiunt, « Christum ad nuptias in Cana Galilææ se contulisse, suaque benedictione easdem dispensatorie cohonestasse. » Sic S. Ambrosius, qui lib. 1. *de Abraham*, cap. 7. loquens de eo qui alterius nuptam sibi postulat in uxorem : « Qui sic egerit, » inquit, « peccat in Deum, cujus legem violat, gratiam solvit ; et ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium. » Sic Innocentius I. qui epist. 9. *ad Probum*, dicit matrimonium divina gratia fundari, dum celebratur. « Statuimus, » inquit, « fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat gratia fundatum. »

Sic Cyrillus Alexand. qui lib. 2. *in Joan.* c. 22. sic loquitur : « Ut nativitatis nostræ principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret, oportebat certe, quia totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solum natis jam hominibus benedicere, verum etiam nascituris præparare, et aditum illorum ad hanc vitam, et auctoritate miraculi, et præsentia sua sanctum facere. » Sic D. Augustinus, qui lib. *de Nuptiis et Concupiscentia*, cap. 10. et *de Bono conjugali*, cap. 24, Matrimonium comparat cum Baptismo et Ordinatione, velut cum sacramentis ejusdem generis. Sic etiam Patres concilii Florentini, quibus Græci subscripserunt, e quibus novissime Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in censura *Confessionis Augustanæ* Lutheranorum, suo et reliquorum Præsulum nomine edita affirmat, Matrimonium esse unum e septem Sacramentis, quæ Christus, et Apostoli Ecclesiæ tradiderunt.

Quæres, quam gratiam producat Matrimonii sacramentum ?

Respondeo, præter gratiam habitualem, quæ communis est effectus omnium sacramentorum, Matrimonium etiam conferre gratias requisitas ad vitam conjugalem sancte et pie transigendam. Itaque gratia matrimonialis datur, ut conjuges per actum conjugalem prolem quærant, quam deinde in Dei timore, et sancta conversatione educent, sicque omnes libidinis ardores intra Matrimonii fines coarctentur, ut conjuges se mutuo diligant, mutuas infirmitates supportent, aliaque Matrimonii onera patienter ferant.

PROPOSITIO TERTIA.

Disquiritur an Matrimonium omne inter Christianos initum sit verum legis novæ sacramentum.

Scholastici communiter, et inter alios Cardinalis Bellarminus lib. 1. *de Matrim.* cap. 6. censent Matrimonium omne inter Christianos contractum esse sacramentum novæ Legis, acriterque adversus Melchiorem Canum insurgit, quod affirmasset, illud tantum Matrimonium esse sacramentum, quod a ministro Ecclesiæ sacris et solemnibus verbis celebratur.

At vero Bellarminum refutat Scribonius Ordinis Minorum. Primo, quia divus Augustinus, ut fatetur ipse Bellarminus, dicit Ma-

trimonium non esse sacramentum, nisi in Ecclesia : unde sequitur Matrimonium inter hæreticos contractum non esse sacramentum. Secundo, quia matrimonia clandestina a concilio Tridentino declarata sunt irrita, et longe ante concilium Tridentinum semper fuerunt interdicta. Tertio, quia eadem matrimonia ab Evaristo Papa dicta sunt adulteria. Quarto, quia nullis conciliis probari potest conjugia clandestina declarata fuisse Sacramenta. Quinto, quia in matrimoniis clandestinis nulla plerumque proferuntur verba. Sexto, quia matrimonia illa aliqua adulterii nota semper inuruntur, quod matrimonii fidei repugnat.

Multis aliis argumentis potest insuper comprobari Melchioris Cani sententia, qua nempe asseritur, tunc tantum Matrimonium fidelium esse sacramentum, quando accedit ministri Ecclesiæ benedictio. Verum ea tantum referam, quæ mihi videntur potiora.

Primum argumentum petitur ex Patrum auctoritate. Primo Tertullianus lib. 2. *ad Uxorem*, dicit illud matrimonium esse Ecclesiæ sacramentum, quod Ecclesia conciliat videlicet per suum Ministrum.

Secundo Syricius epist. 1. cap. 4 : « Benedictio, » inquit, « quam nupturæ sacerdos imponit, quam Fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur. »

Tertio D. Ambrosius epist. 20 : « Conjugium, » inquit, « velamine sacerdotali, et benedictione sanctificari oportet. »

Quarto Clemens Alexandrinus lib. 4. *Stromatum :* « Sanctificatur, » inquit, « quod per verbum perficitur Matrimonium. » Supple, « per verbum Ecclesiæ. »

Quinto Innocentius I. epist. 1. dicit, « Matrimonium fundari divina gratia quando celebratur, » supple « solemniter in Ecclesia. »

Hæ et aliæ auctoritates, quæ a Cano, aut a Cani defensoribus proferuntur, probabiliter saltem ostendunt matrimonia clandestina non esse vere sacramenta novæ legis. Consulatur Gratianus 30. quæst. 5.

Secundum argumentum petitur ex conciliis. Concilium IV. Carthag. can. 13. sic loquitur : « Sponsus, et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis, vel paranymphis offerantur : qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant. » In fine concilii Constantiensis Martinus V. vult suspectum rogari, « an credat quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ-Unctionis, vel solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter. » In concilio Lateranensi III. can. 7. dicitur, « horribile nimis, si pro benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid exigatur. » In concilio I. Coloniensi anno 1536. celebrato, can. 40. hæc leguntur : « Quod Sacramentum » (supple Matrimonium) « si quis sicut decet acceperit, accedente sacerdotali precatione confert donum spiritus, quo vir diligat uxorem, etc. » Tandem concilium Tridentinum vult, « Parochum viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, dicere : Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, vel aliis uti verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum. » Illa autem verba, *Ego vos conjungo*, quæ in Ritualibus communiter habentur, proferre non posset sacerdos, si non esset illius Matrimonii minister. His omnibus addi potest, quod in synodo Cameracensi anno 1567. celebrata in Rituali Romano jussu Pauli V. edito, et in actis S. Caroli Borromæi, p. 4. paragrapho 1. Sacerdos dicatur esse hujusce Sacramenti minister.

Tertium argumentum desumitur ex Scholasticis, quorum primus erit Guillelmus Parisiensis Alberto Magno contemporaneus, qui tractatu *de Matrim.* cap. 9. negat Matrimonium veri nominis sacramentum esse, nisi sacerdotali ministerio consecratum fuerit. Secundus erit divus Thomas, qui pluribus in locis insinuat, solum sacerdotem esse ministrum sacramenti Matrimonii, quamquam in primis suis scriptis, cum nempe junior esset contrarium videatur docuisse. Ita sanctum Doctorem explicant Estius et Sylvius. Tertius erit Melchior Canus, cui subscripserunt Estius, Scribonius, Sylvius, Toletus, aliique quamplurimi : unde Bannesius dicit communem Scholasticorum sententiam a multis improbari, non solum post concilium Tridentinum, sed etiam antea : additque illam non fuisse omnibus communem, cum multi oppositum docuerint, et præcipui ipsius assertores, ut Magister, D. Thomas, Scotus, nihil certo definierint.

Quartum argumentum ex inconvenientibus depromitur. Nam primo copula carnalis aliquando posset esse forma sacramenti ; olim enim per copulam maritali affectu post sponsalia habitam Matrimonium conficieba-

tur. Secundo plus tribueretur laicis contrahentibus, quam presbytero, aut episcopo benedicenti. Tertio, quia contrahentes sæpius non habent intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Quarto, quia iidem essent suscipientes, et ministrantes sacramentum Matrimonii, etc.

PROPOSITIO QUARTA.

Exponitur quis sit minister, quæ forma, quæ materia sacramenti Matrimonii.

Juxta communem sententiam Scholasticorum dicendum est, contrahentes esse ministros, verba autem seu signa, quibus contrahentes mutuum consensum exprimunt, esse sibi invicem materiam et formam secundum diversas considerationes : materiam nempe, quatenus traditionem corporum significant : formam vero, quatenus mutuam illam corporum traditionem acceptant. Ita ferme Scholastici, licet alii paulo aliter sentiant. In opinione vero superius relata dicendum est, sacerdotem esse ministrum, formam esse verba quæ a sacerdote proferuntur, ut : *Ego vos conjungo*, etc. aut alia similia : materiam proximam esse actus sensibiles contrahentium, remotam personas legitime contrahentes.

Objicies primo : Etiam post concilium Tridentinum Matrimonium est validum Parocho nihil dicente, modo præsens adsit, et intelligat quid agitur, ut habent responsa Cardinalium. Ergo neque sacerdos minister est, neque verba ab eo prolata forma sunt matrimonii.

Respondeo matrimonium hac ratione contractum validum quidem esse, non tamen Sacramentum : neque aliud evincunt responsa Cardinalium.

Objicies secundo : Ex concilio Florentino « causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus; » non ergo sacerdos, sed ipsimet contrahentes sunt ministri Matrimonii.

Respondeo concilium Florentinum non assignare quisnam sit minister sacramenti Matrimonii, sicut in aliis sacramentis fecerat; rem enim inter theologos controversam noluit concilium definire : quare id tantum asseruit quod extra controversiam est, nimirum mutuum consensum esse causam efficientem Matrimonii, non prout Sacramentum est, sed prout est contractus : ut enim recte ait Toletus in *Instructione Coloniæ* impressa anno 1601. lib. 7. cap. 2. Matrimonii efficiens causa sunt « ipsi contrahentes in quantum est contractus quidam : at vero ut Sacramentum, Deus est causa principalis, minister est causa instrumentalis, sicut in aliis Sacramentis. »

PROPOSITIO QUINTA.

An Matrimonium per procuratores, vel per litteras contractum, sit verum novæ legis Sacramentum.

Certum est primo, ejusmodi matrimonia valida esse, modo quædam serventur conditiones. Prima est, ut procurator habeat a suo principali mandatum speciale ad contrahendum Matrimonium cum certa persona, et non excedat suum mandatum. Secunda est, ut mandatum illud exequatur per se, et non per substitutum, nisi specialem alterius substituendi facultatem a principali obtinuerit. Tertia est, ut tempore contractus potestas procuratoris non sit revocata; alias enim nullum foret Matrimonium, etiamsi procurator illam revocationem ignorasset. Quarta, ut post publicationem concilii Tridentini procuratores coram parocho, et testibus contractum ineant.

Similiter Matrimonium per litteras contractum validum erit, modo litteræ coram parocho et testibus legantur, præsente altero conjugum, vel per se, vel per procuratorem.

Verum difficultas adhuc manet, an prædicta Matrimonia, licet valida, sint tamen sacramenta? Affirmant illi, qui volunt Matrimonium omne inter fideles valide contractum, gratiam conferre : hisque præterea rationibus sententiam suam confirmant. Primo, quia ejusmodi Matrimonia ab Ecclesia permittuntur; secundo, quia sunt indissolubilia; tertio, quia etiam in his Matrimoniis gratia est necessaria. Ergo, inquiunt, prædicta Matrimonia sunt vere sacramenta novæ legis.

Alii autem plerique etiam e Thomittis negant illa Matrimonia esse sacramenta. Primo, quia nullum sacramentum suscipitur per procuratorem, ut patet in sacramento Pœnitentiæ. Secundo, quia vir et mulier, aut dormientes, aut aliter occupati sacramentum reciperent, quod Cajetanus censet

esse inintelligibile. Tertio, quia posito quod alter conjugum peccato mortali obnoxius tunc dormiat dum contrahitur Matrimonium, conjux ille dormiendo sacrilegium committeret. Quarto, quia forma, verba nempe a sacerdote prolata, debent applicari immediate materiæ, illis nimirum qui contrahunt. Quinto addi potest, quod qui per procuratores contraxerunt, præsentes se sistant coram Parocho, quod non facerent si Matrimonium per procuratores contractum esset vere sacramentum.

CAPUT II.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Cum Matrimonium non solum Sacramentum sit, sed etiam contractus civilis, mirum cuiquam esse non debet, si tam multiplici ratione irritari, et impediri possit.

Quæ vero Matrimonium impediunt, non ejusdem sunt rationis; nam alia Matrimonium non solum contrahendum impediunt, sed etiam contractum dirimunt, et vocantur impedimenta dirimentia : alia vero impediunt quidem ne Matrimonium licite contrahatur; at ubi contractum est, illud non irritant, aut dirimunt, et ea dicuntur impedimenta impedientia tantum.

Impedimenta dirimentia hisce versibus solent comprehendi :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto :
Hæc sociandа vetant connubia, facta retractant.

Quæ vero Matrimonium impediunt tantum, sequentes versus complectuntur :

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum.
Atque catechismus, sponsalia, crimina, votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Quibus sex communiter annectuntur, quæ ex impedimento criminis dicuntur proficisci, suntque :

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pæniteat solemniter, aut monialem
Accipiat : prohibent hæc conjugium sociandum.

SPECULATIO I.

Explanantur impedimenta tum dirimentia, tum impedientia tantum.

Impedimentum erroris.

Quadruplex error solet recenseri : error personæ, conditionis, qualitatis, et fortunæ.

Primo error personæ, quo quis putans contrahere cum Bertha, contrahit cum Catharina, matrimonium dirimit et irritat, nisi forte errans intendat contrahere cum proposita persona, quæcumque illa sit. Hinc apparet, inter Jacob et Liam non fuisse matrimonium, quando illam sibi pro Rachele suppositam cognovit carnaliter; sed tunc tantum quando errore detecto, Liam in suam accepit : non tamen peccavit Jacob Liam cognoscens, propter facti ignorantiam : cum enim olim sponsæ nuptæ, id est velatæ ad torum nuptialem ducerentur, nihil mirum si illam non agnoverit. Non autem ut Jacob, ita et Lia in hoc facto a peccato debet excusari; erat enim filia hominis idololatræ, et patri suo in re mala obsequebatur.

Secundo error qualitatis, aut fortunæ, qua nempe aliquis credit aut divitem, aut sobriam ducere, cum tamen aut vinolentam ducat, aut pauperem, matrimonium non irritat, nisi forte error qualitatis transeat in errorem personæ, ut cum quis credens ducere filiam præsidis, illam ducit quæ præsidis filia non est; tunc enim in persona erratur, et sic invalidum est Matrimonium.

Ratio autem cur error personæ Matrimonium irritet, non autem qualitatis, est quia consensus matrimonialis versatur circa personas, non vero circa qualitates quæ sunt tantum motiva, quibus inducti conjuges consensum suum præbent. Si tamen aliquis expresse hanc conditionem apponeret : illam duco, modo tali sit prædita qualitate, tunc cum consensus illius foret tantum conditionatus, non posita conditione, nullus esset, atque adeo nullum esset matrimonium.

Impedimentum conditionis.

Ultimus error est error conditionis, quo aliquis putat liberam ducere, servam tamen ducit. Hic conditionis error Matrimonium irritat, si errans sit melioris conditionis, ut si liber contrahit cum serva, quam credebat

liberam : non dirimit autem si errans sit inferioris, aut æqualis tantum conditionis.

Impedimentum voti.

Primo votum castitatis duplex est, simplex, et solemne.

Votum solemne illud est, quod emittitur aut in susceptione sacrorum Ordinum, aut in professione Religionis. Votum simplex illud est, quo aliquis privatim votum emittit, aut ingrediendæ Religionis, aut Ordines suscipiendi, aut castitatis servandæ.

Secundo votum simplex impedit quidem Matrimonium, quoniam Matrimonium adimpletioni ejusmodi voti repugnat : at Matrimonium contractum non dirimit, quia votum simplex, ait divus Thomas, est simplex promissio corporis proprii, qua aliquis corporis sui dominio non privatur : unde post tale votum potest valide, non tamen licite uxorem ducere.

Tertio votum solemne castitatis emissum in valida professione Religionis approbatæ dirimit subsequens Matrimonium, etiam consummatum, ut docet concil. Trid. sess. 24. can. 9. Idem dicendum de voto simplici, quod emittunt Patres Societatis JESU, peracto biennio, ut decrevit Gregorius XIII.

Quarto votum solemne per solemnem Religionis professionem factum Matrimonium ratum quidem, sed nondum consummatum dirimit, ut patet ex concil. Trident. sess. 24. can. 6. Unicuique autem conjugi conceditur spatium duorum mensium ad deliberandum de Religionis ingressu, quo tempore potest debitum sine peccato denegare.

Quinto Matrimonium consummatum etiam intra bimestre non dissolvitur per subsequentem professionem Religionis : unde neuter conjugum valide tunc potest Religionem profiteri, nisi primo in casu perpetui divortii ; secundo, si uterque conjux Religionem ingrediatur ; tertio, si alter conjux in sæculo manens senex sit, et continentiæ votum emittat, modo insuper Episcopi consensus accedat.

De impedimento cognationis.

Cognatio triplex distinguitur, naturalis, legalis, et spiritualis.

Cognatio naturalis.

Cognatio naturalis, sive consanguinitas, definitur : Vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.

In consanguinitate varii sunt gradus, qui ita computantur. Filius dicitur distare a patre uno gradu, nepos duobus gradibus, pronepos tribus, et ita deinceps : et illi omnes dicuntur esse in linea recta consanguinitatis : in linea vero collaterali, si Petrus, et Paulus, v. g., sint ambo pronepotes Joannis, eodem gradu, nempe tertio, a se distabunt, quo distant a communi stipite Joanne ; et hæc linea vocatur collateralis æqualis : si vero Petrus sit nepos Joannis, cujus Paulus est pronepos, tunc Petrus, et Paulus eodem gradu a se distabunt, quo remotior, nempe Paulus a Joanne communi stipite distat : unde tunc numerus graduum sumitur a remotiori, non vero a proximiori ; hujusque rei hæc datur ratio, quoniam scilicet alias minus Paulus distaret a Petro, quam a Joanne, quod non videtur dicendum.

Jure Romanorum civili fratrum, et sororum filii matrimonio jungebantur, quod jus apud ipsos etiam Christianos aliquando locum habuit ; siquidem filiæ Constantini Magni cognatos suos matrimonio duxerunt.

In Ecclesia Catholica cognationis impedimentum ad septimum usque gradum olim extendebatur, ut apparet ex D. Greg. epist. 31, ex S. Isidoro, et aliis : nunc ad quartum gradum tantum extenditur, ut docet concilium Tridentinum sess. 24. cap. 5.

Cognatio legalis.

Cognatio legalis est propinquitas personarum consurgens ex adoptione. Est autem adoptio legitima assumptio extraneæ personæ in filium, nepotem, etc. vel in filiam, neptem, etc.

Ut aliquis possit adoptare, primo debet esse masculus ; nam fœmina saltem absque privilegio non potest adoptare ; secundo debet esse sui juris ; tertio non debet esse a natura impotens ; quarto debet adoptatum decem et octo annis excedere, ut nempe pater illius carnalis esse possit ; quinto, ut sit major viginti quinque annis.

Cognatio legalis contrahitur primo inter adoptantem et adoptatum atque adoptati descendentes usque ad quartum gradum ; secundo inter uxorem adoptantis et adoptatum, et inter uxorem adoptati et adoptantem. Tertio inter filios carnales adoptantis et adoptatum. Cognatio legalis impedit

quominus prædictæ personæ valide possint inter se nubere ; est enim impedimentum dirimens, quod etiam post solutam adoptionem adoptione manet, excepto tertio casu nam soluta adoptatus cum adoptantis filia valide matri monium contrahit.

Cognatio spiritualis.

Cognatio spiritualis est propinquitas consurgens propter collationem Baptismi aut Confirmationis, et propter susceptionem recipientis hæc Sacramenta.

Hæc cognatio contrahitur inter suscipientes et baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum, ut docet concil. Trid. sess. 24. cap. 2.

Contrahitur præterea ex Confirmatione inter confirmatum, illius patrem et matrem, ac patrinam, aut matrinam, ut docet ibidem idem Concil.

Porro cognatio hæc spiritualis matrimonium etiam dirimit : hinc jubet concilium Trid., ut Parochi illud diligenter doceant, ne aliquis ignorans invalidum Matrimonium contrahat.

De impedimento criminis.

Duplex est crimen impedimentum dirimens inducens, crimen homicidii, et crimen adulterii.

Ut homicidium sit impedimentum dirimens tria requiruntur : primum ut ambo contrahentes conspiraverint in occisionem conjugis occisi ; secundo, ut idcirco in illius mortem conspiraverint, ut mortuo conjuge possint inter se contrahere ; tertio, ut mors conjugis sequatur.

Adulterium tripliciter potest esse impedimentum dirimens.

Primo quando aliquis occidit conjugem cum intentione contrahendi cum illa, aut cum illo, quocum commisit adulterium, licet ille, aut illa quacum adulterium commisit, illius occisionis non sit conscia ; et in hoc differt secundum hoc crimen a primo : vocatur autem hoc secundum crimen adulterium cum homicidio.

Secundo quando aliquis committit adulterium cum aliqua, cum qua deinde, vivente adhuc uxore, contrahit matrimonium, modo tamen ambo contrahentes sciverint se adulterium novisse ; nam alioqui conjux, quæ id ignorasset, mortua priori conjuge poterit agere ad matrimonium secum contrahendum.

Tertio quando aliquis committit adulterium cum muliere, cui promittit se mortuo illius viro in uxorem ducturum ; neque requiritur ut promissio illa sit mutua, sufficit enim quod ab altera parte acceptetur ; neque etiam refert, an promissio illa facta fuerit ante, vel post adulterium. Requiritur autem ut promissio facta ante adulterium, ante idem matrimonium non retractetur ; si enim ante adulterium retractaretur promissio, adulterium promissioni non conjungeretur ; quod tamen necessarium est, ut impedimentum inducatur.

Est ergo quadruplex crimen, quod matrimonium dirimit. Primum occisio uxoris, in quam ambo contrahentes eo animo conspirarunt, ut inter se nubere possent. Secundum est adulterium cum homicidio, etiam ab altera tantum parte perpetrato. Tertium est adulterium cum matrimonio, vivente priori uxore contracto. Quartum est adulterium cum promissione Matrimonii facta vivente priori conjuge.

De impedimento disparitatis cultus.

Cultus disparitas matrimonium dirimens reperitur tantum inter fidelem et infidelem, sive baptizatum, et non baptizatum ; non vero inter fidelem et hæreticum, aut apostatam, aut excommunicatum; quamvis grave crimen committatur, cum quis Catholicus hæreticam ducit : tum propter Ecclesiæ prohibitionem, tum propter periculum perversionis ; posset tamen ob graves causas ejusmodi matrimonium licite contrahi.

Quando baptizatus non baptizatam ducit, aut non baptizatus baptizatam, nullum est matrimonium, idque propter praxim in Ecclesia universaliter receptam, atque communem Doctorum sententiam, potius quam propter aliquem canonem ejusmodi Matrimonia irritantem. Hæc Ecclesiæ praxis post divi Augustini tempora videtur paulatim invaluisse : tum quia infidelitas magis in dies profligaretur ; tum quia infideles restantes per conjunctionem restantem non amplius convertebantur.

Notandum autem, quod prædictum Matrimonium inter fidelem et infidelem contractum, invalidum et nullum maneat, etiamsi conjux infidelis fidem postea profiteatur ;

quod enim ab initio nullum fuit, manet semper nullum et invalidum ; unde postquam conjux infidelis ad fidem est conversus, Matrimonium de novo contrahi debet.

Quod spectat ad Matrimonium quod infideles inter se contrahunt, certum est illud esse validum ; quædam tamen difficultates circa illud solent excitari.

Prima est, an liceat conjugi ad fidem converso conjugem in infidelitate remanentem dimittere ? Aliqui negant id licere quando infidelis cum fideli pacifice habitat : urgentque illud Apostoli I. Corinth. VII : *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Volunt enim hisce Apostoli verbis præceptum contineri de non dimittenda uxore infideli pacifice cohabitante. Verius tamen alii cum D. Augustino et aliis antiquis Apostoli verba explicant non de præcepto, sed de consilio uxorem pacificam non dimittendi, ut appareret ex integra prædicti contextus lectione, quæ sic se habet : *Nam cæteris ego dico, non Dominus : Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.*

Quem Apostoli locum explicans D. Augustinus lib. 1. *de adulter. Conjug.* cap. 18. sic loquitur : « Quoniam ab infideli fidelem discedere nec prohibet, nec jubet Dominus, ideo ut non discedat, Apostolus dicit, non Dominus, habens utique Spiritum sanctum, in quo dare possit utile et fidele conjugium. Verumtamen aliud est Domini jubentis imperium, aliud conservi secundum misericordiam, quæ illi a Domino est inspirata, atque donata, fidele consilium. Aliud ibi facere non licet, hic autem licet.... Tunc autem non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum salutis; sicut est discessio fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet Dominus præcepto legis, quia coram illo injusta non est : sed prohibet Apostolus consilio caritatis, quia infidelibus affert impedimentum salutis. »

Non ergo præcepit Apostolus, sed consulit tantum, ut fidelis infidelem pacificam non dimittat ; expedit enim, ut cum illa manens ad salutem conetur illam pertrahere : cum vero refrigescente fidelium caritate majus esset periculum ne perverteretur fidelis, quam spes infidelem convertendi, prohibitum fuit in concilio Toletano quarto circa annum 630, ne Judæi ad fidem conversi manerent cum uxoribus, quæ post datum sibi tempus fidem nollent amplecti. Id quod postmodum ad infideles omnes ex generali Ecclesiæ consuetudine extensum est.

Secunda difficultas est, an fideli liceat relicta infideli conjuge aliam conjugem fidelem ducere ? Respondeo id licere quando conjux infidelis cum fideli aut nullo modo, aut non nisi cum contumelia Creatoris habitare consentit. Id docet Innocentius III. ad Ferrariensem episcopum scribens, his verbis : « Si alter conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit ; et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus : Si infidelis discedit, discedat ; frater enim, vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi ; et canonem etiam, in quo dicitur contumelia Creatoris, solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur. » Si vero conjux infidelis non renuat pacifice cum fideli habitare, tunc licebit quidem fideli infidelem dimittere ; at quamdiu conjux infidelis vivet, fidelis non poterit ad secundas nuptias transvolare, ut satis colligitur ex prædictis verbis Innocentii III. « Et in hoc casu, » etc. quæ omnem alium casum videntur excludere : quod etiam manifestius colligitur ex alia ejusdem Innocentii epistola scripta ad Tiberiadis episcopum.

Tertia difficultas est, quando prædictum matrimonium dissolvatur ? Alii dicunt illud solvi quando infidelis est in Christum contumeliosus ; alii quando infidelis a fideli dimittitur : alii melius respondent, tunc matrimonium dissolvi, quando fidelis novum matrimonium contrahit, id enim obscure docet Innocentius III. in epistola *ad Episcopum Tiberiadensem*, ibi : « Quod si conversum ad fidem et illa conversa sequatur, antequam legitimam ille ducat uxorem eam recipere compelletur. » Ergo manet prius conjugium quamdiu fidelis conjux aliam fidelem non duxit.

De impedimento vis.

Matrimonium non fit nisi per mutuum consensum, eumque voluntarium : ne autem consensus voluntarius sit, vis impedit. Est vero vis duplex ; nam alia vis est quæ consensum omnino aufert, quando nempe ali-

quis coactus exterius quidem consentit, aut potius consentire fingit ; interius vero dissentit : et tunc cum nullus sit verus consensus, patet nullum esse Matrimonium.

Est et alia vis, quæ metum incutiendo efficit, ut aliquis consentiat, qui seposito illo metu nunquam consentiret : estque prædictus metus rursus duplex ; nam alius in virum constantem dicitur cadere, alius in virum non constantem.

Metus cadens in virum constantem is dicitur, quo fit ut ad majus malum evitandum minus eligatur ; ut si aliquis malit consentire in matrimonium, quam mori, graviter mutilari, etc. Quando autem aliquis consentit metuens, ne aliquot nummos, aut pallium, v. g., amittat, ne e gratia domini sui excedat, tunc metus ille dicitur cadere in virum inconstantem et imbecillem. Ut autem cognoscatur quis metus in virum constantem cadat, quis non cadat, ad virum prudentem, et maxime ad Episcopum erit recurrendum.

Hoc posito docent communiter Doctores, solum metum gravem injuste illatum, ad hoc ut matrimonium fiat, reddere Matrimonium irritum.

Ex quo colligitur primo, metum levem, sive in virum inconstantem cadentem, non irritare Matrimonium. Secundo neque etiam metum gravem irritare Matrimonium, si juste inferatur, ut si quis metu mortis eam ducere cogatur, quam se ducturum ante juraverat. Tertio, neque etiam Matrimonium irritari, si metus non inferatur ad hoc ut Matrimonium fiat. Unde validum est Matrimonium, quod aliquis morte condemnatus cum meretrice contrahit, ut mortis supplicium possit devitare.

De impedimento Ordinis.

Ordines majores dirimunt Matrimonium subsequens, non vero Matrimonium ante contractum : imo si aliquis invita et reclamante uxore Ordines susciperet, teneretur uxori petenti debitum reddere, verum nullam Ordinis sui functionem posset exercere : hoc enim ipso, quod Ordines absque uxoris consensu suscipit, incurrit irregularitatem, ut patet ex extravaganti *Antiquæ*, de voto.

De impedimento ligaminis.

Ligamen est vinculum prioris Matrimonii, quo durante posterius Matrimonium est invalidum.

De hoc impedimento ita loquitur Clemens III. ad Cæsaraugustensem episcopum : « Consultationi tuæ taliter respondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonice convolare, donec certum nuncium recipiant de morte virorum. » Idem docet Lucius III. ad Christianos Saracenorum captivos scribens, addito insuper : « Quod si aliquis, vel aliqua ad secundas nuptias migrare præsumpserit de morte prioris conjugis adhuc dubitans, ei quæ sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur. »

De impedimento honestatis.

Impedimentum publicæ honestatis Matrimonium dirimens oritur primo ex sponsalibus validis et certis ; secundo ex Matrimonio rato, non consummato, cum hoc tamen discrimine. Primo, quod honestas orta ex sponsalibus ad primum tantum ; orta autem ex Matrimonio rato, ad quartum gradum se extendat ; secundo, quod impedimentum honestatis non oriatur nisi ex sponsalibus validis, oriatur vero ex matrimonio etiam invalido, puta clandestino : non oriretur tamen si Matrimonium esset invalidum ratione consensus.

De impedimento amentiæ.

Cum furia, sive amentia usum rationis tollat, qui ad consensum matrimonialem necessario requiritur, certum est illum qui perpetua amentia laborat, non posse Matrimonium contrahere : si tamen Matrimonium ante amentiam contractum fuerit, per amentiam subsequentem non dissolvetur. Sic intelligi debet quod habetur apud Gratianum 32. quæst. 7. ibi : « Neque furiosus, neque furiosa Matrimonium contrahere possunt ; sed si contractum fuerit, non separentur. »

Quod si furia non sit perpetua et continua, poterit amens cum ratione utetur Matrimonium contrahere ; ejusmodi tamen Matrimonia debent dissuaderi, quoniam amentes et furiosi inepti sunt ad prolem educandam.

De impedimento affinitatis.

Affinitas est propinquitas orta ex carnali copula aut licita, aut illicita. Si verbi gratia Titius conjungatur Berthæ, tunc Titius erit affinis consanguineis Berthæ, et Bertha consanguineis Titii : idque in eodem prorsus gradu, in quod consanguinei Titii sunt ad ipsum Titium ; eadem enim ratione numerari debent gradus in affinitate, atque in consanguinitate.

Advertendam autem est, quod per ejusmodi copulam carnalem contrahatur affinitas inter eos qui sic conjunguntur, et inter alterius consanguineos ; non vero inter consanguineos unius, et consanguineos alterius : unde duo fratres possent duas sorores valide ducere.

Affinitas quæ provenit ex copula licita, ex actu nempe matrimoniali, Matrimonium dirimit usque ad quartum gradum : quæ vero provenit ex copula illicita, usque ad secundum gradum, ut definit Concil. Trid. sess. 24. cap. 4.

Quod si aliquis post contractum et consummatum Matrimonium affinitatem cum conjuge contrahat, cognoscendo, v. g., illius sororem, tunc conjux incestus illius reus privatur jure petendi debitum ; quod tamen alteri petenti tenetur reddere.

De impedimento Matrimonii clandestini.

Matrimonium clandestinum proprie dicitur, quod clam, et secluso omni teste contrahitur. Verum apud Catholicos illud etiam matrimonium clandestinum habetur, quod aliter quam coram Ecclesiæ ministro, et quibusdam testibus contrahitur.

Matrimonium clandestinum ante concilium Tridentinum validum erat, et etiamnum validum est in illis locis, in quibus concilium Tridentinum aut non est promulgatum, aut non est acceptatum, quantum ad hoc decretum ; lex enim nisi promulgata fuerit et acceptata non obligat.

Cum autem leges non cadant absolute super personas, sed super personas existentes in loco ubi leges receptæ sunt ; sequitur primo, quod incola unius loci, in quo promulgatum, et acceptatum fuit concilium Tridentinum, possit valide contrahere absque Parochi præsentia, si existat in Græcia, v. g., ubi non promulgatum fuit Tridentinum. Sequitur secundo, Græcum non posse valide contrahere absque præsentia Parochi in ea provincia, in qua receptum est Tridentinum.

Licet vero matrimonia clandestina ante concilium Tridentinum Ecclesia non annullaverit ; illa tamen ex juxtissimis causis semper detestata est, atque prohibuit : cumque prohibitiones illæ propter hominum inobedientiam non prodessent, et plerique priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contraherent, et cum ea in perpetuo adulterio viverent ; idcirco prædicta matrimonia irritavit sancta synodus Tridentina hisce verbis : « Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit prout eos præsenti decreto irritos facit, et annullat. » Ita Synodus Trident. sess. 24. cap. 1.

Ac ut prædictis Matrimonii malis efficacius remedium adhiberet synodus Tridentina, « Sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur inter quos Matrimonium sit contrahendum : quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.... Quod si aliquando probabile fuerit, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes ; tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, et duobus testibus præsentibus Matrimonium celebretur : deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur. Quod illius prudentiæ et judicio sancta Synodus relinquit. » Ita concil. Trident. loco jam citato.

Cernis quam circumspecte præcipiat concilium, ut denunciationes matrimonii celebrationi, aut saltem consummationi præmittantur : quare non immerito docent theologi, illum peccati mortalis reum esse, non solum qui omissis illis denunciationibus ma-

trimonium contrahit, sed etiam qui contractum consummat : addentes non posse Episcopum ab ejusmodi denunciationibus dispensare, si nulla subsit ejus dispensationis causa.

De impedimento impotentiæ.

Impotentia alia provenit ex ætatis imbecillitate, alia ex naturali frigiditate, alia ex maleficio : rursus alia perpetua est, alia non perpetua, sed temporaria tantum : tandem alia respectiva dicitur, alia absoluta.

Impotentia coeundi si perpetua sit, matrimonium dirimit : quo dissoluto, conjux, quæ impotens non est, ad alias nuptias poterit transvolare ; conjux vero impotens, si impotentia absoluta laboret, Matrimonium non poterit de novo contrahere : si vero respective tantum impotens sit, poterit cum illa contrahere, respectu cujus non erit impotens.

Quando dixi impotentiam perpetuam Matrimonium dirimere, illud intelligendum est de impotentia quæ Matrimonium præcessit ; nam illa quæ Matrimonio etiam tantum rato, et nodum consummato superveniret, Matrimonium non annularet, quia quod semel validum fuit, dirimi nequaquam potest.

Porro ut cognoscatur, an impotentia perpetua sit, an temporaria tantum, interrogandi sunt primum conjuges, et præmisso juramento eorum responsiones in scripta redigendæ : deinde seorsim vocandi conjugum propinqui, ut quod hac super re sciverint, deponant : tum si necesse est, procedendum ad sexuum inspectionem, mulieris quidem per obstetrices juramento adactas ; viri autem per medicos et chirurgos, similiter juratos. Quo facto, si nihil adhuc certi cognoscatur, Jure Romano et Pontificio determinatur triennii tempus (in quibusdam autem Galliæ locis dies unus, in aliis menses tres statuuntur), quo tempore poterit quilibet conjux alterum cum plena libertate adire, ut experiantur an coire possint. Hoc autem tempore elapso, si cognoscatur alterutrius impotentiam esse perpetuam, dissolvetur Matrimonium : si vero vir neget se esse impotentem, reclamante muliere, non dissolvetur matrimonium, nisi mulier se adhuc virginem probet, aut alia ratione viri sui impotentiam possit manifestare.

Difficultas autem esse potest, an impotentia ex maleficio proveniens judicanda sit perpetua? Ad quam respondendum, illam perpetuam haberi debere, si per solum maleficium possit tolli ; ut enim fert Jurisprudentiæ axioma, illud non possumus, quod jure non possumus : illud autem jure non possumus, quod non possumus absque peccato.

Quæri potest præterea, an eunuchus qui vas fœmineum ingredi potest, possit valide Matrimonium contrahere? Respondeo illos invalide contrahere, quia tunc tantum conjuges una caro efficiuntur, quando vir intra vas mulieris semen immittit. Illud autem declaravit Sixtus V. anno 1587.

Quæritur insuper, an mulier sterilis habenda sit impotens?

Respondeo eam non haberi impotentem ; docent enim exempla Saræ, Rebeccæ, Annæ, et aliarum, verum Matrimonium a sterilibus mulieribus posse contrahi : unde mulier, quantumvis vetula, si non sit arcta, poterit valide contrahere; secus tamen dicendum est de sene omnino decrepito, quem constat omnino esse inhabilem ad copulam ; nam in illo esset impotentia perpetua.

Supersunt ea enodanda, quæ ad hermaphroditum spectant, in quo si alter sexus prævaleat, poterit secundum illum sexum Matrimonium inire ; si vero neuter sexus prævaleat, poterit eligere quem maluerit, et secundum illum Matrimonium inire, cui non intererit Parochus antequam hermaphroditus coram Judice Ecclesiastico jurando promiserit se sexum non mutaturum. Si tamen mortuo priori conjuge secundum alium sexum Matrimonium iniret, valide contraheret, non obstante juramento de non varianda sexus electione coram Judice ecclesiastico præstito.

De impedimento raptus.

De raptu ita loquitur concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6 : « Decernit sancta Synodus inter raptorem, quamdiu ipsa in raptoris potestate manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat : et nihilominus raptor ipse, ac omnes consilium, auxilium et favorem illi præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; et si cle-

rici fuerint, de proprio gradu excidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. »

Quæres de quo raptore loquatur Concilium ? Respondeo concilium de illo loqui, qui mulierem etiam a se desponsatam per vim abducit aut ad libidinem, aut ad Matrimonium ; non vero de illo qui mulierem consentientem, invitis licet parentibus, abduceret.

De impedimentis non dirimentibus.

Impedimenta non dirimentia sunt primo Ecclesiæ vetitum; prohibet enim Ecclesia, ne certo anni tempore, nempe a prima die Adventus ad diem Epiphaniæ, et a die Cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive matrimonium contrahatur.

Secundo catechismus, sive instructio fidei, quæ fit solemniter ante januam Ecclesiæ super baptizando, vel jam baptizato, ex qua tenens puerum contrahit cognationem spiritualem imperfectam. Verum hoc impedimentum a multis dicitur per concilium Tridentinum sublatum fuisse.

Tertio sponsalia, quando nempe aliquis sponsalia prius cum alia contraxit ; hæc enim sponsalia impediunt ne cum alia contrahat.

Quarto crimina, quæ sunt primo incestus cum consanguinea conjugis, aut fornicatio habita cum matre aut filia ; secundo raptus alienæ sponsæ ; tertio occisio uxoris ; quarto susceptio propriæ sobolis in Baptismo, aut in Confirmatione eo fine, ut debitum non posset reddere. Quinto occisio Presbyteri ; sexto publica pœnitentia, quamdiu illa durat ; septimo conjugium cum moniali scienter contractum. Sed hæc omnia impedimenta in usu esse desierunt, cum qui illis irretiti sunt, sine ulla dispensatione videntibus Prælatis quotidie contrahant.

Quinto votum simplex castitatis, de quo egimus cum explicabamus votum solemne.

SPECULATIO II.

Quæritur quænam ex prædictis impedimentis sint de jure naturali, quænam de jure positivo.

Primo cum Matrimonium contrahi non possit sine consensu, consensus autem sine rationis usu neutiquam esse possit, patet amentiam esse impedimentum ex jure naturæ Matrimonium dirimens : patet etiam, infantes ante usum rationis eodem jure non posse contrahere.

Secundo, cum ille qui Matrimonium contrahit, in certum quamdam personam consentiat, patet illius consensum nullum esse, si alia supponatur persona : non aliter atque emptio auri nulla et invalida futura esset, si pro auro substitueretur aurichalcum ; sicque constat errorem circa personam ex jure quoque naturale Matrimonium dirimere.

Tertio, cum Matrimonium sit ex natura sua indissolubile, illius autem indissolubilitati repugnet metus viro constanti injuste incussus, quatenus qui ejusmodi metum passus est, potest justissime queri de consensu extorto, atque postulare ut in pristinam libertatem restituatur ; idcirco impedimentum vis ex jure quoque naturæ videtur emanare.

Quarto, cum ad substantiam Matrimonii pertineat, ut mutuo vir et mulier dent et accipiant corporum potestatem; ejusmodi verò potestatem tradere non possint qui perpetua laborant impotentia, certum est impotentiam naturæ jure matrimonium dirimere.

Quinto, quoniam ille corporis sui potestatem conjugi tradere non potest, qui corporis sui potestatem amplius non habet, evidens est, ligamen esse impedimentum dirimens ex jure naturæ.

Sexto, quoniam qui votum solemne emittit, non solum corpus suum, sive corporis dominium Deo promittit, sed etiam acceptante Ecclesia actu tradit; idcirco qui votum solemne emiserunt, non possunt ex jure naturæ, ut probabilior fert opinio, post ejusmodi votum valide contrahere. Idem dic de Ordinibus, non quidem quatenus Ordines sunt, sed quatenus votum solemne includunt.

Septimo, propter quamdam indecentiam et turpitudinem fit, ut etiam ex jure naturali nullum sit Matrimonium inter consanguineos contractum, saltem in primo gradu lineæ, tum rectæ, tum transversæ, id est inter parentes et filios, idque in perpetuum, et inter fratres et sorores. Propter eamdem indecentiam irritum similiter est Matrimonium cum affinibus, saltem in primo gradu lineæ rectæ. Dixi *saltem*, quia non de-

sunt qui censent, et quidem satis probabiliter, Matrimonium item jure naturæ nullum esse, quod inter se contraherent privignus et noverca, vitricus et privigna ; ac proinde etiam gener et socrus, socer et nurus.

Cætera autem omnia impedimenta, quæ hic non recensuimus, non ex aliquo naturæ jure, sed ex jure Ecclesiastico profluunt : quare restat ostendendum, Ecclesiam potuisse ejusmodi impedimenta Matrimonio apponere.

SPECULATIO III.

Ostenditur Ecclesiam potuisse quædam impedimenta Matrimonio apponere, a quibus proinde poterit etiam contrahentes dispensare.

Ecclesiam posse impedimenta Matrimonii constituere, probatur primo ex eo, quod Matrimonium non solum Sacramentum sit, sed etiam contractus : quare cum Ecclesia possit apponere conditiones, quibus non servatis, contractus sit irritus, poterit etiam Matrimonio impedimenta apponere.

Probatur secundo, quia Præfecti Ecclesiæ sunt Dei ministri, ac proinde potestatem habent condendi leges ad Ecclesiæ gubernationem pertinentes : tales sunt leges de Matrimonio aut impediendo, aut irritando ; cum per prædictas leges pleraque mala evitentur, cæteroquin vix ac ne vix quidem evitanda, ut apparet ex concilio Tridentino sess. 24. cap. 1, quapropter eas leges Ecclesia potuit procul dubio constituere.

Probatur tertio ex concilio Tridentino, in quo anathema dicitur illi, qui dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis erasse. Ita sess. 24. can. 4.

Cum Ecclesia possit quædam Matrimonii impedimenta constituere, dubium non est quod etiam in illis possit dispensare ; cum enim prædictæ leges sint mere positivæ, ex jure naturali nequaquam emanantes, patet penes illum esse prædictas leges irritare, aut ab illis dispensare, penes quem fuit illarum condendarum potestas.

Circa prædicta impedimenta dispensare ad solum Papam regulariter pertinet : quando tamen Ordinarii ex omni memoria in quibusdam impedimentis dispensandi jus semper conservarunt, in eisdem impedimentis licite et valide possunt dispensare : qui vero jus illud non servarunt, non possunt dispensare, nisi forte Matrimonium jam sit bona fide contractum, neque adiri possit prima Sedes ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam, aliasve similes causas.

Una solum superest difficultas, an scilicet Principes sæculares possint impedimenta dirimentia circa Matrimonium constituere ? Affirmant communiter Doctores, et merito quidem ; ad reges enim, aliosve principes sæculares pertinet leges quasdam statuere, secundum quas contractus fieri debeant, et quibus non servatis, contractus secus initi nulli sint.

Addunt tamen plerique Doctores moderni, hanc circa matrimonium potestatem principibus sæcularibus ab Ecclesia fuisse ademptam : verum alii affirmant, prædictum jus regibus, aliisve principibus nunquam fuisse ademptum, cujusce rei qui pleniorem notitiam volet adipisci, consulat librum *de Regia in Matrimonium potestate*, in quo quæcumque ad præsentem quæstionem spectant, fuse pertractantur.

FINIS.

INDEX

DISSERTATIONUM, CAPITUM, SPECULATIONUM ET REFLEXIONUM

QUÆ IN HOC QUARTO TOMO CONTINENTUR.

LIBRI UNDECIMI

DE DEO SALVATORE.

PARS SECUNDA

De divinissimo Eucharistiæ Sacramento.

Præloquium pag. 1

Ubi de variis agitur Eucharistiæ nominibus *ibid.*

DISSERTATIO I.

REALIS CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI IN EUCHARISTIA PRÆSENTIA, NECNON PANIS ET VINI IN CORPUS ET SANGUINEM EJUSDEM TRANSSUBSTANTIATIO ADVERSUM NOSTRATES HÆRETICOS PROPUGNANTUR.

Caput I. Vera, realis, et substantialis corporis et sanguinis Christi in Eucharistia præsentia omni argumentorum illorum genere stabilitur, quibus certissima fidei dogmata, et apud ipsos hæreticos indubitata demonstrari solent. 6

Specul. I. Christus Dominus nobis corpus suum in cibum, et sanguinem suum in potum realiter daturum promisit. Promissionem vero illam in institutione Eucharistiæ implevit. Ergo Christum realiter in Eucharistia possidemus. *ibid.*

Promissa sua Christus in institutione Eucharistiæ implevit. 10

Calvinistarum cavilli eliduntur. 12

Reflexio, et apostrophe ad Calvinistas. 18

Specul. II. Realis corporis et sanguinis Christi in Eucharistia præsentiæ fidem a Christo acceperunt Apostoli, ab Apostolis sancti Patres, et sacra Concilia acceptam servaverunt, atque in nos perenni traditione corrivarunt. 19

Sanctus Paulus. 20

Liturgiæ Apostolorum, et acta Sancti Andreæ. 21

Sanctus Dionysius. 22

Sanctus Martyr Ignatius. *ibid.*

Sanctus Justinus. 23

Sanctus Irenæus. 24

Tertullianus. 25

S. Cyprianus, necnon Auctor libri de operibus Cardinalibus Christi. 26

Sanctus Hilarius Pictaviensis. 27

S. Cyrillus Jerosolymitanus, Optatus Milevitanus, S. Basillius, S. Gregorius Theologus, S. Ephrem Syrus, S. Epiphanius. 28

Sanctus Gregorius Nyssenus. 29
Sanctus Ambrosius. 30
Sanctus Joannes Chrysostomus. 32
Sanctus Hieronymus. 33
Sanctus Augustinus. 34
Alii Patres, Cyrillus Alexandrinus, Leo Magnus, Gregorius Magnus, Joannes Damascenus. 38
Sacra Concilia eidem veritati suffragata sunt. 39
Ponderantur Patrum auctoritates, et objectiones occupantur. 40
Petita ab humana Philosophia hæreticorum Sophismata convelluntur. 47
Demonstrationem e Patribus petitam confirmat longe præclarissimum septimæ Synodi Generalis testimonium 49
Reflexio, et Apostrophe ad nostrates hæreticos. 50
Specul. III. Unanimis Ecclesiarum omnium Christianarum consensio ante ortos Calvinianos realem Christi corporis in Eucharistia præsentiam confitebatur, quæ proinde non potest non esse dogma catholicum. Inflexibilis Ministri Claudii in mentiendo pertinacia repræsentatur. 51
Ejusdem demonstrationis prior confirmatio. 53
Posterior ejusdem demonstrationis confirmatio, *ibid.*
Ministri Claudii mendacia ob oculos posita. 55
Ministerii Claudii imposturæ sub sensum cadentis utilitas a Deo provisa. 59
Vis demonstrationis instaurata. 61
Postrema perpetuitatis convictio a novissimis totius Orientis Christianis testimoniis omni exceptione majoribus 62
Unica ad salutem, una ad honorem recuperandum via Ministro Claudio superest, si publicos errores publice recantet. 65
Reflexio, et apostrophe ad Calvinistas. 67
Caput II. Vera transsubstantiatio adversus Lutheranos stabilitur. 69
Specul. I. Divinæ Eucharistiæ hostes et hostilitates ordine recensentur. 70
Reflexio. 77
Specul. II. Substantia panis panis et vini in corpus et sanguinem Christi Domini secundum se totam convertitur, unde et vera datur transsubstantiatio. 78
Reflexio. 83
Specul. III. Inter solvenda argumenta a ratione petita, Catholica transsubstantiationis doctrina magis magisque explicatur 84
Quæres, quænam actio sit transsubstantiatio Eucharistica? 90
Corollaria derivata. 93
Reflexio. 94

DISSERTATIO II.

DE EXISTENTIA ET ESSENTIA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ, NECNON MATERIA, ET FORMA ILLIUS.

Caput I. De existentia et essentia sacramenti Eucharistiæ, ubi de necessitate, unitate, et institutione illius. 95
Specul. I. Eucharistiæ Sacramentum a Christo Domino institutum est luna decimaquarta primi mensis, illud subinde in azymo conficiens quod Sacramentum omnibus est necessarium necessitate medii, sin re, certe voto suscepti. *ibid.*
Necessitas Eucharistiæ. 99
Solvuntur objectiones. Mens sancti Augustini circa Communionem parvulorum accurate indagatur et exponitur. 101
Reflexio. 106
Specul. II. Eucharistia est sacramentum corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini realiter contentum, ad spiritalem animæ refectionem institutum: quod licet duplici elemento, pane scilicet et vino constet, non plura tamen, sed unicum est sacramentum. 108
Unitas sacramenti Eucharistiæ. 111
Reflexio. 112
Specul. III. Momentosa de permanentia et adoratione Eucharistiæ corollaria derivantur. 113
COROLLARIUM ALTERUM. De adoratione Eucharistiæ. 117
Reflexio. 122
Caput II. De materia et forma sacramenti Eucharistiæ, atque de modo quo Christus in Eucharistia existit. 124
Specul. I. Panis et vinum vera sunt et sola sacramenti Eucharistiæ materia. *ibid.*
Observanda circa materiam Eucharistiæ scitu necessaria. Et primum, quis et qualis panis? 126
Panis Eucharistiæ quomodo coagmentatur? Præclara Ordinis S. Benedicti cautela. Figura hostiæ. *ibid.*

Convenientiæ panis azymi. Schismaticorum, et hæreticorum calumniæ elisæ. 127
Materia calicis consecrandi vinum, et quale. 130
Vino aqua permiscenda, quo jure, et quanta? *ibid.*
Quæres 1. quid fiat de aqua vino infusa post consecrationem, et in quid evadat, aut transmutetur? 133
Fit satis objectis. 135
Quæres secundo: utrum una species possit sine altera consecrari in extremæ saltem necessitatis articulo, et accedente summi Pontificis dispensatione. 136
Quæres tertio, utrum ad materiam hujus sacramenti determinata panis et vini præsentia, determinata etiam quantitas desiderentur. 138
Reflexio. 140
Specul. II. Legitima et essentialis sacramenti Eucharistiæ forma his verbis continentur: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus;* vel quod idem est, Hic est calix sanguinis mei. 142
Quæres, utrum sola verba adducta sint essentialia et necessaria, ut corpus Christi conficiatur; num vero illa etiam pro consecratione panis, *Qui pridie quam pateretur*, etc. vel ista, *Quod pro vobis tradetur*, desiderentur? 147
Quæres 2°. An verba illa quæ inter consecrandum calicem proferuntur, sint de essentia formæ, nimirum *novi et æterni Testamenti; mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum?*
Mens D. Thomæ ob oculos posita, et ejus rationis efficacitas. 153
Reflexio. 158
Specul. III. Modus, quo Christus in Eucharistia existit, paucis quæsitis exponitur. 160
Quæres 1° quid vi verborum, quid concomitanter sub utraque specie contineatur? *ibid.*
Quæres 2°. Utrum Pater, et Filius per concomitantiam in Eucharistia præsentes speciali aliqua ratione sint? 161
Quæres 3°. Quomodo Christus sub speciebus existat? 162
Quæres 4°. An corpus Christi per se, vel per accidens hoc in Sacramento moveri possit? 163
Quæres 5°. Utrum corpus Christi in hoc sacramento realiter existens ab oculo corporeo saltem glorioso et divinitus videri possit? 165
Reflexio. 167

DISSERTATIO III.

DE CAUSIS ET EFFECTIBUS EUCHARISTIÆ.

Caput I. 168
Specul. I. Specialia divinæ Eucharistiæ motiva expenduntur. *ibid.*
Reflexio. 170
Specul. II. In Eucharistia efficienda adeo potentia, sapientia, et dilectio Dei eminent, ut dicere ausim, quod cum Deus sit omnipotens, plus dare non potuit; cum sit sapientissimus, plus dare nescivit; cum sit ditissimus, plus dare non habuit. 171
Eucharistia divinæ omnipotentiæ non plus ultra, seu ultima meta. 172
Eucharistia divina adinventionum sapientiæ ultimus conatus. 173
Eucharistia divini amoris effusionum coronis. 175
Reflexio. 178
Specul. III. Minister Eucharistiæ conficiendæ solus est Sacerdos proprie dictus, ad quem etiam eam dispensare jure divino pertinet, quamvis illam Diaconi potestate delegata ministrare queant. 179
Minister dispensandæ Eucharistiæ. 184
Nonnulla, quæ circa Eucharistiæ consecrationem, et dispensationem observentur scitu digna. 187
Reflexio. 188
Caput II. Eucharistiæ utilitates et fructus immensi perstringuntur. 192
Specul. I. Varii Eucharistiæ effectus ordine recensentur. *ibid.*
Primus Eucharistiæ effectus: Gratiæ et vitæ spiritalis augmentum. *ibid.*
Secundus Eucharistiæ effectus: Specialior cum Christo unio. Tertius: Unio fidelium inter se. 194
Quartus Eucharistiæ effectus: Pinguedo spiritus, seu victrix gratiæ delectatio. 195
Quintus Eucharistiæ effectus: spiritalis vigor quo tentationibus obsistimus, et

a peccati mortiferi veneno præservamur. 196
Sextus Eucharistiæ effectus : Venialium remissio peccatorum. 197
Septimus Eucharistiæ effectus : Remissio pœnæ vel penitus, vel partim, pro modo et ratione fervoris suscipientis condonatæ. 198
Octavus Eucharistiæ effectus : Cordis castimonia in appetitum diffusa. 199
Nonus Eucharistiæ effectus : Semen immortalitatis et beatæ resurrectionis in corpus derivatum. 201
Decimus Eucharistiæ religiose frequentatæ effectus : Perseverantia finalis, cui æterna felicitas succedit. 204
Reflexio. 207
Specul. II. Variæ circa Eucharistiæ dubitationes appendices resolvuntur. 209
Quæres 1° Utrum Eucharistiæ sacramento prima interdum gratia producatur qua peccata mortalia deleantur ? *ibid.*
Quæres 2° Utrum saltem per accidens primam gratiam peccati lethalis remissivam Eucharistia interdum operetur. 210
Quæres 3° Quonam tempore vel momento Sacramentum Eucharistiæ recte, digneque susceptum ordinarios suos effectus largiatur ? 212
Reflexio. 214
Specul. III. Aliis a suscipiente sacramentum Eucharistiæ directe non prodest quidem, at indirecte tamen. Piissimus communionis pro mortuis ritus, et sacræ de ea Congregationis judicium explicatur, et defenditur. 215
Reflexio. 217

DISSERTATIO IV.

DE USU SACRAMENTI EUCHARISTIÆ : UBI DE FREQUENTI COMMUNIONE.

Caput I. De obligatione usurpandæ Eucharistiæ, et de idonea animi ac corporis ad Eucharistiam adeundam compositione. 221
Specul. I. Christianis omnibus adultis non solum Ecclesiæ mandato, sed Christi etiam præcepto impositum est, ut Eucharistiam identidem usurpent. 222
Reflexio. 224
Specul. II. Nullo divino præcepto Laici et Clerici non conficientes ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum obligantur ; sed alterius speciei communio ad salutem sufficit. Justissimis, gravissimisque de causis Ecclesia divinitus inspirata usu Calicis laicis interdixit, speciei solius Panis communione permissa. 225
Communio sub utraque specie non est præcepto divino omnibus imperata et necessaria. 226
Eadem veritas ex variis primitivæ Ecclesiæ ritibus comprobatur. 228
Alia pro una specie probatio ex Scripturis, accedente Patrum interpretamento depromitur. 232
Ratione theologica idem Ecclesiæ Catholicæ usus confirmatur. 235
Solutis Sectariorum objectis, quid sit communio laica explicatur. 237
Quæres, quid sit communio laica, de qua fit mentio in vetustissimis Patribus et Conciliis, Syricio Papa epist. 1. cap. 11, Cypriano lib. 4. epist. 2, concilio Eliberino can. 76, Sardicensi can 1. et 2, Agathensi can. 33, Toletano I. c. 4, Bracarensi I. c. 81. aliisque. 242
Reflexio. 244
Specul. III. Necessarius ad Eucharistiam percipiendam mentis, cordis, et corporis apparatus exponitur. 246
Mentis ad Communionem præparatio. *ibid.*
Devota mentis attentio ad consequendum Eucharistiæ effectum necessaria. 248
Cordis ad Eucharistiam præparatio. 253
Corollaria derivata. 255
Corporis ad Eucharistiam præparatio. 261
Jejunium ad sacram Communionem, exceptis paucis extremæ necessitatis articulis, semper necessarium. 263
Nonnulla consectaria pacis derivantur. 268
Reflexio. 270
Caput II. De frequenti communione : ubi de Eucharistia usurpanda traditæ a Patribus regulæ præscribuntur. 271
Regula I. Innocentes Eucharistiam frequenter usurpare oportet. 272
Regula II. Christiani post amissam Baptismatis innocentiam, ii præsertim qui in peccata mortalia iteratis lapsibus recidunt, non debent ante actos dignos laboriosæ pœnitentiæ fructus ad Communionem accedere. 274

Mens Dionysii, Basilii, et Cypriani aperitur. *ibid.*
Ambrosii, Augustini et Chrysostomi luculenta proferuntur testimonia. 276
Celebris Gennadii locus producitur. 278
Eadem regula Hieronymi, Theodoreti, et Magni Gregorii testimoniis communitur. 280
Beati Bernardi auctoritate eadem regula firmatur. *ibid.*
Eamdem regulam sanctus Bonaventura clarissime docuit et probavit. 281
Sacri Tridentini concilii doctrina eidem regulæ apertissime favet. 282
Sancti Francisci Salesii, et Magistri Avilæ apertis testificationibus eadem regula stabilitur. 283
Senonensis et Bituricensis synodi decretis eadem regula consentanea est. *ibid.*
Testimonium Mariani Victorii adducitur 284
Egregiis sancti Thomæ testimoniis, ejusdemque rationibus eadem regula confirmatur. *ibid.*
Fundamentalis hujus regulæ ratio. 287
Solvitur objectio a Patrum auctoritate petita. 288
Regula III. Negotiorum honestorum multitudo bonos Christianos a frequenti Communione non submovet. 290
Regula IV. Peccata venialia justorum frequentem Communionem non prohibent: eorum tamen affectus Communionis dilationem exigit. *ibid.*
Solvuntur objectiones a ratione depromptæ. 292
Regulas hactenus constitutas illustriores sancti Thomæ discipuli religiose sectati sunt. Illustria P. Granatensis testimonia. 297
P. Emerici de Bonis longe præclarissima profertur sententia, de abusibus qui in usu sacræ Communionis admittuntur. 301
Reflexio. 304

LIBRI UNDECIMI

DE DEO SALVATORE.

PARS TERTIA.

DISSERTATIO UNICA.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ : UBI ET DE VIRTUTE PŒNITENTIÆ DISPUTATUR.

Præloquium. 308

Caput I. Quæ de sacramento et virtute Pœnitentiæ certa vel faciliora sunt præmittuntur. 310
Specul. I. Existentia, et necessitas sacramenti Pœnitentiæ suadentur. *ibid.*
Peccatoribus sinceram de peccatis post Baptismum commissis agentibus pœnitentiam, dari veniæ locum ostenditur contra Novatianos. 311
Pœnitentiam verum esse novæ Legis sacramentum, adversum Lutheranos et Calvinistas demonstratur. 315
Reflexio. 319
Specul. II. Essentia et partes Sacramenti Pœnitentiæ exponuntur. 320
Materia sacramenti Pœnitentiæ proxima sunt actus pœnitentis. *ibid.*
Remota sacramenti Pœnitentiæ materia peccata sunt. 325
Partes pœnitentiæ sigillatim explicantur, et primum contritio. 326
Essentia contritionis. *ibid.*
Divisio contritionis. 328
Præceptum contritionis. 329
Objectiones solvuntur, et accepta occa-

sione enodantur perutiles difficultates. 330
Secunda Pœnitentiæ pars confessio. 337
Tertia sacramenti Pœnitentiæ pars satisfactio. 344
Reflexio. 347
Specul. III. Legitima sacramenti Pœnitentiæ forma est hæc : Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti ; quæ proinde non precatoria duntaxat, sed judicialis est ; ac ejus minister est solus sacerdos, ad secretum omni jure adstrictus. 349
De ministro Pœnitentiæ. 354
De sigillo Confessionis. 360
Varia, quæ observentur, dignissima corollaria derivantur. 362
Ubi etiam de virtute et effectibus Pœnitentiæ disseritur. *ibid.*
Corol. I. Actus pœnitentis a virtute speciali proficiscuntur. *ibid.*
Corol. II. Subjectum immediatum Pœnitentiæ est voluntas ; remotum est quivis peccati reus, vel capax. 368
Corol. III. Varii Pœnitentiæ effectus ordine recensentur. 370
Primus effectus, remissio peccati mortalis. 371
Secundus Pœnitentiæ effectus : Remissio pœnæ æternæ, ac etiam temporalis pro ratione pœnitentiæ. 373
Tertius Pœnitentiæ effectus : Remissio peccatorum venialium. 377
Alii Pœnitentiæ effectus breviter enumerantur. 382
Reflexio. 383

APPENDIX.

PRÆCIPUÆ ANIMARUM RECTORIS ET MODERATORIS DOTES EXPENDUNTUR.

Reflexio. 391

DISSERTATIONIS UNICÆ.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

Caput II. Examinantur accuratius difficiliora quædam circa partes et effectus Pœnitentiæ. 393
Specul. I. Dolor de peccatis ex uno pœnarum inferni metu conceptus, bonus quidem ille est, et ad gratiam justificantem in sacramento recipiendam disponit : non sufficit tamen, si ab omni amore Dei desertus sit. *ibid.*
Utilitas et honestas timoris ex metu gehennæ concepti. 394
Timor ex metu gehennæ conceptus sine aliquo amore et inchoatæ dilectionis motu ad justificationis gratiam recipiendam nunquam sufficit nequidem in sacramento ullo, etiam Pœnitentiæ. 395
Solvuntur objectiones. 402
Reflexio. 408
Specul. II Gratia per Pœnitentiam restituitur, ac cum ea virtutes et merita pristina reviviscunt. 410
Solvuntur objectiones. 413
Declaratur in qua proportione merita mortificata per Pœnitentiam reviviscant. 416
Reflexio. 423
Specul. III. Sacerdos ne potestate sibi cœlitus commissa abutatur, peccatoribus in mortalia continuo relabentibus, atque criminosæ vitæ seriem post iteratas confessiones minime emendantibus, donec dignis pœnitentiæ fructibus suæ conversionis sinceritatem probaverint, absolutionis beneficium impetiri non debet. 425
Solvuntur objecta contra stabilitam de differenda absolutione, temperandaque ejus frequenter relapsis impertiendæ facilitate, sententiam. 439

LIBRI UNDECIMI

DE DEO SALVATORE.

PARS QUARTA ET ULTIMA

De Sacramentis Extremæ-Unctionis, Ordinis et Matrimonii.

DISSERTATIO I.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Caput I. Essentia et institutio sacramenti Extremæ-Unctionis explicantur. 451
Specul. I. Extrema-Unctio est verum legis novæ sacramentum a Christo Domino institutum. 452
S. Jacobus Apostolus. *ibid.*
S. Eusebius. Origines. 453
Sanctus Joannes Chrysostomus. 454
Innocentius I. *ibid.*
S. Augustinus. *ibid.*
S. Cyrillus Alexandrinus. 453
Victor Antiochenus *ibid.*
S. Gregorius Magnus. *ibid.*
Theodorus Cantuariensis. *ibid.*
Beda. *ibid.*
Capitularia Caroli Magni *ibid.*
Concilium Cabilonense. 456
Hugo a Sancto-Victore. *ibid.*
Petrus Lombardus. *ibid.*
Argumentum ex Traditione petitum. *ibid.*
Sacramentum Extremæ-Unctionis est a Christo Domino institutum. 457
Materia remota Extremæ-Unctionis est oleum ex olivis expressum; et ab Episcopo benedictum. *ibid.*
Materia proxima Extremæ-Unctionis est unctio, quæ unica requiritur ad valorem sacramenti. 459
Forma Extremæ-Unctionis deprecatoria est, licet probabile sit indicativam sufficere. 460
Specul. II. Animæ infirmitates sanare, peccata dimittere, et corporis morbum, si ita expedit, amovere, sunt effectus sacramenti Extremæ-Unctionis, cujus minister est sacerdos, subjectum autem infirmus periculose laborans, cui etiam in eadem infirmitate Extrema-Unctio sæpius potest concedi, secundum diversum tamen infirmitatis statum. 461
Minister sacramenti Extremæ-Unctionis est sacerdos, 462
Subjectum sacramenti Extremæ-Unctionis est infirmus periculose laborans 464
Extrema-Unctio etiam in eadem infirmitate sæpius potest iterari, secundum diversum tamen infirmitatis statum. 465
Specul. III. Extremæ-Unctionis cæremoniæ recensentur. *ibid.*

DISSERTATIO II.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Caput I. De iis quæ ad Ordinem in genere spectant. 467
Specul. I. Ordo est sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum. *ibid.*
Sacramentum Ordinis unicuique Fideli non convenit. 468
Episcopatus est origo et plenitudo sacramenti Ordinis. 469
Occurritur objectionibus. 470
Presbyteratus habet veram sacramenti Ordinis rationem. *ibid.*
Ratio sacramenti Ordinis convenit etiam diaconatui. 471
Inquiritur an subdiaconatus, et cæteri minores Ordines sacramentum dici possint. *ibid.*
Specul. II. De materia et forma sacræ Ordinationis. *ibid.*
Propositio prima: Apud Græcos materia sacræ Ordinationis est sola manuum impositio. *ibid.*

Secunda propositio. *ibid.*
Tertia propositio. 472
Conciliantur varii illi ordinationum ritus. *ibid.*
Quarta propositio. *ibid.*
Quinta propositio. *ibid.*
Sexta propositio. 473
Septima propositio. *ibid.*
Specul. III. De institutione Ministrorum Ecclesiæ. *ibid.*
Prima propositio : Christiani sacerdotes carnali successione non propagantur. *ibid.*
Secunda propositio : Christiani sacerdotes non a plebe, sed a solis Episcopis possunt ordinari. *ibid.*
Tertia propositio : Electio ministrorum non fit a solo Deo interius prædestinatos tantum vocante. 474
Quarta propositio : Inquiritur quodnam sit jus plebis in electionibus ministrorum Ecclesiæ. *ibid.*
Quinta propositio : suprema in electionibus auctoritas Episcopis et Metropolitano potissimum debetur. 475
Caput II. De qualitatibus eorum, qui Ordines suscipiunt. 476
Specul. I. De iis, quos nefas est ad Ordines promovere. *ibid.*
Fœminæ, et non baptizati sacrarum Ordinationum sunt prorsus incapaces. *ibid.*
Mutili, et insigniter deformes Jure Canonico a sacris Ordinibus arcentur. 477
Epileptici, energumeni, et amentes ordinari prohibentur. 478
Servi et curiales a sacris Ordinibus removentur. *ibid.*
De irregularitatibus ex delicto. 479
De homicidis. *ibid.*
De militibus. *ibid.*
De judicibus. 480
De adulteris, fornicariis, etc. *ibid.*
De bigamis. *ibid.*
De clericis conjugatis : ubi agitur de continentia, seu cœlibatu clericorum. 482
Objectiones de cœlibatu solvuntur. *ibid.*
De illegitime natis. 484
De hæreticis, schismaticis, et apostatis. *ibid.*
De filiis hæreticorum. 485
De peregrinis clinicis, et neophytis. *ibid.*
Specul. II. Prædicta impedimenta ordinationem reddunt illicitam, sed non irritam. *ibid.*
Prima objectionum classis de chismaticis. *ibid.*
Secunda classis objectionum de depositis, et degradatis. 486
Tertia objectionum classis, de neophytis. *ibid.*
Quarta classis objectionum de simoniacis. 487
Quinta classis objectionum de hæreticis. *ibid.*
Prima responsio. *ibid.*
Secunda responsio. *ibid.*
Tertia responsio. 488
Quarta responsio. *ibid.*
Quinta responsio. *ibid.*
Exponitur ratio cur ordinationes validæ sint, quæ a malis ministris conferuntur. *ibid.*
Solvitur vulgaris objectio. *ibid.*
Specul. III. Expenduntur dotes, quibus debet insigniri qui ad Ordines suscipiendos accedit. 489
Propositio I. Sanctitas vitæ necessario prærequiritur, ut aliquis Ordines licite suscipiat. *ibid.*
Propositio II. Scientia in ordinandis necessaria prærequiritur. 490
Quænam sit scientia in ordinandis prærequisita. *ibid.*
Quinam fuerint antiquitus Doctores, et quæ Scholæ. 491
An aliquæ sint scientiæ, quæ clericis debeant interdici. *ibid.*
Propositio III. Exponitur necessitas vocationis in iis, qui Ordines suscepturi sunt. 492

DISSERTATIO III.

DE ORDINIBUS IN PARTICULARI SUMPTIS.

Caput I. De tribus Ordinibus hierarchicis episcopatu, presbyteratu, et diaconatu. 494
Specul. I. De Episcopatu. *ibid.*
Inquiritur primo, quænam sit materia episcopatus. *ibid.*
Quænam sit forma episcopatus. 495
De institutione episcoporum. *ibid.*
De Ecclesiis Patriarchalibus et Metropolitanis. 496

De titulis Patriarchæ, Archiepiscopi, Exarchæ, etc. *ibid.*
De Metropolitanorum jure. 497
De electione Episcoporum. 498
De electione summi Pontificis. *ibid.*
De ordinatione, sive consecratione Episcoporum. *ibid.*
Specul. II. De presbyteratu, et primo de illius materia et forma. *ibid.*
Ostenditur presbyteros esse episcopis inferiores. 499
Presbyteros teneri episcopis suis obedire. 500
De chorepiscopis. *ibid.*
De archipresbyteris. 501
De parochis. 502
Specul. III. De diaconis, et primo de diaconatus materia et forma. 503
Ostenditur præcipuum diaconorum munus esse Altari deservire. *ibid.*
An aliquando diaconis licuerit pœnitentes reconciliare. 504
Cætera diaconorum munia breviter exponuntur. *ibid.*
De archidiaconis. 505
Caput II. De subdiaconatu, de minoribus Ordinibus, et de cæteris quæ ad Ordines pertinent. 506
Specul. I. De subdiaconatu, et de minoribus Ordinibus, et primo de eorum antiquitate. *ibid.*
Inquiritur an, et quomodo Ordines prædicti inter Ordines sacros debeant recenseri. *ibid.*
Prædictorum Ordinum distinctio, et necessitas proponitur. 507
Recensentur ordo, et officia prædictorum Ordinum. *ibid.*
Specul. II. Quod sit prima tonsura, et quæ ad ipsam dispositiones prærequirantur. 508
De Seminariis erigendis, ex concilio Tridentino. 509
De antiquitate Seminariorum. *ibid.*
De antiquitate Tonsuræ, et vestium clericalium. 510
De simplicium clericorum antiquitate. 511
Specul. III. De reliquis clericis : et primo de chartophylace, sive chartulario. *ibid.*
De cardinalibus. 512
De œconomis. *ibid.*
Quibus Ecclesiæ facultates distribui debeant inquiritur. 513
Quæritur quando bona Ecclesiæ in varias portiones cœperunt distribui. 514
De diaconissis. *ibid.*

DISSERTATIO IV.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Caput I. De Matrimonio tum ut est officium naturæ, tum ut est sacramentum. 515
Specul. I. Exponitur natura Matrimonii. *ibid.*
Propositio I. Copula carnalis non est de Matrimonii essentia. *ibid.*
Propositio II. Copula carnalis, sive actus conjugalis ad perfectionem secundariam Matrimonii pertinet, et ideo illicitus haberi non debet. 516
Propositio III. Licet actus conjugalis non sit per se malus, et illicitus, aliquam tamen deordinationem importat in hoc corrupto naturæ humanæ statu : quæ deordinatio per bona Matrimonii removetur. 517
Propositio IV. An, et quando actus conjugalis omni culpa vacet, explanatur. *ibid.*
Propositio V. An aliquando liceat debitum petenti denegare; et an conjugibus continentiam vovere non liceat. 518
Propositio VI. An, et quæ polygamia illicita sit, utpote Matrimonio repugnans. 519
Propositio VII. Matrimonium ex suapte natura est indissolubile. 520
Specul. II. Quæritur quæ sit causa Matrimonii, ubi etiam de sponsalibus agitur. 521
Expediuntur quæ ad sponsalia pertinent. 522
Specul. III. De Matrimonio ut est Sacramentum. 523
Propositio I. Matrimonium ex primæva sua sua institutione est signum rei sacræ. *ibid.*
Propositio II. Matrimonium Christianorum est verum novæ Legis Sacramentum. *ibid.*
Propositio III. Disquiritur an Matrimonium omne inter Christianos initum, sit verum legis novæ Sacramentum. 524
Propositio IV. Exponitur quis sit minister, quæ forma, quæ materia sacramenti Matrimonii. 526
Propositio V. An matrimonium per procuratores, vel per litteras contractum, sit verum novæ legis sacramentum. *ibid.*
Caput II. De impedimentis Matrimonii. 527

Specul. I. Explanantur impedimenta tum dirimentia, tum impedientia tantum. *ibid.*
Impedimentum err oris. *ibid.*
Impedimentum conditionis. *ibid.*
Impedimentum voti. 528
De impedimento cognationis *ibid.*
Cognatio naturalis. *ibid.*
Cognatio legalis. *ibid.*
Cognatio spiritualis. 529
De impedimento criminis. *ibid.*
De impedimento disparitatis cultus. *ibid.*
De impedimento vis. 530
De impedimento Ordinis. 531
De impedimento ligaminis. *ibid.*
De impedimento honestatis. *ibid.*
De impedimento amentiæ. *ibid.*
De impedimento affinitatis. 532
De impedimento Matrimonii clandestini. *ibid.*
De impedimento impotentiæ. 533
De impedimento raptus. *ibid.*
De impedimentis non dirimentibus. 534
Specul. II. Quæritur quænam ex prædictis impedimentis sint de jure naturali, quænam de jure positivo. *ibid.*
Specul. III. Ostenditur Ecclesiam potuisse quædam impedimenta Matrimonio apponere, a quibus proinde poterit etiam contrahentes dispensare. 535

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM ET MATERIARUM OMNIUM

QUÆ IN HIS XI. LIBRIS THEOLOGIÆ MENTIS ET CORDIS CONTINENTUR

In quo singula tum Scholasticis utilia, tum ad Conciones parandas idonea, constanti, ad commodiorem usum, serie disponuntur, ut ea pro nutu, et scopo sibi facile possit quisque seligere. Prior autem numerus Tomum, postremus paginam denotat.

A

Absolutio.

Absolutio potest in articulo mortis a quolibet sacerdote cuicumque peccatori conferri, et qua auctoritate id faciat. IV. 359

Absolutionis beneficium denegandum est peccatoribus in mortalia continuo relabentibus, nec criminosæ vitæ seriem post iteratas confessiones emendantibus, donec dignæ pœnitentiæ fructibus conversionis suæ sinceritatem probaverint. IV. 425 et seq. — Expedit hæc absolutionis dilatio animarum saluti. IV. 426. et seq.

Absolutionem præproperam peccatoribus non expedire docet experientia, et confirmatur ex Conciliis IV. 431 et seqq. — Idem docent sancti Patres. IV. 432. — Corroboratur ex doctrina Cardin. Borromæi, et aliorum illustrium virorum. 433

Absolutionis differendæ, nec nimis facile indulgendæ praxis secura censeri debet, objectionumque solutione magis suadetur, et stabilitur IV. 339 et seqq. — Valde a Novatianorum dogmate distat IV. 342 — Quomodo cum loco Scripturæ Ezech. concordet. IV. 344

Absolutiones relapsis, et obstinatis peccatoribus in extremis vitæ concessæ SS. Patribus semper fuerunt suspectæ. VI. 345 et seq.

Absolutionis facilitas salutem contra mortis pericula in tuto non collocat, nec ejus dilatio in discrimen vocat. IV. 347 et seq.

Actus

Actus liber Dei est ipsemet actus necessarius ejus, ut connotans, et dicens habitudinem non necessariam ad creaturas. I. 200 et seq.

Actus liber Dei nihil pœnitus necessario defectibile superaddit. I. 203 et seq.

Actuum humanorum harmonia describitur, novemque recensentur, qui in negotiis moralibus ordinarie intervenire solent. II. 17 et seq.

Trium reliquorum actuum explicatio. II. 25 et seq.

Actuum humanorum series eo infeliciter dirigitur, ut iis fruatur homo, quibus tantum debet uti. II. 29

Vide *Moralitas.*

Actus indifferens est vere, et formaliter moralis. II. 33 et seq.

Inter bonum, et malum actum datur medium. II. 35

Actus deliberatus in individuo semper aut bonus, aut malus est. II. 36 et seq.

In actibus humanis primaria bonitas ex objecto derivatur. II. 45

Desumitur etiam ex circumstantiis, in quibus elicitur. II. 46 et seq.

Finis etiam influit in earum bonitatem,

II. 47. — Quadruplex eorum bonitas. *ibid.*

Actus tendens in objectum bonum ex fine bono duplici gaudet bonitate. II. 48. — Bonus ex objecto, et ad finem extrinsecum ordinatus, desumit bonitatem essentialem ab objecto, accidentalem vero a fine. II. 49. — Illius bonitas ex circumstantiis derivata accidentalis est. II. 52

Actuum humanorum scopus unicus sit gloria Dei. II. 52 et seq.

Actus exterior nullam extrinsecam bonitatem actui interiori sincero, et efficaci superaddit. II. 54 et seq.

Actus nullus potest moraliter dici malus, nisi sit debita rectitudine privatus. II. 76 et seq.

Ad actum moraliter malum tripliciter se habere potest privatio. II. 78 et seq.

Actus idem moralis respectu diversorum bonus simul, et malus esse potest. II. 84 et seq.

Actus moralis an possit simul esse meritorius, et demeritorius. II. 92

Actus virtutis quomodo possit rationem malitiæ sortiri. *ibid.* et seq.

Actus intrinsecus malus, ex conscientiæ erroneæ dictamine bonus existimatur, nunquam meritorius esse potest. II. 114

Adam.

Adam cur post lapsum subitam veniam, et pristini status restitutionem non obtinuit. I. 491

Adamus non solum Protoparens, sed etiam Protopelagianus fuit. II. 271

Vide *Protoparens.*

Adoratio.

Adoratio quid sit, et quid significet. III. 149. — Duplex ejus species distinguitur. *ibid.* — An debeatur humanitati Christi. III. 150. — Alia est absoluta, alia est relativa. III. 154 et seq.

Æternitas.

Æternitas mensura infinita, indivisibilis ac tota simul habet latitudinem intensivam, et extensivam. I. 105 et seq.

Æternitas menti nostræ semper debet observari. I. 107

Æternitatem solam felicem appetat cor hominis. I. 526. — Ad ejus desiderium concitandum apponitur D. Augustini rithmus. I. 527

Amicitia.

Amicitia humana an sit virtus specialis disquiritur. II. 599. — Naturalis in quo differat a supernaturali. II. 602

Vide *Caritas.*

Amor.

Amores duo, ex quibus duæ prodeunt voluntates juxta D. Leonem. I. 5

Amore prius in Deum transire debemus, ut per visionem ad nos transeat Deus. I. 124.

Amor in Deo est formaliter tam suæ bonitatis, quam creaturarum præsentium, et futurarum, sed non mere possibilium. I. 178 et seqq.

Amor solus ad duo objecta ferri solet. I. 180

Amor inter attributa divina præcipue a nobis imitabilis. I. 181.

Amor Dei omnium omnino salutem sincere vult. I. 181 et seqq.

Amor in Spiritu sancto singulis sufficiens, omnibus est necessarius. I. 350

Amor effectivus exigitur ad vitam christiane peragendam. I. 369

Amor, quo Deus justos prosequitur, physicam, et intimam unionem causaret, si eam non inveniret. I. 381

Amoris proprii radix limitatio cognitionis. I. 417

Amor privatus nobis aufert verum judicium de nobis : et quomodo ejus errores vitandi. I. 436

Ad amorem Dei non teneri Christianos, quam insulse Christiani Theologi docuerunt. I. 458

Amore Dei etiam in hac vita beamur, unde lugendum tempus, quod in eo amando non insumimus. I. 538 et seq.

In amore Dei etiam in hac vita extremis saltem labiis prægustatur felicitas Paradisi. I. 551

Amor beatificus est perfecte voluntarius. II. 5

Ex amore honesti finis melior, et suavior fit operatio agentis. II. 38

Amorem hominum quærit Deus stupenda dignatione. Digna piæ animæ meditatio. II. 599

Amor proximi Christianismi tessera. II. 607

Vide *Caritas*.

Amoris humani perversus ordo virtutis caritatis ordinem pervertit, unde præpostero ordine utuntur Christiani in orationibus suis. II. 646 et seq.

Amorem Dei natura suggerit, deque ejus diligendi præcepto nulla debuit inter Christianos Theologos esse contentio. II. 344

Amoris actus non sunt continuo ab homine eliciendi, ut de Deo diligendo præceptum impleat. II. 347

Amoris divini præceptum pueris ab ineunte ætate diligenter est inspirandum. II. 348

Amor Christi triplex, triplicem ejus scientiam comitatur, et quomodo fuerit liber explicatur. III. 135

Amor effectivus, et affectivus ad obtinendam vitam æternam requiritur. III. 163. — Debetur Christo, et qualis. III. 164. — Ex eo consequitur Christi imitatio. *ibid.*

Amor affectus radix est, amor effectus fructus est. *ibid.* et seq.

Ab amore Christi nullus Christianus potest excusari. III. 165

Angelus.

Angelus post peccatum nullum potest opus moraliter bonum elicere. I. 460

Angelorum quinque status referuntur. I. 461 et seq. — Malorum via tribus instantibus, bonorum vero duobus finita est. I. 463 et seq. — Primum eorum peccatum fuit superbia. I. 465. — Quo sensu verum sit eos peccasse appetendo esse ut Deum. I. 467. — Quæ de Angelis dicenda supersunt quibusdam corollariis breviter absolvuntur. I. 468 et seq.

Angeli nomen quid significet, et quibus substantiis conveniat. I. 399

Angelorum existentia probatur. *ibid.* — Ab eis prorsus exulat omnis materia. I. 400. — Natura sunt incorruptibiles. *ibid.*

Angeli non possunt sibi physice corpora unire, licet de facto pluries sibi assumpserint I. 401. — Eorum in homines benevolentia ex corporum assumptione commendatur. I. 403.

Angelus est vere, et realiter præsens loco non per aliquam unionem, sed per suam operationem. I. 401. — Quid in cœlis operentur : quid erga clientes. I. 405

Angelus potest occupare locum divisibilem, et indivisibilem, nequit tamen esse ubique : ubi tota materies de loco Angelorum traditur. I. 406

Angelus potest movere motu continuo, et discreto. I. 407. — Varia etiam de motu Angelico corollaria derivantur. *ibid.*

Ad Angelos sanctos in nostris necessitatibus cum fiducia confugere debemus. I. 412

Angeli sunt multitudine innumeri, specie vero ita distincti, ut repugnet duos dari ejusdem speciei. I. 413

Angelis multiplicatio numeralis constanter denegatur. I. 414

Ex Angelorum numerosa varietate, quæ pro contemplativis documenta eruantur. I. 416 et seq.

Angelorum triplex hierarchia, et hierarchiarum diversi ordines, et chori recensentur. I. 417 et seq.

Angelicorum ordinum harmonia contemplanti animæ suavissima, nostræ sit exemplar vitæ. I. 421

Angeli assistentes, et ministrantes singulis hominibus assignati, innumera conferunt illis beneficia. I. 421 et seq.

Angelicæ custodiæ beneficia recensentur. I. 423 et seq.

Angelorum custodum præsentia semper attendenda. *ibid.*

Angelorum intellectualitas distinguitur realiter ab eorum substantia. I. 425. — Quomodo perficiatur eorum intellectio. *ibid.* — Quomodo seipsos, et Deum cognoscant. I. 426. — Species quibus intellectus angelicus perfunditur unde sumantur. I. 429. — An supernaturaliter possint accipere species a rebus, et an illæ sint eorum proprietates. I. 430

Angeli quo superiores, eo sunt universaliores intellectus eorum species. I. 433 et seq. Non cognoscunt futura, nec secreta cordium, nisi forte conjecturaliter. I. 436. et seq. — Quomodo sua sibi secreta revelent. I. 440. — Quomodo possint excitari ad omnia præsentia attendenda. I. 441. Exponitur illorum illuminatio. I. 442

Angelicus cognoscendi modus tribus prærogativis insignitur, et quæ sint exponitur. I. 444

Angelus an plura per modum plurium, et per diversos actus intelligat. *ibid.* Comprehensive cognoscit omnia entia naturalia, etiam Angelos superiores. I. 445

Angeli quamvis inæqualis perfectionis, et gradus possunt tamen se invicem com-

prehendere. I. 446
Angeli inferioris cognitio comprehensiva non fit per species æque universales, ac superioris. I. 449
Angeli nec circa naturalia, nec circa supernaturalia discurrunt. I. 450
Angelorum intelligendi modum, quem assequi non valemus, pie saltem imitemur. I. 451
Angeli in ordine naturali sunt impeccabiles, secus in ordine supernaturali. I. 452 et seq.
Vide *Voluntas*.
Angelorum elogium ex doctrina D. Thomæ traditur. I. 506 et seq.
Angelis supernaturalis fides infusa fuit in prima eorum conditione. II. 526 et seq. Duplicem cognitionem habuerunt in Verbo. II. 529
Vide *Fides*.

Anima.

Anima rationalis cæterarum rerum naturas describit, seipsam vero vix novit. II. 4. — Mirabilis actuum ejus harmonia. *ibid*.
Anima pia non super possibilibus se angit, sed qui sibi agenda sunt attendit. III. 57 et seq.
Anima Deo serviens vere libera, quia sui corporis dominatrix, et cupiditatum victrix. III. 142
Animabus languentibus in purgatorio subveniat nostra compassio, quia misericordes misericordiam consequentur. IV. 217 et seq.
Vide *Communio*.
Animarum regendarum provincia quam sit ardua, et merito *Ars artium* dicta. IV. 338.

Antiquitas.

Antiquitas de novitatibus semper in Ecclesia triumphos egit. II. 689
Vide *Ecclesia*.
Apologia fidei, seu dissertatio adversus modernos incredulos Appendix. II. 706

Apostolus.

Apostolis omnibus an æqua sit ligandi, atque solvendi a Christo concessa potestas. I. 46

Appetitus.

Appetitus sensitivus in homine virtutis est capax, et indigus prout natus est obedire rationi. II. 462 et seq.
Vide *Virtus*.
Appetitus sensitivus hominis et bruti in quo differant ad *Append*. III. 368. Duplex est in homine. *ibid*.

Aqua.

Aqua vino consecrando de jure permiscenda non de necessitate. IV. 186 et seq. — Debet esse naturaliter elementaris, et in parva quantitate. IV. 132 et seq. — In quid transmutetur post consecrationem. IV. 133 et seq.
Vide *Eucharistia*.

Arbitrium.

Arbitrium liberum non est inficiatus Augustinus, sed fuit tantum gratiæ defensor. II. 439 et seq.
Vide *Gratia*, *Libertas*, *Meritum*.

Archidiaconus.

Archidiaconorum munia recensentur. IV. 505 — Magna fuit eorum potestas, sed eis ab Episcopis adempta. *ibid*.

Archipresbyter.

Archipresbyteri primis Ecclesiæ temporibus qui dicerentur, et quæ fuerint eorum munia. IV. 501

Articuli Fidei.

Articuli nomen quid significet. II. 504. — Convenienter distinguuntur Fidei Christianæ articuli. II. 505. — Quod sint. *ibid*. — An procedente tempore crementum acceperint. II. 507.
Vide *Fides*.

Ascensio.

Ascensionis Christi necessitas variis rationibus suadetur. III. 243 et seq. Singularis in ea gloria refulsit. III. 244 et seq.

Astrologus.

Astrologi quæ per artem ex vario cœlorum siderumque motu et influxu prædicere possint. I. 502

Atheus.

Athei ad Dei existentiam negandam non rationibus, sed vitiis moventur. I. 76. — Quam horribilis eorum impietas. *ibid.* et seq.

Attritio.

Attritio ejusdem est speciei, ac contritio. IV. 328 et seq. — Est actus virtutis pœnitentiæ. *ibid.* — Quodnam sit objectum ejus. *ibid.*

Vide *Contritio.*

D. Augustinus.

D. Augustini doctrina scientiæ mediæ opposita, Christianarum virtutum fundamentum. I. 175

D. Augustini sententia de prædestinatione gratuita sacrum nobis terrorem incutit. I. 255

Vide *Prædestinatio.*

D. Augustini perdifficilis locus ex libro *de correptione et gratia* depromptus explicatur II. 306 et seq. — Ejusdem libri scopus, et duodecim priorum capitum synopsis proponitur. II. 308 et seq. — Vera D. Augustini explicatio traditur. II. 312 et seq.

D. Augustini veri discipuli Prædestinatianorum nomine a Semipelagianis traducti et ab aliis etiam calumniatoribus infamati, sicut et ipse D. Augustinus. II. 274 et seq.

Vide *Prædestinatianus*, et *Semipelagianus.*

Divus Augustinus gratiæ defensor, in hac pertractanda doctrina ab omnibus aliis sequendus. II. 449 et seq. — Dux omnibus proponitur ab Ecclesia in materia de gratia. II. 209. — Antiquitatis fuit studiosissimus, universitatis et consensionis amantissimus. II. 210 et seq. — Retunduntur doctrinæ ejus obtrectatores. II. 216 et seq. — Fuit Africanorum conciliorum ingenium a quibus de gratia scribendi provinciam sumpsit. II. 219 et seq. — A solis malevolis obtrectatoribus inique maledicitur. II. 225 et seq. — In eo sex Catholici Doctoris dotes eminent, quæ recensentur. II. 227

D. Augustini mens circa communionem parvulorum accurate indagatur. IV. 101. et seq.

Auxilium.

Auxilium Dei semper necessarium est homini ad cognoscendas veritates ordinis naturalis. II. 324 et seq.

Auxilia Dei sufficientia omnibus offeruntur, sed non omnibus actu conferuntur. II. 382. — Non semper excitant obduratos, nec pias cogitationes. II. 384. — An aliquando denegentur justis. II. 385 et seq.

Vide *Gratia.*

B

Baptismus.

Baptismus Joannis non fuit lege præceptus. III. 184. — Non fuit Sacramentum, nec gratiam conferebat. *ibid.*

Vide *Joannes Baptista.*

Baptismi definitio traditur, variaque ejus nomina referuntur. III. 509 et seq. — Quando fuerit institutus. III. 537. et seq. Quæ sit ejus materia proxima, et remota declaratur. III. 541. — Legitima illius forma refertur. III. 542 et seq. — Minister illius ordinarius, et extraordinarius quis sit. III. 545. — An a pluribus possit simul eidem personæ conferri. III. 547 et seq. — Quodnam sit illius subjectum, et quanta necessitas. III. 548 et seq. — Varii ejus effectus recensentur. III. 555 et seq. — Quando possit sub conditione iterari. III. 561 et seq.

Baptismus an æqualem omnibus, tam pueris quam adultis effectum conferat. III. 561 et seq. — De illius effectibus conservandis ad Christianos hujus sæculi pium monitum. III. 562 et seq. — Illius ceremoniæ et varii ritus exponuntur. III. 564 et seq.

Baptismi divisio proponitur III. 568 et seq. An Baptismus flaminis supplere possit Baptismum fluminis. III. 570 et seq.

Baptismus sanguinis an ex opere operato hominem justificet.

Vide *Martyrium.*

Baptisma parvulis infidelium collatum, validum quidem est, illicitum tamen. III. 584
Potest tamen in aliquibus casibus esse licitum. III. 585 et seq.
Baptismus ficte susceptus quid sit, et quomodo contingat in eo fictio. III. 591. Remota per pœnitentiam fictione, eamdem gratiam et gratiæ gradum confert, quem contulisset, si subjectum minime fictum fuisset. *ibid.* et seq.

Beatitudo.

Beatitudo hominis in nullis bonis creatis reperiri valet. I. 521 et seq. In Deo solo reperiri potest. I. 522, 523 et seq. — In quo differat objectiva formali. I. 516
Beatitudo formalis tum patriæ, tum viæ, in quo consistat. I. 529. — Consistere in clara Dei visione asseritur. *ibid.* — Solventur objectiones Scotistarum. I. 531 et seqq. — Ad ejus essentiam actus, intellectus, et voluntatis ex æquo non requiruntur. I. 534. — Ad eam solus Dei amicus potest ascendere. *ibid.* et seq.
Beatitudo supernaturalis viæ in amore Dei sita est. I. 585 et seqq. — Christiana vero in tribulationibus, et cruce potissimum percipitur. I. 539 et seq.
Beatitudinis octo gradus recensentur. I. 543 et seq. — Ei ab intrinseco convenit perpetuitas. *ibid* et seq. — Ut ad eam perveniamus monitum datur. I. 546.—Eam essentialiter comitatur felix amandi Dei necessitas. I. 547 et seqq. — Necessario etiam ei annexa est impeccabilitas. I. 551 et seq.
Beatitudines comitantur dona Spiritus sancti. II. 481 et seq.—Cur Lucas quatuor, Matthæus vero octo enumerarit : ad quod perdifficilis D. Ambrosii locus declaratur. II. 483 et seq.

Beatus.

Beati Deum clare intuentes, ipsum comprehendere nequeunt, nec etiam videre omnes creaturas possibiles. I. 117
Beati minime auxii, licet Deum non comprehendant. I. 118
Beati in patria Deum videntes non producunt, nec producere possunt speciem expressam, sed eam divina supplet essentia. I. 125
Beatorum unus alio perfectius Deum videt : et an nullus Beatorum alteri uturus sit æqualis in gloria. I. 130
Beati Deum videntes, quid in eo videant. I. 133.
Beati peccare non possunt. I. 552. — An sint præcepti capaces, et auxilio indigeant ad illud implendum. I. 553
Beatorum impeccabilitas causam habet intrinsecam. I. 554

Bonitas.

Bonitatis actuum humanorum tria principia referuntur. II. 43 et seq.
Bonitas actus imperati an semper correspondeat bonitati actus imperantis. II. 52.

Vide *Actus humanus.*

C

Cardinalis.

Cardinales quandonam Episcopos præcedere cœperint, vix potest determinari. IV. 512. — Eorum dignitas et auctoritas vetustissimæ sunt. IV. *ibid.*

Character.

Character est trium Sacramentorum effectus secundarius. III. 484 et seq. — Cur ab his tantum, et non a cæteris producatur. III. 485 et seq.
Characteris definitio traditur. III. 489
Quibusdam derivatis corollariis definitio tradita magis explicatur, et sustinetur. III. 491.

Vide *Sacramentum.*

Caritas.

Caritas est habitus productus in anima. II. 590. — Est specialis virtus ab aliis distincta. II. 591. — Sola voluntas est ejus subjectum. *ibid.* 2. — Quam rara in terris. II. 592 et seq. — Per eam veram, et strictam cum Deo inimus amicitiam. II. 594 et seq.
Caritatis objectum quale sit explicatur. II. 601 et seq. — Eadem Deum, et proximum diligit, et unica virtus duplex præceptum implet. II. 606 et seq.
Caritas potest augeri. II. 607. — Quomodo fiat ejus augmentum. *ibid.* — Dupliciter

potest augeri nostris actibus. II. 608 et seq. — Quilibet actus ejus meretur augmentum habitus, ad illudque disponit. II. 609 et seq. — Non tamen statim confertur augmentum caritatis actibus remissis. II. 611 et seq. — Nec illis respondet distinctus gloriæ essentialis gradus. II. 617 et seq.

Caritas in nobis quotidiana non suscipit incrementum virtutis, sed (proh dolor) concupiscentia peccati. II. 618 et seq.

Caritatis habitus augetur etiam per actum sibi æqualem, dummodo in hac vita eliciatur. II. 619. — Augetur etiam secundum totam, et adæquatam actus latitudinem. II. 621. — Nullus præfigitur terminus caritatis augmento in hac vita. II. 622 et seq.

Caritas viæ an possit adæquare caritatem patriæ. II. 623. — Quot sint ejus gradus, et status. II. 624. — An etiam minui valeat. II. 625

Caritas est vita animæ. II. 627. — Agit, et confert effectum infinitum. II. 628. — Minimus ejus gradus habet statum virtutis simpliciter. *ibid* et seq. — Est gratuitum Dei donum. II. 629. — Duplex ejus intentionis causa. II. 631. — Extenditur ad diversa objecta. II. 632 et seq. — Quis sit ejus ordo. II. 637. — An intensius in Deum, quam in proximum ferri possit. II. 638. — Ordinis ejus continuatio, adversus quem multa objiciuntur, quæ resolvuntur. II. 639 et seq.

Chartophylax.

Chartophylax quis, sit, et qualia ejus munia. IV. 511. — Ante Presbyteros, et Episcopos sedere præsumpsit. *ibid.* et seq.

Chorepiscopus.

Chorepiscopi qui fuerint, et quæ illorum dignitas. IV. 500 et seq. — Quando cœperit eorum ordo, et desierit. IV. 501

Christianus, et Christianismus.

Christianismus est in nobis veteris Adami litura, et Augustæ Trinitatis ducta pictura. I. 307

Christiani pravicordii, et torticordii quales. I, 158 et seq.

Christianus solas scrutetur Scripturas, ut arbitrii humani sibi bonum gratiæ usum asserentis confidentiam reprimat. I. 164

Christianorum status ad nihilum fere redactus deploratur. I. 273

Christianus peccatum solum timeat. *ibid.*

Christiana Religio. vide *Fides*, *Religio.*

Christianos omnes, quantumvis statu, et conditione diversos, unire debet fides, caritasque communis. I. 295

Christianorum perfectio relativa. I. 301

Christianus ad Deum amore, et gratiarum actione revertatur, a quo creatione profluxit. II. 335 et seq.

Christiani diminuta est perfectio, nisi a Deo procedat ad proximum, et a proximo rursus ascendat ad Deum. I. 340

Christianus Spiritum sanctum se non accepisse timere debet, qui nulla ejus in se dona experitur. I. 347

Christiani boni idea quinque verbis expressa. I. 365

Christianus nullam excusationem proferre valet, qui suas omnes potentias virtutum præsidio vallare potest. II. 463. — Ad eas in medio quærendas piis monitis excitatur. II. 473

Christianus, cujus affectus fidelis non est, nec divinæ consentiens voluntati, catholice credens, hæretice operatur. II. 491

Christiani licite aliquando fidem suam occultant. II. 549. — An possint falsam sectam simulare. II. 553. — An possint uti vestibus, et aliis infidelium signis externis. II. 554 et seq. — Quod multi etiam in pace Ecclesiæ Christum et Evangelium erubescunt, pie deflendum. II. 556. — In solo Deo sperare, et supersperare debent. II. 570 et seq. — Quam ardenter caritatem quærere debeant. II. 594 et seq. et 618. — Perpendant in intimo corde Dei dignationem, hominum amicitiam quærentis. II. 600 et seq. — Potius optare debent caritatis fervorem sentire, quam de ea operose disserere. II. 627. — Sarmentarii dicti sunt, et quare. II. 688

Christianorum lacrymabilis miseria libertatem peccandi partem suæ felicitatis ponentium. In *Appendice* ad lib. 10. III. 309

Christianis malis nihil iniquius, aut perversius esse potest. III. 326

Christiani cum peccato quam felix pugna, in qua per dissensum semper vincit; sed

infelix in qua per consensum vincitur. III. 343 et seq.
Christianorum hujus ævi deploranda vecordia, qui ex Christianismi commodis propria parant incommoda, et augent crimina. II. 397 et seq. — Damnanda eorum cæcitas tantam ad quam vocati sunt, dignationem non attendentium. II. 413. — Deum et merito suo, et proprio commodo diligere debent. II. 428
Christiani boni mercatores sint, et negotientur dum veniet qui venturus est. II. 434 et seq.
Christiani Judæis pejores, scientes Christum in semetipsis crucifigunt, quem illi ignorantes interfecerunt. III. 20. — Quam lugendum eos post tam severam de Christo sumptam vindictam a peccatis non cessare. III. 26 et seq.
Christianus virtutum praxim differens, nomine tantum Christianus est, in veritate autem Ethnicus, et Publicanus. III. 93
Christianus verus, Deus abbreviatus dici potest : sed quam infelici sorte multi. III. 145
Christiani vita secundum : Evangelium viventis crux est atque martyrium. III. 148
Christianus malus verus Iconoclasta. III. 161 et seq.—Confugiat ad misericordiam Dei, si vult spiritalis homo fieri. III. 171. — Ut ingrediatur regnum Cœlorum parvulus fieri debet. III. 176. — Potius vitæ discrimen patiatur, quam Christianismum criminis suspicione inhonoret. III. 183 et seq. — Ad Christum, et Decalogum recurrat, ut facile tentationes omnes vincat. III. 192. — Ad attentam Christi in cruce pendentis considerationem pia reflexione invitatur. III. 217. — Non resurget cum Christo, si non resurgat a peccato. III. 238
Christianus aliter gloriam, quam præcedentibus tribulationibus obtinere cupiens, vehementer errat. III. 242 et seq. — Christum ascendentem semper meditetur, ut spretis mundi ludibriis cum suavius sequatur. III. 246 et seq.
Christiani tanta gratiarum varietate instructi, totque Sacramentorum præsidiis muniti, cur nec divina sapiunt, nec in via spiritus proficiunt. III. 495. — Cur sacramentorum virtutem in se operantem non sentiunt, et experiuntur. III. 503 et seq.
Christiani per sacramenta Christum induisse frustra se credunt, si nullos Christi mores imitentur, et inaniter de eorum suscepto charactere verentur, dum nihil de extincta Christianismi sanctitate trepidant. III. 533. — An in Baptismo collatam gratiam servaverint, vel perditam pœnitentia recuperaverint, ex aquæ proprietatibus, et notis conjicere debent. III. 553 et seq.
Christianorum aliquot, et utinam omnium, laudabilis mos, vota, quæ in Baptismate emiserunt recolentium. III. 568.—Quam gravis, et damnanda eorum iniquitas, qui post Baptismum libere susceptum ad Christianæ vitæ officia non nisi repugnantes accedunt. III. 589 et seq.
Christiani ficte Sacramenta percipere probantur, qui fidei, religionisque suæ sinceritatem per opera non ostendunt. III. 596 et seq. — In Confirmatione Christi milites efficiuntur, ut Ducis exemplum sequantur. III. 615 et seq.
Christianus intrepidus Christi miles efficitur, armis in Confirmatione instructus, et cœlesti annona in Eucharistia munitus. III. 623 et seq.
Christianorum status medius inter Judæos, et Beatos est interjectus. IV. 51.

Christus.

Christum pro omnibus orasse, et mortuum esse quomodo intelligendum sit ; ubi ab hoc variæ Patrum expositiones ad locum Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, afferuntur. I. 181 et seq.
Christus cur nunquam se filium Dei, pluries vero filium hominis dixit. I. 286.
Christo Domino quinque perfectiones attribuit Scriptura, quibus impietas Arriana obtrita est. I. 305 et seq.
Christum Patre minorem contestantia Scripturæ testimonia explicantur. I. 312 et seq.
Christus Jesus fidelis, et potens Dei hominumque mediator, per quem nihil nobis negat Pater. I. 356.
Christum pro omnibus omnino hominibus esse mortuum ex SS. Augustino et Thoma probatur. II. 466
Christi persona cur a Patribus, et Conciliis dicatur composita. III. 44. — Ejus humanitas per se primo ad subsistentiam relativam Verbi assumpta est. III. 45.— Est in eo unica existentia. III. 46 et seq.

— Ejus nomen oleum effusum. III. 48 et seq. — Est simpliciter dicendus unus. III. 51. — Quia nostra est redemptio, sit amor, et desiderium. III. 60 et seq.

Christus ratione humanæ naturæ prædestinatus est ad filiationem Dei naturalem. III. 66 et seq. — Est medium, et finis salutis humanæ sub diversa ratione. III. 75. — In eo est sanctitas substantialis. III. 76. — Fuit ejus anima etiam gratia habituali decorata. III. 79.—Ejus gratia est finita, et infinita in diverso genere. III. 81. — Est capax physici augmenti. III. 82.

Christus est caput Ecclesiæ Justorum, et Angelorum, de cujus gratiæ plenitudine omnes accipiunt, infidelibus, et damnatis exceptis. III. 83 et seq. — Ejus plenitudo influit in gratiam, vel gloriam essentialem Angelorum. III. 85 et seq., et 88. — An sit etiam caput fidelium in peccato existentium. III. 84 et seq. — Septem sunt in eo plenitudines, quas propter nos effudit. III. 89 et seq.

In Christo fuerunt omnes virtutes morales ipsi non repugnantes. III. 90 et seq. — Fuerunt etiam omnes acquisibiles ordinis naturalis. *ibid.* — Fuerunt in primo instanti comparatæ, non per accidens infusæ. III. 92 et seq. — Fuerunt etiam in eo gratiæ gratis datæ, et dona Spiritus sancti. III. 93 et seqq.

Christi merita, eorumque in nos profluentia explicantur. III. 96. — Quid in eis Christiano sit imitandum. III. 99.—Ejus opera valoris erant infiniti. *ibid.* et seq. — Ejus satisfactio fuit actus strictæ, et rigorosæ justitiæ. III. 102 et seqq.—Quanta ejus scientia. III. 109. — Quam impiis formidabilis. III. 112 et seq. — Quatuor prærogativis donata fuit ejus scientia indita. III. 113.—In eo fuit scientia acquisita, quam propriis actibus comparavit. III. 117 et seq. — Fuit etiam in eo libertas, et voluntas. III. 122. — Qui in ejus schola non proficit, indignus est ejus magisterio. *ibid.* — Nullum fuit in eo peccatum. III. 124 et seq.— Nec peccati fomes. III. 127. — Nec habitus vitiosus, nec motus inordinatus, nec peccatum veniale, nec imperfectio. III. 128

Christum oportuit pati, et tamen libere passus est. III. 132 et seqq.

Christus ut homo fuit Patris servus, et qua servitute. III. 140. — Secundum humanam naturam debet simpliciter dici filius naturalis Patris. III. 142 et seqq.— Non est filius totius Trinitatis. III. 145. — Est noster advocatus, mediator, et sacerdos in æternum. *ibid.* et seq.

Christo debetur summus latriæ cultus. III. 149. — Nihil eo melius, nihil dulcius cogitari potest. III. 151 et seq. — An ejus imagines sint adorandæ latria. III. 158 et seq. et 160. — Amorem affectivum, et effectivum ei debemus. III. 162 et seq.

Christus convenienter est de stirpe Adæ conceptus, et carnem ex fœmina assumpsit. III. 166 et seq. — Ejus genealogia convenienter est ab Evangelistis descripta. III. 167. — Eum in cordibus nostris esse conceptum, tribus signis dignoscere possumus. III. 168 et seq.

Christi conceptio convenienter Spiritui sancto attribuitur. III. 169. — Multa in illa miracula nitent, quæ referuntur. III. 171 et seqq.—Ejus nativitas temporalis. III. 175 et seq. — Describuntur illius circumstantiæ. III. 176 et seq. — Convenienter est aliquibus manifestata. III. 178. — Convenienter etiam observata fuerunt legalia post eam. III. 180 et seq.

Christus quinque siclis redemptus. III. 182 et seq. — A Joanne fuit baptizatus, et quare, et quo ætatis tempore. III. 185 et seq. — A Patre in Baptismo honorificatus. III. 187. — Prius baptizari voluit, quam prædicare, et quare. *ibid.* et seq.

Christi vita et conversandi modus per varias circumstantias breviter transcurritur. III. 188 et seq. — Ejus tentatio proponitur. III. 190 et seq.

Christus verus prædicator, et prædicatorum typus. III. 193 et seq. — Cur doctrinam suam scriptis non commendavit. III. 195.

Christi viventis, et mortui an fuerit idem numero corpus. III. 220

Vide *Passio*, *Mors*.

Christus descendens ad inferos, an moram ibi traxerit, et quas animas ab eis liberarit. III. 232 et seq. — Ejus in cruce morientis constantia a nobis observanda. III. 234. — Ejus elogium ex doctrina D. Thomæ pangitur. III. 298 et seq.

Christus Dominus nobis corpus suum in cibum, et sanguinem suum in potum realiter daturum promisit, et promissionem

suam in institutione Eucharistiæ implevit. IV. 6 et seqq. et 10 et seq.
Vide *Præsentia realis.*

Circumcisio.

Circumcisionis usus ad imitandum Christum peractus, nullatenus potest nunc esse licitus. III. 180 et seq.
Circumcisio tribus potissimum de causis est instituta. III. 598.— Quando fuerit instituta, qui ejus effectus, et quam gratiam conferret. III. 599 et seqq.
Circumcisionem Judaicam mutavit Christus in spiritualem, quam baptizatis imposuit. III. 602 et seq.

Clericus.

Clericorum simplicium, nullaque ordinatione insignitorum antiquitas proponitur. IV. 511. — Varii eorum gradus referuntur. *ibid.*
Vide *Tonsura.*

Cœlibatus.

Cœlibatus clericorum non est juris divini, sed solum Ecclesiastici. IV. 482.—Maxime decet Ecclesiæ ministros. *ibid.* — Contra sentientium objectiones solvuntur. *ibid.* et seqq.

Cognitio.

Cognitionis divinæ, qua Deus possibilia, et futura cognoscit, medium quale. I. 152
Cognitio divina habet rationem sapientiæ. I. 153 et seq.
Cognitionis divinæ mirabile privilegium, quomodo possimus imitare. I. 156
Cognitionis divinæ respectu futurorum varia media rejiciuntur. I. 159

Communio.

Communio parvulis et in Orientali, et in Occidentali Ecclesia fuit antiquitus exhibita, et circa hoc mens D. Augustini accurate indagatur. IV. 101 et seq.
Communiones eorum, in quibus passiones indomitæ, eademque peccata vigent, valde supecta. IV. 201
Communio pie frequentata potest animabus Purgatorii esse proficua. IV. 216. Damnata est opinio contraria. *ibid.* et seq.
Per Communionem indignam non satisfit Ecclesiæ præcepto. IV. 223
Communio sub utraque specie non est præcepto divino omnibus imperata, nec necessaria. IV. 226 et seq.—Probatur hæc veritas exponendo loca, quibus utriusque speciei usus omnibus præscribi videtur. IV. 227. — Confirmatur allatis variis Ecclesiæ primitivæ ritibus. IV. 228 et seq. — Roboratur ex Scripturis et Patribus. IV. 232 et seq. — Ratione theologica unius speciei usus stabilitur. IV. 235 et seq. — Gravissimis rationibus ad hunc usum permota est Ecclesia. IV. 236
Communio sub utraque specie aliquando, et aliquibus est ab Ecclesia permissa. IV. 239 et 241 et seq.
Communio laica, de qua in vetustissimis Patribus, et Conciliis fit mentio, quid sit, variis allatis sententiis explicatur. IV. 242 et seq.
Communionis sub una, vel sub utraque specie gratia æqualis est ex opere operato, inæqualis ex opere operantis. IV. 244 et seq.
Communio sacrilega gravioribus criminibus accensetur. IV. 253 et seq.
A Communione potissimum arcet peccatum luxuriæ. IV. 256. — An semper sit ei præmittenda confessio. IV. 257. — Quibus peccatoribus sit deneganda. IV. 258. — Potest reis ultimo supplicio damnatis exhiberi, sed hic usus alicubi inolevit. IV. 259 et seq.
Ad Communionem recipiendam, quæ corporis dispositiones requirantur. IV, 262 et seq.
Communionibus frequentibus non crescit dilectio Dei, si factis egregiis foras non prodit. IV. 271
De Communione frequentius, vel rarius usurpanda variæ traduntur regulæ ex Patribus antiquioribus, et recentioribus, et Conciliis depromptæ. IV. 272 et seqq.
A Communione frequenti non arcet bonos negotiorum honestorum multitudo. IV. 290 et seq. — Nec peccata venialia, eorum tamen effectus Communionis dilationem exigit. *ibid.* et seq. — Objectiones contra præfatas regulas a ratione petitæ solvuntur. IV. 292 et seqq.— Illustrantur amplius prædictæ regulæ variis testimoniis. IV. 297 et seqq.
Communionis dilatio quando laudanda,

quando vero reprehensione digna. IV. 299 et seq. — Circa abusus, qui in ea admittuntur præclarissima profertur doctrina. IV. 301 et seqq.
Vide *Eucharistia.*

Concilium.

Concilia diversi generis proponuntur. I. 37. — Qua polleant auctoritate. *ibid.* et seq. — Assistit eis infallibiliter Spiritus sanctus. I. 38. — Errare non possunt generalia legitime congregata. *ibid.* — Eorum confirmatio soli Romano Pontifici eximia. I. 39
Concilia a Romani Pontificis fide, et communione sejuncta in varios errores prolapsa sunt. I. 47

Concionator.

Concionatoris veri dotes recensentur, et quales ad id munus eligendi ostenditur. III. 194
Concionator ille solus est vere Apostolicus, cujus lingua, et manus, verba, et vita concordant. III. 254

Concupiscentia.

Concupiscentia effectus est, et pœna peccati. In *Appendice*, III. 366. et seq. — An sensisset eam homo in statu puræ naturæ conditus. III. 367. — Ad malum inclinat. *ibid.* — Erubescit ex ejus motibus natura. *ibid.*
Vide *Peccatum.*

Confessio.

Confessio est pars sacramenti Pœnitentiæ. IV. 337. — Antiquus est ejus usus in Ecclesia. *ibid.* — Est necessaria, et a Christo instituta. IV. 338 et seq. — Elucidantur loca huic doctrinæ in speciem repugnantia. 339
Confessio publica an fuerit aliquando in usu, et approbata ab Ecclesia. IV. 341.
Confessio secreta nec directe, nec indirecte in ullo casu est revelanda. IV. 360

Confirmatio.

Confirmatio est verum novæ legis sacramentum. III. 604 et seq. — Ejus essentia per varia ei a Patribus imposita nomina declaratur. III. 607 et seq. — Ea roboratus Christianus Christum certantem, vincentem, et triumphantem usque ad agonem imitetur. III. 608
Confirmationis materia remota quæ sit. III. 609 et seq. — Quænam sit proxima. III. 612. — Ejusdem forma latina. — III. 613 et seq. — An differat a Græca. III. 615. — Ejus subjectum quodnam sit, et quid in eo desideretur. III. 617. — Duplex illius effectus assignatur. *ibid.* et seq. — Non potest, nec potuit unquam iterari. III. 620. — Rationis compotibus confertur, et signaculum dicitur, ut sciant eam se ex operibus ostendere teneri. III. 621
Confirmatio in die ultimæ cœnæ fuit a Christo instituta. III. *ibid.* et seq. — Ad integram Christiani perfectionem necessaria est. III. 624. — Quam caute, et diligenter conferenda, et suscipienda. III. 625 et seq. — Est necessaria necessitate præcepti. III. 628. — Cur post eam susceptam tam deflenda vecordia inveniatur in Christianis. *ibid.* et seq.
Confirmationis minister ordinarius est Episcopus, extraordinarius autem ex dispensatione potest esse simplex sacerdos. III. 630 et seq. et III. 634 et seq. — Sacerdotes simplices nullatenus quavis accedente dispensatione Confirmationis ministros effici posse gravissimis argumentis suadetur. III. 637 et seq.

Conscientia.

Conscientia nihil notius, nihil ea obscurius. II. 96. — Quid sit. *ibid.* — Ejus definitio tradita a P. Mercoro. II. 98. — Quotuplex sit. *ibid.* — An, et quomodo erronea liget, vel excuset. II. 99. — Mala, et tranquilla quænam sit. II. 125
Vide *Ignorantia.*
Conscientia in omnibus humanæ vitæ actibus semper consulenda, citius apprehenditur, quam scientia, et utilius retinetur. II. 126

Consensus.

Consensus quis actus voluntatis sit. II. 20. — Non est proprie de fine. *ibid.* — Quomodo in tentationibus distinguatur a sensu. *ibid.* et seq.

Contemplatio.

Ad contemplationis summum gradum mire conducit Deum in nobis contemplari. I. 101 et seq.
Contemplari divina, vel pati, terrenis deditus homo nequit. I. 117 et seq.

Contritio.

Contritionis definitio traditur, et explicatur. IV. 326 et seq. — Ejusdem divisio proponitur. IV. 328.
Contritio specie non differt ab attritione. *ibid.* — Ad eam eliciendam præcepto divino, et naturali tenemur. IV. 329. — Quando urgeat. IV. 332 et seq. — Variæ contra hanc doctrinam objectiones solvuntur. IV. 329 et seq.
Contritio unica sufficit ad delenda plura peccata. IV. 335 et seq.
Contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, an ad justificationis gratiam recipiendam sufficiat, examinata concilii Tridentini doctrina fuse disquiritur. IV. 402 et seq.
Contritionis actus in formulis elicitus, laudandus quidem, sed sæpe fallax et inanis est. IV. 409 et seq.
Vide *Timor.*

Cor.

Cor humanum misericordiæ divinæ adinventiones emolliant. I. 197
Cor humanum pretiosa res, in quo multa demirantur philosophia, et theologia. I. 206 et seq.
Cor hominis fons amoris, qui intus saliens duos rivos cupiditatem, et caritatem effundit. I. 301 et seq.
Cor hominis pravum soli Deo notum, hominibus autem, et Angelis impervium. I. 439 et seq.
Cordis nostri ad Eucharistiam digne suscipiendam dispositiones tum necessariæ, tum proficue, et tanto cibo consentaneæ ordine referuntur. IV. 253 et seq.

Creare, et *Creatio.*

Creandi virtus ita est Deo propria, ut nulli creaturæ possit communicari. I. 394
Creationis effectus universalissimus universalissimæ causæ respondet. I. 395 et seq.
Creationis instrumentum nullum dari potest. I. 397.
Creationis opus convenientissime per sex dierum spatium delineatus. I. 472 et seqq. — An fuerint vere naturales. I. 476 et seq.
Creationis opificium divinum peramœne depingitur. I. 478 et seq.
Ex ejus sive instantanea, sive successiva productione qui fructus a nobis colligendi. I. 481
Creatio, et conservatio non distinguuntur, sed sunt una, et eadem actio. I. 495

Creatura.

Creaturis utendum, sed minime fruendum esse, pia Christiani consideratio. I. 345
Creaturarum, et operum divinorum meditatio ad quid utilis Theologo. I. 384
In Creaturis nequit inveniri nostra felicitas, quarum origo nihil est. I. 394
Creatura nulla potest Deo ministrare ad producendum effectum creationis. I. 397 et seq.
Creaturæ rationalis solius est propter finem agere. I. 512. — Beatitudinem appetit, quam in se nunquam invenit. I. 522 et seq.
Vide *Beatitudo*, *Homo.*
Creatura rationalis in primo rationis diluculo ad Deum diligendum debet se convertere. II. 343 et seqq.

Crux.

Crux, in qua passus est Christus, quo cultu sit adoranda. III. 161 et seq. — Est signum Christianismi. *ibid.* — Ejus amor est character vere Christiani. *ibid.* et seq.

D

Dæmon.

Dæmones multa in inferno agunt, et dira patiuntur. I. 406
In Dæmonibus an aliqua reperiatur subordinatio. I. 419 et seq.
Dæmonum obstinatio in peccato ex triplici radice profluit. I. 460. — Facilius percipitur, cum multorum hominum insensi-

bilitas consideratur. *ibid.* et seq. — Odii, et invidiæ œstro in homines præcipue feruntur. I. 471

Decretum.

Decretum Dei liberum per quid constituatur, et in quo consistat. I. 205 et seq.
Decreta efficacia, et absoluta ex parte actus, conditionata vero ex parte objecti, admittenda sunt in Deo circa futura conditionata. I. 209 et seqq.
Decreta Dei indifferentia, efficacitatem a consensu creaturæ expectantia rejiciuntur, prædeterminantia vero efficaciter consensum inferentia admittuntur. I. 214 et seq.
Decretum indifferens ad consensum, vel dissensum, quomodo ad unam partem potius, quam ad aliam determinetur. I. 215 et seq.
Decretum prædeterminans optare debet anima nostra. I. 216
Decretum prædeterminans voluntates hominum movendo, earum libertatem non aufert, sed perficit. I. 216 et seqq. — Illustratur hæc doctrina variis exemplis. I. 218 et seqq.

Deipara.

Deipara sola Maria inter puras creaturas fuit a peccato veniali exempta. II. 364 et seq.
Vide *B. Maria.*

Deus.

Deum esse an quodammodo sit per se notum. I. 71 et seq. — De Dei existentia non potest dari ignorantia invincibilis. I. 72.
Deum esse colendum per se notum est. *ibid.*
Deum existere quinque manifestis rationibus demonstratur. I. 73 et seq.
Deum cognoscens, nec timens, non est dicendus homo. I. 76 et seq.
Deus ita unus, et singularis est, ut plures dari Deos penitus repugnet. I. 77. et seq.
Dei unitati bellum gerimus quoties vitiis inquinamur. I. 78
Dei formale constitutivum, quidditas, seu essentia quid sit. I. 79 et seq.
Dei naturam constituere per rationem entis a se, mirum in modum divinitatis majestatem elevat. I. 83 et seq.
Dei perfectionem quatuor dimensiones, quibus perfectius eum in via apprehendimus. I. 85
Dei simplicitas omnimoda stabilitur. I. 86 et seq.
Dei spiritus simplicissimus, in effectibus suis est multiplex. I. 88
Divinæ simplicitatis exprimendæ, veræque puritatis a Christiano acquirendæ verus modus proponitur. *ibid.*
Dei simplicitas omnem distinctionem actualem excludit, solam distinctionem rationis compatiens. I. 88 et seq.
Deus in spiritu, et veritate adorandus. I. 90
In Deo summa, et illimitata perfectio admittitur, imitabilis tamen. I. 90 et seq.
In Deo summa est bonitas, et sanctitas. I. 92
Dei egregia, et elegantissima pulchritudo. I. 94.
Dei infinitas et immensitas explicantur. I. 95 et seqq.
Deus licet infinitus, quomodo magnificari possit. I. 98
Deus licet immensus, non tamen existit actu in spatiis imaginariis. *ibid.* et seq.
Deus variis modis dicitur omnibus rebus præsens. I. 100 et seq.
Deus penitus immutabilis probatur. I. 102
Deo competit æternitas principio et fine carens. I. 103 et seq.
Deus viribus naturalibus cuilibet intellectui penitus invisibilis. I. 108 et seq.
Deum ab homine in hac vita videri non est impossibile : et an alicui viatori concessum sit tale privilegium. I. 114 et seqq.
Deus incomprehensibilis, et ineffabilis. I. 117 et seq.
Dei incomprehensibilitas ab homine adoranda, et humili fide complectenda. I. 119
Deo nullum nomen quidditativum a viatoribus, vel Beatis potest imponi, diversis tamen nominibus possunt ejus perfectiones exprimi. *ibid.* et seqq.
Dei tria præcipua nomina referuntur, et explicantur. I. 121 et seq.
Ut Deus ab intellectu beato videatur, quid requiratur. I. 123
Deum quo sensu deceat silentium I. 126
Deus non necessitatur ad eligendum id, quod magis decet gloriæ suæ majestatem, et

honorem. I. 241
Deus non semper facit quod in se perfectius est : et quare multos imperfectionum defectus in rerum universitate sivit. *ibid.*
Deus cur post creationem hominis in Scriptura Dominus vocetur. I. 245
Deus prima, summa, et incommutabilis veritas asseritur. I. 149
Deus quomodo possibilia cognoscat, vide *Cognitio.*
Deus an prius pater creaturarum, quam personæ divinæ dicendus sit. I. 333
Deus est prima rerum omnium causa efficiens, et exemplaris. I. 386 et seq.
Deus verum, et sine macula speculum animæ nostræ, operumque nostrorum archetypus sit. I. 387. — Est productionis rerum causa finalis. I. 388 et seq.
Deus Creator Universi totius confitendus asseritur. I. 392. — Creavit omnia sine consortio alicujus creaturæ, non tamen ab æterno, sed in principio temporis. *ibid.* et seq.
Deus quia solus creare potest, solus a nobis colendus, ac amandus est. I. 396 et seq.
Deus Rex verus est. I. 504. — Quam necessarium, justum, et jucundum sit, ut in nobis regnet. I. 505
Dei Trini elogium proponitur. *ibid.*
Deum negare, et eum auctorem scelerum facere ejusdem censetur impietatis. II. 316 et seq. — Eum totam actus peccati, qua ens, et actus est, entitatem efficere rationibus eisdem probatur, quibus cum omnibus causis ad agendum concurrere ostenditur. II. 318
Deus unus, et trinus triplici de causa potest depingi. III. 156

Diaconatus, et Diaconus

Diaconatus est ordo. IV. 503.— Quæ sit ejus forma. *ibid.*
Diaconorum munus præcipuum quodnam. *ibid.* et seq. — An aliquando licuerit eis pœnitentes reconciliare. IV. 504. — Reliqua eorum munia breviter exponuntur. *ibid.*

Diaconissa.

Diaconissæ olim in Ecclesia per manuum impositionem ordinabantur, non tamen ad Sacerdotium pertinebant. IV. 514. — Penitus desierunt. 515
Diaconissæ Diaconorum uxores dictæ. *ibid.*

Doctor.

Doctoris catholici sex eximiæ dotes recensentur, quas SS. Augustino et Thoma convenire asseritur. II. 227 et seqq.
Vide *D. Augustinus, D. Thomas.*

S. Dominicus, et Dominicani.

S. Dominicus ad fidei, et Ecclesiæ afflictæ solatium decimo tertio sæculo floruit. II. 699. — Refertur ejus elogium. *ibid.* et seq.
Dominicanus ordo gliscentem probabilismi luem in comitiis generalibus rescidit. II. 159 et seq. — Damnat aliquos etiam suorum errores. II. 167. — Ordo veritatis dictus est. II. 168
Vide *Thomistæ.*
Dominicanorum opera, et scripta calumniose a quibusdam modernis traducta, totaque Religio ab impositis criminibus vindicantur. III. 196 et seq. — Duplex harum vindiciarum datur ratio. III. 199 et 201. — Pro calumniis tamen benedictiones reponunt. III. 205.

Dominium.

Dominium supremum et illimitatum Deo convenire probatur : ubi duplex dominium distinguitur. I. 243 et seq.
Dominio divino quam gloriose subjicitur homo. I. 245

Dona Spiritus sancti.

Dona Spiritus sancti sunt homini necessaria. II. 480. — An distinguantur a virtutibus infusis. *ibid.* — Eorum effectus. *ibid.* — Comitantur beatitudines. II. 481 et seq. — Per ea etiam futura felicitas inchoatur. II. 482. — Periculosum est de motibus extraordinariis, ad quos per ea disponimur, judicium ferre. II. 483
Dona Spiritus sancti, quæ fidei respondent, referuntur. II. 537 et seq. In solis justis inveniuntur. II. 539. — Quomodo inter se distinguantur. *ibid.* — Quinam sint eorum fructus, et quæ beatitudines eis respondeant. II. 540. — Illis desertus est Christianus fide revelatis credens, si per dilectionem non operetur. *ib.* et seq.

E

Ecclesia.

Ecclesiæ ministris scientia, et pietas pernecessariæ. I. 4
Ecclesiæ nomine quid intelligatur, et quæ censenda sit vera Ecclesia. II. 655 et seq.
Ecclesia Romana veræ Ecclesiæ notas, et proprietates habet. II. 657
Ecclesiæ Romanæ sanctitas describitur. *ibid.* et seqq.
Ecclesia Romana sola Catholica, sola Apostolica statuitur. II. 660 et seq.
Ad Ecclesiæ Romanæ sinum piis rationibus invitantur hæretici. II. 662
Ecclesiæ Romanæ antiquitas doctrinæ illius puritatem evincit. *ibid.* et seq.
Ecclesiæ Romanæ universitas, et consensio, veræ Ecclesiæ notæ. II. 664 et seq.
Ecclesiæ Romanæ visibilitas, et firmitas eam solam veram esse Ecclesiam ostendunt. II. 665 et seq.
Ecclesiæ Sanctæ Matris infamia non est ex quorumdam filiorum corruptela quærenda. II. 678
Ecclesiæ totius Catholicæ conspirans sensus locus est theologicus invictum præbens infallibilis firmitatis argumentum. I. 33 et seq.
Ecclesia tota nunquam defecit, etsi ex multorum vitiis sit scandalum multoties passa. I. 35
Ecclesiæ legem enervat modernorum intolerabilis, et detestanda licentia, a fidelibus pie deflenda. I. 36
Ecclesiæ Romanæ supra omnes alias principatus variis auctoritatibus stabilitur. I. 47 et seq.
Egregie favet Regum monarchiæ, et supremo dominio. I. 52 et seq.
Ecclesiæ de quæstionibus facti judicia quanta sint cum reverentia excipienda. I. 56 et seq. — Absolute tamen sunt errori obnoxia. I. 60.— Rationes hujus assertionis proferuntur. *ibid.* et seq.
Ecclesia propositiones erroneas potest infallibiliter damnare, quamvis in dubiis facti non sit infallibilis. I. 63 et seq.
Ecclesia catholica Arcthuro similis, persequutiones patiens non occidit. II. 187 et seq. — In primo sæculo, et ab exteris, et a domesticis valde fuit expugnata. II. 684 et seq. — Varias patitur persequutiones in secundo sæculo. II. 685 et seq. — In tertio vero et persequutiones, et schismata gravissima sentit. II. 687 et seq. — Pace fruitur initio quarti sæculi, quæ vix intermicans statim novis tempestatibus quassatur. II. 690 et seq. — Clades ejus currentibus quinto et sexto sæculo contingentes recensentur. II. 694 et seq. — In eam insurrexisse videbatur persequutionibus iteratis e rebus septimo, octavo, et nono sæculo ; sed inde fides resurgere cœpit, et dilatata est, unde peritura videbatur. II. 696. — Decimi, undecimi, duo decimi, et decimitertii sæculi damna Ecclesiæ illata. II. 697.— Decimi tertii Ecclesiæ sæculi clades, et cladium lenimenta. II. 698 et seq.
Ecclesia sede Romana in Galliam translata multa damna patitur. II. 700 et seq. — Varia in ea schismata. II. 701. — A Turcis, et ab Hæreticis cruenta multa patitur decimo sexto, et decimo septimo Ecclesia sæculo, sed divinitus armata ex damnis lucra reportat. II. 702 et seq.
Ecclesiæ incommoda Ecclesiasticæ, et regularis disciplinæ corruptionem consequentia describuntur. IV. 189 et seq.
Ecclesiarum Patriarchalium, et Metropolitanarum magna semper auctoritas fuit. IV. 496
Ecclesiæ facultates quibus distribui debeant. IV. 513. — Quando cœperint ejus bona in varias partiones distribui. 514

Electio, et Electus.

Electionis prædestinatorum ad gloriam causa motiva quæ sit. I. 248
Electio, quæ vult bonum aliquibus præ aliis, non est inefficax et communis omnibus, sed specialis pro electis. I. 249
Vide *Meritum, Prædestinatio.*
Electorum numerus in libro vitæ scriptus certus est. I. 270. — Soli tamen Deo notus. I. 271
Electorum numerus exiguus in comparatione reproborum. *ibid.* — Et quare *ibid.* et seq.

Episcopatus, et Episcopus.

Episcopatus est origo, et plenitudo Sacramenti Ordinis. IV. 469. — Habet relatio-

nem ad Eucharistiam. IV. 470
Episcopatum qui desiderat, bonum opus desiderat, sed non idcirco bene desiderat. IV. 493. — Quænam sit ejus materia, et qui ritus. IV. 494 et seq.
Episcopi in Æcumenicis Conciliis congregati, Consiliarii sunt, atque Judices. I. 38. — Eorum conventus quando careant certa, et infallibili auctoritate. *ibid.* et seq.

Vide *Concilium.*

Episcopi eximii, aliique viri Apostolici clarissimi etiam in hoc sæculo nequam sanctam Matrem Ecclesiam lætificant, et ornant. III. 640 et seq.
Episcopi doctoris nomen, et officium antiquitus habuerunt, et quare. IV. 491. — A Christo fuerunt instituti. IV. 495. — Variis nominibus fuerunt insigniti : ubi de eorum electione, consecratione, et Metropolitanorum juribus. IV. 496.

Essentia divina.

Essentia divina præintellecta personis subsistentiam absolutam habet. I. 323 et seq.
Essentia divina est de quidditate relationum, et vice versa, cum sola præcisione formali, non vero objectiva. I. 292 et seq.
Essentia divina communicari potest sine relatione. I. 320.

Vide *Relatio.*

Ethica.

Ethicæ Christianæ principia unde sint a vero Theologo haurienda : ubi de locis Theologicis. I. 20 et seq.
Ethica Christiana arte miranda felicitatem ibi invenit, ubi mundus miseriam arbitratur. I. 542 et seq.
Ethica Christiana Deum tanquam archetypum absolutissimum intueri debet. II. 452. — Ideo ei non sufficiunt virtutes mere naturales. II. 453.

Eva.

Eva congruenter ex costa Adami formata. I. 482. — Quo die, et ubi producta, vide *Protoparens.*

Evangelium.

Evangelium quanto cum fructus sæpe, et reverenter legatur, et quare dum in Ecclesia legitur, luminaria accendantur. I. 69.

Eucharistia.

Eucharistiam inter et Sacræ Scripturæ verba multæ analogiæ afferuntur. I. 70.
Eucharistiæ sacramentum variis nominibus insignitur, et quare. IV. 2 et seq. — Realiter in eo Christum possidemus. IV. 10 et seq. — Calvinistarum cavilli contra hanc sententiam eliduntur, IV. 12 et seq. — Ad illos, ut hanc veritatem amplectantur, pia reflexio, et admonitio dirigitur. IV. 18 et seq.
Eucharistiæ hostes, et hostilitates ordine recensentur. IV. 70. — Varii circa eam errores a variis confícti. IV. 71 et seq. — Erroribus suis eam hæretici, sed longe gravius indignis communionibus persequuntur Catholici. IV. 77.
Eucharistiæ sacramentum quando, et in quo pane a Christo Domino institutum. IV. 95 et seq. — Est omnibus necessarium necessitate medii. IV. 99 et seq. Ejus usus pueris antiquitus tum in Oriente, tum in Occidente permissus. IV. 105. — Vera ad eam suscipiendam dispositio est hujus cibi amor sincerus et vehemens desiderium. IV. 106 et seq.
Eucharistia est sacramentum corporis, et sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini realiter contentum. IV. 108 et seq. — Licet duplici elemento constet, unicum tamen est sacramentum. IV. 111.
Eucharistia symbolum est pacis, et Christianorum caritate conjunctorum nexus. IV. 112.
Est sacramentum permanens. IV. 113. — In ea Christus est adorandus adoratione latriæ. IV. 114 et seq. — Adoranda est cultu externo, et corporeo. IV. 119. — Perpetuus ejus cultus in piis Christianis laudabilis, lugenda vero aliorum ignavia de ea digne suspienda nihil sollicitorum. IV. 123.
Eucharistiæ materia vera, et sola panis, et vinum. IV. 124. — Varii circa eam errores notantur. IV. 125. — Observanda multa circa eam scitu digna. IV. 126.
In Eucharistia conficienda debet utraque species consecrari, valide tamen una consecraretur, nunquam vero licite. IV. 136 et seq.

Ad Eucharistiæ materiam an determinata panis, et vini præsentia, et quantitas desiderentur. IV. 138 et seq.

Eucharistia divinæ largitatis mirabile prodigium est, meritoque a Sanctis Incarnationis extensio nominatur. IV. 140 et seq.

Eucharistiæ legitima, et essentialis forma traditur, variique circa eam errores referuntur. IV. 141 et seq. — Non potest constitui in precibus Sacerdotum. IV. 144. — Quænam verba sint essentialia formæ. IV. 147 et seq. — Probabilior circa hoc sententia eligitur, quæ Patrum traditione et rationibus D. Thomæ probatur. IV. 149 et seq. et 153 et seq.

Euuharistia est Passionis Christi jugis memoria, et viva imago : est etiam obedientiæ perpetua expressio. IV. 158.

In Eucharistiæ utraque specie quid vi verborum, quid concomitanter contineatur. IV. 160 et seq. — An per concomitantiam Pater, et Spiritus sanctus præsentes in Eucharistia speciali aliqua ratione sint. IV. 162. — Quomodo Christus sub speciebus existat. *ibid.* — An per se, vel per accidens corpus Christi in hoc Sacramento moverit possit. IV. 163 et seq. — An ab oculo corporeo saltem glorioso, et divinitus videri possit. IV. 166.

In Eucharistiæ sacramento Christus adest, ut nobis præbeat remedium, et solatium : abesse tamen videtur, ut amorem nostrum acuat, et desiderium inflammet. IV. 167.

Eucharistiæ motiva specialia recensentur. IV. 168 et seq. — Eorum autem præcipuum amor est in finem diligens, et heu ! frigidum pectus nostrum sæpissime reperit. IV. 170 et seq.

Eucharistia est divinæ omnipotentiæ ultima meta. IV. 172. — Est divinæ adinventionum sapientiæ ultimus conatus. IV. 173 et seq. — Est divini amoris effusionum coronis. IV. 175 et seq.

Eucharistiæ bono non uti quantum malum sit, diligenter attendant Christiani. IV. 178

Eucharistiæ conficiendæ minister solus est Sacerdos proprie dictus. IV. 178. — Varii circa hanc doctrinam errores refutantur, et objectiones solvuntur. *ibid.* et seq. — Historica etiam quædam facta ad hoc narrantur, et elucidantur. IV. 182 et seq.

Eucharistiæ dispensandæ minister de jure divino est sacerdos, et ex commissione, et potestate delegata diaconus. IV. 184. — An possint eam dispensare laici. IV. 186. — Circa consecrationem, et Eucharistiæ dispensationem nonnulla scitu, et observatione digna referuntur. IV. 187. et seq.

Eucharistia gratiæ, et vitæ spiritalis augmentum efficit. IV. 192 et seq. — Specialius Fideles cum Christo, et inter se unit. IV. 194. — Pinguedinem spiritus causat cum victricis gratiæ delectatione. IV. 195. — Spiritalem vigorem in nobis producit, quo tentationibus obsistimus, et a peccatis mortiferis præservamur. IV. 196. — Venialia peccata delet. IV. 197. — Condonationem pœnæ pro modo, et ratione fervoris suscipientis obtinet. IV. 198. — Passiones appetitus temperat. IV. 199 et seq. — Semen immortalitatis, et resurrectionis in corpus derivat. IV. 201 et seq. — Perseverantiam finalem conciliat, cui felicitas æterna succedit. IV. 204 et seq. — Quomodo sit causa gloriæ, et vitæ æternæ. IV. 207. — In ea pignus hæreditatis sempiternæ tenemus, et heu ! felicitatem in hac lacrymarum valle quærimus. IV. 208.

Eucharistia primam gratiam non producit, sed in suscipiente supponit. IV. 209. — An per accidens primam gratiam peccati lethalis remissivam interdum operetur. IV. 210 et seq. — Quo momento effectus suos ordinarios operetur. IV. 212 et seq, — Cur ex tam multis eam suscipientibus, tam pauci præclaros ejus fructus capiunt. IV. 214. et seq.

Eucharistiæ sacramentum prodest militantibus in Ecclesia, languentibus in purgatorio, et regnantibus in cœlo. IV. 216. — Directe suscipientibus tantum prodest, aliis autem indirecte. *ibid.* et seq.

Eucharistiæ sumendæ modus triplex assignatur. IV. 209. — Ab indignis etiam vere sumitur. *ibid.* — Quomodo explicanda loca Patrum, quibus in hoc hæretici abutuntur. IV. 120.

Ad Eucharistiæ usum Christiani omnes ratione utentes Ecclesiæ mandato, et jure divino tenentur. IV. 222. et seq. — Qui eam indigne suscipiunt, non ea utuntur

ad vitam, sed abutuntur in perniciem. IV. 224 et seq. — Necessarius ad eam digne suscipiendam mentis, cordis, et corporis apparatus exponitur. IV. 246.

Eucharistiæ usus qua ætate fit infantibus permittendus. IV. 247.— An energumenis, surdis, et mutis sit concedenda. *ibid.* — Quæ distractio fructum ejus impediat. IV. 248 et seq.

Eucharistiam frequenter suscipere possunt innocentes, peccatorum vero rei tantum post laboriosæ pœnitentiæ fructus ad eam accedere audeant. IV. 272 et seq. et 274 et seqq.

Vide *Communio.*

Extrema-Unctio.

Extrema-Unctio an sit novæ Legis Sacramentum a Christo Domino institutum. Vide *Unctio.*

F

Fatum.

Fatum non prorsus rejiciendum, sed hoc nomen a nobis non est usurpandum. I. 214.

Fatum Paganismum redolens, et a Dæmone invectum, repudiandum. I. 504. — Quale autem admittendum. *ibid.*

Fides.

Fidei Christianæ per totum mundum miranda propagatio. II. 649. — Ejus puritas expenditur. II. 650.

Fides Christiana innumeris miraculis contestata. II. 651.

Fidei Christianæ credere si perimpossibile error esset, non posset imputari in culpam. II. 655.

Fides, quæ a faciendo quod dicitur, derivatur, larva virtutis est, nisi per dilectionem operetur. I. 406

Ad Fidei res declarandas multum valet Doctorum scholasticorum, et Philosophorum auctoritas, ratio naturalis, et historia humana. I. 58.

Fidei varia acceptio traditur. II. 485 et seq. — Ejus necessitas suadetur etiam ad ea, quæ per rationem naturalem cognosci possunt assequenda. II. 486

Fides solum Deum, solique Deo credit, ac divinæ duntaxat inititur auctoritati. *ibid.* et seqq. — An ultima ejus, et decretoria resolutio fiat in Ecclesiam, aut Scripturam sacram. II. 489 et seq. — Ejus objectum variis dotibus et conditionibus insignitur, quæ singulæ recensentur. II. 492. — Non potest ferri etiam ex pravo usu intellectus nostri in aliquid falsum. II. 493 et seqq. — Ejus objectum an de ratione formali debeat esse non visum. II. 498 et seq. — An compatiatur evidentiam in attestante. II. 500.

In fidei plenitudine nobiscum sit Deus, ut in plenitudine gloriæ simus nos cum Deo. II. 504.

Fidei Christianæ articuli quid sint. II. 505. Vide *Articulus.*

Fidei splendor in substantia idem, quotidie semper amplius effunditur, et crescit ad perfectionem. II. 509 et seq.

Fidei definitio ab Apostolo tradita explicatur. II. 511. — Aliæ ejus definitiones proponuntur. II. 512. — Ejus divisio in formatam, et informem. *ibid.* et seq. — Idem sunt habitus formata, et informis. II. 514.

Fidei variæ dotes, et prærogativæ referuntur. II. 516.

Fides quamlibet Theologica, et divina virtus, mortua tamen est, et inanis, nisi caritate vivat, et per eam Christianus vivat, qui per eam credit. II. 522.

Fidei actus multiplex datur, et duplex subjectum. *ibid.* — Quomodo actus ejus interior, et exterior eliciantur. II. 523 et seqq.

Fidei confessio a sola fide producitur, et an in his possit esse, in quibus ejus habitus non invenitur. II. 521. — Ejus exterior confessio non valet quidquam sine interna fide : unde ad vitam interiorem contendere debet Christianus. *ibid.*

Fides supernaturalis infusa fuit Angelis in prima eorum conditione. II. 526. — Non perseverat in damnatis. II. 531. — Nec in Dæmonibus. *ibid.* — Quomodo in eis desinat. II. 532. — Non reperitur in hæreticis etiam respectu articulorum, quos non inficiantur, vel credere profitentur. II. 533. — Remanet in eis quoddam fidei acquisitæ simulacrum. II. 535. — Quomodo dicatur major, vel minor. *ibid.* — Quænam sit ejus causa. *ibid.* — Quinam ejus effectus. II. 536 et seq. — Quæ dona ei respondeant. II. 537 et seq.

Vide *Dona Spiritus sancti.*

Fides supernaturalis est necessaria ad salutem. II. 541 et seq.
Fides Christi Salvatoris an fuerit necessaria omni tempore. II. 542. — Quare sit absolute necessaria in nova lege. II. 544 et seq. — Quid sentiendum de fide Trinitatis. II. 545
Fides explicita Salvatoris indispensabilis prorsus est post adventum Christi II. 546
De Fidei confessione datur præceptum affirmativum pro debitis circumstantiis obligans. II. 548. — Varia circa hoc corollaria. II. 550
Fidem suam occultare licet aliquando Christianis, nunquam vero alienam sectam profiteri. II. 551
Fidem exterius negare semper est peccatum mortale. II. 552
Fides sola Dei unius præcepta legis veteris specialia præcessit. II. 555
De Fidei veritatibus sciendis, et intelligendis data sunt præcepta secundum tria. *ibid.* — Quid a nobis exigat ejus bonitas. II. 556
Fides de hostibus suis etiam per propria damna victrix quotidie a malis Catholicis vincitur. II. 704
Fides ad bona opera communiter, non tamen necessario, et indispensabiliter requiritur. II. 333 et seq.

Filius.

Filii æterni nomen oleum effusum. I. 338. —Verbi, et imaginis nominibus etiam insignitur. *ibid.* et seq. — Plura alia nomina ratione Deitatis, et humanitatis ei attribuuntur. II. 336
Filius Dei pia dignatione nos vocare fratres non confunditur. *ibid.*
Vide *Verbum.*

Finis.

Finis ultimi definitio, et divisio traditur. I. 511
Fines ultimos totales, et adæquatos nequit plures simul voluntas intendere. I. 514 et seq.
Vide *Beatitudo.*

Futurum.

Futura contingentia cognoscuntur a Deo in suo efficaci, et absoluto decreto, non in seipsis, seu ipsorum veritate objectiva antecedenter ad decretum. I. 156 et seq.
Futura conditionata certe a Deo cognoscuntur, et quo in medio ea cognoscat disquiritur. I. 161 et seq.
Futurum nullum conditionatum potest a Deo cognosci ante positivum ejus decretum. I. 170 et seq.
Futura conditionata per quam scientiam a Deo cognoscantur. I. 174

G.

Gaudium.

Gaudium, et delectatio an in Deo admittenda. I. 186.
Gaudium divinæ voluntatis an virtualiter differat ab amore. *ibid.*
Gaudium Beatorum tantum et tale, ut illius abundantiam nullus mortalis posset tantisper exscribere. I. 550

Generatio.

Generationis definitio traditur. I. 284. — Sublatis imperfectionibus proprie convenit processioni Verbi. *ibid.*
Ad generationis rationem salvandam in processione Verbi quid requiratur. *ibid.* et seq.
Vide *Processio.*

Gloria.

Gloriam gratis velle dare, et velle illam dare gratis, quomodo distinguantur. I. 254
Gloriam proponi ut coronam, et voluntatem dandi gloriam supponere merita, quo sensu dicant Scriptura et Patres. *ibid.* et seq.
Vide *Electio, Prædestinatio.*
Gloriæ gradus non meritorum quantitatis sed uni gratiæ intentioni in qua pœnitens resurgit respondent. IV. 416
Vide *Meritum.*

Gotteschalcus.

Gotteschalcus quis, et qualis fuerit. II. 271. — Accusatur. *ibid.* — Accusatur, et damnatur. II. 272. — Condemnationis capita proponuntur, et iniquitas sententiæ ostenditur. *ibid.* — Fuit Augustinia-

næ doctrinæ et gratiæ defensor, pro qua persecutionem passus, et patiendo immortuus est. II. 273. et seq.

Gratia.

Gratiæ soli correspondet gloriæ graduum dissimilitudo, unde infertur quod ea sola egemus. I. 132

Gratiæ per se efficacis defensores cur rigidioris disciplinæ tenaciores. I. 173

Gratia divina tantas vires habet, ut ea nihil sit fortius, ejusque fortitudine suavius. I. 218

Gratia efficax quomodo dum voluntatem flectit, vim dissentiendi non eripiat. I. 221.

De Gratia efficaci Thomistica sententia quantum a Calviniana dissentiat. I. 225

Gratia interrupta per peccatum an sit prædestinationis effectus. I. 257

Vide *Prædestinatio.*

Gratia sufficiens an nunquam justis, nunquam etiam peccatoribus desit. II. 120

Gratiæ duplex etymologia, et significatio. II. 276. — Ejus effectus est veritas in mente, et amor in corde. II. 322

Gratia supernaturalis non requiritur ad cognoscendas veritates naturales. II. 323. — Nullum absque speciali Dei adjuvantis gratia in statu naturæ lapsæ potest ab homine fieri bonum etiam moralis ordinis. II. 328 et seqq. — Hæc gratia non præsupponit necessario fidem, et multo minus caritatem, et gratiam habitualem. II. 333 et seqq. — Adversus hanc doctrinam objectiones proponuntur, et solvuntur. II. 337 et seqq.

Gratiæ lumen ut lucis opera eliciamus semper invocandum, et pro bonis, quæ agimus, gratias Deo persolvere æquissimum. II. 350

Gratiæ necessitas ad tentationes vincendas asseritur. *ibid.* et seqq. — Et ad Deum super omnia diligendum in statu naturæ lapsæ. II. 353. — Et ad præcepta legis naturalis observanda. II. 358 et seqq.

Gratiæ adjutorium ad opera supernaturalia omnino requiritur. II. 366 et seq. — Testimoniis Patrum probatur hæc veritas. II. 368 et seqq. — Et objectionum solutione. II. 371 et seqq. — Unde illud a Deo gemitibus inenarrabilibus postulare debemus. II. 376 et seq.

Gratiæ multiplex acceptio. *ibid.* 2. — Supernaturalis divisio in gratiam gratis datam, et gratum facientem. II. 378. — Gratiæ datæ alia divisio. *ibid.* — Actualis divisio in operantem, et cooperantem. II. 379

Gratia operans, et cooperans variis insigniuntur nominibus. *ibid.*

Gratia Dei, et gratia Christi quid sint. II. 380.

Gratia Christi alia sufficiens, alia efficax est, et quid per eas intelligendum sit. *ibid.* et seq. — Undenam efficaciam suam sortiatur. II. 386. — Sola illius virtute accenduntur hominum animi ad recte vivendum, liberandisque restat sola gratia liberantis, continuis a Deo precibus postulanda. II. 387. — An de gratia habituali præcipua fuerit Augustini cum Pelagianis controversia. II. 243 et seq. — Reprehenditur circa hoc cujusdam anonymi Parisiensis sententia. II. 245 et seq.

Gratia Dei vera, quæ non secundum merita nostra detur, sed bonam præveniat voluntatem, ab omnibus Catholicis confidenda, et enixis precibus imploranda. II. 250 et seq.

Gratia Christi, gratia operis, auxilium quo, quid sit. II. 259. — Ad incipiendum, ad prosequendum, ad perficiendum necessariam fatentur Catholici, sperant, et enixis precibus postulare debent. II. 260.

Gratiæ divinæ præcipuum opus est justificatio impii, et animæ sanctificatio. II. 389.

Gratia sanctificans est qualitas realis, et physica. *ibid.* et seq. — Divinitus infunditur. II. 392. — Est formalis naturæ divinæ participatio. II 393. — Quomodo sit hoc intelligendum. II. 394. — Est omni ente mere naturali, creato, et creabili, et quavis substantia perfectior. II. 398. — Peccatum ita expellit, ut repugnet utrumque in eodem subjecto sociari. II. 399 et seq. — Est ita justificationis forma, ut alia esse in illo statu nequeat. II. 401. — Est unum peccati remedium. II. 403 et seq. — Dispositiones ad eam requiruntur. II. 407. — Quænam sint illæ, et quales. II. 408 et seq. — Unde proficiscantur. II. 409 et seq.

Gratia sanctificans simpliciter, et antonomastice gratia dicitur, variique a Patribus ei adscripti lepores delineantur. II. 413 et seqq. — Ad eam semper suspirare

debemus. II. 417
Gratia Dei sola a nobis est requirenda, advocanda, conservanda, et augenda. IV. 268 et seq.
Gratia per pœnitentiam non juxta præcedentem, sed juxta eam, in qua peccator resurgit, dispositionem recuperatur. IV. 417 et seq.
Gratiæ distinctio inesse qualitatis, et inesse gratiæ, commentitia, et in doctrina D. Thomæ inaudita est. IV. 420
Gratia per pœnitentiam restituitur, et cum ea virtutes, et pristina merita reviviscunt. IV. 410

Gubernatio.

Gubernationis divinæ gloria exigit, ut inferiora per superiora regantur. I. 499 et seq. — Huic etiam inserviunt corpora cœlestia. I. 501.
Gubernationis divinæ paternus affectus pia consideratione perpenditur. I. 503. — Duobus corrolariis tota ejus œconomia absolvitur. *ibid.* et seq.

H

Hæreticus.

Hæretici piis, et lenibus rationibus, argumentisque invictis invitantur. II. 662 et 666 et seq.
Hæretici Ecclesiam Catholicam inclementer infamantes, pia monitione, lenibusque verbis ad eam invitantur. I. 40.

D. Hieronymus.

D. Hieronymus distorte a Vasquez intellectus, et male acceptus, ad bonum sensum trahitur, et ab errore vindicatur. II. 86 et seq.

Historia.

Historiæ sacræ, et Ecclesiasticæ notitia quam sit Theologo utilis, et necessaria. II. 703 et seq. — Familiaris est ejus usus in Facultate Parisiensi. *ibid.*

Homo.

Homo quomodo possit divinam simplicitatem exprimere, et veram puritatem adipisci. I. 88
Homo ad imaginem et similitudinem Dei factus. I. 91.
Homo solum Deum amare debet, ejusque sanctitatem æmulari, et pulchritudinem imitari. I. 93 et seq.
Homini imposita magna necessitas bene vivendi. I. 100
Hominum mobilitas amoris divini pondere firmanda. I. 103
Hominis obitus dies natalis recte dicitur. I. 104
Homo a nimia curiositate abstineat. I. 109 et seq.
Hominis duplex beatitudo. I. 113
Homo frustra turgentes titulos, et honorificas inscriptiones quærit. I. 122
Homo sub triplici consideratione positus, unde diversi cognitionis ejus gradus educuntur. I. 134 et seq.
Homo Dei solius vivendi causa natus, ad eum semper aspirare debet. I. 136
Homine agente ex passione nihil infelicius : omnia vero opera sua consideratione præveniens, recte cuncta exequitur. I. 243
Homines angelicam vitam in terris ducant, ut Angelorum ruinas in cœlis impleant. I. 471
Homo Deo tam pretiosus, sibi tamen multum vilis, et a plasmatore degener. I. 475
Hominis primi descriptio. Vide *Protoparens.*
Hominem ad humanitatem stringit natura, sed magis caritas, et gratia. I. 321 et seq.
Homo in tantum impeccabilis redditur, in quantum divinæ voluntati conjungitur. I. 455
Homo ratione vigens, et ratione non utens, brutis annumerandus est. I. 514 et II. 64. — Nequit Deo simul, et mundo servire. I. 517. — Quidquid deliberare vult, illud propter ultimum finem appetit. *Ibid.* et seq. — An semper agat propter ultimum finem. I. 518 et seq. — Beatitudinem semper appetit, quam infeliciter non semper quærit, sed sæpe fontem ejus deserit. I. 520
Homo nunquam perveniet ad promissam possessionem, nisi per sinceram cordis mutationem. I. 543
In homine ex solo metu agente quatuor actus concurrunt. II. 13
Homo miser sæpius eo suos actus dirigit ut iis fruatur, quibus tantum debuerat

uti. III. 29 et seq.
Homo bonus serviens liber est, malus autem regnans servus est. II. 32 et seq.
Homo ex sola delectatione operans peccat. II. 38 et seq. — Semper finem honestum in suis actibus apponere tenetur. II. 40 et seq. — Quam magna sit ei necessitas imposita bene agendi, pie admonetur. II. 41 et seq.
Homo in peccatis conceptus, et fatali peccandi necessitate captivus, cum timore, et tremore salutem suam operetur. II. 93 et seq. — Tria scire tenetur. II. 104
Homo ab bene agendum in omni statu motione et gratia indiget. II. 298 et seq. — Tali Dei concursu indiguisset in statu innocentiæ, quali in hoc indiget. II. 299 et seq. — Confirmatur hæc veritas, cujus occasione perdifficilis explicatur D. Augustini ex libro *de Correptione et Gratia* depromptus locus. II. 305 et seq.
Homo purus non potuit Deo pro peccato mortali condignam satisfactionem offerre : secus vero pro veniali. III. 23 et seq. et 27.
Hominem opus Dei esse, magnum est ; sed Deum in pretium ejus transisse multo plus est. III. 32
Homo factus frater Christi Patrem suum invocet in cœlis, cujus filiatione indignum se fateatur in terris. II. 68 et seq.

Humanitas, et *humanum*.

Humanitas an potuerit in unione hypostatica, ad subsistentiam absolutam, et communem tribus personis assumi. III. 46. — Inter eam et Verbum quam sit intima unio. III. 48. — Convenienter tanquam phrenesi laborans est efffusione sanguinis sanata. III. 65.
Vide *Verbum*, *Unio hypostatica*.
Humanitas formaliter sanctificatur a Divinitate, et subsistentia divini Verbi. III. 77.
Humanitati Christi non est collata omnipotentia. III. 247 et seq. — Excellentissimam tamen potestatem habuit ad patranda miracula. III. 248. — Et heu ! tam pauci virtutis ejus influxum experiuntur. III. 249
Vide *Miraculum*.
Humanitas Christi est instrumentum physicum miraculorum, et cujusvis gratiæ. III. 254 et seq.
Humani generis deploranda calamitas, cui debuit præcipi amor Dei. I. 457 et seq.
Humana timeat valde fragilitas post Angelos ob unicum peccatum irreparabiliter præcipitatos. I. 464 et seq.

Humilitas.

Humilitatis utilissimam doctrinam docet nos egregie Angelorum, et Protoparentis lapsus. II. 314 et seq.

I

Iconoclastæ.

Iconoclastæ primi qui fuerint. III. 152. — Cruenta eorum persecutio describitur. *ibid.* et seq.
Damnantur in concilio Nicæno. III. 153
Vide *Adoratio*, *Imago*.

Idea.

Ideæ communis definitio traditur. I. 146
Ideæ divinæ quid sint. *ibid.*
Ideæ divinæ plures dantur, et quomodo ab arte differant. I. 147 et seq.

Idololatria.

Ad idololatriam duplici de causa prona est humana natura. I. 78

Ignorantia.

Ignorantia facti an excuset a peccato. II. 100. — An etiam ignorantia juris. *ibid.* — Tripliciter se habet ad actum voluntatis, *ibid.* et seq. — Potest esse causa peccati. II. 101
Ignorantia eorum quæ scire tenemur est peccatum. II. 102. — Quando censeatur actualis. II. *ibid.* — An sit peccatum distinctum ab opere malo. *ibid.* et seq. — Quando excuset a peccato. II. 103. — Quid de ignorantia concomitante. *ibid.* et seq. — Consequens dupliciter potest contingere. II. 104
Ignorantia invincibilis juris naturalis nulla datur. II. 105. — Triplex inter eam, et facti et juris positivi ignorantiam differentia etiam Patribus nota. II. 108 et seq. et 114 et seq.
Ignorantia juris divini peccatum non est, sed peccati pœna. II. 112. — Juris vero

naturalis et peccatum, et peccati pœna est. *ibid.* et 113. — Juris autem positivi peræque damnatur aliquando a Patribus ac ignorantia juris naturalis. II. 114

Ignorantia juris divini, etiam per se invincibilis, vincibilis fieri potest, unde sunt inexcusabiles moderni hæretici. II. 116

Ignorantia juris naturalis nunquam excusat a culpa. II. 123. — A Jansenismo valde distat hæc assertio. *ibid.* et seq.
Vide *Conscientia.*

Ignorantia juris naturalis in nonnullis magis, in aliis minus est culpabilis. III. 344. — Sæpius vero culpabilis est ignorantia juris positivi *ibid.* — Juris vero naturalis ignorantia non excusans a culpa, excusat aliquando a pœna. *ibid.* et seq.

Ignorantia legis naturalis grande malum est III. 365. — Peccatum est et pœna peccati. *ibid.* — Crassa, et supina culpam non parum auget. *ibid.* et seq. — Cur ita dicatur. III. 366

Imago.

Imaginum sacrarum usus non fuit omnino vetitus in lege veteri. III. 152. — Primi earum inimici. *ibid.* — Licitus est et utilis earum usus in Ecclesia Catholica receptus. III. 153. — Enodantur variæ difficultates circa hoc. III. 155. — Qualis cultus eis debeatur. III. 157 et seq.

Impius.

Impiorum prospera fortuna, severissima justitiæ Dei vindicta. I. 232

Incarnatio.

Incarnationis mysterium vincit scientiam nostram. III. 1. — Tam arduum et sublime est, ut illius possibilitatem ratio humana nec demonstrare, nec suspicari possit ante fidem. III. 2 et seq. — Est opus divinum quod humana ratio impossibile credidit, et amor divinus possibile reddidit. III. 4. — Semel per fidem detectum potest adversus gentes et Judæos evidenter defendi. *ibid.* et seq. — Egregia ad hoc probandum argumenta desumuntur ex commento zephirarum a Rabbinis conficto. III. 6. — Innumeræ conspirantes ejus convenientiæ recensentur. III. 8. — Conveniens fuit Deo. III. 10. — Humano generi. III. *ibid.* et seq. — Et mundo universo. III. 11. — Nomen ejus laude vacuum non est. *ibid.*

Incarnationis opus simpliciter fuit Deo liberum, et solo illius in genus humanum amore impletum. III. 21 et seq. — Simpliciter etiam fuit necessarium ad condignam satisfactionem pro peccato mortali. III. 23

Incarnatio non fuit necessaria ad condignam satisfactionem pro peccato veniali. III. 27. — Ad ea tamen reparanda necessarius est caritatis fervor. III. 28 et seq.

Incarnationis unicum motivum fuit redemptio generis humani. III. 29. — An alia fuerint ejus motiva. III. 34 et seq.

Incarnatio humanum summi mali remedium christianorum duritiem, et cor lapideum emolliat. III. 35 et seq. Nullo modo potuit causari ab ulla creatura, sed Deus solus fuit efficiens illius causa. III. 36 et seq. — Cur post eam minora nobis Deus dona recuset. III. 38

Incarnationis veritas media est inter duos extremos errores Nestorii et Eutychetis, et quomodo sint hi confutandi. III. 38 et seq. — Quis ejus terminus formalis. III. 43. — An potuerit cadere sub merito Christi vel Sanctorum. III. 69 et seq. — Majestatis divinæ cum paterno amore commercium, præcipuum est ejus prodigium. III. 78

Infinitas.

Infinitas soli Deo. I. 95

Infinitum creatum nullum datur, nec dari potest. I. 96

Inimicus.

Inimici quomodo ex caritate diligendi. II. 633. — Viguit de eis diligendis præceptum etiam in lege naturæ et scripta. II. 634 et seq. — Explicantur Scripturæ loca in contrarium afferri solita. II. 635

Innocentia.

Innocentiæ status fortunatissimus describitur, ejusque varia privilegia recensentur. I. 484 et seq.
Vide *Protoparens.*

Innocentius X.

Innocentii X. constitutio adversus quinque propositiones Jansenianas refertur. II. 436. — Prima propositio in ea damnata fuit a SS. Augustino et Aquinate prædamnata. II. 437 et seq — Propositiones aliæ referuntur, easque legitime damnatas fuisse probatur. II. 438 et seq.

Intellectus.

Intellectus nullus creatus vel creabilis Deum viribus naturalibus videre potest, bene tamen supernaturaliter adjutus. I. 107 et seq. et 110

Intellectus humanus naturaliter propensus ad Deum videndum. I. 112

Intellectus divinus ad omnia cognoscibilia se extendit. I. 141

In intellectu divino dantur ideæ rerum omnium, et quæ illæ sint. I. 146

Vide *Scientia.*

Intentio.

De intentione ministri ad Sacramenta peragenda necessaria variæ Catholicorum sententiæ proponuntur. III. 512. et seq.— Quænam sufficiat ad Sacramenti valorem. III. 513

Vide *Sacramentum.*

Involuntarium.

Involuntarii causæ quatuor referuntur. II. 11 et seq.

Involuntarium secundum quid est quod fit ex solo metu. II. 13

J

Jesus.

Jesu nomen licet aliis impositum, Christo tamen plane congruebat. III. 181 — Admirabile, laudabile, et amabile est. *ibid.* — Est super omne nomen, et domuit orbem. *ibid.* — Semper in corde, crebro in ore nostro versetur. III. 182

Jehovà.

Jehovà tetragammatum, Deo nomen proprissimum, et unde sic dictum. I. 121

Jejunium.

Jejunium perpetua Ecclesiæ praxi et præcepto ad sacram communionem prærequitur. IV. 263. — Rationes hujus præcepti traduntur *ibid.* et seq. — Rationibus ex adverso objectis respondetur, et contrarius usus abrogatus ostenditur. *ibid.* et seq. — Etiam post sumptam sacram Synaxim aliquantisper jejunium continuari decet. VI. 267 et seq.

Jejunium, ad Eucharistiam prærequisitum debet esse naturale, et quomodo id intelligendum ostenditur, et alia dubia explanantur. IV. 268 et seq. — In quibus casibus jejunii lex non obliget in hac materia. IV. 269 et seq.

Joannes Baptista.

Joannes Baptista plusquam Propheta convenienter baptizabat. III. 184 — An in Baptismi administratione aliqua verborum formula usus fuerit. III. 185

Judæus.

Judæi Messiam expectantes, et advenisse negantes inexcusabiles asseruntur. III. 13.— Cur regno suo pulsi per orbem dispergantur. III. 16. — Christianorum scriniarii dicti sunt. *ibid.*

Judæi ob fidem Christo negatam, eique mortem illatam extremas calamitates perpessi sunt, quarum tragœdia describitur. III. 16 et seq. — Ad eos pia reflexio et apostrophe. III. 18 et seq.

Judicium.

Judicium solius Dei timendum. I. 439. — Quomodo rigorem ejus præcavere possimus. *ibid.* et seq.

Justitia.

Justitia perfecta distributiva in Deo admittenda, sed non commutativa. I. 189

Justitiæ distributivæ debitum qualiter in Deo reperiatur. I. 191

Justitia punitiva in Deo admittenda, potius timenda, quam probanda. *ibid.*

Justitiæ vindicativæ varii effectus recensentur. I. 192

Justitiæ solius Dei memorari, pia cogitatio. I. 193

Justitia Domini de cœlo prospicit, in opere

potissimum justificationis peccatoris. IV. 424
De Justitia et Jure tractatus. Appendix ad lib. 10. III. 379

Justus.

Justi ex fide viventis, seu hominis spiritualis status et conditiones describuntur. II. 540
Justus sicut sine caritate nihil facit, ita sine caritate nihil proficit. II. 622. — Potius optet eam sentire quam de ea disserere. II. 627
Justus in hac vita quamlibet sanctus, nullus omnino fuit absque peccato veniali, præter solam Mariam Deiparam. II. 361 et seq.
Justi de condigno vitam æternam merentur, quæ eis collata opus est misericordiæ, et effectus justitiæ. II. 428 et seq.
Vide *Meritum.*

L

Lex.

Lex Christi immaculata. II. 651. — Ejus præcepta sanctæ. *ibid.*
Lex evangelica bonis favet, improbos vero suppliciis coercet. *ibid.*
Lex æterna quæ est divinum de agendis dictamen, quam indelebilibus Deus exaravit characteribus in cordibus nostris, semper est præ oculis habenda. II. 63 et seq.
Ad legem Christi implendam corde amante, non libris aut scriptis opus est, quia non in tabulis, sed in corde exaratur per Spiritum sanctum. III. 195 et seq.

Liber vitæ.

Liber vitæ quid sit, et cur non detur liber mortis. I. 270
Liber vitæ proprie respicit vitam gloriæ, et secundum quid vitam gratiæ. *ibid.*
De libro vitæ quomodo possit aliquis deleri. I. 271 et seq.

Libri Canonici.

Libri canonici non fuere simul omnes ab Ecclesia recepti. I. 22. — In eis enumerandis errare non potuit Ecclesia. I. 23. Quid de Græcis et Hebraicis exemplaribus sentiendum. I. 22 et I. 24 et seq.
Vide *Scriptura Sacra.*

Libertas.

Libertatis arbitrii humani, gratiæque divinæ conciliatio quam difficilis. I. 197
Libertas Dei perfectissima in ordine ad creaturas. I. 198
Libertas triplex ex D. Bernardo. *ibid.*
Libertatem non tollit, sed adornat felix impeccabilitatis necessitas. I. 200
Libertas vera filiorum Dei ubi quærenda. I. 203 et 206
Libertas humana prædeterminantis decreti efficacitate fovetur, et perficitur. I. 216 et seq.
Libertati suæ valde debet metuere, seque divinæ servituti subjicere christianus. I. 228
Libertas arbitrii etiam post lapsum superest in natura humana. II. 439 et seq.
Libertas voluntatis quid sit. II. 440. — Requiritur ad meritum. II. 441
Libertatis Christi cum ejus impeccabilitate, et præceptorum observantia, concordia variis modis a variis explicata. III. 128 et seq.
Libertas qua divinorum præceptorum jugum excutitur, quam infelix et misera. III. 130 et seq.
Libertas Christi in adimpletione præceptorum, tradita moderni auctoris doctrina, mirum in modum elucescit. III. 134
Ad libertatis notitiam perfecte declarandam tria perpendenda referuntur. III. *ibid.* et seq.
Libertas Christi in actibus caritatis defenditur, et explicatur. III. 135

Lumen.

Lumen gloriæ quid sit, quod indispensabiliter ad visionem beatam requiritur. I. 127
Lumen, et species in quo differant. I. 128
Luminosi radii Sanctorum capita circumdantes quid significent, et ad quid nos moveant. I. 129
Luminis gloriæ diversitas unde procedat. I. 130 et seq.

Lutherus.

Lutherus et Calvinus nec ordinario, nec ex-

traordinario modo missi sunt ad instaurandam Ecclesiæ Romanæ doctrinam. II. 670 et seq. — Eorum sectæ manifestissima habent incredibilitatis argumenta. II. 671

Vide *Sectarius*.

M

Magia.

Magia in communi quid sit. I. 497 et seq.— Triplex ejus species refertur. *ibid.* — Quomodo possit opus ejus discerni. I. 498

Magi.

Magi Christum adorantes quot, et quales fuerint. III. 179. — Unde erant oriundi. *ibid.*

Mahumetismus.

Mahumetismus errorum omnium colluvies impugnatur. II. 668. — Propagationis ejus duæ potissimæ causæ referuntur. *ibid.*

Malum.

Malum morale, scilicet peccatum, lugendo fato longe lateque sui diffusivum est. III. 359

Mali moralis constitutivum formale in aliquo positivo consistere asseritur, sed judicio lectoris ea sententia permittitur. II. 66 et seq.

Malum morale juxta D. Thom. in privativo consistit. II. 72 et seq.

Vide *Peccatum*.

Mare

Maris peramœna descriptio. I. 480. — Piis hominibus devotionis est incentivum. *ibid.*

B. Maria.

Maria sinus, centrum, et gremium bonorum dicitur. III. 260. — Naturales ejus dotes referuntur. *ibid.* et seq. — A sola gratia est laudanda. III. 262 et seq. — Quid imitatione ex corporis ejus forma exprimere debeamus. III. 263

Marianarum gratiarum prærogativæ duodecim recensentur. *ibid.* et seq.

Marianæ gloriæ juxta mensura sola Dei potentia. III. 269. — Est plane immensa et indicibilis. III. 270 et seq. — Etiam in corpus effluxit. III. 272.— Qualis honor ei in cœlum ascendenti delatus. *ibid.* — Quam dignum est ut in eam attoniti, et mirabundi suspiciamus. III. 273

Mariæ in cœlum ascendentis currus triumphalis quatuor rotis vectus, ad quas attendere debemus. *ibid.*

Mariam Virginem veram Dei Matrem esse confiteri debemus. III. 274. — Quomodo in Christi generatione egerit. III. 275. et seq.

Maria Christianorum Mater est, ab eis totis præcordiorum affectibus diligenda, et veneranda. III. 276

Maria quindecim Maternitatis Dei prærogativis insignita. III. 277 et seq. — Eam non potuit B. Virgo mereri de condigno III. 281.— Vera in eam pietas qualis. III. 289

Mariæ illibata puritas defenditur, et illustratur. *ibid.* — Virgo concepit, virgo peperit, et virgo post partum remansit. III. et seq.

Mariæ non fuit probrosa virginitas, quamvis in lege veteri nuptiarum præceptum indictum fuerit. III. 292

Mariæ verum cum Joseph initum conjugium, an cum proposito virginitatis repugnarit. III. 293 et seq.

Mariæ solus ille filius est, et verus servus, qui tantæ Matris puritatem et mores æmulatur. III. 296. — Qualis autem fictus. *ibid.* III. 297

Marianarum imitatione virtutum quæcumque petimus efficaciter obtinemus. *ibid.*

Mariæ Deiparæ elogium. III. 298

Maria Deipara prorsus fuit pœnitentiæ incapax. IV. 370

Martyr, et Martyrium.

Martyrum insignes triumphi Fidei Christianæ credibilitatis argumentum præbent. II. 654. — Eorum testimonium palam, et in facie universi editum II. 655

Martyrium pro Christo perpessum gratiam ex opere operato producit. III. 571. — Multo magis in adultis quam in infantibus. *ibid.* et seq. — An eximat a præce-

pto dilectionis Dei. III. 576
Martyr est Christi morientis ducta pictura, et vivens simulacrum III. 571. et seq. — Quando gratiæ plenitudinem consequatur. III. 576. et seq.
Martyres non sunt qui peste laborantibus inservientes eo in obsequio decedunt. III. 577
Martyrum constantiam, et patientiam æmulari possunt omnes christiane viventes. III. 581

Materia.

Materia quantitate signata principium multiplicationis individualis asseritur. I. 415

Matrimonium.

Matrimonii definitio traditur. IV. 515. — Non est de illius essentia copula carnalis, sed ad secundariam ejus perfectionem pertinet. *ibid.*
Matrimonium non est malum. *ibid.* et seq. — Ejus tamen actus quamdam deordinationem importat, quæ per bona matrimonii removetur. IV. 517. — Quando omni culpa careat. *ibid.* et seq. — Aliquando est intermittendus, et debitum negandum. IV. 518
Matrimonium ex suapte natura est indissolubile. IV. 520
Matrimonii causa est mutuus conjugum consensus. IV. 521 et seq.
Matrimonium christianorum est signum rei sacræ, et verum Legis novæ Sacramentum. IV. 523 et seq. — Quam gratiam producat. IV. 524. — An quodlibet christianorum matrimonium sit Sacramentum. *ibid.* et seq.
Matrimonii ut Sacramentum est, materia, et forma exponuntur. IV. 526
Matrimonium per procuratores contractum validum est, sed an sit verum Sacramentum, dubium est. *ibid.* et seq.
Matrimonii impedimentia dirimentia explanantur. 527. — Referuntur impedimenta impedientia, sed non dirimentia. IV. 534. — Quænam ex eis sint de jure naturali, quæ vero de jure positivo. *ibid* et seq. — Potuit Ecclesia quædam ex eis matrimonio apponere, a quibus, potest etiam contrahentes dispensare. IV. 535

Mendacium.

A mendacio liberantur viri sancti, et Christus ipse in quorum dictis aliqua falsitatis species apparet. II. 495
Mendaces efficiunt, ut nec vera dicentibus credatur. II. 496 et seq.
Vide *Restrictio mentalis.*

Meritum.

Merita justorum non fuerunt motivum divinæ eorum electionis ad gloriam. I. 249
Merita et bonus usus liberi arbitrii sunt effectus gratiæ, et prædestinationis. I. 247
Meritum operis supernaturalis est præcipuus gratiæ fœtus. II. 417. — Nomen ejus hæreticis est invisum. *ibid.* — Quæ, et quot conditiones ad eum requirantur. II. 418. et seq. — Duæ ad illud momentosæ conditiones necessariæ expenduntur. II. 422. et seq.
Merita Sanctorum Deus ex justitia distributiva remunerat II. 424 — Trita et vulgaris meriti distinctio traditur. II. 428 et seq.
Sub meritum Sanctorum, quæ cadant, vel cadere possint, breviter recensentur. II. 432 et seq.
Merita per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviscunt II. 413 et seq. — Reviviscunt autem duntaxat juxta quantitatem dispositionis, in qua peccator resurgit. II. 417 et 423
Vide *Pœnitentia.*

Messias.

Messias duo supponit, quorum alterum gentibus stultitia visum est, alterum Judæis scandalum fuit. III. 2. — Jam advenit, et est Christus Jesus filius Mariæ Virginis. III. 13. — Probatur ejus adventus ex Judaicæ calamitatis tragœdia, et variis, quas patiuntur pœnis. III. 16 et seq.
Vide *Incarnatio.*

Metus.

Metus gravis, justus, et cadens in constantem virum, quis sit, et quis levis dicatur. II. 15

Ministri Ecclesiæ.

Ministrorum Ecclesiæ officium quam sacrum et augustum sit, ex tremendorum mysteriorum eminentia perpendi debet. III. 511

Vide *Intentio*, *Sacramentum*.

Ministri Altarium frustra a populo segregantur, si divisam a populo vitam non agant. IV. 188

Ministrorum Ecclesiæ electio non fit a solo Deo interius prædestinatos tantum vocante. IV. 474.— Quodnam sit in ea jus plebis, et Episcoporum. *ibid.* et seq.

Vide *Ordo*.

Miraculum.

Miracula fidem christianam contestantia sunt multitudine innumera, arduitate stupenda, certitudine indubitata, et perennitate perpetua. II. 651 et seq.

Miracula aliqua præsentis Ecclesiæ intra Galliam patrata recensentur. II. 652 et seq.

Miracula vera sunt signa veræ religionis. II. 653

Miracula solus Deus operari potest, quæ interdum fieri divina gubernatio exigit. I. 496

Miraculum late sumptum quid sit I. 497

Miracula quædam cur a Christo edita. III. 249. — Sufficienter ejus divinitatem demonstrarunt. III. 250. — Quomodo vera distinguantur a falsis. *ibid.*

Miraculorum a Christo editorum variæ convenientiæ referuntur. III. 251 et seq.

Miracula cur rarius nunc quam in nascentis Ecclesiæ cunis edantur. III. 254. — Cur ea non soleat Deus operari, nisi ad preces Sanctorum. III. 257 et seq.

Miraculorum insignium patratio deficit propter excipientium defectum. *ibid.*

Misericordia.

Misericordia suavissima et infinita, eique virtutes aliæ affines in Deo admittendæ. I. 194. — Varii ejus effectus recensentur. *ibid.* et seq.

Misericordiæ divinæ fallax assentatio pessimam generat securitatem. I. 197

Misericordia Dei duplex. I. 212

Vide *Impius*.

Misericordia et veritas universæ viæ Domini, sed in opere potissimum justificationis pœnitentis. IV. 423 et seq.

Missio.

Missio divinarum personarum proprietas personalis inter externas recensetur. I. 374. — Quid importet primario, quid vero secundario connotet. *ibid.* — Quando plenior sit. I. 375

Missionis divinarum personarum in animam signa. I. 377

Missiones plures visibiles, earumque congruentiæ referuntur. *ibid.* et seq.

Missio visibilis in quo differat ab invisibili. I. 380. — Pia circa hoc reflexio. *ibid.*

In missionibus divinarum personarum quid nobis specialiter detur. I. 381. — Favorum cœlestium comitatus, quibus animæ justæ in eis cumulantur. I. 382

Moralitas.

Moralitas actus quid sit. II. 30 et seq. — Addit actui libero subjectionem ejus ad regulas morum. II. 31. — Quid addat libertati. *ibid.* et seq.

Mors.

Mortem Christi consequentes circumstantiæ, et stupenda prodigia expenduntur. III. 229 et seq.

Vide *Passio*.

Motio.

Motionis divinæ sanctitas defenditur, eamque in concursu ad opera peccati permanere probatur. II. 315 et seq. — Difficultatis nodus circa præsentem materiam dissolvitur et explicatur. II. 319 et seq.

Mundus.

Mundus hic miseriis plenus beatitudinis nostræ locus minime censendus est. I. 523

N

Natura.

Natura divina præintellecta personis, subsi-

stentiam a se, et ex propriis habet, non a relationibus. I. 323.
Vide *Subsistentia.*
Naturæ humanæ post lapsum cæcitas continuis ad Deum fusis precibus dispellenda. II. 327 et seq.
Natura quælibet creata et completa potuit assumi a Verbo. III. 56. — An etiam incompletæ potuerint assumi. *ibid.* et seq.
Natura humana sola præ cæteris est a Verbo convenienter assumpta. III. 58.
Vide *Incarnatio, Unio hypostatica.*

Neutrales.

Neutrales hæretici quales, et quam periculosi. II. 669. — Etiam inter catholicos latent. II. *ibid.* — Eorum miseranda conditio. II. 670. — Ad salutem reditum piis monitis invitantur. *ibid.* et seq.

Notitia.

Notitia sui inanis, nisi Angelorum more gradus sit ad cognitionem Dei. I. 429
Notitia veritatis ardentibus votis a Deo postulanda. I. 433.
Vide *Veritas.*
A notitia sui ad cognitionem Dei ascendere, unica est peregrinationis animæ nostræ consolatio. I. 451.

Numerus.

Numerus ternarius in multis rebus naturalibus delineatur. I. 434. — Omnibus sæculis apud omnes populos summa veneratione habitus, perfectusque ac sacer creditus est. *ibid.* et seq.
Vide *Trinitas.*

Oculus.

Oculus corporeus, vel alia potentia sensitiva nequit elevari ad videndum Deum. I. 113
Ouli Domini lucidiores super solem, vitam aspiciendo pariunt. I. 145.

Odium.

Odisse in Scriptura quid sit, et quid odium strictius, et late acceptum. I. 267.
Vide *Reprobatio.*

Œconomus.

Œconomi cur in Ecclesia, et a quibus ad bonorum ejus dispensationem constituti. IV. 512 et seq.

Omissio.

Omissio non potest esse voluntaria, remoto omni actu voluntatis, etiam advertente ratione et urgente præcepto. II. 5 et seq. — Non requiritur præceptum ut sit indirecte voluntaria, etiam moraliter. II. 8. — An ejus effectus sit voluntarius. II. 10 et seq.

Omnipotentia.

Omnipotentiæ divinæ attributum mentibus nostris admirationem ingerit. I. 239.

Omnipotentia plenissima et summa Dei, seu virtus infinita ad quodcumque non repugnat producendum, probatur a priori, et a posteriori. *ibid.* et seq.
Omnipotentia Dei, seu virtus qua ad extra exequitur decreta voluntatis suæ, quomodo distinguatur ab intellectu et voluntate. I. 241 et seq.

Opinio.

Opinionem probabiliorem et tutiorem semper esse sequendam, præcipuum ethicæ christianæ caput asseritur, sedisque Apostolicæ judicio roboratur. II. 234 et seq.

Operatio, et Opus.

Operationis bonæ triplex regula proponitur. II. 59. In ejus progressu mira circulatio contingit. II. 60
Opus bonum facit intentio recta, quam sequatur electio bona. II. 22 et seq.
Opus malum non excusat intentio recta. II. 23
Vide *Actus humanus.*
Opera hominum absque ullo prævio in Deum amore immaculata esse non possunt, unde omnia ad eum referenda sunt. II. 344
Opera hominum justificationem præcedentia, et ab auxilio Dei manantia, ad justificationis gratiam disponunt. IV. 449 et seq.

Oratio.

Oratio ad Deum semper et in omni statu fuit, est, et erit homini necessaria. II. 304
Orationes continuas ad Deum fundit Ecclesia, ut nobis lumen sancti Spiritus infundat ad mentis humanæ tenebras dispellendas. II. 327 et seq.
Oratio lepide supplex omnipotentia dicta, cuncta nobis a Deo potest impetrare bona. III. 72

Ordo.

Ordinum sacrorum temerarios susceptores, et Apostolica munia ante perfectam ætatem ambientes damnat exemplum Christi. III. 187 et seq.
Ordo a Græcis χειροτονια dicitur. IV. 467. — Est novæ legis Sacramentum a Christo Domino institutum. *ibid.* — Non convenit omnibus fidelibus IV. 468. — Varii illius gradus. IV. 469. — Quæ sit ejus materia, tum essentialis, tum accidentalis. IV. 471. — Ordinum incapaces quinam sint. IV. 476 et seq. Quænam incapacitas ordinationes irritet. IV. 485 et seq. — Quare a malis ministris collatæ validæ sint. IV. 488
Ut Ordines rite conferantur, et suscipiantur, quæ in ordinandis prærequirantur. IV. 489 et seq.

Ordines minores.

Ordines minores sunt in Ecclesia antiquissimi IV. 506. — Plerique illorum antiquitus usurpati, nunc penitus inoleverunt. *ibid.* — Aliquatenus tamen sunt institutionis divinæ. *ibid.* et seq. — Illorum distinctio et necessitas proponitur. IV. 507. — A Latinis accuratius est servata quam a Græcis. *ibid.* — Eorum series et officia recensentur. *ibid.* et seq.

P

Panis.

Panis ad Eucharistiam conficiendam omnino debet esse triticeus. IV. 126. — Quomodo sit coagmentandus : ubi præclara Ordinis S. Benedicti cautela refertur. *ibid.* — Convenienter est panis azymus. IV. 127. — Unde Ecclesia latina calumniose erroris insimulatur, quod azymo utatur. *ibid.* et seq.

Paradisus.

Paradisus voluptatis fortunatissimi status innocentiæ coronis. I. 485. — Variæ ejus præcellentiæ referuntur. *ibid.* An integer adhuc perseveret. I. 486
Paradisum nunquam desiturum plus refert cogitare, quam de terrestri multa inaniter quærere. I. 487

Parochus.

Parochorum origo describitur. IV. 502. — Eorum munia referuntur. *ibid.* et seq. — Sunt institutionis divinæ. IV. 503

Passio.

Passiones appetitus sensitivi, quæ Deo proprie conveniant, quæ vero tantum metaphoricæ. I. 187
Ex passione nihil, cuncta ratione tractanda, totius ethicæ summa. I. 189
Vide *Amor*, *Gaudium*, *Zelus*.

Passio Christi.

Passio Christi cur dicatur excessus. III. 206. — Quadruplex in ea excessus adfuit. III. 207. et seq. — Perfectum opus est, sed inane fiet, nisi Christo compatiamur. III. 210
Passionis Christi quadruplex causa per quatuor dimensiones exponitur. III. 211. — Multiplex ejus effectus recensentur. III. 215. et seq. — Est opus sine exemplo, gratia sine merito, caritas sine modo. III. 217. — Sublimitas et profundum ejus explicantur. *ibid.* et seq. Septem concomitantes eam circumstantiæ ponderantur. III. 222. — Cur in Cruce peracta. III. 225. et seq. — Aliæ ejusdem circumstantiæ expenduntur. III. 226. et seq.

Pater Divinus.

Patris nomen, et ratio primæ SS. Trinitatis personæ proprie convenit. I. 332
Patris nomen per prius dicitur notionaliter quam essentialiter de prima persona. *ibid.*
Patris nomen cur potius quam matris primæ

sanctissimæ Trinitatis personæ tribuatur respectu Filii. I. 333
Ad Patris cœlestis amorem et venerationem christianos invitat ipsum Patris nomen. *ibid.* et seq.
Patri etiam ratio principii convenit. I. 334. — Quo sensu sit id intelligendum. I. 335. — Convenit etiam ratio ingeniti, seu innascibilis. I. 336
Pater divinus quomodo sit a nobis honorandus. I. 338

Patres Ecclesiæ.

Patrum Ecclesiæ auctoritas seorsim sumpta specialem postulat venerationem, et quando efficiat argumentum infallibile. I. 67

Peccator et Peccatum.

Peccatores frustra felicitatem in vitiis quærunt. I. 114
Peccator non statim ad divinos amplexus debet ascendere, sed paulatim ad pietatem proficere. I. 122
Peccator ad nihilum dicitur reductus, et non esse asseritur, et quare. I. 148
Peccator peccando præstantissimam animæ dignitatem abolet. I. 200
In peccatoribus conversis sociari non possunt vitia acquisita cum virtutibus infusis. III. 307. — Quam perversa æstimatione leve putent peccatum quod Deus infinito prosequitur odio. III. 315 et seq. — Quam lugenda sorte semper apponunt iniquitatem super iniquitatem. III. 321 et seq. — Bestiis comparantur. III. 350
Peccator perperam concursum Dei ad peccatum inflectit, quod sola confessione, et punitiva satisfactione diluere debuit. II. 321 et seq.
Peccator recogitans annos suos in amaritudine animæ suæ paveat; pœnitens autem et conversus in meritis Christi confidat. III. 101 et seq. — Nullatenus tamen de rigorosa Christi satisfactione, et superabundanti sibi aduletur. III. 108 et seq.
Peccatorum germana scaturigo, radixque tepiditatis christianorum qualis. I. 86
Peccata possibilia, et mala futura, præsertim culpæ, quo medio Deus cognoscat. I. 158
Peccatorum et quotidianarum culparum bonus usus est prædestinationis effectus. I. 258
Peccati permissio est effectus providentiæ, minime vero prædestinationis. I. 259
Peccatum originale non est reprobationis causa. I. 263 et seq.
Peccata non sunt reprobationis effectus. I. 268
Peccatum solum timendum, et ab eo tanquam a facie colubri fugiendum. I. 273 et seq.
Peccatum tam actuale, quam habituale visioni beatæ omnino repugnat. I. 552. — Ejus fuga quam necessaria ad beatitudinem assequendam. I. 553 et seq.
Vide *Beatitudo*, *Visio*.
Peccatum est prævaricatio legis divinæ. II. 74. — Ei essentialis est ratio injuriæ Dei ut supremi legislatoris. II. 75 et seq.
Peccatum consideratum in ratione commissionis, involvit aliquid positivum, non vero in ratione peccaminosi. II. 68 et seq.
Peccato cognatum est supplicium, non solum internum, sed etiam externum. II. 70
Peccati malitia formalis essentialiter in privatione debitæ rectitudinis consistit. II. 71 et seq.
In peccato duplex privatio reperitur. II. 80
Peccatum nihil est, at ad nihilum Angelos et homines redigit. II. 82 et seq. — Mors etiam est, et super peccatoribus flendum, quia dum vivunt portant funera sua. *ibid.*
Vide *Malum morale*.
Peccato sæpe quidem, sed non semper præcedit malitiæ cogitatio. II. 117
Peccans ex ignorantia juris naturalis semper reus est. II. 120 et seq.
Peccatum peccati cognitione curatur. III. 303. — Est nihilum armatum. III. 305. — Proprie, et stricte contrariatur virtuti. *ibid.* — Non solum acquisitatæ sed etiam infusæ. III. 306. — Est contra naturam. III. 307
Peccati commissionis et omissionis malitia et deformitates describuntur. III. 310 et seq. — Quando incipiat, et consummetur malitia peccati omissionis. III. 313 et seq. — Quomodo distinguantur peccatum omissionis et commissionis. III. 314 et seq.
Peccatorum specifica distinctio et inæqualitas unde petenda. III. 316 et seq.
Peccata spiritualia carnalibus sunt graviora,

III. 318 et seq. — Eorum multiplex divisio breviter proponitur. III. 322 et seq. — Graviora sunt peccata christianorum, quam infidelium. III. 325 et seq.

Peccati in mortale et veniale divisio amplius explicatur, et utriusque discrimina varia operosius exponuntur. III. 326 et seq.

Peccatum mortale in ratione offensæ Dei et malitiæ simpliciter est in genere moris infinitum. III. 328. — Et qua execratione dignum, et heu ! ab hominibus amatur. III. 332 et seq.

Peccati venialis duplex differentia refertur. III. 331

Peccatum mortale quomodo a veniali discerni possit, variis regulis ostenditur. III. 333 et seq.

Peccatum est delectari de malo actu, licet non male, et absque culpa patrato. III. 336-337

A peccatis venialibus cautissime cavendum, quæ sensim in mortalia trahunt. III. 337

Peccati venialis formale etiam in motibus appetitus sensitivi potest inveniri. III. 339 et seq.

Peccatum etiam quoad formale potest in ratione reperiri. III. 343

Ad peccatum ex parte appetitus concurrunt passiones. III. 346. — Concurrit etiam ex parte voluntatis malitia. III. 347

Peccare ex ignorantia fere necessarium, ex infirmitate humanum, ex malitia vero diabolicum : hinc, heu ! quot inter christianos diaboli. III. 348 et seq.

Peccatum in voluntate nunquam contingit absque prævio intellectus defectu. III. 349. — Dicitur insipientia et error. III. 350

Peccatum originale a nullo catholico negari potest, quod omnes Adæ posteros inficit. III. 351 et seq. — Quomodo sint ejus capaces pueri. III. 352 et seq. — Sed felix culpa, quæ Deum meruit habere redemptorem. III. 355 et seq. — Corollaria circa peccatum originale varia derivantur. *ibid.* et seq.

Peccatum personale pravis exemplis et imitatione longe lateque propagatur. III. 359

Peccatum originale quid de formali, quid vero de materiali importet. *ibid.* et seq. — Quale sit ejus subjectum. III. 362. — Damna ejus in natura humana. III. 363. — Alto divinæ sapientiæ consilio factum est, ut ipsius materiale remaneat in ipsis regeneratis. *ibid.*

Peccati decem præcipui effectus recensentur. *ibid.* et seq.

Peccatum malitiæ quadantenus est in Spiritum sanctum. III. 366

Peccatum mortis est, ærumnarumque omnium hujus vitæ causa. III. 369. — Nullam absque eo pœnam infligi, ipsis infidelibus notum est. *ibid.* et seq.

Peccati actualis macula, quæ peccatum habituale dicitur, qualis sit. III. 371

Peccatorum maculæ diversæ, et inæquales sunt. III. 372

Peccata nova prioris peccati sunt effectus. III. 375 et seq.

Ad peccati fugam ex lugendis ejus effectibus, et horrenda effigie, piaque reflexione cieri debemus. III. 377 et seq.

Ad peccata quævis venialia vitanda præter gratiam, quæ communiter datur, requiritur speciale privilegium soli Deiparæ eximium. II. 361 et seq.

Peccata levia nullatenus a nobis levia censenda sunt, et quare. III. 44

Peccati fons pestiferus duplex in nobis per virtutes christianas exinaniendus. III. 92. — Peccatum in Christo fuisse, contradictionem implicat. III. 124 et seq.

A peccatis immunes sint, quorum est auferre peccata. III. 128

Peccato mortali verecundus a communione secessus semper fuit annexus. IV. 294

In peccato lethali variæ sunt rationes distinguendæ, quæ referuntur. IV. 363

Peccato quælibet, quamlibet immania, vera pœnitentia deleri possunt. IV. 371 et seq.

Ad peccatorum venialium remissionem requiritur, et sufficit pœnitentiæ actualis, vel virtualis motus. IV. 377 et seq. — Nunquam et nusquam sine actibus pœnitentis condonantur. IV. 379. — Quomodo a Sacerdote ex opere operato remittantur in confessione. IV. 380. — An per sacramentalia remittantur. *ibid.* — Remittuntur in purgatorio, sed nequaquam in inferno. IV. 382 et seq.

Peccata semel per gratiam dimissa, nunquam sequenti peccato redeunt. IV. 414

Peccata, quæ per Extremam-Unctionem dicuntur remitti, quænam sint. IV. 462

Pelagiana hæresis, et Pelagius.

Pelagiana hæresis naturæ corruptæ valde consentanea. II. 240. — Referuntur varii ejus status. II. 241 et seq. — Ultimi status extrema controversia qualis. II. 246. — Extincta in Pelagianis in Semipelagianis reviviscere cœpit. II. 251 et seq.

Vide *Semipelagianus.*

Pelagii patria, litterarum peritia, et mores referuntur. II. 241. — Gratiæ hostis asseritur. *ibid.* — Qua calliditate errorem suum disseminavit. *ibid.*—An aliquando auxilium sufficiens admiserit et concursum simultaneum negaverit II. 242. — Non negavit gratiam habitualem sanctificantem. II. 243 et seq.

Pelagianorum cum D. Augustino controversia præcipua fuit de gratia actuali. II. 244 et seq.

Pelagiani veram Christi gratiam ad facilius operandum, et ad perfectionem boni operis secundum hominum merita dari admiserunt. II. 246 et seq.

Pelagii errores, Pelagianorumque variæ damnationes et repulsæ referuntur. II. 248 et seq.

Perseverantia.

Perseverantia in bono bifariam potest accipi. II. 364 et seq. — Est speciale gratiæ donum, et gratiarum omnium coronis. *ibid.* et seq.

Persona.

Personæ nomen, quid significet. I. 317. — Idem est ac hypostasis. I. 318

Personæ divinæ constituuntur in ratione personæ per relationes. *ibid.*—Non vero per origines. I. 321

Vide *Pater*, *Filius* et *Spiritus sanctus.*

Personarum divinarum proprietates internæ, quot, et quales. I. 363

In personis divinis admittuntur potentiæ, et actus notionales indistincti ab intellectione et volitione. I. 364 et seq.

Personæ divinæ perfectissime sunt æquales, et similes. I. 369 et seq. — Earum inhabitatio et circuminsessio exponitur. I. 372

Personarum divinarum circuminsessio quomodo a nobis imitabilis. I. 373 et seq.

Vide *Missio.*

Personarum divinarum præsentia et illapsus magis a Christiano desiderandus quam eloquendus. I. 383

Personæ tres divinæ potuerunt eamdem naturam creatam assumere, et hypostatice sibi unire. III. 53

Persona eadem divina plures naturas terminare potest. III. 54. — Non potuit tamen naturam creatam assumere, retenta propria subsistentia. III. 35

Persona Filii sola convenienter incarnata est. III. 58

Vide *Incarnatio.*

D. Petrus.

D. Petro concessa primaria potestas ad regendam universam Ecclesiam, centrum est veræ religionis. I. 42. – Eadem ejus successoribus divino jure concessa est. I. 43. — Rationibus et auctoritatibus veritas hæc probatur. I. 44. — Exemplis etiam stabilitur. I. 45 et seq.

D. Petrus martyrium patitur. I 47.— Quare verso in terram capite cruci affixus. *ibid.*

Pœna.

Pœna peccatoribus et Crucifixi adoratoribus amanda, quia utilis, et bona. III. 220 et seq.

Ad pœnas, et tribulationes hilariter perferendas mirum in modum nos acuere debet Christi patientis et morientis exemplum. III. 228

Pœnitentia.

Pœnitentia trifaria divisio Patribus, et Theologis nota, et cui communionis privatio adjungebatur. IV. 294 et seq.

Pœnitentiæ nomine quid apud christianos, quid apud hæreticos intelligatur. IV. 308. — Varia ejus nomina referuntur. IV. 309. — Novatianorum et modernorum hæreticorum oppositi circa eam errores exponuntur. IV. 310 et seq. — Pœnitentibus de peccatis dari veniæ locum contra Novatianos ostenditur. IV. 312

Pœnitentiam esse verum legis novæ sacramentum contra Lutheranos et Calvinistas demonstratur. IV. 315 et seq. — Quis

sit ejus auctor, et quando instituta fuerit. IV. 317. — Est medium ad peccata post Baptismum commissa delenda omnino necessarium. IV. 318. — Quam rara sit in Christianis, pia reflexione perpenditur. IV. 319. — Quæ sit ejus materia proxima. IV. 320. — Primæ Ecclesiæ sæculis austerior fuit, et culpa rarior. IV. 322 et seq. — An satisfactio sit pars ejus essentialis. *ibid.* — Quæ sit ejus materia remota. IV. 325. — Partes ejus sigillatim explicantur. IV. 326 et seq.

Pœnitentiam post lapsum differre periculosissimum est. IV. 334

Pœnitentia publica, etiam pro occultis peccatis imposita, viguit aliquando in Ecclesia. IV. 341

Pœnitentiæ praxis perpetua debet esse post peccatum hominis vita. IV. 348

Pœnitentiæ forma legitima proponitur. IV. 349. — Non est tantum precatoria, sed etiam judicialis. IV. 350. — Etiam in Ecclesia Græca. IV. 351. — Probatur hæc doctrina auctoritate Patrum. IV. 352

Pœnitentiæ minister solus Sacerdos. IV. 354. — Ad hoc ministerium requiritur etiam potestas jurisdictionis. IV. 357 et seq. — Qua auctoritate absolvat in articulo mortis. IV. 359. — Ad secretum omni jure tenetur. IV. 360

A Pœnitentiæ virtute procedunt pœnitentis actus, qui materiæ hujus sacramenti rationem habent. IV. 362

Pœnitentia est virtus specialis. IV. 363. — Est pars justitiæ, non tamen ipsa justitia. IV. 364. — Quomodo differat a religione. IV. 365 et seq. — Comprehendit ea quæ pertinent ad omnes virtutes. IV. 367. — Quemdam justitiæ vindicativæ modum præ se fert. *ibid.* — A ratione perfecta justitiæ distributivæ recedit. IV. 368. — Quo sensu sit a D. Thoma specialis virtus dicta. *ibid.*

Pœnitentiæ subjectum immediatum et remotum quale sit. *ibid.* et seq. — Non fuit in B. Maria. IV. 370

Pœnitentia vera quælibet peccata, et peccatorum quemlibet numerum delet. *ibid.* et seq. — Remittit pœnam æternam, et temporalem pro ratione fervoris pœnitentis. IV. 373 et seq. — Eodem modo delet reliquias peccatorum. *ibid.* — Remittit etiam peccata venialia. IV. 375 et seqq.

Pœnitentiæ varii effectus breviter recensentur. IV. 382 et seq.

Ad pœnitentiam veram suavibus rationibus, et exemplis Christiani permoventur, ut dignos pœnitentiæ percipiant fructus. IV. 383 et seq.

Pœnitentiæ insignis effectus est virtutum reviviscentia, et meritorum etiam aliquando in intensiori gradu. IV. 410 et seq.

Pœnitentiæ sanctos labores non detrectabit, qui misericordiam Domini, ejusque justitiam in justificatione peccatoris perpenderit. IV. 424

Pœnitentias morientium suspectas habuerunt SS. Patres. IV. 432 et seq.

Pœnitentiæ opera ante justificationis gratiam elicita, quibus prosint ad salutem. IV. 348

Pollutio.

Pollutio quandonam a sacra Communione arceat, variis traditis regulis ostenditur. IV. 261 et seq.

Vide *Communio.*

Polygamia.

Polygamia alia licita est, alia illicita. IV. 519. — An de jure naturali sit illicita. *ibid.* — Quid de polygamia veterum Patriarcharum. 520 et seq.

Pontifex.

Pontifices et Concilia in quæstionibus fact errare possunt, et aliquoties errasse convincitur. I. 61 et seq.

Vide *Romanus Pontifex.*

Prædestinatio.

Prædestinatio et reprobatio divinorum arcanorum reconditissimum, cur ab homine penitus ignoratum. I. 245

Prædestinatio in latiori, et strictiori significatione quid sit. I. 246

Prædestinatio Sanctorum, quæ in actu intellectus supponente electionem voluntatis consistit, admittitur. *ibid.* et seq. — Ejus variæ definitiones traduntur. I. 247

Ad prædestinationis considerationem salutem suam debent homines operari. *ibid.*

Prædestinationis causa motiva quænam sit. I. 248 et seq.
Prædestinatio non supponit merita, sed ea infert, et causat. I. 251. — Non innititur scientiæ mediæ. *ibid.* et seq.
De prædestinatione gratuita D. Augustini doctrina sacrum terrorem nobis incutit. I. 255.
Prædestinationis varii effectus disquiruntur. *ibid.* et seq.
Vide *Electio, Meritum.*
Prædestinatio Christi penitus est gratuita. III. 69 et seq. — Quomodo sit causa nostræ prædestinationis. III. 73. — Quale sit ejus signum certius. III. 75 et seq.
Vide *Providentia.*

Prædestinatianus.

Prædestinatiani hæretici quinto sæculo nulli fuerunt. II. 261 et seq. — Eorum errores a Semipelagianis conficti. II. 262 et seq. — Rejicitur horum hæreticorum et hæresis commentum. II. 265 et seq.
Prædestinatiana hæresis nequaquam fuit in Gallia per Gotteschalcum renovata. II. 271 et seq.
Vide *Gotteschalcus.*

Prælatus.

Prælati qui pro suis ovibus animam ponere deberent quam graviter peccent, dum absunt corporaliter a commisso sibi grege. I. 493. — Perennem Dei cuncta conservantis curam æmulari tenentur. I. 494 et seq.

Præmotio.

Præmotionis divinæ cum compedibus et catenis quam insulsa comparatio. I. 224

Præsentia realis.

Præsentiæ realis corporis et sanguinis Christi in Eucharistia fidem ab ipso Christo acceperunt Apostoli. IV. 19 et seq. — Ab Apostolis Patres antiquiores et Sacra Concilia acceptam servaverunt, quorum testimoniis stabilitur. IV. 22 et seq. — Ponderantur eorum auctoritates, et objectiones occupantur. IV. 40 et seq. — Petita adversus eam ab humana Philosophia hæreticorum sophismata convelluntur. IV. 47 et seq. — Confirmatur demonstratio e Patrum testimoniis desumpta pro ea stabilienda. IV. 49 et seq. — Ad eam admittendam suavibus monitis invitantur hæretici. IV. 50 et 67 et seq.
Præsentia realis corporis et sanguinis Christi in Eucharistia est dogma Catholicum unanimi omnium Christianorum Ecclesiarum consensione admissum ante ortos Calvinianos. IV. 51 et seq. — A modernorum hæreticorum imposturis vindicatur hæc veritas. IV. 52 et seq. — Confirmatur rursus novissimis totius Orientis Christiani testimoniis omni exceptioni majoribus. IV. 62 et seq.

Presbyter, et Presbyteratus.

Presbyteratus vere est Sacramentum ordinis, quod plenarie reperitur in Episcopis, in Sacerdotibus autem limitate, et dependenter. IV. 470
Presbyteratus materia, et forma designantur. IV. 498
Presbyteri sunt Episcopis inferiores, eisque tenentur obedire. *ibid.* et seq.
Vide *Ordo, Sacerdos.*

Probabilismus, et Probabilitas.

Probabilitatis doctrina periculosa latissimum ad omnem impietatem aditum pandit. II. 669
Probabilitatis serpens venenum quanta cura rejecerit, ac ab eo abhorruerit totus Ecclesiæ Gallicanæ Clerus. II. 678. — Male a sectariis tam corrupta doctrina in totam Ecclesiam regeritur. *ibid.*
Probabilitas sententiarum diversos gradus sortitur. II. 95. — Potest in utraque contradictoria sententia reperiri. *ibid.*
Probabilismum non esse tutam agendi regulam auctoritate Scripturæ probatur. II. 127 et seq. — Probatur etiam auctoritate Patrum. II. 129 et seq. — Pia etiam ad Probabilistas reflexione diruitur. II. 132 et seq. — Refellitur etiam auctoritate Pontificum Romanorum et Conciliorum. II. 135 et seq. — Et præsertim juris Canonici axiomate notissimo. II. 137
Probabilitatis usus Pontificibus et Conciliis invisus, commentum est diaboli ad præceptorum vim enervandam. II. 139. — Alexandri VII, Decretis, Ecclesiæ Galli-

canæ vigilantia, totius orbis Pastorum, et Doctorum cura proscriptus est. II. 140 et seq.

Probabilitate damnata mirum est plures libros cudi ejus errores continentes : secus res se habuit in facto Jansenii. II. 145 et seq.

Probabilismus D. Thomæ testimoniis luce clarioribus exploditur. II. 149 et seq. — Veterum Theologorum auctoritate refutatur. II. 154. — Eo fortius comprimendus est, quo magis noviter serpsit. II. 155. — Rationibus quin etiam a priori, et a posteriori evertitur, et in Comitiis generalibus Dominicani Ordinis damnatur. II. 159 et seq. et 171 et seq.

Probabilismi putida tabes describitur. II. 168. — Ejus horror pia reflexione, et apostrophe ad Semi-thomistas incutitur. *ibid.* et seq. — Dissipat legem Domini, et Ecclesiæ. II. 175. — Alia mala eum consequentia. II. 177. — Ejus pestiferum dogma fons venenatus inexhaustus. II. 178. — Duabus tutissimis conditionibus vallatus etiam periculosus est. II. 181. — Mire labefactantur hæ conditiones a P. Georgio Rhodio. II. 182 et seq. — Objectiones ejus proponuntur et solvuntur. II. 190 et seq. — Quam a probabilismo cavere debeant Confessarii, piis monitis edocentur. II. 198

Processio.

Processio duplex in Deo admittitur, et quid per eas producatur. I. 279

Processiones divinæ perfectiones divinas mire illustrant, et quomodo in eis terminus procedens eamdem naturam cum principio habeat. I. 281. — Eorum principium proximum et immediatum quodnam sit. *ibid.* et seq — Duæ tantum in Deo dantur. I. 282

Processioni verbi convenit ratio generationis, secus vero processioni Spiritus sancti. I. 283 et seqq.

Processionum divinarum varia miracula et eximiæ prærogativæ recensentur. I. 288 et seq.

Processionum divinarum amor antecedit, et subsequitur processiones sub diversa consideratione. I. 289

Propositio.

Propositiones quinque Jansenianæ in materia de gratia referuntur, et legitime per Innocentium X. damnatas, et ab Augustino, et Aquinate prædamnatas fuisse probatur. II. 436 et seq. — An eis damnatis potuerit excusari Jansenius. II. 447 et seq.

Vide *Innocentius X.*

Propositiones quadraginta quinque vagæ probabilitatis fœtus invisus et perniciosa seges, sed ab Apostolica sede damnatæ referuntur. II. 236 et seq.

Protoparens.

Protoparentum formatio describitur. I. 481. — Corpora eorum elegantissima, quorum plasmator solus Deus. *ibid.* et seq. — Qua die et ubi formati. I. 482. — Quam deplorandus eorum lapsus. I. 483. — Varia eorum privilegia pro statu innocentiæ recensentur. I. 484 et seq. — Quibus peccatis ab eo dejecti. I. 487 et seq.

Providentia.

Providentiæ divinæ manus oculata. I. 228. — Ejus dotes eximiæ. I. 229. — Est oculatissima, et ad omnia se extendit. *ibid.* et seq. — Etiam aliqua mala permittit. I. 230 et seq. — Ex rerum varietate concordique discordia invicte probatur. I. 231

Providentiæ divinæ spem nostram, curas, et sollicitudines committamus. I. 233

Providentia est actus intellectus, præsupponens tamen intentionem efficacem voluntatis. *ibid.* et seq.

Ad providentiam, prudentiamque humanam multi actus concurrunt. I. 234

Providentiæ divinæ efficaciam nequaquam imitantur Christiani in via salutis languidi. I. 235

Providentia divina est omnino creata et infallibilis etiam quoad actualem assecutionem finis. *ibid.* et seq.

Providentiam inter et prædestinationem quæ sit differentia. I. 237

Providentiæ divinæ misere reluctantes, in eam relabuntur quam fugere nituntur. I. 238

R

Rector animæ.

Rectorem animæ uberiori luce cumulatum

eligere, nihil in via salutis tutius est. IV. 385. — Sacræ doctrinæ copia debet esse refertus. IV. 386. — Prudentia spiritali, usu, et experientia parta decorari debet. *ibid.* et seq. — Quomodo, et ubi sit ea utendum. IV. 387. — Plenitudo charitatis ei necessaria est. *ibid.* et seq. — Peccatori lapso, sauciato et semivivo relicto benignitatis oleum, vinumque severitatis infundet. IV. 389. — Perpendat se peccatorum judicem, sed ministerii sui reddendam esse rationem. IV. 390. — Sacras pietatis ac disciplinæ leges Sanctorum monumentis factisque traditas fortiter executioni mandet. IV. 391 et seq. — Talis optandus fidelis Dei servus et prudens ; sed heu ! quam rarus. IV. 392

Relatio.

Relationes reales quatuor in Deo sunt admittendæ. I. 289 et seq.
Relationes in divinis omni imperfectione carent. I. 290. — Quænam sint reales, quænam vero rationis. *ibid.*
Relationes in divinis quatuor sunt, et tres tantum personæ. I. 291
Relatio divinæ caritatis quæ totam ad nos Trinitatem refert, quam suavis. *ibid.*
Relationes in Deo tantum distinguuntur virtualiter ab ipsa substantia Dei. I. 292
In relationum conceptu includitur essentia, et e contra. *ibid.*
Relationes esse de quidditate essentiæ, et e contra, docuit aliquando D. Thomas, aliquando oppositum ; sed ejus testimonia distinctione præcisionis objectivæ et formalis conciliantur. I. 293
Relatio non est de conceptu explicito essentiæ divinæ. I. 295
Relationes divinæ non multiplicant, nec afferunt specialem existentiam ab absoluta distinctam, specialem tamen perfectionem afferunt ab absoluta virtualiter distinctam. I. 296 et seq.
Relationes divinæ duo præstant quæ de se perfectionem important. I. 298
Relationes divinæ licet perfectionem addant essentiæ, personarum tamen non destruunt æqualitatem, et infinitatem. I. 299 et seq.
Relationum divinarum portentosus numerus a Scoto et ejus discipulis invectus, I. 246. — Quid requiratur ut relatio sit realis. *ibid.*

Religio.

Religionem aliquam veram esse quibus rationibus statuendum sit. II. 648.
Religionis Christianæ et Catholicæ mysteria evidenter credibilia esse omnibus credibilitatis argumentis convincitur. II. 649 et seq.
Religio Christiana variis Prophetarum testimoniis pronunciata. *Ibid.*
Religionum falsarum reprobatio. II. 667 et seq.
Religionum indifferentia exploditur II. 668. — In Christiano evidenter damnatur. *Ibid.*
Religionis Christianæ summa, et boni Christiani idea quinque verbis expressa. I. 365.

Reprobatio, et Reprobus.

Reprobationis arcanum abstrusum et reconditum. I. 259. — Ejus strictior, et latior acceptio. I. 260.
Reprobationem dari ut certum asseritur, et in quo consistat explicatur. *Ibid.* — Ejus definitio traditur. I. 261.
Reprobatio dicens exclusionem an gloria, an habeat pro motivo peccata et demerita. *Ibid.* et seq.
Reprobatio non supponit peccatum originale. I. 262 et seqq.
Reprobationis dubii effectus examinantur. I. 268.
Reproborum sors misera variis nominibus in Scriptura significatur. I. 259.
Reprobis omnia cooperantur in malum, et quare. I. 270.
Reprobum quem esse, quantumvis scelestum, et obduratum, non licet asserere. I. 273 et seq.

Repudium.

Repudium an, et ex quibus causis fuerit Judæis licitum, et an post illud ad alias nuptias transire possent. IV. 520

Res.

Rerum multitudo, distinctio et inæqualitas in Deum auctorem est refundenda, in

qua mire coruscant attributa divina. I. 390. — Quales fructus ex hoc colligere possit Christianus. I. 391.
Vide *Creatura.*
Res omnes a Deo immediate gubernantur. I. 492. — In esse etiam perenniter ab eo conservantur. I. 494 et seq.
Vide *Gubernatio.*

Restrictio mentalis.

Restrictionum mentalium usus penitus damnatur. II. 496. — Quam insulse exemplo Christi et virorum sanctorum præcoloretur. II. 497.
Vide *Mendacium.*

Resurrectio.

Resurrectio Christi fuit necessaria, et soli illi eximia. III. 236. — Fuit etiam gloriosa. III. 239. — Quando et quibus manifesta. III. 240. — Cur dicatur efficax. III. 241 et seq.

Reus.

Reis ultimo supplicio damnatis Eucharistiæ usus permittitur, alibi justis de causis denegatur. II. 210. — Vulgus eorum mortem periculose securam putat. II. 211.

Romanus Pontifex.

Romanus pontifex privilegio gaudet Concilia confirmandi, eorumque definitiones approbandi. I. 39 et seq.—Ejus in unisam Ecclesiam primatus ostenditur. I. 41. — An universalis Episcopi titulo insigniri debeat. I. 52. — Nunquam per sua judicia Christi Ecclesiam in errorem trahere potest. I. 54. — Privatæ ejus sententiæ longe minoris ponderis et auctoritatis sunt iis decretis, quæ pro communi bono Ecclesiæ profert. I. 55.
Romanus Pontifex a quibus, et quomodo eligi debeat. IV. 498
Vide *Ordo.*

S

Sacerdos, et sacerdotium.

Sacerdotes jure possunt peccatoribus iterata flagitia continue perpetrantibus absolutionis beneficium denegare. IV. 426.
Sacerdoti expedit, ut illos solum absolvat, quos credit sincere conversos, nec in pristina flagitia relapsuros. IV. 428.
Vide *Absolutio.*
Sacerdotes omnes ad Sacrum quotidie celebrandum dura necessitate propellere deplorandus est abusus. IV. 305 et seq.
Sacerdotibus in impertienda peccatorum absolutione, singulari et pene divina constantia et prudentia opus est. IV. 340.
Sacerdotes Christiani carnali successione non propagantur, sed a solis Episcopis ordinantur. IV. 473
Sacerdotii Christi eminentia exponitur, ejusque eximiæ dotes, et privilegia recensentur. IV. 147 et seq.

Sacramentum.

Sacramenta novæ legis passionem Christi Redemptoris speciali quadam ratione significant. III. 460.
Sacramenti multiplex acceptio. III. 461. — Non est confictum a Theologis hoc nomen. III. 462.
Sacramenti essentia exponitur. *Ibid.* et seq. — Objectis in contrarium occuritur, et alia dubia occupantur. III. 464 et seq.
Sacramentorum immutabilitas objectionum solutione stabilitur. III. 467 et seq.
Sacramenti triplex significatio, quam vix, ac ne vix quidem hujus sæculi Christiani exhibent. III. 470 et seq.
Sacramenta post peccatum sunt homini lapso necessaria. *Ibid.* et seq. — An fuerint aliqua in lege naturæ, et scripta. III. 473.
Sacramenta nulla fuisse in statu innocentiæ conjecturis tantum suaderi potest. III. 475 et seq.
Sacramentorum uberes fructus quibus modis a nobis percipiantur. III. 477 et seq. — Qualis sit eorum causa præcipua, qualis instrumentalis. III. 479 et seq. — Eorum minister ad dignitatem attendat, et Christi sanctimoniam æmuletur. III. 481.
Sacramenta novæ legis gratiam ex opere operato efficiunt. III. 482. — Alia primam, alia secundam gratiam efficiunt. III. 483 et seq. — Quis sit eorum effectus primarius, quis secundarius. III. 486 et seq.
Sacramenta novæ legis sunt causæ instrumentales physice gratiam efficientes. III. 496. — Qua virtute eam efficiant. III. 500 et seq.

Ut Sacramenta suos consequantur effectus, quæ conditiones requirantur. III. 504 et seq. — Etiam per malos ministros peraguntur, eorumque effectus conferuntur. III. 509. — Non possunt sine sacrilegio in statu peccati mortalis peragi a ministris solemnitatis. *Ibid.*—Possunt licite a ministro tolerato recipi. III. 510.

Ad sacramenti valorem sufficere intentionem serio peragendi externi ritus, qui christianis religiosus est, eaque stante, nulla ministri intentionis retentione, vel perversitate posse sacramentum irritari, incunctanter asseritur. Momentosa in hac materia sententia, quam tuentur Theologi præstantissimi, primum antiquiores et recentiores. III. 514 et seq. — Probatur etiam auctoritate Patrum. III. 517 et seq. — Roboratur auctoritate Summorum Pontificum, et Conciliorum: ubi expenditur mens Tridentini. III. 520 et seq. — Perspicuis D. Thomæ testimoniis confirmatur. III. 523 et seq. — Rationibus etiam munitur. III. 526 et seq. — Oppositæ sententiæ fundamenta convelluntur. III. 530 et seq.

Sacramenta novæ legis ita præstant antiquis, ut inter ea analogia solum inveniatur. III. 602

Salus.

Salutem suam cum timore et tremore operantur, etiam qui aliquos prædestinationis suæ effectus experiuntur. I. 259

De salute propria Christianorum incuria deploranda. I. 185 et seq.

Salutis opus sortis nomine in Scripturis vocatur, ut quam vigiles in eo esse debeamus dignoscamus. III. 174

Sanctus.

Sanctorum suffragia implorare quantum hominibus expediat, et præsertim Sanctorum Reginæ. I. 135 et seq.

Sancti orantes pro seipsis exaudiuntur, sæpe tamen non impetrant aliis quod petunt. II. 434. — Misericorditer interdum non exaudiuntur dum pro necessitatibus hujus vitæ supplicant. *Ibid.* et seq.

Sancti quorum corpora cum Christo resurrexerunt, an ad mortalem, vel immortalem vitam resurrexerint. III. 237

Vide *Vir Sanctus.*

Sapientia.

Sapientiæ divinæ studium inter omnes hominum curas est perfectius, jucundius, et utilius. I. 1

Sapientia hujus mundi quo sensu stulta ab Apostolo dicta. I. 2

Sapientia vera apud Christianos qualis. I. 10

Satisfactio.

Satisfactionis rigorosæ quinque conditiones referuntur, quæ in Christi satisfactione servatæ probantur. III. 104 et seq.

Satisfactio Christi nihil proderit, nisi pœnis ejus jungatur pœnitentia nostra. III. 108

Satisfactio quæ absolutionem sequitur, tantum rationem habet partis integralis sacramenti Pœnitentiæ. IV. 323. — Complementum, et consummationem gratiæ producit. IV. 324. — Quæ ad eam conditiones requirantur. *ibid.* — An in peccato mortali peracta peccatum sit ipsa. IV. 326

Satisfactio quæ est judicii sacramentalis complementum, utilis et necessaria est. IV. 344 et seq. — Non evacuantur per eam satisfactionum Christi merita immensa. IV. 347. — Potest alius pro alio satisfacere. *Ibid.*

Scientia.

Scientia proprie dicta, et intellectus in Deo perfectissime inveniuntur. I. 138 et seq.

Scientiæ radix immaterialitas et virginitas. I. 140

Scientia divina est omniscientia. I. 141 et seq.

Scientia divina ad omnia se extendens, probitatis necessitatem nobis ingerit. I. 143

Scientiæ divinæ referuntur excellentiæ duæ præcipuæ. *Ibid.* et seq. — Aliæ ejus dotes. I. 145

Scientia etiam infusa parum prodest, nisi plus luceat opere quam verbo. III. 119

Scientia Media.

Scientia media videtur repugnare iis, quæ de Dei voluntate tradit Scriptura. I. 162 et seq.

Scientia media a SS. Prospero et Hilario

D. Augustino propcsita, ab eo rejicitur. I. 164 et seq.
Scientiæ mediæ usum omnem et abusum rejecit S. Augustinus. I. 165
Scientia media etiam D. Thomæ repugnat. I. 166 et seq.
Scientiam mediam alicubi indicasse erubescit Augustinus. I. 168
Scientia media invictis rationibus tum a priori, tum a posteriori confutari potest. I. 169
Scientiam mediam consequentia gravissima inconvenientia recensetur. I. 170 et seq.
Scientiæ mediæ opposita doctrina virtutum Christianarum fundamentum. I. 175
Vide *D. Augustinus.*
Scientiæ mediæ assertores gratiæ efficacis defensoribus invidiam creare conati sunt, sed inter eos palinodiam recantavit P. Annatus. I. 226 et seq.

Scriptura sacra.

Scripturæ sacræ libri admittendi, et reverenter excipiendi recensentur. I. 21 et seq. —Ejus puritas cum rectitudine fidei connexa est. I. 22. — Ejus vulgata editio post Tridentinum est infallibilis auctoritatis. I. 23 et seq. — Quid de exemplaribus Græcis, et Hebraicis sentiendum.
Vide *Liber.*
Scripturæ sacræ dignitas incomparabilis, et plane divina. I. 25. — Multiplex ejus sensus. I. 26. — Cur vulgari lingua legi prohibeatur in Ecclesia catholica. *ibid.* et seq. — Intolerabilis ejus abusus a Novatoribus invectus. I. 27. — Multi ex ejus lectione fructus a sapientibus hauriendi. I. 28 et seq.
Scripturæ sacræ loca, in quibus aliqua prædicuntur aliter quam contigerint, a falsitate vindicantur. II. 494 et seq.
Vide *Mendacium.*

Sectarius.

Sectarii Lutherani et Calviniani ad catholicam Ecclesiam D. Augustini exhortationibus invitantur. II. 673
Sectariorum modernorum Apostasia variis demonstrationibus convincitur. *ibid.* et seq.
Sectariorum, sectarumque luxuriantium magna diversitas, et horrenda confusio. II. 675
Sectariorum varia argumenta proponuntur et solvuntur. II. 676
Sectarii falso conscientiæ prætextu ab Ecclesia Romana recessisse nobis objiciunt II. 679 et seq.
Ad sectarios pia apostrophe, et reflexio. II. 680 et seq.

Sedes Apostolica.

Sedes Romana, centrum Ecclesiasticæ unitatis, nunquam a vera fide deficiet, nec ab Ecclesia catholica separabitur. I. 54
Vide *Ecclesia.*
Sedis Romanæ translatio in Galliam quando contigerit. II. 700 et seq. — Quot mala in Ecclesia eam sequuta sint. II. 701
Sedes Apostolica lydius lapis puram et legitimam ab adulterina discernens doctrinam. II. 213

Seminarium.

Seminaria ad Clericorum instructionem erigere decens est in Ecclesia. IV. 509. — Quam antiqua fuerint. *ibid.*
Vide *Clericus.*

Semipelagianus.

Semipelagianorum errores ad duo capita reducuntur. II. 250. — Quæ detestari videbantur Pelagianæ hæreseos capita, reapse admittebant. *ibid.* — Proponuntur eorum argumenta. II. 252 et seq. — Pelagium verbo tenus reprobarunt, subtilissimum illius venenum retinentes. II. 253
Semipelagianæ hæreseos sectatores præcipui, eorumque errores referuntur. *ibid.* et seq.
Semipelagiani gratiam internam admiserunt, et quam rejecerint. II. 256 et seq.
Semipelagiani Prædestinatianos hæreticos confinxerunt, eorumque dedecore veros D. Augustini discipulos calumniose infamarunt. II. 261
Quod lucrum ex hac calumnia reportarent, et quos errores eis affinxerunt. II. 262 et seq. — Eorum querelæ. II. 266. — Confinxerunt etiam Concilia adversus hæresim Prædestinatianam coacta. II. 269. Eis nullatenus in hoc puncto credendum. II. 270
Vide *Pelagiana hæresis* et *Pelagius.*

Sententia.

Sententia in conflictu opinionum tutiora sectans non est Jansenismi insimulanda. II. 197. — Nihil ea ad evellendos scrupulos aptius, et si quæ imperitis ingerantur, pro eis varia remedia parantur. II. 200 et seq.
Vide *Probabilismus*, *Thomistæ*.

Species.

Species creata Deum ut in se est repræsentans, penitus repugnat. I. 123

Spes.

Spes hominis in Deo unice ponenda. I. 83
Spes hominum caduca, si immutabili Deo non sit innixa. I. 327
Spes fidelium ex miraculorum patratione firmetur, et erigatur. I. 498 et seq.
Spes est virtus stricte sumpta. II. 557. — Ad quem unice tendat, et cui innitatur. II. 558. — Ad ejus objectum pertinent beatitudo formalis, et objectiva. II. 560 — Ejus immediatum objectum est Deus. *ibid.* et seq. — Ad ejus objectum non pertinent bona creata, etiam quæ a Deo sperare possumus ; et quid de ratione ardui, et bonitate Dei sentiendum. II. 562 et seq. — Ejus objectum indirectum est bonum alienum. II. 564
Spes quomodo a charitate distinguatur. II. 563. — In Deo primario est ponenda, secundario vero in Sanctis. II. 565. et seq. — Est virtus theologica, non vero moralis. *ibid.* et seq. — Contra eam peræque peccat qui non vocatus audua quærit, et qui vocatus refugit, ubi pia de temeritate quorumdam et aliorum timiditate monita. II. 566 et seq.
Spes christiana in solis Catholicis, tametsi peccatoribus invenitur. II. 567. — Non remanet in Patria. II. 568. — Nec in damnatis, nec in hæreticis reperitur. II. 570. — Eam in solo Deo reponat Christianus. *ibid.* et seq.
Spei præceptum datur, et ubi contineatur. II. 571. — Quando urgeat ejus obligatio. *ibid.* — Ab eo non eximeretur reprobus, cui facta esset suæ damnationis revelatio II. 572 et seq. Imo peccaret desperando. II. 576 et seq. — Quam inanis spes ejus quem nec Dei promissa, nec minæ terrent. II. 577

Spiritus Sanctus.

Spiritus sancti processio cur rationem generationis non habeat. I. 283 et seq.
Vide *Processio.*
Spiritus sancti divinitas contra Macedonium quinque rationibus probatur. I. 306 et seq.
Spiritum creari, et pro nobis orare gemitibus inenarrabilibus, quo sensu dicat Scriptura. I. 314.
Spiritus sancti processio nomine caret. I. 345. — Tribus potissimum nominibus insignitur. *ibid.* et seq. — Dicitur cor Ecclesiæ. I. 347 et seq.
Spiritu sancto Patrem et Filium diligere se et nos, quo sensu dicatur. I. 348 et seq.
Spiritus sancti varia nomina referuntur, quibus ad ejus naturam intelligendam manuducimur. I. 350 et seq.
Spiritus sancti unctio verum animæ piæ gaudium. I. 352.
Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. *ibid.* et seq. — Quo sensu dici possit procedere a Patre per Filium. I. 356
Spiritu sancti processio a Filio sufficienter habetur in Scripturis : ubi de additione particulæ *Filioque* facta in Symbolo. I. 355
Spiritus sanctus si non procederet a Filio, non distingueretur ab eo. I. 356 et seq.
Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, ut ab uno principio, ejusque origo utriusque personæ concursum per se exigit. I. 359 et seq. — Ab uno principio procedit, licet a duabus, personis emanet. I. 361 et seq.

Sponsalia.

Sponsalia quid, et quotuplicia sint. IV. 522. — An cum subsequente copula faciant matrimonium. *ibid.* et seq.
Vide *Matrimonium.*

Status.

Status hominis quid sit. II. 276. — Septem proponuntur et explicantur. II. 277 et seq. — An compateretur peccata venialia justitiæ ori inalis status. II. 278. — Legis novæ, et gratiæ, cur status liber-

tatis dictus. II. 280. — Multiplex est. *ibid.*
Statum nullum habuit humana natura, unde tanta fluit hominis levitas, et inconstantia. II. 281.
Status naturæ puræ est possibilis de potentia Dei absoluta, impossibilis vero de potentia ordinaria. *ibid.* et seq. — Probatur hæc doctrina variis auctoritatibus. II. 283 et seq. — Rationibus etiam stabilitur. II. 286. — Conveniens non est status naturæ puræ. *ibid.* et seq. — Ad eum valde dejicitur qui ad Deum deploranda cæcitate perpetuis cogitationis et affectus motibus non fertur. II. 293 et seq.
In statu naturæ lapsæ longe debilior est homo ad bonum faciendum, longeque pronior ad malum vitandum, quam fuisset in statu naturæ puræ. II. 294. et seq.
Status viatoris unus ad merendum idoneus, cœlestibus congregandis thesauris impendatur. II. 421

Stella.

Stella Magis apparens quæ fuerit, et unde producta, et quali lumine circumfusa. III. 179

Subdiaconatus.

Subdiaconatus est ordo in Ecclesia antiquissimus. IV. 506. An inter sacros ordines recenseri debeat. *ibid.* Non est sacer ex institutione divina. *ibid.* et seq.
Vide *Ordo*, *Ordines Minores.*

Subsistentia.

Subsistentiæ tres relativæ, et una absoluta in Deo admittendæ sunt. I. 322
Subsistentiæ ratio aliqua communis tam absolutæ, quam relativæ, in Deo concedi debet. I. 324 et seq.
Subsistentia potest etiam convenire enti communicabili. I. 327
Subsistentia, vel personæ ratio an sit univoca, vel analoga respectu trium personarum. I. 331

Substantia.

Substantia supernaturalis, cui Deum videre connaturale sit, impossibilis. I. 108 et seq.
Substantia divina non est penitus extra facultatem intellectus creati. I. 112

Superbia.

Superbia primum Angelorum peccatum. I. 465. — Quam hominibus cavendum. I. 467 et seq. — Superbire hominem quam stupendum. I. 468
Superbia initium omnis peccati. I. 470
Superbia primum Protoparentum peccatum, quod alia peccata, et innumerabiles miseriæ sequuta sunt. I. 487 et seq.
Vide *Protoparens.*
Superbia humana impie Deo tribuere vult id unde peccatores merito accusantur. II. 321 et seq.

Symbolum.

Symbolum quid sit, et quid significet. II. 500. — Quotuplex sit in Ecclesia Dei. *ibid.* et seq. — Eorum dispositio non officit Christianæ libertati *ibid.* 2. — Quare multiplex proponatur. II. 507
Vide *Articuli Fidei.*

T

Tempus.

Tempora cuncta fugitive labentia sunt æternitati divinæ præsentia reali. I. 104 et seq.

Theologia, et Theologus.

Theologia divinæ revelationi innititur. I. 1. — Merito dicitur sacra doctrina. *ibid.*
Theologia est necessaria in Ecclesia Dei, licet in scholastica plures irrepserint abusus. I. 2
Theologia quamvis per accidens obscura, est tamen vera scientia, cujus objectum formale Deus est. I. 3
Theologiæ studium purum et immaculatum. I. 4
Theologiæ ratio *sub qua*, est revelatio virtualis. I. 5
Theologia est una simpliciter scientia. I. 6
Theologia scientiæ Dei et Beatorum subalternatur. I. 7 et seq.
Theologia licet sit speculativo practica, est

tamen magis speculativa quam practica.
Theologia est certior omni habitu et scientia naturali, estque vera sapientia. I. 9 et seq.
Theologia est entitative supernaturalis, licet sit habitus acquisitus. I. 11 et seq.
Theologia omnes scientias præcedit quatuor privilegiis. I. 12 et seq.
Theologiæ duplex differentia a virtutibus infusis. I. 13
Theologia sua principia immediate a Deo per revelationem accipit. I. 14. — Vere supernaturalis qualis sit. *ibid.* et seq.
Theologiæ Thomisticæ partitio, et distributio, hujusque operis idea ad mentem auctoris proponitur. I. 16
Theologiæ Thomisticæ integræ elixir, et quinta essentia ab auctore promittitur, pietate quin etiam temperata. I. 18
Theologia Christiana vere oculata unicum bonum agnoscit, cætera quæque floccifacit. II. 35
Theologus verus quis. I. 7
Theologus verus theoriam ad opus reducere debet. *ibid.* et seq.
Theologus vere sapiens et solidus quis. I. 10
Theologus melior qualis. I. 13
Theologi sanctæ Sedis inimici mellea D. Bernardi doctrina ad Ecclesiæ gremium revocantur. I. 65
Theologo valde necessaria Ecclesiasticæ historiæ notitia. I. 69

Timor.

Timor sacer spem temperans initium est sapientiæ quantum ad effectum. II. 577. — Traditur ejus objectum. II. 578. — Divisio proponitur. II. 579. — Servilis et filialis specie differunt. II. 580
Sine timore nihil est omnis homo ex D. Bernardo, ubi pia circa hoc monita. *ibid.* et seq.
Timoris mundani et servilis labes referuntur. II. 581. — Secundum substantiam bonus, ratione servilitatis malus est. *ibid.* et seq. — Non est donum Spiritus sancti. II. 583. — Non est etiam virtus. *ibid.* — Mundanis relinquendus, et ipsemet timendus est. II. 584
Timor filialis non culpam ratione culpæ voluntariæ, sed solam a Deo summe dilecto separationem timet. II. 585. — Est comes individuus caritatis, qua crescente ipse crescit. II. 586 et seq. — Permanet etiam in Patria. II. 587. — Quis sit ejus actus in Beatis. *ibid.* et seq. — Ei respondet paupertas spiritus. II. 589. — Præceptum ejus ex Scriptura colligitur. *ibid.*
Timor castus salutis nostræ fundamentum est, et coronis. II. 590
Timor Domini sanctus germana spiritalis hominis tessera variis exemplis probatur. III. 95 et seq.
Timor ex metu gehennæ conceptus sine aliquo Dei amore et inchoatæ dilectionis affectu, ad justificationis gratiam recipiendam nunquam sufficit, ne quidem in Sacramento ullo. IV. 395 et seq.
Timore pœnæ sine amore justitiæ nec convertitur voluntas, nec sanatur cupiditas. IV. 400 et seq.
Timor ergo castus solus in nobis optandus, quo et Deum solum sincere diligamus, et peccatum supra omnia detestemur. IV. 408.

D. Thomas.

D. Thomæ elogium. I. 274. — Ibi sistit Doctor Angelicus, ubi puer inceperat. I. 276
D. Thomas cur Angelici Doctoris nomenclatura etiam ab Ecclesiæ capitibus donatus. I. 399
S. Thomas in moralibus nullatenus deserendus, sed omnibus præferendus. II. 2. et seq. et 145.
D. Thomas ab omnibus sequendus in materia de gratia. II. 209. — D. Augustino comparatur, et utriusque discrimina referuntur. II. 210. — Præstans fuit Ecclesiæ Doctor, et quare. *ibid.* et seq. — A Romanis Pontificibus valde laudatus. II. 213. — Approbata fuit in Conciliis ejus doctrina. II. 219 et seq. — Suffragiis Doctorum, Universitatum, et præstantissimorum ordinum laudata fuit. II. 222. — Et a tota Ecclesia, et Christo ipso consecrata. II. 223 et seq. — A nonnullis tamen malevolis inique maledicitur. II. 225 et seq. — Catholici Doctoris lex eximiis dotibus claret, quæ recensentur. II. 229 et seq. — Thomistarum schola, et Doctrina SS. Augustino et Thomæ commendatur. II. 238 et seq.

Thomistæ.

Thomistarum sententia de prædestinatione, et reprobatione quam longe distet a Prædestinatianorum conficto errore. I. 266

Thomistæ falso et calumniose Probabilismi assertores asseruntur. II. 155 et seq — Sed ab his calumniis luculenter vindicantur. II. 156. — Aliqui tamen Probabilistis favisse videntur. II. 158. — Plerique tamen e diversis orbis Catholici provinciis unanimi consensu adversus Probabilismum insurrexerunt. *ibid.* et seq. — An pro Probabilismo stent admittentes posse dari juris naturalis invincibilem ignorantiam. II. 164 et seq.
Vide *Probabilismus.*

Tonsura.

Tonsura prima quid sit, et quæ ad eam dispositiones prærequirantur. Quam sit in Ecclesia antiqua. IV. 508 et seq.

Traditio.

Traditiones respuere non minoris impietatis est quam Scripturas ipsas non acceptare. I. 29 et seq. — Earum usus efficax remedium contra hæreticos Scripturis abutentes. I. 30. — Quomodo Apostolicæ ab humanis figmentis dignoscendæ. I. 31. — Sunt lex et ipsummet verbum Dei. *ibid.* — Ad eas audiendas et excipiendas pia reflexione invitantur Novatores. I. 32.

Transfiguratio.

Transfiguratio Christi inter splendidiora ejus miracula recensetur. III. 252. — Quædam in ea observatu dignissima contigerunt. *ibid.* — Testes adhibiti, et aliæ ejus circumstantiæ ponderantur. III. 253 et seq.

Transsubstantiatio.

Transsubstantiatio vera datur in specierum Eucharisticarum consecratione. IV. 78 et seq. — An eam admiserit, vel impugnarit abbas Rupertus. IV. 82

Transsubstantiatio cordis et animi est Eucharistiæ fructus a nobis expetendus. IV. 83

Transsubstantiationis doctrina Catholica magis explicatur solvendo argumenta a ratione petita. IV. 84 et seq. — Quænam sit actio Eucharistica transsubstantiatio. IV. 90 et seq. — Quis sit ejus terminus. IV. 93. — Fit in instanti. *ibid.* et seq.
Vide *Eucharistia.*

Tribulatio.

Tribulatio patienter pro Christo tolerata triplici veri boni dote decoratur. I. 539 et seq. — Non solum bona, sed etiam suavis per Christum facta est. I. 541
Vide *Beatitudo.*

SS. Trinitas.

SS. Trinitatis mysterium ita abditum, ut potius sit venerandum, quam investigandum. I. 137

SS. Trinitatis mysterium quam sit Theologica consideratione dignum. I. 277

Trinitatem ad cujus imaginem conditi sumus, et in cujus nomine baptizamur, quomodo possit imitari Christianus. I. 283

Trinitas divina Deo soli nota, hominibus vero impervia, quomodo a nobis quærenda. I. 288

A Trinitate omnis distinctio actualis opus rationis præveniens prorsus exulat. I. 292.
Vide *Relatio.*

Trinitatis mysterium a gentilibus, Judæis, et hæreticis impugnatum. I. 302

Trinitas personarum distinctarum et consubstantialium probatur ex veteri Testamento. I. 303. — Probatur etiam ex novo. I. 304. — Trium personarum consubstantialitas stabilitur. I. 305

Trinitatis mysterium tam arduum est, ut supposita fide, et revelatione divina, demonstrative probari nequeat. I. 307 et seq. — Potest tamen ejus fides congruentiis illustrari et declarari. I. 308 et seq. — Philosophis antiquis fuit penitus ignotum. I. 310 et seq.

Trinitatis character quam fideliter a Christianis custodiendus. *ibid.* et seq.

Trinitatis mysterium quomodo possit evidenter credibile reddi. I. 311 et seq.

Trinitatis mysterium etiam ex libris Rabbinorum aliquatenus eruitur. I. 314

Trinitas priscis Patribus aliquomodo fuit nota, sed pluribus involucris adumbrata, et quare. I. 315

Trinitatis mysterium, etsi supra rationem sit, nulla principia logica, physica, aut metaphysica destruit. I. 316 et seq.
Trinitatem adorandam, quam Philosophorum sophismata non infirmant, crimina nostra obscurant. I 317
De Trinitatis mysterio caute loquendum, ne ex verbis inordinate prolatis hæresis nascatur, ad quod variæ traduntur observandæ regulæ. I. 328 et seq.
Trinitas non tantum selectis verbis exponenda, sed etiam morum sanctimonia colenda est. I. 331

Tyrannus.

Tyranni Ecclesiam persequentes triumphantis fidei vim ipsimet sentiunt. II. 690
Vide *Ecclesia.*

U

Unctio

Unctiones plures modo etiam in Ecclesia vigentes referuntur. IV. 451
Unctionem infirmorum esse Sacramentum a recentioribus tantum sectariis probatur. IV. 452 et seq.
Unctionem Extremam verum esse novæ legis Sacramentum, variis auctoritatibus probatur. *ibid.* et seqq. — An sit immediate a Christo Domino instituta. IV. 457. — Quæ sit ejus materia remota. *ibid.* et seq. — Quænam proxima. IV. 459. — Triplex ejus forma refertur. IV. 460. — Effectus ejus recensentur. IV. 461. — Minister ejus est Sacerdos. IV. 462. — Illius subjectum est infirmus periculose laborans. IV. 464. et seq. — An possit sanis conferri. IV. 465. — Potest in eadem infirmitate iterari, secundum diversum tamen infirmitatis statum. *ibid.* — Ejus cæremoniæ, tum antiquiores, tum recentiores referuntur. *ibid.* et seq.

Unio, et *Uniri.*

Uniri in natura quid sit, quid vero uniri in persona. III. 38. — Unio hypostatica difficulter explicari potest. III. 39. — Peracta est unica actione unitiva humanitatis cum Verbo, et simul productiva humanitatis, et creativa animæ, absque nexu medio. III. 40. — Est omnium maxima, et maxime immediata. III. 43
Uniri hypostatice alienæ naturæ ita proprium est personæ divinæ, ut prorsus cuilibet alteri personalitati repugnet. III. 52
Vide *Incarnatio.*

Unitas.

Unitas divina a Christianis imitanda, ex D. Bernardo. I. 362. — Multiplex ejus modus proponitur. I. 283

V

Vacuum.

Vacuum naturale abhorret Deus, et multo magis vacuum morale, quod sola gratia potest implere. III. 82 et seq.

Væ.

Væ terrificum superbis imminens et interminatum ab Isaia, quale sit. I. 260 et seq.
Vide *Prædestinatio, Reprobatio.*

Verbum Divinum.

Verbum divinum ex quorum cognitione procedat. I. 340. — Non procedit formaliter et per se ex conditione creaturarum futurarum, quantumvis in æternitate præsentium. I. 341. — Oppositæ Auctori sententiæ de Verbi processione fundamentis fit satis. I. 342 et seq.
Vide *Filius.*
Verbum esse Deum vix probari potest, si creandi virtus alicui creaturæ communicari posset. I. 394
Verbum minime incarnatum fuisset Adamo non peccante. III. 29 et seq. — Adversus hanc sententiam objectiones solvuntur, ut amplius Dei misericordia magnificetur. III. 32 et seq. — An ex vi alterius decreti incarnatum fuisset, peccato non existente. III. 34. — Præcipue incarnatum est ad delendum peccatum originale. *ibid.* — An pro futuris tantum actualibus incarnatum fuisset. III. 35
Verbum tam intime unitum est humanitati, ut quæ de Deo dicuntur, possint dici de homine, et vice versa. III. 48 et seq. —

Varii de eis loquendi modi proponuntur. III. 49
Verbum sua nobis divina communicavit, et nostra misera, et humana sibi assumpsit. III. 51
Verbum divinum humanitatis omnes partes assumpsit, et humores. III. 61 et seq. An in eis assumendis aliquis ordo servatus sit. III. 63. — Assumpsit etiam aliquos defectus corporis, et animæ. *ibid.* et seq.
Vide *Incarnatio*, *Processio*, *Unio hypostatica*.

Veritas.

Veritas triplex in Deo perfectissime invenitur. I. 149. — In veritate Deum adorare quid sit. I. 150
Veritas triplex Deo asserta, est totius vitæ Christianæ exemplar. *ibid.*
Veritatis tam magna vis est, ut etiam a propriis inimicis probetur. II. 674 et seq.
Veritas antiquitati semper est contermina : et quando consuetudini anteponatur. II. 676
Veritatis circa morum præcepta dignoscendæ difficultas, finis ultimi jugi consideratione vincitur. I. 510
Veritati gravius a speciosis piis, quam ab apertis impiis dispendium imminet. II. 274 et seq.

Vestis.

Vestes clericales a laicalibus distinctæ antiquitus nullæ fuere : sola modestia in illis præcipiebatur. IV. 510

Vinum.

Vinum vitigineum solum idonea est Calicis consecrandi materia : ubi multa circa id notanda referuntur. IV. 130. — Ei permiscenda est aqua de jure, non tamen de necessitate. IV. *ibid.* et seq.
Vide *Eucharistia*.

Vir.

Viri sancti non solum sibi, sed aliis etiam nati, in alios debent refundere quod a Deo hauserunt. I. 398
Vide *Homo*.
Viri sancti et solide pii merito quotidianas obrepentes culpas plangunt, et ab occultis mundari a Domino petunt. II. 119 et 205. — Pium circa hoc auctoris monitum et reflexio. II. 205 et seq.
Viri sancti in Scriptura commendati, veram religionem dissimulantes et falsam simulantes, an excusandi, vel damnandi. II. 552 et seq.
Viri sancti non solum malum, sed etiam speciem mali fugiunt. III. 375
A viris in speciem piis quam diligenter sit cavendum multis allatis exemplis ostenditur. II. 274

Virtus.

Virtutis variæ acceptiones. II. 453. — Variæ etiam definitiones traduntur. II. 454. — Est habitus essentialiter operativus actus boni quo ad totum quod reperitur in illo. *ibid.* et seq. — An prius actus entitatem quam ejus honestatem seu moralitatem respiciat. II. 456 et seq. — Ejus actus est bonus usus liberi arbitrii, ad quem Christianus pia reflexione invitatur. II. 457
Virtutis triplex subjectum asseritur. II. 459. et seq. — Duplex ejus proprietas. II. 463. — Potest esse in statu perfecto et imperfecto. II. 465 et seq. — Pereunte una cæterarum nitor imminuitur. II. 467
Virtutes sine caritate nec perfectæ sunt, nec simpliciter veræ. II. 468 et seq. — Duplex earum proprietas minus præcipua. II. 472. — Multiplex earum divisio traditur. II. 474. — Quam nobis necessarius earum varius apparatus. II. 475
Virtutum moralium infusarum necessitas stabilitur. II. 476. — Defectum et absentiam earum in nobis arguit christiane vivendi difficultas. II. 479
Virtus in infirmitate nostra perficitur, si miseriis naturæ lapsæ bene utamur. II. 296 et seq.

Visio.

De visione beata frequenter cogitare et diu loqui perutile est. I. 122
Visio beata nequit elici sine lumine gloriæ. I. 127
Visionis beatæ inæqualitas et objectum exponuntur. I. 129 et seq.
Visiones beatæ an differant specie. I. 131
Visionis beatæ inæqualitas nec invidiam, nec tædium movet in Beatis. *ibid.*

Visionis beatæ inæqualitas, et differentia unde procedat. *ibid.* et seq.
Visionis beatæ objectum uno veluti intuitu proponitur. I. 133 et seq.
Visio Dei clara est formalis beatitudo nostra. I. 529 et seq.
Vide *Beatitudo.*
Visio Paulo in raptu communicata postulabat esse perpetua, sed fuit perpetuitate privata. I. 545
Visio beata non est proprietas physice dimanans a gratia. *ibid.* et seq. — Mensuratur æternitate participata. I. 546
Visionem et amorem Beatorum comitatur ineffabile gaudium, et delectatio. I. 550
Visioni Dei repugnat essentialiter quodvis peccatum. I. 551 et seq.

Vita, et *Vivere*,

Vita beata est gaudium de veritate. I. 1
Vitæ mortalis status aptus non est ad Deum vivendum per essentiam. I. 114 et seq.
Vita perfectissima Deo ita competit, ut apud ipsum omnia vivant. I. 150 et seq.
Vivendi ars Christiano est artium ars. I. 152 et seq.
Vitæ spiritalis maximarum maxima duplex angelicæ ad Deum loquelæ munus exprimens. I. 443 et seq.
Vitæ humanæ, et christianæ præcipua felicitas in quo consistat, et quot modis pervertatur. I. 493
Vitæ interioris, quæ vitæ spiritalis est medulla, commendatio. II. 56. — Ei seria danda est opera. II. 57. — Ejus inchoata felicitas ex D. Bernardo traditur. *ibid.* et seq.
Vita plurimorum Christianorum ex principiis fidei infert conclusionem damnationis. III. 7 et seq.

Vitium.

Vitium stricte sumptum quid significet. III. 304. — In solito loquendi modo pro peccato usurpatur. *ibid.*
Vide *Peccatum.*

Voluntarium, et *Voluntas.*

Voluntarii definitio traditur. II. 4. — Duplex est. II. 5. — Convenit tantum analogice hominibus et brutis. *ibid.* — An sint voluntaria, quæ fiunt ex metu. II. 13
Voluntas Dei medium, et regula sit cognitionis et operationis nostræ. I. 158 et 159.
Voluntas in Deo datur, et quam actualis, pura et sancta sit. I. 175
Voluntatis divinæ objectum. I. 176. — Quomodo differat a creata. *ibid.* — Unde fit purissima. I. 178
Voluntas Dei alia antecedens, alia consequens : ejusque divisionis vera explicatio. I. 181.—Alia ejusdem Semipelagiana explicatio. I. 184
Voluntatis divinæ altera divisio, et quibus modis voluntas signi dignoscatur. *ibid.* et seq.
Voluntas Dei perfectissima gaudet libertate in ordine ad creaturas. I. 198
Voluntas divina non potuit manere suspensa, sed in aliquod decretum circa futura omnia tam absoluta quam conditionata prorumpere debuit. I. 207 et seq.
Voluntatis divinæ actualitati affectus nostri exercitium respondere debet. I. 213
Voluntas Dei decreto præventa quomodo potentiam ad oppositum retineat. I. 222
Voluntatis angelicæ perfectio, et rectitudo perpenditur. I. 452. — Fertur naturaliter ad Deum super omnia diligendum, amore tamen libero quoad exercitium. I. 455 et seq. — Post liberam electionem est inflexibilis, nec pœnitudine flecti potest post peccatum. I. 458
Vide *Angelus.*
Voluntas non potest cogi in productione actuum elicitorum. II. 12. — Cogi tamen potest in actibus imperatis aliarum facultatum. *ibid.*
Voluntas bona quam Deo grata II. 16. — Referuntur ejus eximiæ dotes. *ibid.*
Voluntas sincera quæ semper habet, quod donet apud Deum pro facto reputatur. II. 58 et seq.
Voluntas hominis quando in volito materiali divinæ debeat conformari voluntati. II. 60
Voluntati divinæ per amorem, per imitationem, et per subjectionem conformari debemus. II. 65
Voluntas non indiget virtute superaddita ad attingendum bonum rationis proprii suppositi. II. 459 et seq.
Voluntas in hoc statu nulla motionis efficacia potest necessitari. II. 444. — Nec potest a Deo ullam pati violentiam, nec ulla alia creatura. *ibid.* et seq.

Voluntatem humanam in Christo fuisse, et ejusdem voluntatis operationem, contra Monothelitas defenditur. III. 122
Voluntas Christi libera fuit in observatione præceptorum sibi impositorum. III. 128 et seq.
Voluntas humana eo sanior est quo liberior, et eo liberior, quo divinæ legis amantior, et gratiæ divinæ subjectior. III. 137 et seq.

Votum.

Votum continentiæ non potest ab altero conjugum sine alterius consensu emitti. IV. 518. — Quid de voto nunquam petendi debitum, et aliis conjugatorum voti. *ibid.* et seq.

Vide *Matrimonium.*

Z

Zelus.

Zelus quid sit, et an in Deo admittendus. I. 187
Zelus divinus ab omni imperfectione alienissimus. *ibid.*
Ad zelum verum triplex conditio requisita. *ibid.*

Zephiræ.

Zephiræ decem intelligentiæ a Rabbinis confictæ. III. 6. — Dei influxus in eas qualiter explicetur. *ibid.*

Vide *Incarnatio.*

Atrebati. — Ex typis A. Planque et Sociorum.

208.8 8789
C 767
CONTENSON, B.
AUTHOR
Theo. Mentis et Cordis IV
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
FEB 22
[redacted]
8789